OTECA NAZ.
torio Emanuele III
XX
D
11
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2/

JANI VINCENTII GRAVINÆ, JCTI,

OPERA,

SEV

ORIGINVM JVRIS CIVILIS

LIBRI TRES,

QVIBVS ACCEDVNT

DE

ROMANO IMPERIO

LIBER SINGVLARIS,

EJVSQVE

ORATIONES ET OPVSCVLA LATINA.

RECENSVIT ET ADNOTATIONIBVS

AVXIT

GOTTFRIDVS MASCOVIVS,

REG. MAGN. BRITAN. CONSIL. AVL. ET IN ACADEMIA

GOETTINGENSI JVRIS PROFESSOR.



LIPSIAE,

APVD JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FILIVM.

ANNO M DCC XXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

DE MÜNCHHAVSEN

DYNASTAE STRAVSFVRTI, *etr.*

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEBVRGICI MINISTRO STATVS INTIMO MAGNO IN DVCATV CELLENSI PRAEFECTO

GOTTFRIDVS MASCOVIVS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME DOMINE,

JAni Vincentii Gravinae opera, recenſita atque illuſtrata paſſim noſtris obſervationibus, Excellentiae Tuae offero, ut vel ſic eximiae illi, qua me adhuc dignatus es, benevolentiae, aliquid reddam hoſtimenti. Scriptor ille, Romanae quondam ſcholae decus, juris praecipue origines pandit, ſine quarum cognitione ſcientia illius manca & imperfecta eſt. Tam gravi autem & caſtigata utitur oratione, ut inter Jureconſultos quidem hac parte neminem ſibi parem habeat. Conveniebat proinde incunabulis Academiae Georgiae Auguſtae, quam nihil decet niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, & cujus ipſe Ge-

nius

Digitized by Google

nius nihil niſi venuſtum & nitidum admittere videtur. Aedificia certe Academica, ſumtibus Regiis exſtructa, tantae ſunt magnificentiae, ut bene & ſplendide, prae caeteris Germaniae, habitare Muſae noſtrae videantur. Regis exemplo excitati cives aemulatione quadam certant in adornandis pulcherrimis aedibus, quibus excipiant ornatiſſimos juvenes, confertim quotidie ad nos confluentes. Profeſſorum porro quanta in ſumma doctrina morum ſuavitas & urbanitas, ipſius autem oppidi quae non ſitus amœnitas? Multis olim obſidionibus clarum, vallo cingitur, in quo & aër purus hauritur purior, & jucundiſſimus adeſt proſpectus in oras vicinas, hortis, montibus, ſilvetis diſtinctas, inter quae Leina amnis innumeris deſerpit Maeandris. Sed haec omnia non tantum nobis proſunt, quantum nos Tua, Illuſtriſſime Domine, cura, Tua dexteritas juvant. His enim praecipue effectum eſt, ut biennio eo proveheretur Academia noſtra, quo aliae vix longa annorum ſerie productae fuerunt.

runt. Quantum autem reliquis pacis artibus valeres, teſtabantur antea omnes, quos obieras, dignitatis gradus; teſtabatur Ratisbona, in qua ſplendidiſſima legatione functus es, teſtatur denique Hamela civitas, Auguſtiſſimi Regis auſpicio, cataractis a Te ornata opere non tantum opportuno navigantibus, ſed etiam neceſſario. Addo his integritatem ſummam, qua in ampliſſima dignitate, inter amicos nimirum Regis conſtitutus, inque adminiſtratione Magnae Praefecturae Cellenſis uteris, & a qua ipſa immortalitatem exſpectare poteras, niſi eam Tibi jam paraſſet conditum Gottingae virtutis templum, ſapientiae domicilium. Vale, & felici optimorum conſiliorum ſucceſſu diutiſſime fruere. Dabam Gottingae Idib. Januar. M DCC XXXVII.

JANI

Digitized by Google

JANI VINCENTII GRAVINÆ
DEDICATIO AD
CLEMENTEM XI.

BEATISSIME PATER,

QUæ tria bona ſunt a divina providentia ſummis principibus ad optimum populorum regimen attributa; quæque ſæpe in ſingulos diſpertita quidem adſpiciuntur, in eundem vero collata raro memorantur; ea omnia nos in te uno, CLEMENS MAXIME, intuemur; ingentem rerum optime gerendarum poteſtatem, cognitionem, & voluntatem: quæ ſicuti diſſociatæ parum promovent, quia neque poteſtas absque cognitione invenire, neque cognitio absque voluntate capeſſere meliora valet; ita conjunctæ nunc in SANCTITATE TUA, orbem terrarum univerſum ad æternorum operum ſpem, haud immerito, erexerunt. Vetus enim illa, & præclara de te opinio ex beneficentia & prudentia tua, præclarisque factis ubique diffuſa, jam tanto crevit amplius, quanto mirabilis illa tuorum comitiorum eventus rebus humanis omnibus antecellit. Quo virtutis exemplo, vel ipſis veteribus Eccleſiæ ſæculis inaudito, cum & præteritas tuas laudes obrueris, & paris gloriæ ſpem ceteris mortalibus abſtuleris; noſtram interea excelſorum actuum cupiditatem adeo dilataſti, ut ei explendæ, ſuperatis jam ceteris, tutemet ſis in poſterum ſuperandus; neque alium præter te competitorem, atque æmulum laudum tuarum ſis habiturus. Mortales enim ita natura comparati ſumus, ut cum nobis ipſis facile condonemus; ab aliis tamen ſemper majora contendamus. Cum igitur tu notas antea, uſitatasque virtutes curſu ſuperioris temporis exegeris; & in creatione tua ſpeciem pietatis adhuc ignotam e cœleſtibus animi tui penetralibus emiſeris; quid mirum, ſi nova ſemper & inſueta, tuique propria, in poſterum expectemus? Quod vix, ac ne vix quidem aſſecuturos a quoquam homine conſideremus, niſi mirabile facinus abs te profectum, divinam vim actionibus tuis perpetuo excitandis, atque regendis in tuo pectore conditam indicaret. Talis enim tua fuit Pontificatus recuſatio, ut nihil humani penitus in egregia illa moderatione animi deprehendatur. Neque enim cum ſenſu modeſtiæ, metus hoſtium Chriſtiani nominis admiſcebatur: non tyrannorum atrocitas, non Eccleſiæ vexatio, non pericula, non cædes, nulla ſtrages, nulla ſeditio, commotio nulla honorum fugam incitabat. Et tamen ad culmen dignitatum omnium invitus atque reluctans, mœrore, ac triſtitia ſqualidus, lacrymans & gemebundus, e cubiculo, ubi te condideras, velut ad crucem aliquam evocabaris: utpote de illorum numero,

qui

Digitized by Google

qui *ἔρχονται ἐπὶ τὸ ἄρχειν ὐχ᾽ ὡς ἐπ᾽ ἀγαθόντι ἰόντες, ὐδ᾽ ὡς εὐπαθήσοντες ἐν αὐτῷ ἀλλ᾽ ὡς ἐπ᾽ ἀναγκαῖον, καὶ ὐκ ἔχοντες ἑαυτῶν βελτίοσιν ἐπιτρέψαι τὴν ἀρχὴν ὐδὲ ὁμοίοις.* Dum enim ampliſſimi Patres ad te confertim ibant, ut paratum divinitus, delatumque ad te a collegis omnibus Pontificatum maximum reciperes; tu illum ad ſeniores conſtantiſſime remittebas, unanimesque preces, lacrymis abunde manantibus, refutabas. Cum igitur nemo, quin eſſes unice creandus, ambigeret, præter unum te, a cujus modeſtia, cum illi magis contenderent, minus expugnabant; idemque diffiſus viribus copiam ſuffragiorum undiquè te ambientium averteres, ac ſolus petitioni omnium repugnares; certe non tam comitia illa fuere, quam lis, & judicium inter te, ac Sacrum Senatum inſtitutum, cœleſtique ſententia diremtum, ac definitum Sacrorum librorum oraculis: quæ voluntatem pervicere tuam, ac te attinuere dilabentem: ut divinam in Pontificia creatione præſentiam, quam nobis adhuc religionis auctoritas perſuaſit, nunc in mirabili creatione tua, oculis prope, deprehenderimus. Qua enim humana ope negotia illa, quæ, ſuapte natura, levi qualicunque aura vertuntur tamdiu conſtitiſſent, niſi vis divina optimorum patrum voluntates in te incumbentes ex alto rexiſſet; eorumque ſuffragia, ne aliorſum deflecterent, totum illud glorioſiſſimum tibi, longum vero atque anxium ceteris mortalibus, triduum, admirabiliter ſuſtinuiſſet? Quæ tum populi totius trepidatio fuit! Quæ ſollicitudo bonorum! Quales anguſtiæ doctorum ac piorum hominum! Quanta fluctuatio Eccleſiæ univerſæ: quæ dum retraheres manus a gubernaculo tibi porrecto, portum hic, illic ſcopulos; hac ſerenitatem, illac tempeſtatem proſpectans; a te unice petebat, ut in tranquillum conferretur! Neque aliunde, præter quam a divino conſilio proceſſit, ut neglecta opportune de Seniorum etiam ſententia lege annaria, dignitate ſuprema ætatem antevenires. Cum enim ſuperiorum Pontificum piis legibus, & exemplis abacta vitia, propter eorum imperii brevitatem ſtatim ab abſceſſu refluerent, florentem ætatem tuam Deus ad ſummam poteſtatem adduxit, ut imperii diuturnitate, optimæ leges verterentur in mores, ac mala omnia tuarum continuatione virtutum, veluti longi temporis præſcriptione, in poſterum tollerentur. Tu vero, non ut imperares, imperium accepiſti; ſed ut Eccleſiæ temporibus & legi divinæ ſervires. Etenim ut egregie Plato: *τῷ ὄντι ἀληθινὸς ἄρχων ὐ πέφυκε τὸ αὐτῷ σύμφερον σκοπεῖσθαι, ἀλλὰ τὸ τῷ, ἀρχομένῳ.* Omnes nimirum homines Deus Opt. Max. propter communis genitoris culpam, perpetuo labore damnavit; ſed ſapientes hoc diſcrimine ſecrevit a ceteris, quod alios tantum ſua; ſapientes vero publicæ utilitatis cauſa laborem ſuſcipere voluit. Hoc autem onus ideo tibi ſubeundum præ ceteris erat, quod unus inter mortales absque ullis edictis, quæ irrita ſunt, niſi

Digitized by Google

niſi vim habeant adjunctam, & abſque vi, quæ nunquam abeſt a communi triſtitia; ſed ipſo adſpectu jucundiſſimo vitæ tuæ, ac propriorum luce meritorum, labes eluere valeas Magiſtratuum & Procerum, unde corruptio manare ſolet ad ceteros. Ac ſola imago animi tui modo locata ſublimius, & majoribus exprimenda in dies operibus, præſentis erit, & poſteri cenſura temporis. Quis enim aut ignavus, aut impurus, aut indoctus munus petere auſit ab eo Pontifice, cujus pueritiam in elegantioribus literis; adoleſcentiam in Sacris & civilibus legibus; juventutem in jure integerrime, ſanctiſſimeque dicundo; ac ſequentem ætatem tribus Pontificibus dicatam in Eccleſia univerſa moderanda; totamque vitam in antiqua Sanctorum patrum diſciplina cognoſcenda, & undequaque imitanda ſciat eſſe traductam? Quis vero inani, & puerili doctrina imbutus, turgidaque recentiorum temporum facundia inflatus graviores, & ſublimiores doctrinas vicerit apud eum Pontificem, ad quem inſtituendum omnium temporum ſelectiora ſtudia confluxere? Quem ab ineunte ætate latinam eloquentiam addiſcentem Tulliani ſæculi lux, & candor excoluit; cui ad græcas litteras cupide progredienti, cum omnium inventorum, atque artium ſuarum copiis Academia univerſa, cumque Demoſtenea vi, atque frugalitate Atticum forum exultanter occurrit. Qui iuriſprudentiam ab Antonini ætate, Theologiam a Theodoſianis temporibus arripuit, omneſque doctrinas, atque artes e purioribus fontibus arceſſivit. Eo cultu, atque ſeveritate ſtudiorum tecum ad ſupremum Eccleſiæ faſtigium reduce, non Principem literulas alentem videbimus, & argutiolas; ſed Heroicorum temporum eruditionem, & ſapientiam ſuſcitantem adſpiciemus; Romanique juris Majeſtatem jamdiu obumbratam foro reddentem, & ad veteris Eccleſiæ pietatem, atque doctrinam noſtratium criticorum religione, atque judicio expenſam, & excoctam, auream illam eloquentiam adjungentem, quam in Italiam, Leonis X. beneficentia, revocatam, nova ſermonis contagio pene profligavit. Quam ſane morum atque bonarum artium felicitatem prope adſpirare video, poſt quam exemplo tuo ea defertur conditio petitoribus, ut aut ſpes honorum eis deponenda ſit, aut vetuſta morum, & doctrinarum ſanctitas repetenda. Hinc tu, Princeps humaniſſime, voti compos fies, & ſeveritatem, quæ animum tuum a dominatu avertebat, effugies: moribus enim recta diſciplina, & litterarum cultura compoſitis, delictorum, & vitiorum ſemina tandem extingues, ut ſeveritate tibi non ſit utendum, quoniam bonis dominaberis; poteriſque clementiſſime, atque ex animi tui ſententia imperare. Non enim clementia eſt parcere ſontibus, quorum vita tot eſt inſontibus noxia: ſed ea demum vera eſt clementia, nu-

merum augere bonorum rectis inſtitutionibus, iisque aditum ſepire criminibus, ut quam rariſſime oporteat eſſe ſeverum. Quoniam vero haud pauci reperiuntur, qui ramos malorum deciderint; radicem vero qui tentaverit, adhuc nemo: & vitia plerumque ſtudio virtutis non deponuntur, ſed fuga pœnarum; coguntur Principes atrocitate decretorum eos exulcerare, qui vel voluptatem ex propriis, vel utilitatem ex alienis vitiis capiunt; quique illis ablatis, quotidianam etiam vitæ occupationem amitterent. Tu vero, qui virtutum omnium ſcientiam habes & uſum, exemplis tuis, & nova emendandi arte animos ad illas adeo condocefacies, ut ſenſim delectati melioribus, deteriora ſint relicturi: ac nec opinantes a ſenſibus jucunde deceſſuri ad honeſtatem. Itaque virtutibus illatis, vitia ſine ſatellite, ac ſine voce præconis exulabunt. Tua vero gravitas lenitudine temperata, orisque majeſtas benignitate condita, ſuffuſaque ſuaviter moribus, & ſermonibus tuis decora, & verenda comitas, nonne faſtum deprimet, & ſuperbiam depellet procerum illorum, qui tenuiorum contemtu, & pectoris tumore, atque capitis elatione celſo, fulgentique de curru ſibi videntur præferre faſces, & in privata fortuna publice imperare? Atque cum divinæ omnes animi tui dotes in univerſarum gentium utilitatem redundent; ii etiam, qui jampridem patrocinio tuo perfruuntur, quo illo digni videantur, motu feruntur eodem: ut & ipſi pro virili aliquid publice prodeſſe cupiant. Quos inter, & ego, qui omnia tuæ ſolius beneficentiæ debeo, per quam etiam ab INNOCENTII XII. benignitate publicum juris docendi munus accepi; animum induxi meum, ut privata quoque ſtudia in commune adducerem, abſolutis nuper tribus de originibus juris civilis libris, qui jam in lucem prodeunt ſub auſpicio SANCTITATIS TUAE: cui non modo ex infinita poteſtate, ſub qua omnia ſubjiciuntur; ſed privato etiam, & antiquo nexu labores mei ſunt omnes obnoxii. Etſi vero noſtra ſententiarum, & verborum inopia tanti, tamque Sapientiſſimi Pontificis luce ſit indigna; materiæ tamen gravitatem certe non adſpernabere: tradimus enim primordia juris civilis, quæ ſi non proximum, at communem tamen habent cum ſacro jure fontem, nunc in æternam Eccleſiæ tranquillitatem e tuo pectore profluentem. Jus enim Romanorum id habet ſeorſum a populis aliis, totum ut ſit arte mira, & certa ratione deductum a naturali honeſtate, quæ divina eſt illa in omnium cordibus inſculpta, inque animis inſcripta lex. Hinc jus civile pro jure gentium ſervatur ab omnibus illis nationibus, quæ cum Imperio Romanorum, non tamen acceptam ab iisdem humanitatem depoſuerunt. Quin etiam, ſi originem illius e remotiori memoria repetamus, Moſen ipſum haud levi ex parte

Digitized by Google

parte noſtri juris auctorem reperiemus. Multa enim Ægyptii ab Hebræis, cum quibus verſabantur, in ſuos vertere mores: cujus rei argumentum eſt ſuum abominatio, jejunia, & περιτομὴ, Herodoto teſte, Ægyptiis etiam ſacerdotibus uſurpata: quæ ſuo populo Moſes aſſerta, & ab alienis repetita retulit in ſcriptas ab ſe, atque a DEO dictatas leges. Athenas autem, unde Romani primæva jura petierunt, vel Phœnices Hebræis affines, ut multas Græciæ urbes condidere, vel Ægyptii, Erichtheus certe, ac Cecrops, qui eam urbem primi legibus compoſuerunt, primique imperarunt, ex Ægypto advenerant, indeque in Græciam attulere mores patrios, quibus multa hæſerant ex Hebraicis inſtitutis. Quamobrem Cecrops, propter Græcos mores Ægyptiis inſitos, διφυὴς appellabatur. Hinc non mirum, ſi tot Hebraici juris veſtigia in Romano inveniantur, ut utriusque populi leges, incerto auctore, inter ſe collatas habeamus. Quamobrem, emerſis Lotharii temporibus, poſt diuturnam noctem Romanis legibus, adeo Sacræ cum illis coaluerunt; ut Decretalium libri, exceptis iis, quæ ſunt divini tantum juris, nihil fere aliud videantur, quam progreſſio, & germinatio juris civilis: quod Summi Pontifices Alexander, atque Innocentius Tertius, Gregorius IX. Innocentius IV. Bonifacius VIII. aliique plurimi ſua in juventute hauſerant e Bononienſi plerique ſchola, quæ tum celebrabatur, illudque de Summo Eccleſiæ Solio mortalibus præbuerunt; aut reſpondentes Epiſcopis, & Præſulibus Oracula Romana petentibus; aut controverſias, cauſasque definientes; aut conſtitutiones Eccleſiaſticas pro re nata condentes. Quo magis confido Te hoc literarum genus complexurum benignius: &, qui animum habes non modo tuæ ditionis opulentia, ſed ipſis etiam humanis neceſſitatibus longe majorem, quique occultis largitionibus litterarum inopiam e re familiari tua ſublevabas; eo majori munificentia cultum vetuſti juris excitaturum, quod hæc ſtudia longe auctius Reipubl. remittunt, quod acceperunt, & pro caducis, & mortalibus bonis æterna, & ſaluberrima retribuunt, conjunctam ſcilicet cum Romana eruditione juſtitiam, animumque Romanum. Quæ dum ſcriptis committimus, nunquam interea ſenſus declinamus ab immortalibus dictis factisque tuis, unde longe majorem boni, & æqui ſcientiam, & uſum colligemus, quam e mortuis monumentis vetuſtæ virtutis, quæ nunc longe clarior in tuis operibus reviviſcit. Quibus contemplandis admirandisque adeo, Pater Beatissime, rapior, ut ad integram abſolutamque felicitatem id unum a DEO Optimo Maximo deprecer, ut per longam Te annorum ſeriem ſoſpite atque ſuperſtite, dimittar e vita.

Digitized by Google

JANI VINCENTII GRAVINÆ
AD CVPIDAM LEGVM
JUVENTUTEM.

Mirari aliquando ſoleo, & mecum ipſe reputare, cur extremis hiſce temporibus, quibus ceteroqui ſcientiæ, vel recens exoriuntur, vel veteres exuſcitantur, vel adhuc incolumes ad clariorem lucem extolluntur, ita ut communis & nova quædam reddatur vita doctrinis; una tamen Jurisprudentia, veluti damnata barbarie, ſenſim repudietur ab eruditis, & elegantiorum artium commercio paulatim excludatur? An rude aliquod artificium eſt jus civile, cui nonniſi pinguiora ingenia ſe tradiderint? An uſu, officioque ſuo juris ars eſt avara quædam nundinatio verborum, & vocabulorum aucupium, evertendis aliorum fortunis, & patrimoniis, ex judicum libidine, transferendis, inſtitutum? An civilis doctrina, claris illa quidem profecta initiis, & a ſublimioribus ingeniis educata, traducta tamen per manus imperitorum, diuque ſordide contrectata ita ſqualet; ut ab eo temporis veſtigio, ad ætatem uſque noſtram, cultiora ingenia, ſuo fœditatis adſpectu, rejecerit? An hoc denique ſtudium quæſtuoſum eſt magis, quam glorioſum & illuſtre: atque ideo docti homines, qui ſitam opulentiam in abſtinentia, & frugalitate collocant, cum hujusce artis præmiis minime ducantur, ipſam etiam artem putant eſſe contemnendam? Imo vero nihil prorſus horum objici jurisprudentiæ poteſt. Quid enim ejus munere gravius, quo ſingulorum ſtatus, & bona proteguntur ab injuriis? Quid ſolidius præceptis, regulisque ſuis, quas hauſtas ex honeſtate naturæ, non confuſe congeſtas, proditasque temere; ſed ratione, atque via traditas a majoribus fuiſſe didicimus? Etenim, ſi quam habet philoſophia dignitatem, (habet autem hominum opinione maximam,) ea omnis translata fuit in jurisprudentiam Romanorum, qui partum armis imperium, juris commercio, legumque majeſtate continuerunt. Quidquid enim a Græcis philoſophis de honeſto, & juſto; de finibus bonorum, & malorum; de regendis populorum moribus; de legibus & Republica, quæſtionibus infinite propoſitis, & ambitioſis magis, quam utilibus diſputationibus effundebatur; totum collectum fuit a Juriſconſultis noſtris, atque, nugis excuſſis, traductum in Urbem: ut quod apud Græcos exercitatio erat ingenii, longiorisque ocii levamen, Romæ, in corpus juris civilis converſum, publicæ, ac privatæ ſemen eſſet utilitatis. Itaque contemplatio Græcorum ocioſa, & iners, a noſtris operoſa reddita eſt, atque frugifera. Cumque deinceps philoſophia in honorum, & opum vile mercimonium converteretur; poteſtas omnis illius, atque dignitas in Juriſconſultorum ſcholis, atque in Romano foro conſedit: manſerat enim Græcis tantum ſplendor, faſtusque verborum; pondus tamen rerum & ſententiarum uti-

Digitized by Google

utilitas commigraverat omnis in artem Jurisconſultorum, quorum auctoritate forum regebatur, ut hoc opere noſtro procedente patebit.

Caligo vero barbarorum interpretum cur huic detrahat doctrinæ dignitatem, cum proximis ſæculis ad vindicandum jus civile cultiores omnes artes, omne genus eloquentiæ, retruſior omnis eruditio contra barbariem conjurarint: ut, pene dicam, non tantum contulerint conditores, quantum novi ejus vindices reddiderunt? Itaque, ſicut ager fit, intermiſſa cultura, feracior; ita jurisprudentia, quæ barbarie inhorruerat, ſegetem protulit, ex nova eruditorum induſtria, lætiorem. Vel unius enim Jacobi Cujacii mirabili acumine, atque inaudita doctrina, jus civile noſtrum ſcientias omnes in certamen gloriæ provocaverit. Quænam eſt autem ars, quænam facultas, cui tanta eruditio ſit implicata, quantam complectitur Jurisprudentia, ex qua nativa rerum ſingularum vocabula, & arcana latinitatis, & ſelectiora dicendi genera ducuntur, & recondita notitia vetuſtatis eruitur, & ſcientia temporum atque factorum, non communis illa quidem, & pervulgata, ſed ſanctior, atque ſelectior, ita ut unius Jurisprudentiæ ſtudium Græcam atque Romanam eruditionem trahat univerſam?

Cur igitur eruditi a Jurisprudentia, & Juris profeſſores ab eruditione plerumque, atque ab eruditis profeſſoribus abhorrent? Sane non aliam prodiderim cauſam, quam numerum & magnitudinem voluminum, & moleſtas rerum jam deſuetarum expoſitiones, diſputationesque longiores, & acumen aliquando immodicum; quibus, ut ſummum ſcriptoris ingenium arguatur, it certe, qui hæc non propenſe, neque inſtituto ſuo, ſed curſim atque alio intendentes arripiunt; longioris moræ faſtidium ferre non poſſunt. Cum igitur ejus lectionis difficultate, atque ſtudiorum triſtitia plurimi deterreantur; facile huic labori parcitur: ne vel eruditus a ſtudiis amœnioribus; vel juris profeſſor ab artis ſuæ quæſtu diutius abſtrahatur. Facilem enim gloriam laborioſæ præferimus, & præmaturum lucrum plerumque anteponimus honeſtiori. Et quamvis multa prodierint, quibus aut grandiora volumina contrahuntur; aut reſecantur obſcuriora; ibi tamen, vel ea ſæpe offendimus, quæ nos morantur inutiliter; vel ea deſideramus, quæ pateant latius: pleraque enim jejune traduntur, & exiliter, ut vix arrepta diffugiant. Res nimirum e proprio trunco avulſæ, atque in Epitomen redactæ attingunt ſimul animum, & elabuntur: carent enim nexu ordineque ſuo, ſine quo nihil mentibus adhæreſcit. Qui hoc igitur in genere libri ſunt breviores, vel doctrinam univerſam per ſumma capita percurrunt, quod eſt nimis exile; vel certam in partem adeo effunduntur, ut alieniſſimas quoque doctrinas eodem trahant, quod ſtomachum ſæpe faceſſit. Non igitur alia ratio ſupereſt, niſi ut aperiantur fontes uberiores, ex quibus non in ſingula tantum membra, ſed in univerſum Jurisprudentiæ corpus eruditio neceſſaria influat, non quidem

Digitized by Google

adeo parce, ut cognitio illius brevi exareſcat; neque tam abunde, ut mergat ingenium, & diu mentem ulterius pergentem irretiat. Quod præſtare animus fuit hiſce tribus Originum libris: ut fontes recludantur, unde univerſa legum eruditio, & vetus Juriſprudentia manat. Curaque fuit rivos inde ita ducere, ut vel coërceantur redundantes; vel tenues juſta copia impellantur: quo juri civili nutriendo ſufficiant, & ſobrie ad uſum, & commodum legentium; non immoderate ad oſtentationem ingenii veteris juris notitia, & lectior eruditio ſuggeratur. Itaque in his conjectum eſt libris, quidquid ab eruditis, & a juris profeſſoribus honeſte ignorari non poteſt: quo eruditi ſcientiam juris ex his colligant ſuis utilem ſtudiis; & juriſperiti, luce hac eruditionis accepta, in lectionem Digeſtorum, & Codicis, & Novellarum confidentius ingrediantur: ut nonniſi quibusdam in locis obſcurioribus, ſi quando in foro uſuvenerit, conſulere oporteat longiores eruditorum interpretum commentarios: quorum tamen ſenſum, ſine rerum hic expoſitarum notitia, nemo, niſi divinando, adipiſcatur.

Igitur primo libro quaſi telam explicamus, quæ univerſum juris civilis corpus, expreſſis potioribus membris, exponat, & cujusque juris portionis tempora certa, & intervalla patefaciat: quo ſummatim prodatur, unde ſit orta primum ſcientia juris, quemadmodum paulatim, vel novis legibus, vel prudentum interpretationibus, vel magiſtratuum edictis, vel principum ſanctionibus ad integritatem pervenerit: Tum quamdiu ſteterit, cur inclinaverit, quave ratione ad ſtatum denique redierit ſuum. Quibus exponendis, oblata facultate, auctores proferentur conſtituti, perturbati, & reparati juris, deque ſingulorum ſcriptis, doctrina, ingenio, & uſu judicia ferentur, quibus ſtudiorum curſus dirigatur: plurimum enim refert, unde quis primum lectionem auſpicetur, quibusve deinceps, & quo ordine libris utatur: nam quæ lectio ad tempus maxime prodeſſet, ea immature, aut præpoſtere ſuſcepta nocebit. Si enim, quocunque fors appulerit, hæreamus, libris ſæpe inutilibus florem noſtræ conteremus ætatis. Hinc in tanto ſtudioſorum numero, tam pauci ſapientes. Hoc igitur libro naſcentis, & progredientis juris civilis, tum ſingularum partium ejus celebriorumque ſcriptorum brevem narrationem pertexemus.

Altero libro primordia juris naturalis & gentium, ac vetuſtiores juris civilis fontes aperientur, ſive leges XII. Tab. quotquot e veterum reliquiis erui potuerunt, adſperſa in tempore, ad res illuminandas, Attici juris notitia. Hisque proditis originibus pervetuſtis, & quaſi juriſprudentiæ cunabulis, tranſibimus ad recentiores, nempe ad leges, & Senatus Conſulta: quibus jus civile privatorum (nam quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem pertinebant, cum nullius jam ſit uſus, vix attigimus) leges, inquam, illas & S. C. perſequimur, quibus priſcum, & privatorum præcipue jus aut deficiente ſen-

ten-

tentia XII. Tab. augetur, aut, tempore aliter poſcente, mutatur; aut, ubi obſcurum ſit, atque perplexum, auctoritate populi totius explicatur. Quæ poſtremo libro concludentur.

Toto autem hujuſce operis curſu eruditionem, & notitiam vetuſtatis ita intermiſcebimus: ut quod ſcitu opus fuerit, lectori ad locum occurrat: quo is poſtea per ſe poſſit obſcuros, atque perplexos Juriſconſultorum ſenſus expedire, atque barbarorum interpretum notare lapſus. Multa enim jure tradendo peccarunt illi, quæ notata ſunt ab eruditis, multosque in forum errores intulerunt ignoratione morum, legumque vetuſtarum, ac temporum, quorum notitia hiſce præbetur originibus: quas Tribonianus, cum ſuo tempore paterent omnibus, parum in poſterum proſpiciens, reliquis ſubtraxit ætatibus: atque illis abſciſſis, tanquam ademto capite, totoque juris corpore diſſoluto, conciſi cadaveris membra poſteris reliquit. Omiſſa enim primæva lege, quod caput erat diſputationum, tantum ex legum conſequentiis per interpretes, aut principes, aut magiſtratus eductis exorditur titulum, ſeriemque pertexit: quo fit, ut ad ipſum ſæpe veſtibulum ſubſiſtamus. Quis enim non hæreat, aut labatur in conſequentibus, cum antecedentia prorſus ignoret? Cum autem proximis ſeculis juriſconſultorum eruditiſſimi, vel harum reliquiarum aliquas integris voluminibus comprehenderint; vel pro re nata, in ſuis de jure civili commentariis non paucas explicaverint: non inutile conſilium viſum eſt, tam varia, & laborioſa lectione levare ſtudioſos, easque omnes multis libris diſperſas, & diſſipatas in unum conducere, inque facilem ordinem tributas breviter, atque perſpicue, quantum facultas noſtra tulit, exponere: ut ſi, quod recepi præſtitero, ſuum Juriſprudentiæ caput, reddatur integrum, & quæ diſperſa, & infinita in aliorum libris eſſe videntur, ratione & diſtributione unico adſpectu pateſiant. Qui enim ante nos iſta collegerunt, doctiſſimi quidem illi & ingenioſi, tamen obſcurum potius indicem ex ipſis fragmentis contextum, quam dilucidam eorum ſententiam protulerunt: vel quod ſatis habuerint ea monumenta colligere, ac reliquum laborem aliis conſulto reliquerint; vel quod luce carebant ea, qua poſtea Jacobus Cujacius, & Gothofredus junior juriſprudentiam emendarunt: quorum ſcripta ſane graviſſima plurimum huic operi contulerunt. Qui vero aut unam, aut certas aliquot harum originum explicarunt, ii longis, ut diximus, & alienis aliquando diſputationibus ingenia fatigant, eorumque curſum, qui ad forenſem exercitationem vocantur, impediunt. Præſtat autem rem cognoſcere univerſam, quam longiori cura partem tantum illius expendere.

Orationem vero adhibuimus continuam, ſcribenti quidem perdifficilem, tota enim ex illius ingenio continenter fluit; legenti vero facillimam: etenim animus curſu illo veluti ſecundo flumine vehitur. Nam criticorum ſcribendi conſuetudinem, cui alioqui ſua debetur laus, de induſtria effugimus: interciſa enim, & comminuta eorum oratio ſingulis momentis intercipit ſpiritum, & frequentius abrupta

Digitized by Google

rupta ſcriptorum locis moratur properantem, & detinet injucunde. Ideo ſuccum quodammodo e veteribus expreſſimus, inque orationem noſtram confudimus; teſtimonia vero & auctoritates in marginem conjecimus, ac ſi quid exprimendum occurrit more criticorum (occurrit autem in XII. Tab. explicatione ſæpius) id ſeparatim in notas contulimus breviores, & a continenti oratione ſeduximus. Ubi vero critici perſonam ſuſcipere cogimur, cura eſt a novis emendationibus, quantum licet, nos continere, contentique ſæpe ſumus correctionibus aliorum, quarum ſi quas non probavimus, nonniſi caute mutamus, atque verecunde: tum quia nobis nihil ſuſpectum eſt magis, quam judicium noſtrum; tum etiam quia critices licentiam jamdiu eſſe compreſſam oportuit. Adeo enim emendando critici modum exceſſerunt; ut non ſit amplius id emendandi ſtudium, ſed reprebendendi libido, furorque rixandi. Quo magis admiror eruditiſſimi Grævii ſobrietatem, qui ſuis in notis criticum acumen philoſophiæ modeſtia, & veritatis amore temperavit. Quid autem mali de nobis poſteri promeruerunt, ut contentionibus noſtris abducendi ſint a ſcientiis gravioribus, & præſertim a ſtudio ſanioris eloquentiæ, quæ propemodum exaruit, quia diutius in interpretibus, quam in ipſis auctoribus occupamur. Tandem, ut omnes omnium emendationes merito ſuſpectas habeamus: nonne præſtiterit in una qualicunque lectione quieſcere, quam diutius vaticinando multiplicare deliria, & poſteris laborem, atque faſtidium ex ea diſputationum ſterilitate procreare? Nec ſemper, meo judicio, vera lectio erit ea, quæ melior: ſcriptores enim, varia diſtracti ſcriptionis cura, induſtriam aliquando remittunt. Neque humanum ingenium contendere ubique poteſt omnibus nervis: ideo ut in acie milites, etſi minus fortes, tamen, quia feſſis integri ſuccedunt, pugnant aliquantiſper alacrius; ita evenit, ut acutius aliquando comminiſcantur interpretes, quam ipſimet auctores invenerunt.

Ceterum etſi nullæ hic inveniantur forenſes diſputationes, & rerum quotidianarum controverſiæ, quarum utinam aut minorem habeamus copiam, aut non videamus imminere majorem; tamen ut ii, qui ad palæſtram vocantur, quo ſint ad luctam expeditiores, oleo prius unguntur; ita forenſem pugnam initurus, ingenio fiet ex hac lectione promtior. Etenim non auctoritatibus tantum, quæ arma ſunt imperitorum, quæque indicem pervolventibus præſto ſunt in utramque partem; ſed ſcientia plurimum, & ratione valebit: præſertim ſi ad forum veniat aliquanto cultior, & bonarum artium luminibus excitatus. Quod facillime aſſequetur, ſi vulgaris inſtitutionis ſcopulos declinatus a puero, per breviorem, & leniorem incedat viam. Neque enim ab omnibus juris profeſſoribus perfecti Juriſconſulti doctrinam, acumen, & eruditionem contendimus, cujusmodi perraros admodum ſingulæ tulerunt ætates: ſed plerumque ſatis fuerint ea, quæ politum præſtent, ornatumque cauſidicum: quo Juriſprudentia puris attrectetur manibus, & forum, quantum per conſuetudinem licuerit, expietur. Nihil enim tam fœdum fuerit, nihil tam obſcænum, nihil tam denique ſacrilegum, quam

jus

Digitized by Google

jus civile abſtruſioris eruditionis venam, germen utilioris philoſophiæ, atque florem elegantiæ, negligentia tamen humaniorum literarum redundare ſordibus, & ingeniis patere lutulentis. Has injurias recta ſtudiorum inſtitutio procul a Jurisprudentia flectet; itaque de his placet pauca diſſerere.

Tria omnino ſunt juris profeſſori neceſſaria, latinæ linguæ peritia, ratiocinandi ars, & notitia temporum. Latina lingua evolvit arcana jurisprudentiæ, detegitque ſententias intimas Jurisconſultorum, quæ germanis vocabulis, & abſtruſioribus, ac peculiaribus latine dicendi generibus obſignantur. Quanquam enim jurisconſultorum, quorum fragmenta retinemus, plerique latinitate jam inclinata floruerunt; ſtudio tamen, ac religione verborum, qua maxime ſcientia legum adſervabatur, ita excellebant; ut auream prope latinitatis ætatem elegantia, & proprietate reddiderint. Verborum præterea ſcientia, & cognitio formularum, quarum in jure civili maximus eſt uſus, nihilominus quam hiſtoria mores, ritusque aperit veterum Romanorum, quorum notitia obſcuriora loca juris civilis illuminat.

Ratiocinandi ars cunctas profecto doctrinas decet, utpote cogitationum humanarum omnium gubernaculum & moderamen, atque initium, & dux recte dictorum, recteque factorum: ſine qua præpoſtera & perturbata erunt univerſa. Nam ut Lucretius ait:

- - - Si prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit:
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum;
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Profeſſoribus vero juris civilis eo magis eſt neceſſaria, quod eorum conſilio, atque judicio ſalus aliorum, & fortunæ reguntur. Advocatorum enim, & Judicum lapſus patrimonia ſecum, & vitam ruunt aliorum.

Notitia temporum & hiſtoriarum lectio cum ad prudentiam eſt utilis, quæ de cognitione præteritorum, tanquam ex futurorum imagine ſuſcipitur; tum etiam ad intelligentiam locorum obſcuriorum juris, quæ luce vetuſtatis, & diſcrimine temporum pateſiunt: multarum enim legum diſſidium ſola temporum ratione recte animadverſa componitur.

Haſce autem facultates cito aſſequetur adoleſcens, ſi e longa, & ſalebroſa via accedat ad faciliorem; ac primo retia vitaverit vulgaris grammaticæ, quibus pueritia miſerrime implicatur, & pro ea ſumſerit Sanctianam Scioppii, Voſſiique breviorem, aut, ex his conflatam, novam methodum gallice ſcriptam, vel ejus epitomen: deinde adjunxerit exercitationem quotidianam, optimis auctoribus explicandis, Terentio præſertim, Cicerone, Cæſare, Virgilio, Tibullo, paucisque

 aliis

aliis ætatis aureæ ſcriptoribus, adhibitis facilioribus commentariis: longum enim eſſet, & laborioſum, præ inſtitutione forenſi, aut optimos ſcriptores explicare omnes aut criticos conſulere graviores. Optimo enim cauſidico ſatis fuerit, ſi paucorum, & quidem elegantiorum imitatione, atque ſtudio facultatem comparaverit intelligendi optime, ac ſcribendi mediocriter: ut ſi ornate, atque eleganter nequeat, barbarum tamen effugiat, & inconditum dicendi genus.

Rationis regendæ, atque emendandæ mentis artem, quam Logicen appellant, omnium cum veterum, tum recentiorum optime, facillimeque traditam habemus in libello inſcripto Ars cogitandi: *Cujus lectione non modo e communibus naturæ tenebris mens exolvetur; ſed etiam labyrinthum effugiet vulgarium Dialecticarum, e quibus longa, diuturnaque jactatione, aſſiduiſque jurgiis, non aliud niſi fallere, fallique diſcimus. Ex ea quoque lectione lumina excipiuntur ad omnes fere ſcientias, quarum ſemina illic ſunt effuſa: ut quacunque flectere quis voluerit, rectam per ſeſe inire valeat viam. Hinc etiam tollere poterit adoleſcens quidquid philoſophiæ opus fuerit homini negocioſo, & publicis muneribus occupato, quem oportet quidem philoſophari, ſed paucis, ut ait Ennius. Cetera quæ hoc in genere vulgo, argute ne dicam, an intemperanter, & abſurde diſputantur? jam hac ætatis noſtræ luce, inque tanta inventorum novitate, non modo ignorantur utiliter, ſed etiam laudabiliter contemnuntur.*

Rhetoricam non adjungimus, utpote magis ad morum, & publicarum rerum ſcientiam utilem, quam ad ſcribendi uſum, qui Tullio ipſo judice, naturæ beneficio, & bonorum ſcriptorum imitatione maxime comparatur: qua de re ſunt hæc ab Auguſtino ſcripta divinitus: (a) Cavendum eſt, *inquit*, ne fugiant ex animo quæ dicenda ſunt, dum attenditur, ut arte dicatur. Et tamen in ſermonibus, atque dictionibus eloquentium impleta reperiuntur præcepta eloquentiæ, de quibus, ut illi eloquerentur, vel cum loquerentur, non cogitarunt, ſive illa didiciſſent, ſive ne attigiſſent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes ſunt, non adhibent, ut ſint eloquentes. Quapropter, cum ex infantibus loquentes non fiant, niſi locutiones diſcendo loquentium; cur eloquentes fieri non poſſunt, nulla eloquendi arte tradita, ſed elocutiones eloquentium legendo, & audiendo, & quantum aſſequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipſis quoque experimur exemplis? Nam ſine præceptis Rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt.

Hiſtoriarum lectio partim anteire debet, partim comitari jus civile. Ne quis enim initio ſit ad juris prudentiam rudior, generatim ſaltem oportet animo anteacta tempora comprehendere, ut reliqua vita, ubi erit ocium, res geſtas cognoſcat particulatim: quo de rebus cum privatis, tum publicis ex præteritorum exemplis recte conſulat, atque prudenter. Occaſiones vero legum, tempora, & cau-

(a) De doctr. Chriſt. lib. 4. in princ.

cauſæ, quæ maxime ſententiam aperiunt earum, omnia eruuntur ex hiſtoriis. Ante quam igitur quis auſpicetur ſtudium juris, ex univerſa ſaltem Juſtini brevique hiſtoria memoriam temporum hauriat antiquiorum, ut poſtea cum ſtudiis juris Livii lectionem conjungat, indeque per ſequentium ætatum ſcriptores continenti ſerie ductus ad noſtra tempora referatur, in iisque ſtudiis occupabit quicquid ei temporis a divino cultu, qui præire debet rebus omnibus, & a forenſi munere, atque honeſtis animi laxamentis in vita ſuperfuerit, adjunctis uberioribus Chronologiæ, atque Geographiæ compendiis: in quibus uſui eſſe poterunt aucta nuper Cluveriana introductio, & Petavii rationarium temporum, ac Buſſuetii Epiſcopi Meldenſis de univerſa Hiſtoria diſſertatio; quæ non modo brevem, atque perſpicuam continet memoriam temporum, notatis eventis illuſtrioribus, verum etiam vivis coloribus exprimit religionis noſtræ veritatem omnium ſæculorum auctoritate comprobatam, ac ſimul pandit regnorum omnium ortus, & interitus, eorumque cauſas e moribus deductas populorum, qui nucleus eſt hiſtoriarum.

Juris vero ſtudia inchoanda ſunt à concinnis certe, ac lepidis Antonii Pereſii inſtitutionibus; cum quibus conferendæ identidem germanæ Juſtinianeæ, adhibitis Vinii commentariis, miro judicio contextis, miroque delectu rerum; nec non ejusdem notis, quæ ſunt commentariorum veluti faculæ quædam. Qui longiores, aut locupletiores deſiderant, Cujacium audiant hiſce verbis exagitantem commentariorum importunitatem: (a) Ex libris, *inquit*, Juris civilis libello inſtitutionum, neque comtior, neque facilior ullus eſt, quique interpretem deſideret minus: ut plane illorum videatur eſſe ocium ignobile, qui eum libellum longiſſimis onerant commentariis, quod poſitum eſt in una cognitione, in infinita diſpertientes. *Et paulo inferius:* Nam quæ ſcientia hæc eſt, quæ modum non habet ullum? quæ fines ſuos egreditur? quæ tota deerrat a præceptis ſuis, & ſummo illo præſertim, nec a Juſtiniano prætermiſſo, ut incipientibus jura tradantur levi ac ſimplici via: ne difficultate inſtitutionis tam numeroſæ, atque perplexæ ab hoc ſtudio deterreantur. *Itaque commentarios, qui Oinotomi nomine feruntur, qui ad forenſem ſane uſum plurimum conferunt, potius rejicerem ad extremum ſtudiorum, quam in ipſo, ut fit, initio adoleſcentibus anteponerem: quos obruit copia rerum aut præmature, aut præpoſtere ibi diſputatarum: & melius Juſtinianeis adjungerem Theophili ſobrias, & eruditiſſimas inſtitutiones, nuper cum clariſſimorum auctorum notis editas a Dovjacio. Quin, & nos inſtitutiones noſtras nondum editas ita contexuimus, ut vitatis interciſionibus illis importunis, quibus utitur Vinnius, & alii commentariorum Auctores, qui contextus verba e continenti ſuo divellunt: continuata oratione Juſtinianeorum paragraphorum ordinem ſervemus, & obſcuriora illorum breviter in curſu orationis exponamus; commentariorum utilitatem, & paraphraſeos ſobrietatem cum juventutis utilitate ſimul, atque vo-*

(a) In obſerv. lib. 12. cap. 18.

luptate præſtantes. Poſt hos locus erit hiſce tribus Originum libris, ut altiores juris radices eruantur, & mox ab iis decurratur ad ramos, nempe ad argumenta ſingulorum juris titulorum: quæ cognoſci poterunt e Weſſembecii Paratitlis Digeſtorum, & e Pereſii Paratitlis Codicis. Interea celebriores leges in Manuductione juris civilis notatæ deligentur, atque ad eas veterum & novorum uberiores, itemque ad forum utiliores, aut, ubi loci obſcuritas poſtulet, eruditiores interpretationes adhibebuntur, ut ſcientia ſimul, & uſus eodem tempore comparetur.

Hæc præfari voluimus, ut ad ſtudium juris animos præpararemus, detrahentes inutilia, & adoleſcentibus jucundiora ſimul, & expeditiora præbentes. Non plus enim temporis vel a mediocribus ingeniis hæc inſtitutio poſtulat, quam philoſophiæ vulgari addiſcendæ, non ſine lugenda temporis jactura, tribuitur.

Ceterum quia tres hi originum libri, ubi prælum ſubiere, tot contraxerunt typographicas maculas, ut raro ſenſus efferrent integros, & aliquando etiam ſcribenti contrarios; hac nova editione, quamvis inſtituta, & perducta etiam nobis abſentibus, qui viſcerum doloribus cogimur ſæpius mutare cælum, ut mutemus ſtomachum; tamen benevolentia, & fide doctiſſimorum amicorum, in impreſſionem hanc novam incumbentium, omnem exuere labem, & ad nativam lectionem, atque ad integritatem rediere ſuam, ſimulque non leve incrementum a nobis acceperunt, qui ſuis locis reliqua S. C. quæ primas curas effugerant, cum ſingulorum interpretationibus interſeruimus, ut, quantum in nobis eſt, in tot rerum tenebris opus daremus abſolutum. Quamobrem hac etiam editione libris hiſce tribus contexitur liber de Romano Imperio, *ut cum Originibus juris privati, ſimul prodeat in lucem Origo juris publici Romanorum, cujus ſcientia omnis, poſt mutatam Remp. Imperatorii juris cognitione, hoc libro expoſiti continetur.*

DE

Digitized by Google

DE VITA ET SCRIPTIS
JANI VINCENTII GRAVINÆ
PRÆFATIO
GOTFRIDI MASCOVII.

I.

QUamquam Calabri hoſpitis xenia de his donis dicuntur, a quibus non in totum abſtinere Proconſulis officium eſt, in *L. 6. §. 3. D. de Off. Præſ.*, quia inhumanum eſt, *parva munera* a nemine accipere velle: tamen, quod nos ferimus munus Calabri hoſpitis, ex eorum numero futurum confidimus, quali locupletari homines vehementer ſolent. Exhibemus enim opera Jani Vincentii Gravinæ, nati in Calabria A. *1664.* haud procul ab oppido Coſentino. Dederat hæc Coſentia renaſcentium tempore literarum Janum Parrhaſium, Pomponium Lætum, & Bernardinum Teleſium, viros ingenii fœcunditate & præſtantia nemini ſecundos: quemadmodum, quod primo loco dici debuerat, Ennium quoque, illum, qui tempore Scipionis Africani Epicæ poëſeos laude floruit,

Miſerunt Calabri, Rudii genuere vetuſti.

De gente Vincentii nihil relatum accepimus, niſi quod in libro de Legibus & Senatusconſultis *c. 37.* Gregorium Caropreſium, quem Italorum Philoſophorum ætate ſua maximum fuiſſe cenſet, amitinum & præceptorem, imo beneficentia plus quam parentem appellat. Literas autem Neapoli didiciſſe videtur. Ipſe id, niſi fallimur, ſignificat in extremo epiſtolæ de converſione doctrinarum ad J. Gabrielem Reginerium; ubi hanc ſimul urbem ob doctrinarum bonarumque artium celebritatem mirifice dilaudat. Jus dein Romæ docuit Gravina in Archi-Gymnaſio Sapientiæ, ab Innocentio XII. Pontifice ad hanc obeundam provinciam evocatus. Auditores tamen ſe propemodum inventurum deſperabat in oratione de recta in jure diſputandi ratione, ſcripta 1701. confluentibus adoleſcentulis ad Doctores Pragmaticos, ut trimeſtri vel quadrimeſtri opera delibata jurisprudentia, continuo ſe cauſſis agendis darent. Erant enim tum Romæ Ridolfiniſtæ quidam, qui, dum Petri Ridolfi praxin judiciariam interpretarentur, trimeſtri ſtudio abſolutam jurisprudentiæ cognitionem ore ferreo promitterent, de quibus queritur in oratione de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. Academiæ Arcadum quoque ſocius fuit, cujus literariæ ſocietatis quod fuerit inſtitutum, luculenter ex oratione Gravinæ intelligitur, quam pro legibus Arcadum habuit, & quæ exſtat inter opuſcula ejus. Corpore fuit procero, ſed ma-

cer, oculis vtens obliquis & diſtortis. Auguſtam arceſſitus Taurinorum, dum in eo eſt, vt ſarcinas colligat, ex viſcerum dolore diem obiit ſecundo Non. Januarii 1717. Heredes, in bonis, quæ in agro Coſentino habebat, matrem ſcripſerat Annam Lombardam; in reliquis Petrum Metaſtaſium, adoleſcentem Romanum, alumnum ſuum; cui tres diſcipulos ſubſtituit, inter quos erat Horatius Blancus.

Inter opera eius eminent Origines juris civilis, quas etiam Clementi XI. grandi & ſublimi oratione dedicavit. Laudatur Jacobus Cujacius, quod ad *L. 25. D. de Annuis legatis*, Inſtitutionibus Juſtinianeis præmitti ſuaſerit Mæciani librum *de aſſe & ejus partibus*, quarum numero duodenario non tantum tribuere veteres hereditatem ſolebant, ſed & metiri uſuras, quas ex ſua ſibi ſorte unusquisque ſtipulabatur. At de aſſe multo plenius Noſter agit ad LL. XII. Tabularum c. 47. nec aſſis tamen ſolius, ſed etiam antiquitatis omnis cognitione interiori cenſetur, & iuris ſimul univerſalis ſive naturalis rationes commodo & eleganti orationis genere explicat: cujus ſtudio ſubacta ingenia regendæ civitati felicius ſufficiunt.

Ad hos igitur juris fontes deſcendere adoleſcentes decet, & haurire, quæ dein per omnem ſtudiorum ambitum profutura ſunt: inprimis quum juris ſcaturigines noſtro nemo nitidius deſcripſerit, cuius oratio non tantum in antiquis terſa & elegans eſt, quod quidem facilius, ſed etiam in recentioribus. Quicunque enim legerit, quæ Gravina Originum libro primo de Accurſio aut de Bartolo aut de Cujacio literis tradidit, nec, in eximia verborum concinnitate, rerum capiatur ſelectu, ſententiarum acumine & pondere: næ ille plumbeus ſit, aut ſtupidior lapide molari.

Librum ſingularem de Romano Imperio Senatui Populoque Romano inſcripſit, in eoque priſtinum Senatus aſſertum ivit ſplendorem. Contendit enim, poteſtatem Romanorum publicam ſemper in civilem & militarem diſtributam fuiſſe, quarum hæc per SC. in Imperatores tranſierit, quum illa in Senatu reſideret, & imperio militari vehementer præcelleret; nec imperium Roma Conſtantinopolin translatum, quum potius hæc nihil habuerit quam Imperatorum Prætorium & caſtra muris vallata, tentoriorum vice fungentibus ædificiis. Qua quidem in re ſi ſuorum inſerviit auribus, dandum aliquid eſt homini Romano, de patria & animo Romano toties glorianti: quum Trans-Alpinos homines parum hic fallere fucus queat, poſteaquam de Imperio R. ex vero diſſeruerunt Jo. Frid. Gronovius & Gerardus Noodt.

Inter opuſcula agmen ducit Specimen priſci juris ad Caſparum Carpineum Cardinalem; in quo loci complures ex Originum libro primo ad

Digitized by Google

ad verbum decerpti ſunt. Idem aliis quoque viris eruditis etiam noviſſime uſu veniſſe novimus, vt, quæ alio loco ſcripſerant, iisdem verbis alibi repeterent. Ita Gerardus Noodt, V.CL. quæ *Probabilium L. IV. c.5.* dixerat, ad verbum appoſuit in Commentario ad Pandectas titulo *de Condictione cauſa data cauſa non ſecuta.* Hydram Myſticam ſeu Dialogum de corrupta morali doctrina, quum hic quidem, livorem ſuum religione prætexentibus multis, nimios cieret motus, ſuppreſſit: ejusdem tamen corruptæ morum doctrinæ ulcera ſæpe pungit in orationibus de canone interiori, & de repetendis fontibus doctrinarum.

Etruſca quoque lingua libros complures edidit, & inter eos duos de arte Poëtica, qui ſæpiſſime laudantur Creſcimbenio in Hiſtoria Poëſeos vulgaris: & Tragædias quinque, in quarum quarta, quæ Papinianus inſcribitur, conſtantiam viri, mori quam Getæ parricidium excuſare malentis, vivis depingit coloribus.

Provocaverat autem odium quorundam & iram in ſe. Inter cæteros ejus obtrectatores Q. Sectanus, virum gravem & priſcæ probitatis petulanter & proterve ludibrio habuit in ſatiris ſuis. Hic eſt idem ille, de quo queritur, imo quem contemnit in vita Cujacii, & ſannionem appellat, minime idoneum ad eruditi ullius hominis iram. Hic eſt idem ille, quem ſcurræ, nebulonis & poëtaſtri nominibus perſtringere videtur in ſpecimine priſci juris ad Caſparem Carpineum Cardinalem, & de cuius perdita impudentia apud ipſum Clementem XI. Pontif. Max. queritur in oratione de inſtauratione ſtudiorum. Hic eſt idem ille, quem nebulonem & ſtolidiſſimum thraſonem vocat in dialogo de lingua Latina ad Emmanuelem Martinum, qui ſatiris Sectani notas appoſuerat amoris in Gravinam pleniſſimas. In ejusdem Martini amplexu poſtremum ſpiritum reddidit Gravina, ut ex aureola illius epiſtola intelligitur, quam ſuis inſeruit Gregorius Majanſius, Anteceſſor Valentinus. Neque ipſe Martinus Poëticæ ſuavitatis expers erat. Legitur apud Majanſium epigramma ejus lepidum & venuſtum de libris ſuis bibliopolæ cuidam Londinenſi venditis, ne ſcombris piperique fierent cuculli aut thuris involucra. Laudatur etiam Majanſio Metamorphoſis ejus, qua arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetuſtate fatiſcentem quadam veluti conſecratione inter aſtra collocat.

Crimen autem potiſſimum, quod homini objicitur, illud plagii eſt, quo Manutii, Cujacii, Gothofredi, & aliorum ſcrinia compilaſſe dicitur Gravina. Amplius, damno adjeciſſe fertur contumeliam, & in Manutium inprimis juſto fuiſſe durior, poſtquam ei plurima ſubtraxiſſet. Sed, ut otio hodie abuti ſine dubio videretur, qui ſpretis tot capitalium ingeniorum inter recentiores curis, in originibus juris civilis indagandis

ſolos

ſolos veteres adiret: ſic non plagiarius confeſtim dicendus eſt is, qui optimos duces ſequitur. Honori nominis certe nunquam noſter pepercit, qui Manutium, Cujacium, Gothofredum, reliquos paſſim laudat, & etiam ſi Manutium ſemel & iterum carpit, carpit ſine felle, eundemque principem Romanæ antiquitatis appellat, *l. 1. c. 18.* Cæterum non eum quidem ingenii vigorem aut eam ingenii felicitatem in noſtro obſervamus, quam in ſuis olim alumnis Gallia, noſtra ætate Belgium ſuſpexit: ſæpiſſime tamen eum deprehendas ex ſuapte penu promentem ſententias, ſpretis opinionibus Cujacii & Gothofredi.

Sed forſitan ſemipaganus erat Vincentius, qui Janum ſe appellari maluit, quam Joannem, & de ortu & progreſſu juris civilis *c. 25.*, quod exſecrandæ ſuperſtitionis fuit, qua pulſis regibus ſenatus Romæ modo in templa Jovis, Apollinis, Martis, Bellonæ, Caſtoris, Concordiæ, modo in curias conſultandi cauſſa convocatus fuit, religioni tribuit veterum atque honeſtati, ut aberrantes animi præſentia numinis ad ſaniorem ducerentur ſententiam. Tenebat hoc ſentiendi cacoëthes Pomponium olim Lætum, ipſum quoque ut diximus Coſentinum adeoque civem Gravinæ, qui lectioni ſcriptorum paganorum adeo adſueverat, ut, ultra progreſſus, etiam ſacra pagana ſacris Chriſtianis præferret, & quum Romulo aram condidiſſet, parum aberat, quin Romulo hoſtias immolaret, Chriſtianam certe religionem ſolis barbaris relinquendam opinaretur.

Sed Chriſtianus eſt Vincentius, non paganus vel quaſi paganus. Janus enim quam Joannes dici mavult amore elegantioris Latinitatis. Deorum autem religiones ideo tantum commendat, quia eæ reipublicæ profuerunt, etiam quum a fine vero religionum & extremo bonorum omnium, D. O. M. evagarentur, & rem creatam colerent pro creatore. Ipſe certe *Originum lib. II. c.* 77. quo ſacra Chriſtiana ſacris confert paganorum, ſimulacra cupiditatum & affectionum humanarum pro Numinibus habita, Martemque ex contentione, ex libidine Venerem, ex ſuperbia Junonem, cultos fatetur, donec ex his erroribus genus humanum emerſerit beneficio Chriſti, qui vera nobis pro falſis obtulerit gaudia. Porro in oratione de fontibus repetendis doctrinarum, culpæ ſatis ſibi conſcius, piamenta non in ſua virtute, ſed in Chriſti, quod res eſt, quærit meritis, eademque pœnitendo ſibi adſciſcit, quod caducarum rerum amore mortalia immortalibus prætuliſſet.

Illud conſtat, minime noſtro viſum fuiſſe philoſophari more majorum. Præiverat Bernardinus Teleſius, Coſentinus, ipſe quoque, ut initio monitum fuit, civis Gravinæ, & conditor Academiæ Coſentinæ, qui ſeculo exeunte decimo ſexto primus in Italia Ariſtoteli nuntium mittere cœpit, ſed frementibus adverſariis animi mortuus eſt ægritudine. Parum

Digitized by Google

rum deterritus Gravina viri fato, non tantum Platonem Ariſtoteli palam præfert in oratione de inſtauratione ſtudiorum, & alibi; ſed etiam Carteſium interdum laudat, imo palam ſubinde in Hobbeſii militat caſtris. Contraxerat, credo, hanc cum Hobbeſio conſuetudinem in conſuetudine cum hominibus Britannis, qui frequenter Romæ verſantur, & quorum quidam hunc civem mirifice dilaudare ſolent. Ex hoc igitur noſter magnam partem delibavit eorum, quæ de ortu primarum civitatum ex mutuo metu, admixtis quibusdam Platonis ſomniis, repetit in *Originum L. I. c. 31.* tum in prioribus capitibus libri tertii. Hobbeſium tamen ipſum libentius legeris, quamvis eloquentiæ deſtituatur luminibus & Latinæ linguæ candore. Differit enim copioſius, multoque plus nervis valet in diſſerendo, quam Gravina, cujus laus major in antiquitatibus juris R. quam in acumine dialectico. Accedat libertas Britanni, omnia audentis, quia nihil metuit: quum plurima occultare & ſubticere Coſentinus cogeretur, ne offenſas in ſe ſuſciperet.

Si quid in jure emergat difficultatis, non in Triboniano ſtatim fabam cudit, aut acrioribus Juſtiniani indulget reprehenſionibus, ſed utriusque admiſſa leniter plerumque excuſat. Auctoritate, præter Manutium, Cujacium, Gothofredum, utitur Hotmani, Merillii, Briſſonii, Rævardi, Scaligerorum, Petiti, interdum etiam Roſini de Antiquitatibus Romanis, Parei in Lexico Critico, Henelii de vitis JCtorum. Scriptoribus, qui linguis hodiernis uſi ſua prodiderunt memoriæ, uti non ſolet: Tillemontium tamen, qui vitas Cæſarum Gallice deſcripſit, aliquoties teſtem adducit in libro de Romano Imperio. Lingua vero Germanica quam ſuavitatibus ei carere viſa ſit, indicio eſt, quod barbarum Bartoli deſcripturus dicendi genus, orationem ejus confragoſam adeo dicit, ut quibusdam videatur Teutonice locutus. Cæterum ſcriptores quosdam laudat apud nos quidem minus obvios. Talis eſt Quintanodvenas de jurisdictione, Ramez del Manzano ad Legem Juliam & Papiam, quibus adjicerem Oinotomi commentarium ad Inſtitutiones, niſi is Schneidewinus noſter videretur in gratiam juvenum palati delicatioris Græco nomine donatus.

Suum de jurisdictione tractatum nondum editum laudat *Orig. L. III. c. 4.* & *de Romano Imperio c. 43.* De variatione autem Romani Imperii inde a temporibus Caroli Magni, & Germanici regni miſtura, deinceps ſe acturum ait in fine libri de Romano Imperio, parata ſibi ſilva rerum longo ad id uſu collectarum. Laudat præterea ſuas Inſtitutiones juris Canonici, in oratione de inſtauratione ſtudiorum, tum quoque in epiſtola ad Henricum Huyſſenium, Actis Conſiſtorialibus Clementis XI.

 præ-

Digitized by Google

præmiſſi; & Inſtitutiones juris Civilis, quæ paraphraſin, eodemque filo commentarium contineant Inſtitutionum Juſtinianearum.

Quod ad reliquas ſcientias attinet, commendantem eum videmus in Grammaticis Scioppium & Voſſium; in Logica Artem cogitandi; in Hiſtoria Cluverium, Petavium, ac Boſſuetium; in Jure Perezii erotemata, notulas & commentarios Vinnii: quorum quidem unumquemque in ſua arte inter præſtantiores numerant æqui iidemque periti harum rerum cenſores.

Tres libri Originum juris civilis, quorum primum nunc iterum, poſteriores nunc primum edit Vir clariſſimus J. Vincentius Gravina in Romano Archigymnaſio Anteceſſor, quosque juſſu Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici diligenter examinavi, nihil nec bonis moribus, neque fidei orthodoxæ contrarium continent; imo cum in ipſis auctor, a juris naturalis, & gentium puriſſimis fontibus, eas civiles leges deducat, quibus hoc tempore utimur in republica Chriſtiana; cumque varia, nec paſſim obvia eruditione a Romanis & Græcis, non e vulgo ſcriptoribus depromta, ſuum opus conſpergat, non neglectis neque ſolidioris philoſophiæ principiis, ſine quibus etiam leges ipſæ puerile quiddam, & fortuitum redolent; neque eloquentiæ luminibus, & Latinæ linguæ candore, quæ in foro valde utilis, propter rei difficultatem negligebantur; digni profecto ſunt, ut in publicum bonum exeant in lucem, quo cupida legum Juventus, cui diriguntur, ceterique cauſidici diſcant, quantum dignitatis, atque ſplendoris juris ſcientiæ accedat ab humanioribus diſciplinis, & a placitis illorum philoſophorum, quorum ſapientia in ſophiſticam non abierit.

Romæ ex ædibus D. Caliſti V. Idus Novembris MDCCIV.

D. Jo. Baptiſta de Miro
Caſinenſis.

JOHAN-

JOHANNIS BURCHARDI MENCKENII,

J. U. D. Pot. Reg. Polon. & Elect. Sax. Conſiliarii & Hiſtoriographi, Hiſt. in Academia Lipſienſi Prof. Publ. & Societatis Regiæ Britannicæ Socii, ad celeberrimum Autorem Epiſtola, Editioni primæ Lipſienſi & nuperæ Neapolitanæ præmiſſa.

Graviſſimo JCto,

J. VINCENTIO GRAVINÆ,

S. P. D.

J. BURCHARDUS MENCKENIUS.

UT primum limatiſſimas lucubrationes Tuas vel leviter inſpexi, ita Te amare, virtutesque & doctrinam Tuam ſuſcipere cœpi, ut omnino peroptarem, ne aut Tu, quæ conſignata haberes alia, Eruditis invideres, aut Germani noſtri, ad quos libri trans Alpes excuſi rarius, & immenſo precio perferuntur, voluptate ea, quæ ex ſcriptis Tuis capitur, exciderent & fruſtarentur. Nam & ex Opuſculis Tuis, jam tum anno MDCXCVI. Romæ editis, Te primum, velut ex ungue leonem, cognovi, in quibus quid ingenioſius Specimine priſci Juris? quid elegantius Dialogo de lingua Latina? quid reliquis, quæ de converſione doctrinarum, de contemtu item mortis, & de luctu minuendo, ut & pro legibus Arcadum diſſeruiſti, gravius atque copioſius? Nec ſine multa animi oblectatione legi poſſunt, quæ patrio ſermone de Fabulis Veterum, eodem anno, commentatus es. Sed Te ipſum ſuperaſſe videbare, Vir Conſultiſſime, cum primum Originum Juris Civilis, quarum ſpem in Specimine illo feceras, Librum Neapoli quinquennio poſt in lucem ederes, quem quanto plauſu eruditi exceperint, vel Eruditorum *Acta, quæ Lipſiæ publicantur, teſtari abunde poſſunt. Cumque nonnulli dilectiſſimo Socero meo GLEDITSCHIO perſuaſiſſent, ut librum lectu digniſſimum, in gratiam potiſſimum Germanorum, noſtratibus typis recuderet; certatim fere Juriſconſulti noſtri, avideque eum exceperunt, exceptum commendarunt, commendatum privatis, publicisque ſcholis propoſuerunt, atque explicarunt. Tantum vero abeſt, ut Tu, quemadmodum ſolent fere cives Tui, Germanam editionem noſtram nauſeaveris, ut reliquos etiam libros petenti Bibliopolæ concedendos utique duxeris, eosque nitide deſcriptos abhinc fere biennio ad nos tranſmiſeris; quibus in rebus conciliandis non ignoras, quantum debeamus Viro Excellentiſſimo, HENRICO de HUYSSEN, nuper admodum ardua ſummi Moſcorum Imperantis in Aula Cæſarea negocia tractanti, qui & Te mihi paravit amicum, & ſcripta tua ad me quam diligentiſſime curavit. Memini, quæ tum promiſſa Tibi dederim; nimirum me aſſiduus curaturum, ut opus integrum tribus Libris diſtinctum poſt paucos menſes typis noſtris quam emendatiſſime prodiret. Enimvero prohibuere*

Sueci, qui optimos multorum conatus, facta in Saxoniam irruptione, ſi non perverterunt, morati ſunt certe, quo minus ante hunc diem excudi liber potuerit, nec ipſe, etſi maxime optabam, curam impreſſionis potui in me ſuſcipere, cum regundæ Academiæ munus hoc integro ſemeſtri hiberno mihi incumberet, publicisque negociis meas curas unice depoſceret; quare etſi nec typorum nitorem, nec chartæ puritatem deſiderari poſſe exiſtimaverim, valde tamen vereor, ne ſphalmata nonnulla, quamvis præcipuam curam adhibuerit Typographus, irrepſiſſe deprehendantur. Par autem fuerat, ut liber tam doctus, tam nitidus, tanto denique ſtudio, tot laboribus concinnatus, veſtitu atque ornatu exquiſitiſſimo inſtructus prodiret in lucem, ne ſolus Typographus minus precium ſtatuiſſe huic operi videretur, quod ita optimorum in Republica Literaria Virorum commendatione munitum eſt, ut inter præcipua hujus ſeculi cimelia jure meritoque cenſeatur reponendum. Quanta ubique gravitas? quanta venuſtas? quam luculenta, quam diſtincta, quam pulchra omnia, & plane ad priſcam eloquentiam accommodata? Nihil eſt ex omni antiquitate tam reconditum, nihil in legibus ipſis tam intortum, ac perplexum, nihil denique injuria temporum corruptum vel amiſſum, quod non feliciſſime evolvas, emendes, reſtituas. Ingenioſe imprimis Florentini Codicis auctoritatem ex ipſa antiquitate, quæ alios fugit, vindicas & tueris? Noſti, quantum Juris Interpretibus tribuendum. Quare a Cujacio Tuo non facile diſcedis, qui in omni jure regnat, & tantum non triumphat. Ubi vero a Duareno, Jacobo Gothofredo, aliisque diſcedis, adeo aperta omnia ſunt, & obvia, ut prorſus perſuaſum habeam, eos ipſos, in quos inſurgis, ſi adhuc vita ſupereſſent, in ſententiam Tuam manibus pedibusque ituros. Leges vero XII. Tabularum, quæ principium Juris Romani conſtituunt, ita in illuſtri ponis & plane abſolvis, ut poſt Paulli Manucii, Franciſci Balduini, Conradi Rittershuſii, Tuosque, Vir doctiſſime, Commentarios, vix ſuperſit, quod accedere eis poſſit ulterius. Quin & vetuſtas Leges, & Senatus Conſulta Libro III. nova plane ratione explicas; & quemadmodum ad uſum fori pleniorem poſſint transferri, magna facundia oſtendis. Quid enim nitorem in dicendo Tuum & vim, quid nervos & copiam memorem? quæ auget omnia comitas ſumma, nulla cum oſtentatione conjuncta, ut cum omnia teneas, exiſtimari velis ignorare quamplurima. Et in eo mihi major ſemper viſus es plerisque hujus temporis Jurisconſultis, qui Romanas leges absque Romana eloquentia vel intelligi, vel explicari poſſe opinantur; atque in omni lege tollunt, addunt, mutant, prout vel per ſomnium acceperint. At Tu, quæ prælo parata habes, porro prome, Vir optime, Inſtitutiones præſertim Juris, & Orationes, jam pridem promiſſas Eruditis, quorum plauſu & favore ut diutisſime fruaris, etiam atque etiam precor. Vale. Dab. Lipſiæ, pridie Idus Maji, MDCCVIII.

VIRI

❧)(o)(❧

VIRI ILLUSTRIS
AD
JANI VINCENTII GRAVINÆ
JCTI ET ANTECESSORIS ROMANI,
DE
ORIGINE ROMANI JURIS,
LIBROS TRES
CONSIDERATIONES.

QUod beneficium tribuimus, Humaniorum Sectatores, his ſcriptoribus, qui rudem Latii, quin & Græciæ, ex antiquitate in tot ſcriptores diſperſa, per omnia vitæ humanæ capita, plena, eaque ordine luculento diſpoſita, rerum ſerie, inſtruunt: idem majori merito acceptum ferent JCti, quicquid hactenus antiquitatis, ad interpretationem legum Romanarum ab eo allatum eſt, *Vincentio Gravinæ*, Romano JCto: quin & antiquarii ipſi JCtis, in Gravina, debebunt, quod, quæ antiqua legum, ex interpretibus anterioribus, ſparſim ea ſuis doctrinis inferentibus, depromere, ſine temporis & laboris diſpendio, non poſſent, ea nunc quidem, una eaque pulcherrima facie, conſpicere, datum ſit. Nec enim *Gravina* ſolum *lumina*, (ut L. I. §. 73. tale quid de Labeone profitetur,) *capitibus adſert, cum hiſtoriam alii abunde tradiderint*; ſed & ipſe, quicquid in hiſtoria omni Romani Juris, ad hujuſdem rationes, ex antiquitate, pertinet, diſtinctis capitibus, eruit, ac ordinata ſatis diſpoſuit. Inde vero augmentum pretii legum Romanarum, & major reverentia Juris, per veſtigia gentium ſapientiſſimarum, deducti, exſurgit. Inde uſus ejus firmior & uberior; non in foro duntaxat, ſed qua patet rerum præſtantiſſimarum notitia. * Neque enim Gravina tantum ſcita aliorum colligit; ſed & diſtincta ſerie ea diſponit, & examinat. Equidem Jacobo Cujacio in *L. I. §. 144.* omnia præclara tribuit, quæ ad interpretandum Jus Romanum facere poſſunt; ut tamen & Gallos alios deinceps, *§. 171. ſeqq.* commendet, quorum nomine Franc. Hotomannus, Franc. Duarenus, Barn. Briſſonius & Franc. Balduinus, ei præcipue veniunt: tum & Ant. Auguſtinum, ex Hiſpanis, &, ex Italis, Andr. Alciatum, laudat; qui primus inter exteros humaniora ſubſidia legibus attulit, foro licet immerſus: ad hæc Jac. Ræværdum, & Jacob Gothofredum, præcipue in fontibus Juris civilis, quos immenſa diligentia ** is aperuit, itemque inter Criticos, Joſe-

* Imo, etſi hæ lauditiæ in foro verſantibus minime prodeſſent; tamen, vel ideo juris ſtudioſis magno in pretio eſſe deberent, quod artem ipſam miris ſuavitatibus condiunt, animumque iuriſperiti vehementer ornant. Maluit tamen ipſe Gravina commendare ſua ab utilitate in exercitatione forenſi, dolo, niſi fallimur, bono: quia, qui talia promitterent, eos gratos juvenibus eſſe intelligeret.

** In commentariis tamen ad Leges XII. Tabularum plus olei quam ſalis eſt, quod eſſe

phum Scaligerum, ad Feſtum, ut & Cl. Salmaſium, & Jo. Frid. Gronovium, ſuſpicit; Germanis fere neglectis: qui tamen JCti æque ac hiſtorici, plurimum, ad hiſtoriam juris & prudentum, attulere; Herm. Vulteji tantum, & Jul. Pacii, §. 182. ut & Matth. Weſenbecii, & Ægidii Hortenſii, obiter injecta mentione: quos quidem, ſubtiles etiam ac ſolidos JCtos, in antiquitatis tamen ſtudia penetraſſe, iisve incubuiſſe, nullibi apparet; uti cura ea Udalrico Zaſio, Huberto Giphanio, Valentino Forſtero, Conr. Rittershuſio, Georgio Eberlino, aliisque multis, & Hiſtoricis, Roſino, Demſtero, Ruperto, &c. inter Germanos, fuerat. Cæterùm vix tangit ille ſcriptores, qui argumenta veterum legum tota, ex inſtituto, tractanda ſibi ſumſere, niſi perquam cognitos. Neque enim meminit Commentarii Antonii Clarii, *ad LL. tam Regias*, quam *XII. Tabb.* ut & *mores*, ac *Canones*, *antiqui Romani Juris*, *Pariſ. 1603.* 4 neque *Commentarii* Franciſci Ramos, del Manzanno, in *L. Juliam & Papiam*: & quæ, ex Libris JCtorum, fragmenta ad illas inſcribuntur, *Madriti*, *1678. fol.* ut nec Jo. Parejæ, * Hiſpani, ad illam. Interim Gravina, in tractatione illius legis *Juliæ & Papiæ Poppææ*, *Lib. III. c. 36.* ad usque *c. 60.* (ſiue ſectionem de *maritandis ordinibus*,) & abinde ad *c. 62. de caducis*, Jacobum Gothofr. de *LL. illis*, multa luce auget; quem tamen, quoad collecta capita, quorum compactorum gloriam uni Gothofredo debemus, ſequitur. Sed & non modo Joſephum Scaligerum, circa *Legem Cinciam* ſeu *muneralem*, *Lib. III. c. 72.* notat: ipſumque Duarenum aliquoties reprehendit; verum etiam ab ipſo Jac. Gothofredo, *d. L. III. c. 56.* in nomine *Legis Miſcellæ*, uti & *cap. 60.* in *caducorum* doctrina, diſcedit; eumque *L. 1. §. 78.* in voce *Ædilis*, emendat: nec minus illum refellit; quando, in *Comment. ad Cod. Theodoſ*, pœnam culei, (de qua, ex l. antiquiori, in *L. Cornel. d. ſicariis*,) per L. Pompejam ſublatam eſſe, putat: quam pœnam deinde Conſtantinus reduxerit, quod Imperatores ipſo anteriores, ab Auguſto usque, eam neglexiſſent. * In quo merito laudandus eſt Gravina: quodque non minus alias opiniones, varie diſcrepantium inter ſe interpretum, examinet, ſuaque ſententia rem definiat; cujus præ cæteris exemplum, de *ceſſitia tutela*, *in L. III. c 34.* habemus: tum & quod antiquitati, quæ in *Pandectis*, ut & in *Codice*, itemque *Novellis*, quin & in ipſis *Inſtitutis*, paſſim occurrit, ut ex ea textuum illorum interpretatio modum capere debeat, plurimum ille lucis adferat, & ſæpe *Florentinum ff. Codicem*, ex ipſa antiquitate, quæ quidem alios effugit, vindicet; ac rationes legum veterum ſingularium, magna inſuper facundia, ad uſum fori pleniorem, eruat: quanquam ea, quæ hinc inde di-

ajunt a tenero ætatis, qua hos ediderit commentarios. Certe, emendationibus, quibus illic corruptis veterum locis medicinam parat, ſæpe iraſcitur Cornelius van *Bynkersbæk*, quem vide inter cætera de *jure occidendi liberos cap. 10 p. 228.* Ergo noſtro bona occaſio erat, quæ tendebant ad eandem utilitatem, ſupplendi eruditione, certe judicio ſuo. Secutus eſt is præterea, in Tabulis quidem ordinandis, præeuntem Gothofredum; verum non in ipſa expoſitione: in ea enim ordini Hotmani addictus eſt, ſic tamen, ut & ad Balduinum ſæpe & Marcilium divertat, utrumque multa & præclara minantem.

* Cujus commentarii, una cum ejuſdem auctoris *Otio quadrimeſtri Salmurii* prodierunt 1591 teſte celeb. Heineccio ad *L. Juliam & Papiam p. 15.* qui commentarios Ramez del Manzano propter raritatem fruſtra ſe in tabernis librariis & bibliothecis eruditi Belgii quæſiviſſe addit. Fallitur autem cenſor noſter, quando a Gravina mentionem commentariorum Ramez del Manzano fieri negat. Adducuntur enim hi libri ab eo, ſimulque reprobantur, de Legibus & SCtis c. 41.

ſcernenda

ſcernenda erant, exactius evolvere debuerat; nec confuſioni nocivæ, eloquentia ambigua obductæ, locum relinquere; ut & jura, (quod ut plurimum facit,) magis ex impulſivis cauſis, & factorum ſerie, (id quod periculoſum valde eſt,) quam ex cauſis ipſis effectricibus, deducere. Videlicet ille ſubtiles, quas vocat, diſtinctiones philoſophicas, quibus Bartolus polluit, *L.* 1. *§ 164.* in eo rejicit, ac idcirco ejus ſcripta, pro confragoſis & nubilis, habet; quippe quod in iſtis nimis ille ſubtilis fuerit. Et tamen ipſum, ratiocinando prudentiam Juris valde juviſſe, ait; * modo non Arabes potius, quam Peripateticos philoſophos, legiſſet: quos tamen & Ipſum Bartolum tenuiſſe, ubique ſatis, ex traditis ejus, elucet; quodque hac philoſophia, præ cæteris ſuæ ætatis JCtis, Baldo & aliis, eminuerit.

Quanquam vero, Gravina, ſingularum legum Romanarum inſtituerit oſtendere hiſtoricam originem; ut naturam cuiuslibet juris, & imo imperii ipſius civilis, nedum naturalis juris conſtitutionem, indagare, non habuerit neceſſe: ad ſingula tamen hæc ſponte procedit; ne fortaſſis perirent commenta ejus: quanquam ea tum partim in Hobbeſii, tum & in Spinoſæ pericula incidant: partim vero theoriam, nudam & inanem, præferant; quæ haud unquam inter homines ad praxin deducta fuit, nec deduci poteſt: adverſa etiam iſtorum, Hobbeſii & Spinozæ, quibus propior eſſe cupit, hypotheſibus, (quæ ſc. non ratione, ſed vi mera, conſtant,) inque Ariſtotelis doctrinam, de ſervitute natura, ſ. infirmitatis rationis, illabuntur: cum tamen & ipſa hæc imperii Ariſtotelici ratio, (uti tradita philoſophi hujus arguunt,) non abſoluta, (quippe multis inſtantiis obnoxia,) ſed ex ſuppoſito, ſit: quod nimirum æquiſſima foret imperii conditio, ſi non niſi hi imperarent, qui ratione valent præ cæteris; velut, in hominibus ſingulis obſequium rationi facultates inferiores debent. * Utique varius, in hoc argumento, eſt Gravina: ſiquidem, in *Lib.* 1. *§. 103.* Jus naturale, & imo ipſum civile Imperium, in vi mera & potentia fundat: in *Libro III.* deinde *cap. 3. ſeqq.* operoſe, ad principatum rationis, jus omne imperii, deducere ſtudet.

Equidem, in *d. §. 103.* naturam imperii, nec dum ſatis inveſtigaſſe JCtos recentes, conqueritur; quippe quod non illi naturæ inſiſtant principiis. Et tamen ſtatim civile, a naturali, tantopere iſti adverſo, diſcernendum eſſe, cupit: ut, cum naturalis facultas, (illa, quæ adeo facti eſt unice, & Jure omni vacua:) militaris ſit: exinde in Republica, ad populi voluntatem, quæ imperium fundet, ac civile quid conſtituat, reſpicere debeamus. Viciſſim ille, in vi & potentia, quærit civile imperium: ut, quoniam oppoſitiones hominum mutuæ, in ſocietate rudiori illa, ſubſiſtere non potuerint: omnes eos voluntates ſuas & cupidines ſubdere oportuerit, pacto quodam imperio ſuperioris. ** At vero non veteres tantum, ſed & recentes illi JCti, qui cum no-

* Imo in oratione de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. Pontif. Max. auctoritatem Bartoli dignam obſequio appellat, dolerque hanc etiam a ſuis ſusque deque haberi, qui Ridolphum quam Bartolum malint, quod illum ratiocinio præſtare ajant. Papinianum nimirum Cujacio, Cujacium Accurſio, Accurſium Bartolo, Bartolum Ridolpho præferebat, & in eodem Bartolo modo damnabat tenebras philoſophiæ Scholaſticæ, modo laudabat ſollertiam & animi integritatem in jure ad factum applicando.

** Conciliari ſententia Hobbeſiii illi Ariſtotelis poteſt Quodſi enim fingamus, homines in ſtatu naturali conſtitutos, preſſos vi inter ſe mutua, imperium ſubiiſſe; & vi coacti id feciſſe poſſunt, & imperium detuliſſe

vatoribus

vatoribus, ad Hobbeſii & Spinozæ dogmata peſtifera, non reſpexerunt, fraudem eorum ſatis detegunt; quam iſti, dum jus naturæ accuratius ſe inveſtigaſſe prætendunt: nil minus, quam jus, ſeu æquum & rectum, quin potius facultatem, (quam illi ambigue enunciant,) propinent; hoc eſt, factum, ſeu facultatem, quæ facti eſt, (& in potentia conſiſtit,) merum: ex quo quidem nemo non videt, legitimum quid, & juridicum, confici non poſſe: cum tamen quælibet facultas juridica, (ceu effectus, jus quoddam, ſive legem, præſupponat; quæ facultatem illam, ceu jus ex lege conceſſum, producere valeat. Neque enim potentia, quam illi ſupponunt, ipſa jus ſeu lex eſt: quod quidem, ſi legitima, & per juſtitiam ad imperium valida, eſſe debet, neceſſe foret; ut nempe legitima fieret, ex Jure quodam ſive Lege antecedanea: quam tamen Hobbeſii & Spinozæ diſciplinæ penitus ignorant. Imo, quando de pactis, quibus societatem civilem cònſtitui oportuiſſe, docent, ac de validitate iſtorum, diſpiciunt: ne quidem eam ex jure quodam petunt, quod illi nullum agnoſcunt; ſed in arbitrio imperantis, quousque pactorum ille rationem habere velit, conſtituunt: qui cum omnes civium voluntates ſibi reſignatas habeat, non poſſit eorum voluntatibus, quas cives nullas teneant amplius, obſtrictus eſſe, nec iisdem aliqua conventione, ſuaque voluntate, teneri. Sicut autem diffitendum non eſt, incommoda illa, quæ citra ſocietatem civilem averti non poterant, externe homines ad coeundum impuliſſe: nam interne cupido ſocietatis, ſive ſocialitas, homines, ad civitates ineundas, commovit: quam quidem male Puſendorfſius, eadem caſtra Hobbeſii velit nolit ſecutus, utut falſam ejus eſſe hypotheſin largiatur, (quam tamen ille ſuo ſubſtruit juri naturali,) in ſociabilitatem transfudit: ceu quidem ad has cauſas impellentes ſuſceptum pactum, primigenium appellamus; quo nempe ſocietates civiles, ex pluribus familiis pagisque, primum coaluere; & dehinc ad alterum pactum, prius illud ſubſequens, quo ordo in ſocietatibus iſtis, ſola hactenus magiſtratuum directione, diſpoſitus ad majeſtatem, ſeu perfectam rempublicam, redigeretur, proceſſerunt. Ita nulla penitus his pactis ineſſet validitas; niſi ea ſuperno, eoque naturali, jure, continerentur: velut ea omnia, quæ imperium, ſive magiſtraticum, ſive ad majeſtatem compoſitum, & hujus quoque inviolabilitatem, attinent, una cum tota naturæ & aliorum jurium origine & vigore, in *Commentariis* ad Huberi libros de *Jure Civitatis*, plena manu, deduximus. Gravina autem, pro jure, factum nobis venditat: & voluntatem populi talem, civilem eſſe efficienter, putat; quæ tamen civitatem unice, ceu objectum, reſpicit: ipſa vero non aliunde, quam a naturæ jure, vinculum habet; quod jam ante civitatem conditam habuerat. Non etiam ille diſtinguit pactum iſtud geminum. Imo, quando naturalem facultatem eſſe quid militare, ait; & vero natura, vel potius naturali illa facultate, niti vult imperium: non poſſet illud voluntate populi fundari, cum naturæ illa facultas ſuperior ſit & validior eo, quod civile eſt: aut ſi voluntate populi fundaretur, neceſſe foret, validitatem voluntatis illius, non a vi militari, (quam & populus ſubvertere poſſet,) verum ex jure ſuperno, petere; & ſic ad jus verum, ſeu naturæ legem, redire. Neque vero vigorem pactum illud, ex jure civitatis, (quæ per id ipſum conſtituta eſt,) ſed ex Jure extra & ante civitatem, habere, idemque ſecurum

ſapientiſſimis. Sed inde minime ſequitur, omnia imperia ſic conſtituta eſſe: quin docent hiſtoriæ, pleraque regna invitis civibus condita eſſe.

reddere

reddere magiſtratum, ut &, peculiari adhuc accedente firmamento, majeſtatem, oportet.

Diverſum penitus ab hoc eſt alterum, quod ille imperio quærit, fundamentum, (in *antecedentibus* §§. iſtius *Libri*, & in *Libro III. c. 3. ſeqq.*) quando id in ratione conſtituit; niſi dicere velimus, Gravinam voluiſſe rationi tribuere imperium, ſi humana conditio id ipſum admittere voluiſſet: & vero, cum tale imperium locum habere non potuerit, imperii rationem ſuperſtrui potentiæ oportuiſſe. In qua contemplatione, ſicut varia, & pugnantia multa, miſcet: ita pretium operæ fuerit, non ea ſolum, quæ in illis *Libri III.* capitibus, doctrinæ veræ offendiculo eſſe poſſunt, expendere; verum etiam, quæ *in Libro I.* de hac re dicere occupaverat, diſtinctis paragraphis luſtrare. Et quidem *Libro I. §. 5. 6. 7.* extremum in hac vita bonum conſtituit, tranquillitatem animi: quod tamen & paganum eſt, & non niſi felicitati humanæ conſectarium. Illius boni fontem habet ſcientiam rerum, quæ, exſors ſenſibus, ad ſolam mentem pertineat: quod tamen bonum quis, non niſi contemplativum, habere poteſt. Jam vero *in §. 8.* rurſus ad naturæ jus, multa ſcilicet rerum disjunctione, imo conturbatione, deſultat; illudque in honeſtate conſtituit, quæ ſoboles rationis ſit, atque a ſcientia proficiſcatur: priusquam ſcilicet ille jus ab amphibologia liberaſſet. Nec vero dicit, quo pacto id in honeſtate conſiſtat; & quænam illa honeſtas ſit, quoque illa tendat: quin nec ſcientia hic ſufficere poteſt, ubi facultates humanas omnes ad agendum concurrere oportet. Non etiam §. 9. evincere poteſt, quod conſtans ſit rationis conſilium, ex eo, quod illa ſemper boni ſpecie teneatur: ſubducta fere voluntate; dum non niſi de ſcientia loquitur: & tamen intellectus utique boni non eſt; ſaltim nulla ejus per ipſum electio, ſed veri & falſi: boni vero electio ad voluntatem pertinet. Quanquam rurſus rationem ſenſibus opponat: & ſic varie volvatur. Nec vero poterat ille ullatenus vel ſcientiæ vel honeſtati inſiſtere, quod eas ad eſſentiam divinam, vel legem æternam Dei, (quam lex naturæ, homini connata, refert,) non exegiſſet.

Porro *cap. III. Libri 3.* exiſtimat Gravina, conſiſtere regimen, in natura ſervis, & natura dominis: ſapientem dominari. Inde mulierem ſubeſſe viro, & parentibus liberos. Inde imperium domeſticum, ex lege ipſa rationis, eſſe ſocietatem inter ſapientes, qui aliis præſint. Videlicet, non eſſe illud a potentia corporis: nam hoc ipſum potius regendum eſſe a ratione; unde & motus ejus: ad compeſcendum vero, (ſeu pœnas immorigeris inferendas,) imperium aliquod mixtum eſſe magiſtratus, & merum alterum; quod ſit principis *c.* 4. Beatiſſimam fore civitatem, ſi quisque ratione ſua regeretur: eam fore ſimplicem; *c.* 5. ut mixta foret, ſi aliqui parerent; illosque ſenſuum locum habituros: hanc dici mixtam civitatem, pro natura humana *c.* 6. Et, ſi imperent hi, qui viribus valeant, non rationis, ſed corporis: ita perturbatam fore civitatem, *c.* 7. 10. Hinc jam repetit ille leges civiles, ceu frena; quarum auctores initio Divinum Numen jactarint, & ad ſervandum eas cives jurejurando obſtrinxerint. *c.* 8. 9. Sed & hanc rempublicam perturbatam, ejusque ſpecies eſſe, Monarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam. Quod ſi leges ab uno ſuperarentur, fore exhinc tyrannidem; ſi a pluribus, orituram inde eſſe Oligarchiam. *c.* 10.

Ad hæc non dicam, quam male jus naturæ a ratione plerique petant; quæ tamen corrupta penitus, & ipſa normanda eſt; ut normam adæquatam tutamque actionibus humanis dare non poſſit: verum hoc ſolum, quod rationis tanta, in tot hominum multitudine, ſit diverſitas; ut, quinam aliis ratione, & quidem ad imperium, magis

Digitized by Google

valeant, vix invenire liceat. Quapropter, in rebus humanis alias quoque, ad ea, quæ plerumque obtinent, reſpiciendum fuit: ſicut ipſa quoque civilia jura non in ſingulos lata ſunt, nec ita ferri potuere; cum ſæpe minor annis unus alterve maturiori conſilio polleat: agnatus proximus, cui hæreditas ab inteſtato lege advenit, nullius ſæpe ſit, nec amoris in defunctum, nec meriti. Proinde ſi inſipientes ſervis natura adſcribere velles: quonam redigentur in univerſum infantes, ipſorum quoque principum? & qui, morbo vel aliter impediti, ratione uti non poſſunt. Nam licet hi quoque ab aliis regantur; velut tutoribus: hoc tamen ipſum a ratione horum non pendet, ſed a civili imperio; quod defectui illi naturæ proſpicit: ſecus omnes eos, qui plus valent ratione, huic illive infanti, imperare poſſe, oporteret: ex quo omnino ſtatum perturbatum eſſemus habituri. Nec vero ratio ſola maritis & parentibus imperium conciliat; uti nec ſemper ea maritus prævalet mulieri, aut parens liberis. Unde nec præeſt familiæ, ſolum ob rationem, paterfamilias: & quemlibet ſua quidem ratio, ſed non hæc etiam homines alios, eorumque rationes, dirigit. Quanquam Gravina alibi cum Spinoza, plus potentiæ, quam rationi, tribuat: imo plane potentiam in ſede non modo juris collocet; verum etiam jus eam facere imperandi velit, cui rationes omnes ac voluntates ſubjici oporteat.

Eſt vero obſcurum maxime, qua ratione ille imperium magiſtratus mixtum, & principis merum, appellet: cum tamen nil majeſtatis admixtum habet juriſdictioni ſuæ magiſtratus; nec magiſtratus aliquid, majeſtas: & interea princeps atque magiſtratus poteſtatem ſuam quilibet ac imperium, æque in morigeros, ac immorigeros exerceant. Sic & obſcurum pariter & novum eſt id imperium, quod non ſola ratione nititur, ideo nunc mixtum appellare; cum mixtum antea imperium magiſtratus eſſe, dixiſſet: eſtque peregrinum, quando quaslibet formas rerumpublicarum, etiam rectas, (quæ tamen & ipſæ legibus ac ratione reguntur,) perturbatas habet. Indeque tales ſunt hæ doctrinæ, quæ non modo rem plane non conficiunt; ſed imo diſciplinam civilem totam pervertunt: ut propterea in hactenus compoſitis, de juribus & imperio, doctrinis, unice perſiſtendum ſit.

Sunt etiam perverſa illa, quæ Gravina, in *Lib. I.* §. 10., ad communem jurium quorumlibet diſciplinam attulit; ut, quando *d.* §. 10. dominium in origine, ab occupatione, arceſſit: indeque communionem primævam aſſerit. Ubi tamen, cur communes adhuc, & quomodo, habeantur, aër, aqua profluens, non exponit; quippe quæ & ipſa per occupationem propria fieri poſſunt. Etenim homini protinus a Creatore datum eſt, ut quaqua orbis patet, occupandi poſſeſſionem rerum, & inde ſibi dominium earum vindicandi, poteſtatem haberet; nec enim illas occupare poterat, niſi ejus a Creatore facultatem accepiſſet. Unde nec communio quædam primæva fuit, poſitiva illa, quam plures fingunt; a qua per diviſionem receſſum fuerit: ceu nec occupatio, in re acta communi, locum habere potuiſſet. Porro *eod.* §. dicit, rationem inducere charitatem inter plures: hinc civitatum eſſe originem; quarum ſeminaria ſint matrimonia. Sed & hæc ut multam habent confuſionem: ita varias patiuntur inſtantias. Utique Hobbeſius charitatem nullatenus, ſed feritatem, ratione induci vult. Nec eſt eadem in conjugio charitas: & imo etiam in brutis ea propenſio eſt; quæ tamen ratione non ducuntur: prout nec eo modo per rationem poſſet introducta dici civitas & imperium, qua jam ante Gravina volebat imperia conſiſtere.

De hinc idem §. 11. ait, JCtos referre, matrimonia & patriam poteſtatem, ad jus natu-

naturale. Familias vero ad jus gentium referendas eſſe; quando plures earum jungantur. Ettamen conjugia etiam ex gentium jure, quin & civili partim, cenſentur: prout multa in ſingulis habentur familiis, quæ ad mores gentium compoſita ſunt. Neque vero jus gentium in conjunctione ſocietatum, maxime populorum, terminatur; ſed & plura habet, quæ ſingulorum ſunt, ac populos diſtributive attinent: uti ſunt contractus, judicia, ultimæ voluntates; ſi modos eorum communes gentibus, ſaltim moratioribus, reſpicias: licet abſolute ſpectata & ipſa juris naturæ ſint. Familiarum etiam plurium, coitio, ad jus gentium, qua talis eſt, non pertinet: cum nec civitas tota per ſe, niſi cum aliis ſimilibus componatur, gentem, nec jus gentium, conficiat, qua collectivum eſt.

Porro, in eodem §. 11. Imperium eſſe, tradit, in familiis ſingulis: & apud Romanos, patrem fuiſſe quodammodo, magiſtratum, cum jure gladii; quod præcipue §. 25. inculcat: eoque trahit illud Livii: *paterna majeſtas*. Interea non debuiſſe Hobbeſium matri tribuere imperium in infantem: tum, quia uxor prius ſit in poteſtate mariti; tum quod fœtus conſilio egeat, quod in viro majus ſit. At vero nullum eſt, in ſocietatum ſimplicium aliqua, ne quidem in dominica, imperium; etiam qua nec dum in civitatem tranſierunt: cum per naturam, jus vitæ & necis, in privata poteſtate, locum habere non poſſit; ſed ad hoc vel publica, in magiſtratum collata, poteſtas, vel majeſtas plane, requiratur. Unde perperam aliud Jo. Frider. Hornius; qui & male, ex imperiis familiarum, majeſtatem imperii civilis educit. Neque etiam jus gladii patribus familias dedere Romani; ſed poteſtatem, (internecinam quoque, ſi opus ea foret,) in liberos: ut eadem, pro religione patria & pietate, uterentur; quanquam hanc indulgentiam, qua abuti parentes ſævi poterant, nemo facile probaverit: qualis nec diu in republica duravit; ceu nec diu ſtetit illa, ob quam poteſtas illa patribus, quin & maritis, & multo facilius dominis in ſervos, conceſſa fuerat, civilis ratio. Nunquam vero pater, ut magiſtratus, habitus fuit: nec majeſtas auctoritatis paternæ eo trahi debet. Hobbeſio quæ Gravina objicit, infirma ſatis ſunt. Nam ſi vel maxime uxor in virili poteſtate mariti eſt: num non poterit illa in liberos, maxime recens natos, poteſtate parentis pollere præ patre ipſorum? Cum enim Hobbeſius, in vi & potentia, jus imperii ponat: utique non potuit non fœminæ, quæ pariendo infantem enecare poteſt, imperium in eum tribuere ceu ne poteſtatem ipſam, quæ juris eſt, (cum nullum jus ante civitatem agnoſcat,) ille marito in uxorem, ſed potentiam, ei tribuit, ſi eadem is valuerit. Quid deinde, ſi ratione magis valeat fœmina viro: * numquid illa, quod rationis ſit imperium, poteſtate magis, in infantem & maritum, valebit? Utique pro infante conſilia matris, (cui & præcipua ejus cura, ſaltim per triennium, committitur,) ſalubriora infanti ſunt, quam ea, quæ a patre proficiſci poſſunt.

Ulterius, Gravina in §. 11. non diſtinguit gradus incrementi, ab initiis juris natura-

* Id minime oberit ſententiæ Gravinæ, qui rem ab eo, quod ut plurimum fit, æſtimare videtur. Sed potius eſt, ut natura par utriusque parentis in prolem poteſtas ſit, quia pari utriusque parentis opera ſuſcepta eſt ſoboles, nec ideo minor unius quam alterius cura in educatione ejus eſſe debet. Educatio autem ſine poteſtate quadam intelligi nequit. Sit igitur ſalubrior matris cura lactanti adhuc infanti: uberibus certe depulſo magis proderit conſtantius patris conſilium; etſi nihil ſit, quod matrem tunc a communione providentiæ arcere queat.

lis primævi, ad jus civile; unde maximam incertitudinem naſci neceſſe eſt: dum & jus gentium ſecundarium, a ſucceſſu rerum, repetit. Quanquam vero venditionem ante nummos non habuerint gentes: tamen in univerſum, ex rerum ſucceſſu, ipſorum jurium ſucceſſum inconſulto petimus: cum & objectis tardius exortis jura anteriora applicari oporteat, quæque objecta fuerant juris naturalis, non minus talia fieri poſſint jurium ſequiorum. Imo ratio æqualitatis, etiam in plane novis conventionibus, ex jure naturali petenda eſt; & interim judiciorum, priusquam judicia & magiſtratus ſtabilita ſunt: ſicut hæc alibi, *(in Anal. ad Inſtit. Imper.)* diſtincte tradita habemus.

Sic & nimium tribuit Gravina permutationi; quaſi maxima pars contractuum inde pendeat. Etenim nullus contractus, qui non utrinque dominium commutat, ad eam referri poteſt: totumque genus unilateralium ab ea alienum eſt. Et tamen ille ultimas adeo voluntates, ad permutationem cogere, ſuſcipit: cum quidem ultima voluntas, ab aliena ſive alterius voluntate, ſecus atque in contractibus, (ubi ex diverſis animorum motibus in unum convenire oportet,) plane abhorreat: imo ne quidem contractus aliquis, inter teſtatorem & alium, in teſtando, locum habere queat.

In §. 13. coitionem plurium familiarum, leges & jura parere, tradit Gravina; ſecundum quas in pace omnes vivere poſſint. Itane nullum jus exiſtet ante unionem talem familiarum? quod pacem, & ea, quæ præcepta juris connati homini præferunt, inter diſſitos quoque & ſingulos homines ſtabiliat. Ita non erit jus aliquod ante civitatem? & quonam jure pactum, iſtud primigenium, ipſius civitatis coalitæ, ſervandum erit? Nedum adeo conventiones illas leges dices; niſi quod effectum legis habeant: vigore ſcilicet juris naturalis; quód, omnes conventiones illibate ſervandas eſſe, præcipit. Quin & juſtitiam ille nullam, niſi ab hac lege, (quam vocat,) a coëuntibus familiis condita, agnoſcit; indeque matrem ejus, utilitatem communem, conſtituit. Quicquid vero ſit, quod hoc, quod omnibus in ſocietate utile eſt, jus publicum civitatis, & id, quod gentibus communiter expedit, jus gentium eſſe, videatur, & viciſſim: tamen juſtitiæ directo cum utilitate, quamvis hæc ipſa publica fuerit, nulla communio eſt. Confundit etiam h. §. Auctor jus civile, cum jure gentium: nec hoc quoque gens quædam, ſeu civitas, aliunde diſcit; niſi quod jus illud, quod ex arbitrio hinc inde a gentibus, in ritibus belli, legationum & ſimilibus, inductum & receptum eſt, extrinſecus accipiatur.

In §. 14. Gravina deducit bella ad originem; & defenſiva quidem. Sicut autem defenſiva, prout integræ gentis defenſio, belli faciem non poteſt non referre, ad jus naturale utique pertinent. Ita offenſiva, potius eſt, ut ad jus gentium ſecundarium magis referantur; ex quo plura etiam, quæ ad bella qua talia, defenſiva quoque reſpiciunt, repetenda ſunt. Neque etiam ille ſervitutem ad jus gentium abſolute referre debuit: ſiquidem Romani ea quoque gentium jura, (nec tamen efficienter,) habent, quæ gentes aliquot inter ſe, ex tacito compacto, ſervant; neque omnes gentes obligant. Quid quod etiam civiles ſervitutes, ex inſtituto civitatis, & ipſius quoque Romanæ, dentur; quæ nil quicquam bellis debent. Deinde jura legatorum ille ex jure pacis ducit: quidni ex jure belli pariter? multoque magis. Utique nec pax ipſa, nec bellum, per ſe jus aliquod ſeu leges producunt. Quapropter eadem cauſa neceſſitatis & utilitatis univerſi generis humani, eo permovit gentes: ratione ipſas ad mutua ea vincula deducente; ut colloquia illa, & miſſiones, ſecurius inſtitui poſſent. Neque enim putem

Pu-

Puſendorffio, aliisque, concedendum eſſe, ut rem ipſam, æque ac ſanctimoniam legatorum, ex jure gentium ſecundario, (quod quidem illi inaniter ex cenſu jurium penitus extinctum, vel ſaltim juri naturali injectum, cuperent,) eliminarent; utut, quoad ritus & ſanctimoniam eorum, non una gentium obſervantia ſit.

Denique Gravina pacem gentium cum civili, imo domeſtica, miſcet, ac cum pœnis civilibus: omnino perperam. Sic & *§. 15.* naturam humanam, cum ratione, male confundit: nec non ibidem civitati, adverſus vicinos feros, jus belli attribuit; ut, quemadmodum, in civitate, civium delicta: ita & gentis unius crimina, a cæteris gentibus, puniantur; in quod Hugonem Grotium advocat, ab omnibus pridem in hoc rejectum. Nam civitas quidem, in ſuos cives ſibi ſubjectos, imperium; ſed una civitas, & imo ne omnes quidem, in civitatem ſeu populum liberum, tale non habent: quo tamen imperii jure unice facultas puniendi nititur. Quod vero, ut *§. 17.* habet, oporteat rationem, (ſcilicet noſtram,) inculcare aliis; quippe quæ dominium barbarorum teneat: iſtud in doctrinam Ariſtotelis, de ſervitute natura, ſed male adhibitam, incidit; & in Romanorum ſcitum illud, quo omnes gentes, quæ non fœdere aut amicitia ipſorum utebantur, barbarorum nomine fœdabant. Plane ea, quæ *§. 16.* Gravina tradit, non congruunt, ſaltim non in univerſum, his, qui de juſtitia armorum Romanorum ſcripſerunt. Quid enim ad Romanos, gentium aliarum mores? Utique illi ne Græcis quidem pepercerunt; a quibus tamen potiſſima rei literariæ, & imo leges ſuas maximam partem, petierunt. Eſtque omnino injurium, ſi Romanos ſolos electos, at reliquos populos omnes barbaros, habeamus.

Nunc autem *§. 17. & 18.* Gravina rurſus pacta cum legibus confundit, ac voluntatem communem & publicam cum ſumma poteſtate: nec tamen pacti diverſi, ad formandum imperium perfectum, ſeu majeſtaticum, meminit; cujus alia plane natura & ratio eſt. Similiter ſtatum ille confundit, cum adminiſtratione reipublicæ. Eſtque lubrica ſatis doctrina ejus, quod, ob abuſum poteſtatis, civitas in rudem ſtatum devolvatur. Neque etiam, quam *§. 19. & 20.* inſtituit, comparatio viciſſitudinis & converſionis naturalium rerum, cum variatione rerum humanarum & civilium, ſatis apta videtur: ceu nec iſtæ commutationes cauſis illis, quas refert, omnino conſtant; quin & innumeras habent alias, quas Septalius & generis ejus plures, perſecuti ſunt.

Sed hæc fere omnia ſunt aliena, & præter Gravinæ inſtitutum, qui fontes nobis legum Romanarum propius oſtenſurus erat. Nam & de auctoribus legum aliarum *§. 21. L. 1.* peregrina habet; & trita tamen, ac fabuloſa. Ad hiſtoriam quoque Moſaicam, qua eo iſta reſpicit, ab aliis omnia plenius excuſſa ſunt; maxime quousque ea ſimilis eſt antiquiſſimis gentium ſcriptoribus, hique ſunt traditis Moſaicis. Hic vero de legibus in republica Romana latis agendum fuerat. Et tamen varia ille interjicit. Ubi priusquam ad ea, quæ in ſerie aliqua methodi habet, procedamus; obſervare liceat, dum ille dicit, (velut in SC. Maced. *Lib. III. c. 69. & alibi paſſim,*) ſe operam dicaſſe juri civili privatorum: quod ſane non ille tantum privato, ſed & publico Juri * pariter, operatus ſit; quippe quod jus Juſtinianeum non tantum ſit

* Imo, publicum jus Auctori dicitur, quod ad ſtatum pertinet reipublicæ Romanæ: privatum, in quo agitur de jure ſingulorum. Illud in libro de Imperio Romano

Digitized by Google

privatum, nec privatum jus unice contineat; verum quam plurimæ, quas & Gravina exponit, leges Romanæ, totæ jure conſtent publico: ipſæque de privatis conceptæ leges, quando perſonis rebusque publicis applicantur, hoc ipſo publicæ fiant: niſ. quod ea publica eximie dicantur, quæ nunquam aliis, quam perſonarum rerumque publicarum uſibus, idonea ſunt.

De patria deinde poteſtate, *§. 25. Lib. II.* quoad jus perſonarum, minus recte exponit, qua ratione in jure Romano ea tribuatur moribus. Et quod, *in §. 26.* vult, jus patriæ poteſtatis non ceſſaſſe per mortem patris, id male probat, per tutelam patris teſtamentariam, ut & per ſubſtitutionem pupillarem. Nunquid enim ſuperſtes eſſe non poteſt effectus? efficiente cauſa dudum extincta. Quoad jus rerum, mallem Gravinam, *in §. 85.* teſtamenti rationem, per mancipationem, peculiari §. a ſpeciebus mancipationis reliquis, diſtinxiſſe. Denique ad judicia quod attinet, ille quidem *§. 80.* actiones legis & actus legitimos recte docet, differre: debebat vero rationes quoque differentiæ adduxiſſe; quod maximo, ad inſtitutum ejus, uſui eſſe potuerat.

Jam vero Legislationem ipſam Romanam quod concernit, quo cura Gravinæ præcipua pertinet: Ipſe operas regum Romanorum *L. I. §. 21.* minus recte diſtinxit: cum omnes ad jus nat. gentium & civile intenderint. Eas autem ſtudioſe quondam Fulvius Urſinus collegit; nec non curas illis legibus regiis impendit Vinandus Pighius, & Paulus Merula; quos plerosque compilavit in antiquitatibus Roſinus. Statum vero popularem, *in Lib. III. c. 16.* ſeu democraticum, unice vitio adſcribit; ſi plebs ſcilicet optimates inſolentes ſubjuget. Ubi &, qua ratione mala ejus emendari poſſint, exponit. Quæ quidem, quomodo in rempublicam Romanam congruant, ipſe viderit. Deinde nobiliſſimam partem juris Romani evolvit, *LL. XII. Tabb.* in quas jam amplos & exactos ſatis habemus, poſt collectionem earum, ab Antonio Contio, Fr. Hotomanno, Dionyſ. Gothofredo & P. Merula, (quos iterum Roſinus excerpſit,) tum & noviſſime ſumma cura, a Jacobo Gothofredo, ſuſceptam, Pauli Manutii, Franc. Balduini, Conradi Ritterſhuſii, & aliorum Commentarios; ut cum his, quæ nunc per Gravinam acceſſere, tutos nos reddant, vix eſſe, quod accedere eis poſſit ulterius. Sed Tribunitias LL. præ aliis Dempſterus excuſſit. Plebiſcita vero Gravina inter leges complectitur: & de jure prætorio, atque univerſo jure honorario, *in Lib. I. §. 35.* de perpetuo quoque edicto; *§. 38.* nec tamen etiam de ſingulis prætorum edictis: quod omnino fieri debebat; uti nec de interdictis adeo, veluti Salviano, & aliis, eorumque fontibus, ſive juribus ipſis. De reſponſis vero prudentum *§. 40.* aliqua commentatur. Utique de conſtitutionibus principum, earumque variis expeditionibus, diſtincte & plene non experitur: quæ doctrina Strauchii neceſſaria & maxime fructuoſa eſt, aliorumque, qui excuti poterant; ſi quæ in illis ſupplenda vel emendanda fuiſſe, deprehenderentur. Gregoriani tantum codicis & Hermogeniani, in complexu, rationem habet; & ubi hodie reperiantur. *Lib. I. §. 131.* Sed Juſtiniani deciſiones quinquaginta, nobiliſſimam Juſti-

expoſuit: hoc in commentariis ad Leges & SCta. Sic ſe puplicum, ſic privatum

jus nominare, ipſe tradit in fine præfationis.

nianeæ

Digitized by Google

nianeæ curæ partem, & compendium ſubtiliſſimarum, inter Juris Conſultorum veterum ſectas integras, continui ſtudii, diſceptationum, ſicco pede §. 134. prætervehit, nec quicquam de earum charactere, & quænam ille ſint? commemorat: quin nec, in rem præcipue juridicam, exacta, ſed inchoata ſolum, ſtudia laudati Strauchii, ut nec commentationes Lingleſii Galli, & præſtantiores Baſſi, Noſtratis, ſufficiunt.

Cæterum, quoad ſingula, de uxoris accipiendæ modis antiquis, gemino loco agit: itemque de *L. Julia*, de fundo dotali, quam & alibi, cum Jacobo Gothofr. ad *Juliam Papiam* tractaverat: (videl. *Libro III. c. 86.*) ubi, in *L. Jul. de adulteriis*, occupatur: Nec minus in *Libr. III. c. 101.* ad *L. Cornel. de falſis*, (extra monetam,) iterum dilabitur, in *L. Cornelia nummaria*; & varias ejus ſpecies jam *cap. præcedenti*, ad *L. Cornel.* de *falſis*, adductas, repetit: cum potuerit quælibet capita tota uno loco exhaurire, & ubi rurſus occurriſſent, ad eundem ſe referre. Quod ſi ſuccedaneæ hæ operæ, æquali & debita methodo, diſponerentur, multum elegantiæ; & imo accurationis, illis acceſſurum, tum & ubique proditurum foret, ſi quæ capita deficerent, adhuc ſupplenda; ut ne quidem amplius quid in ea cura facile deſiderari poſſet.

Utique minus religioſus eſt in ea legum ſacra, quæ a Juſtiniano habemus, Gravina, quam debebat, & poterat etiam; nec adeo Florentinam utique vindicat: quam tamen amplecti ſe, & pro genuina habere, profitetur. Unde non debebat immutare lectionem exemplaris Florentini, in *Lib. 20. §. 5. qui teſtam. fac. poſſ.* atque cum Cujacio, quem nimis ille veneratur, tranſigere. Quam enim Cujacius paſſim, ubi difficilia textuum ſuperare non potuit, ipſos textus corrigat, vel corrumpat; imo, pluribus locis, negationem vel inferat, vel ejiciat: ſatis jam adhuc ſuperſtiti, a Roberto cumprimis, & juſte, exprobratum eſt. Sane plura hactenus, poſt tanta ſtudia, reperta ſunt: ut quidquam antinomicum, in Corpore Juris, largiri quenquam non oporteat, nec adeo ad textus immutandos procedere. Quocirca non fuit, cur frigidam haberet Gravina expoſitionem textus *dicti §. 5.* in *Lib. III. c. 94.* dum admittendum non vult *ibid.* Ulpianus: nec habuit, quare, cum Cujacio, (cum quo paria faciunt Hotomannus etiam, & critici alii,) ut Paulo ſcilicet in *L. 15. d. teſtibus*, Ulpianus d. l. conciliaretur, Ulpiano negativam, inſerta ei particula non, obtruderet: ac non potius rationem profundius inveſtigaret, qua diverſa textus uterque nitereture. Quod idem ſolenne etiam, ut deſpondeat animum, eſt Wiſſenbachio & quibusdam præcipui quoque chori aliis: qui, cum illis nulla textuum, in ſpeciem adverſantium, conciliatio, apud Doctores etiam quoslibet reperta, ſufficit: de meliori ulterius non cogitant; ſed hoc ſuo judicio decretorio protinus, in rem irruunt: quod igitur antinomiam, in textibus illis, eſſe oporteat. Ego vero, ut alibi, ita hic etiam, Florentinam lectionem ſervari debere, ſemper exiſtimavi; idque e re ſtabilis eſſe & genuinæ Jurisprudentiæ: cujus multi receſſus, JCtis, legum auctoribus, optime cogniti, nobis utique, omni quanto fieri poteſt ſtudio, aperiendi ſunt. Proinde miror, ipſum Jacobum Gothofredum, in hac contentione, cum aliis facere; ut diſſenſum inter Ulpianum & Paulum, dictis locis, & ipſe conceſſerit, quaſi eo faceret *in d. l. 20.* vox *exiſtimo*: quæ tamen aliud non innuit, quam

quod

Digitized by Google

quod ambigua illa fuerit quæſtio. Tametſi vero, inter reperta alia, quibus mederi voluere huic diſtractioni, (ut videtur,) aliqui, nec mihi ſatisfaciat; ſi dicere velimus, Paulum in *l. 15.* loqui de caſu, quo damnato ſalva fama non eſt; uti fieri non poteſt in crimine repetundarum. Nam crimen hoc non tantum, in quibusdam, ad judicia privatorum delictorum accedit; (quanquam hæc etiam, cum de dolo fuerint, ſemper infament,) ſaltim in eo repetundarum crimen ſingulare quid habet; verum, quod huc pertinet, ad exemplum judiciorum extraordinariorum componitur: ceu nec crimen ſtellionatus infamat ſemper. *l. 2. d. ſtellionat. l. 7. de publ. jud.* Videlicet a teſtamenti teſtimonio non arcetur quilibet infamis: & tamen repetundarum damnatum arcet Paulus. Equidem in hoc, inter Ulpianum & Paulum, convenit, quod is in judicio teſtis eſſe non poſſit; arcetur enim repetundarum damnatus a ſenatu & judiciis, eo quod circa illa deliquiſſet; atque hinc ab illis arcetur indiſtincte. At vero ab eo inferendum non eſt ad hoc, ut etiam omni caſu, & ſimpliciter, a teſtamento abeſſe debeat; uti recte argumentatur Ulpianus. Nempe in eo caſu repetundarum damnatus, ex cenſu infamium, inter inteſtabiles habetur, ex lege, quæ Pauli eſt; quando ipſe non in factum, aut lege repetundarum, & vi illius, ut *d. l. 20.* ſed quando diſerte repetundarum damnatus eſt, quod *l. 15.* habetur: quippe quod hac ratione juris infamiam damnatus ſubeat: indeque inter hos merito lege ponatur, qui teſtamento adhiberi non poſſunt; adeoque inteſtabilis ſit.

Porro Cujacium, in corrigendo textum *l. 12. §. 2. D. d. accuſ. & inſcript.* ſequi non debebat Gravina; quando is (in *L. VI. Obſerv. 12.*) pro duobus reis, in *d. l. 12.* tribus reis, ſubſtituit; eo quod Impp. in *l. 16. C. de his, qui accuſ. non poſſunt*, tradant, tertiam accuſationem eis, qui duos reos detulerant, a lege permiſſam non eſſe. Quamvis enim plerique in eo Cujacium ſequantur, & Anton. Matthæi, *Tr. de criminibus, Lib. XLVIII. Tit. 13. c. 1. n. 10.* eum probet, ejusque Matthæi, ceu doctoris ſui, veſtigia tanto facilius premat Wiſſenbachius, *II. Diſp. ad π. 33. n. 17.* quod ubique in anatomias pronus ſit. Meierus etiam, in *Coll. Jur. Arg. §. 3. de accuſ. & inſcr.* poſt excuſſas *Græcorum* ad *Baſilica*, & Fornerii *in IV. Rerum quotid. c. 15.* interpretationes, deſperatum habeat locum; niſi cum Cujacio textus legis 12. corrigatur. Tamen non eſt, cur hic ad extrema, vimque textui inferendam, dilabamur. Equidem, ut *legis 12. §um 2. d. accuſ.* ad enunciata hiſtorica vetera, referamus; dum ſimpliciter ille ait, *lege Julia judicior. publ. cavetur:* quaſi deinceps jure conſtitutionum, duos reos ſimul deferri poſſe, placuerit, inque eo conſtitutionum jure nunc quidem, ceu recentiore, acquieſcendum ſit: (quæ quidem, inter jus priſtinum, in Pandectis prævie relatum, uti antea obtinuerat, & conſtitutionum codicis, in quo recens jus, & hinc a Juſtiniano, præ diſſonis antiqui Pandectarum traditis, unice agnitum, habetur, omnino proba eſt diſtinctio; ut nempe, cum, in complexu ſeu corpore toto ſucceſſivi juris, id demum, quod recenti loco ponitur, vim legis ſiſtat, nulla in talibus antinomia eſſe poſſit.) Iſtud *lex. 16. C.* non patitur, quippe quæ nil immutandum, ſed legi Juliæ, quam innuit, inhærendum eſſe, vult; in verb. contra legis præſcripta: cum & addat legis Juliæ exceptionem, quam quoque Venulejus id *d. l. 12.* adducit: niſi ſuas ſuorumque injurias quis perſequatur. Proinde dicendum eſt, poſſe quidem non duos tantum, ſed & plures, de eodem crimine, & diſtinctis etiam accuſationibus, ab eodem accuſari: nam eorum & una vincendi cauſa eſt, & una calumniæ ratio; quo pertinet *l. 8. de accuſat.* ibi: non poſſunt accuſare propter turpem quæſtum, qui duo judicia, adverſus duos reos, (diverſorum ſcilicet criminum nomine delatos,)

ſub-

Digitized by Google

ſubſcripta habent, nummosve, ob accuſatum vel non accuſatum, acceperint. Indeque per verba *l. 16. C.* qui duos reos delatos habet, binam quidem accuſationem; ſed tamen ſuper uno & eodem crimine, accipi oportet: quorum propterea duorum eadem ratio eſt, atque eſt unius, quem præfert accuſatio una, in *l. 12.* apud Venulejum; cum hi textus, ſub rubrica eadem, in Dig. & Cod. ad Legem Juliam provocent; cujus adductionis, in conſimili titulo, in Pandectis factæ, non poterant dememiniſſe compilatores Codicis: idemque, quod de tertia accuſatione loquitur *lex. 16. Codicis*, in *l. 6. §. 3. ad L. Jul. de adulteriis*, proditum eſt: ut, quamvis duos reos ex alio crimine, (uno ſcilicet; non ex aliis criminibus,) delatos habeat, poſſe tamen illum, ex jure viri, tertium accuſare: quoniam hæc adulterii cauſa, qua ſcilicet quis propriam injuriam perſequitur, non cedat in numerum cauſarum cæterarum, (ſive criminum aliorum; de quorum uno hic alio crimine, ut textus habet,) duo illi delati fuerant. Qualem tertiam quoque vocant accuſationem Imperatores in *l. 16. C.* quoniam ſcil. de uno eodemque crimine, duabus accuſationibus, duo rei fuerant delati. Et poterant etiam, ſi quinque rei ſuper eodem crimine delati fuiſſent, Imperatores accuſationem novam, ſuper alio ſeu diverſo crimine, poſtulatam, ſextam appellare: per quod non adverſati fuiſſent Venulejo, qui & ipſe accuſationem, vel unam vel plures, ſuper uno crimine, cum lege Julia, intelligit: neque enim ad reum, unum vel plures, hic reſpiciendum eſt, ſed ad crimina; ut, quæ Venulejo altera accuſatio dicitur: ea tertia, ob duas accuſationes duorum ejusdem criminis reorum, iam inſtitutas, (& pro una, quoad crimen, habendas) ob tertium reum, de diverſo crimine poſtulatum, omnino Imperatoribus, in *d. l. 16. C.* dici potuerit. Interea ſuper duobus criminibus, (quotiscunque accuſationibus, ſuper uno, prius queſtus quis fuerat,) accuſationem ut quis inſtituat, lex Julia non patitur. Adeoque *l. 12. §. 2. ff. d. accuſ.* & *l. 16. C. d. his, qui accuſ. non poſſunt*, optime ſibi conſonant, ut nullæ aliæ leges magis inter ſe convenire poſſint.

Nunc vero etiam de *L. ult. C. ad L. Fabiam de Plagiar.* diſpiciamus: quam in litera merito Alciatus aſſeruit. Gravina autem *Libro III. c. 107.* in verbis: *metalli pœna teneantur*, (cum tamen *in ſeqq.* pœna capitis ſtatuatur,) legi oportere vult, cum Cujacio ſuo, item Duareno, & egregio illo interprete *Cod. Theodoſ.* (unde L. ultima deſumta eſt,) Jacobo Gothofredo: *tenebantur*. Sed & hic in ſalvo res eſt: non quidem, per Perezii ad *d. tit. Cod. Juſt.* tradita *n. 3.* quaſi, in principio legis, pœna metalli ad quaslibet alias plagii ſpecies, reſpiciat; ut ea adhuc dum plagiarios teneat; in duobus vero caſibus plagium capite puniri, ſanciatur; utpote in *l. 7. C.* ad *L. Fab. de plagiar.* & in caſu, quo filii, parentibus adhuc viventibus, ſupprimuntur. Namque textum inſpicienti, diſerte metalli pœna, ad caſum iſtum ſuppreſſorum filiorum, applicatur; ut ea plagiarii tales etiam teneantur: nec ullibi aliud proditur; quin potius metalli pœna, in *l. ult. ff. eod.* retenta eſt: indeque adhuc illa, per *l. ult. C. Juſtin.* in plagiario quoque tali, & imo etiam in *Cod. Theodoſ.* obtinet: ut nil juvet Gothofredum vox *tenebantur*; quin retineat eam pœnam in iſta ſpecie, atroci licet, cum pœnis cæteris, Conſtantinus. Nam ille, in ſequenti verſu: *ſi quis tamen*, exacerbationem ſupplicii, in ea ſpecie plagii, caſu qui ſequitur, conſtituit.. Indeque Tribonianus nil deliquit, quando is, loco *tenebantur*, vocem *teneatur* adhibuit: nec illa lex Juſtinianea (quam Brunnemannus in Comment. ſuo plane omiſit,) ſecum pugnat: ſiquidem pœna gladii, ſolum in eum caſum ibi decernitur, quo plagiarius talis ſæpius in eo crimine verſatus fuerit; idque de ipſo patuerit, ut in

 Cod.

Cod. Theodoſ. habetur. Tribonianus vero iſtam vocem in *claruerit* immutavit: nam clareſcere, quam dictionem non habet, in *Gloſſario barbaro*, Freſne; cum omnino Latina ſit, nec non in *l. 2. C. d. fundo rei priv. XI.* ut & *in l. 5. verſ. ſciant. C. quor. appell. non recip.* reperiatur: ubi idem, quod indubie conſtiterit, denotat. *add. I. F. 3.* ubi: *(rationibus claruerit,)* hi - idem eſt, ac ſi iſto ſcelere ejus ſpeciei clareat, (ut famoſus, notorius, latro, ſic) plagiarius: quod & Bitſchius, in *Feudali indice*, agnoſcit, & in *Concordantiis* noſtris *Feudalibus* proditum eſt. Talem enim plagiarium, qui in ea plagii ſpecie claruerit, (ſive patuerit, ut *Codex Theodoſ.* habet; quo melius rem exprimit Tribonianus, cum *patuerit* etiam in crimine ſemel admiſſo, ſed *claruerit* non niſi in *iterato*, locum inveniat; nec ſupplicium augere iſtud ideo poſſit, quod de veritate criminis ejus initio ſtatim conſtet,) omnino acerbius puniri convenit. Atque hoc eſt, quod vult *lex. ult C. de plagiar.* Teneri quidem tum metalli, tum cæteris ante cognitis ſuppliciis, eos, qui orbitates, in filiis viventium, parentibus infligant. *Si quis tamen hujusmodi reus fuerit oblatus*, poſteaquam ſuper crimine, (illius ſpeciei,) *claruerit*: (quæ vox non poterat ſimpliciter accipi, pro *conſtiterit*, quod ejus reus ille ſit; ut nec *patuerit*, illa in *Cod. Theod.* Quid enim intereſt, ſive reum quem eſſe pateat, priusquam offeratur, ſive poſt obl[...]ionem confiteatur crimen, aut de eo convincatur.) Ita vero ſervum aut libe tinum beſtiis ſubji[...]iendum; ingenuum vero gladio conſumendum, eſſe. Et ſane Julius Clarus, in *Pract. Crim. §. fin. quæſt. 68. verſ. plagiarius*, memorat, quod hodie, plane ad ſe[...]ſum legis, quem præbuimus, gladii pœna in eos exerceatur, qui crimen hoc committere conſueverint; ut adeo expoſitionem illam, & vera interpretandi ratio, & ipſa obſervantia, affatim confirment. * Diceres, toties aberrare interpretes: quoties manus violentas textui inferunt; aut de conciliatione antinomiarum, quæ apparent, ſolliciti non ſunt. Et num ergo cauſæ quid habuit Gravina? ut iſta loca, quæ nunc nos luſtravimus, & ipſe, ceu nævos venuſti corporis, unice faſtidio duxit, pro deſperatis agnoſceret, ac plus ſuo Cujacio, viro cæteroquin magno, & de Jurisprudentia Romana immortaliter merito, quam ſuæ, qua deſungi poterat, induſtriæ, deferret.

Alias diligentiæ operis, quod multa floret eloquentia, decus ingens acceſſurum foret, ſi nunc, ubi abſolutum eſt, meliori methodo diſponi poſſet. Quin & ſingula quædam ſunt, inaniter repetita, aut male collocata. Sic enim vellem, Gravinam, quando in *Lib. III. c. 112.* de L. Licinia tractat, eandem legem in ſuum locum, ubi de alienatione mutandi judicii cauſa agitur, ſeu de in potentiorem alienatione, transpoſuiſſet: cum ejus doctrina, a citato loco; penitus aliena ſit. Non minus ea, quæ in *eod. libro, c. ſeq. 113.* de religione ſepulchrorum habet, in ſuum locum referri debuiſſent: cum in ea re luſui vix quicquam indulgendum ſit; quod, cum omnia ad finem vergant & interitum, etiam hominem eo deduci oporteat. ** Et neſcio, an recte idem *d. Libro III. c. 111.*

* Expoſitio, quæ hic paratur, *L. 20. §. 5. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. L. 12. §. 2. D. de Accuſ. & inſcript. & L. ult. C ad L. Fabiam de Plagiar.* prima facie habere aliquid videtur in receſſu: ſed ſi penitius animum advertas, omnia plena eſſe videbis aranearum. Sunt enim diſtinctiones, quibus res conficitur, omnes commentitiæ, quarum in ipſis legibus, utpote ſententiæ generalis, nec vola reperitur nec veſtigium.

** Imo, quum auctor in exponendis legibus nominis rationem præcipue ſecutus

legem

Legem Rhodiam, inter leges eas, quæ damnum reſarciunt, redegerit; & non rectius ad negotiationem, ſeu conſortium, eam retuliſſet: quod in Pandectis factum eſt. Neque enim damnum hic dici poteſt hoc, reſpectu aliorum, quod caſu accidit. Alias imminutio illa a cauſa repeti, ipſoque infortunio, deberet: cum quidem damnum ita a ſociis, aut vectoribus, & inter eos, reſarciatur, ut per conſortium id ex æquo, ad omnes perducto, reſtituatur: ſiquidem illi ob jactum ſocii; non item ex damno dato, tenentur. Utique 1.) ſi navis tempeſtate pereat, nulla eſt ob jactum contributio: Et ſi merces quædam recipiantur, a ſorte, vel induſtria dominorum, ſervatæ eſſe cenſentur. 2.) etiam portio jactarum mercium in contributionem venire debet. 3.) Oportet quidem eum contribuere, cum damnum illatum non eſt, indeque ei potius damnum fit, ut alii ſuum reparetur; nec tamen 4.) totum cuiquam reſarcitur damnum. Quin potius 5.) ea contributio, impendii, in res aliorum ſervandas, quædam eſt reparatio; quo pacto non reſarciuntur damna, uti nec tali modo inter ſocios impendia reſtituuntur; qui quidem ſibi conventione obſtricti ſunt. 6.) Naufragio facto, conſervata, cum mercibus non jactis, ſcapha, nulla ſcaphæ ratio habetur, *L. 4. ad L. Rhod.* Igitur 7.) non niſi adverſus magiſtrum, ad detinendum merces, actio eſt: cum, ſi negotium directum de damno eſſet, vectores invicem de eo inter ſe agere oporteret.

Quæ quidem omnia, & Gravinæ, Clariſſimi Viri, integritati ac prudentiæ, & quorumvis Judicio, qui idoneam Juribus tuendis operam præſtant, ſubmiſſa ſunto!

ſit, & Julias omnes, Cornelias omnes, & reliquas in una ſerie expoſuerit: L. Liciniam ſolam alieno loco poſitam, jure queri non poſſumus, nec indignari, quod de ſepulchris ideo ultimo loco egerit, quia mors omnia finit.

Digitized by Google

INDEX SUMMORUM CAPITUM.

LIBER I.

Cap.		Pag.
1	DE Populo Romano & ejus ordinibus	1
2	De Equeſtri ordine	2
3	De Senatoribus	3
4	De Plebe ruſtica, & urbana	5
5	De Plebe urbana & tribunis ærariis	ib.
6	De Scribis, appariroribus, accenſis, interpretibus, præconibus, viatoribus, lictoribus	ibid.
7	De Optimatibus, nobilibus, hominibus novis	7
8	De Cenſoribus	7
9	De Tribubus ruſticis & urbanis	9
10	De Curiis	10
11	De Claſſibus & Centuriis	11
12	De Turba forenſi	12
13	De Conſulibus	ibid.
14	De Senatu & ejus poteſtate	13
15	De Senatus-Conſulto & loco habendi ſenatus	14
16	De Tempore	15
17	De Vocando Senatu	15
18	De Jure referendi ſententiasque rogandi	16
19	De Dicenda ſententia, & S. C. per diſceſſionem	16
20	De Juſto ſenatorum numero	18
21	De Conſcribendo Senatus Conſulto	ib.
22	De Adſervando S. C.	19
23	De Impedimento S. C. ſive de interceſſione Tribun.	ibid.
24	De Senatus decreto	ibid.
25	De Dimittendo ſenatu	20
26	De Ratione ferendæ legis	ib.
27	De Tribuno plebis	20
28	De Comitiis	22
29	De Legum ferendarum examine	24
30	De Publicatione legis, concione, & ſortitione, & ſuffragiis ferendis	ib.
31	De Primis Romanorum legibus, & Jure Papyriano	27
32	De Jure XII. Tab.	28
33	De Actibus legitimis & jure Flaviano	30
34	De Poſterioribus legibus	31
35	De Jure Honorario, & de Prætore urbano, & peregrino	33
36	De Prætoribus provincialibus, & quæſitoribus	35
37	De Publicis quæſtionibus	36
38	De Edicto perpetuo	37
39	De Ædilibus	40
40	De Juriſprudentia	41
41	De Diſputatione fori	42
42	De Reſpondendi Jure	43
43	De Auctoritate Prudentum	44
44	De Juris-Conſultorum philoſophia	45
45	De Juris-Conſultorum ſectis	48
46	De Variis ætatibus Juriſprudentiæ & de Juris-Conſultis antiquæ juriſprud.	52
47	De Tiberio Coruncano	53
48	De Sext. & P. Æliis	ib.
49	De Lucio Atilio	ib.
50	De Marco Catone	ib.
51	De Bruto	54
52	De P. Mutio Scævola Pontifice	ib.
53	De Manlio Torquato	55
54	De Cajo Martio Figulo	ib.
55	De Cajo Livio Druſo	ibid.
56	De Media Juriſprudentia, ejusque Juris-conſultis, & de P. Rutilio Rufo	ib.
57	De Q. Ælio Tuberone	56
58	De Sex. Pompejo, & Cælio Antipatre	57
59	De Q. Mutio Scævola augure, & Scævola pontifice	ibid.
60	De C. Aquilio Gallo	58
61	De L. Lucilio Balbo	59
62	De Cn. Aufidio	ib.
63	De C. Juventio	ib.
64	De Sex. Papyrio	60
65	De Servio Sulpitio	ib.
66	De Cajo Trebatio Teſta	61
67	De Offilio	62
68	De A. Caſſellio	ib.
69	De Q. Ælio Tuberone	63

Cap.

Digitized by Google

Cap.		Pag.
70	De Alfeno Varo	63
71	De Cajo	64
72	De Aufidio Tucca, & Namuſa	ib.
73	De Sectarum Auctoribus & primum de Antiſtio Labeone	ib.
74	De Attejo Capitone	65
75	De Nerva patre, & filio	66
76	De Proculo	67
77	De Pegaſo	ib.
78	De Celſo patre	68
79	De Celſo filio	ibid.
80	De Neratio Priſco	ib.
81	De Maſurio Sabino	ib.
82	De C. Caſſio Longino	69
83	De Cajo iterum	70
84	De Cælio Sabino	71
85	De Priſco Javoleno	ib.
86	De Salvio Juliano, & Tarrunteno	ib.
87	De Domitio Labeone	72
88	De T. Ariſtone	ib.
89	De Ariano	ib.
90	De Sexto Cæcilio Africano	ib.
91	De Sexto Pomponio	73
92	De Junio Mauriciano, & Ælio Marciano	ib.
93	De Ulpio Marcello, Meciano Saturnino	74
94	De Tertulliano	ib.
95	De Papyrio Juſto, & aliis	ib.
96	De Fabio Sabino	74
97	De Fabio Sabino fil.	ib.
98	De Cerbidio Scævola	75
99	De Papiniano	ib.
100	De Domitio Ulpiano	77
101	De Julio Paullo	78
102	De Herennio Modeſtino	ib.
103	De Aliis generatim	79
104	De Romano imperatore	ib.
105	De Variis muneribus imperatoris	82
106	De Pontificatu maximo imperatoris	83
107	De Tribunicia poteſtate	ib.
108	De Cenſura imperatoris	ib.
109	De Conſulatibus imperatoris	84
110	De Proconſulari imperio	ib.
111	De Referendi jure	ib.
112	De Senatoria imperatoris dignitate	85
113	De Patris Patriæ appellatione	ib.
114	De Lege Regia	ib.
115	De Orationibus principum	87
116	De Quæſtoribus	ib.
117	De Magiſtro officiorum	ib.
118	De Majori & Minori Laterculo	88
119	De Pragmaticis Juſſionibus	ib.
120	De Edictis principum	89
121	De Mandatis principum	ib.
122	De Decretis principum	ib.
123	De Epiſtolis principum.	ib.
124	De reſcriptis principum & libellis	ib.
125	De Præfectis Prætorio	90
126	De Aſſeſſoribus	92
127	De Magiſtris ſcriniorum	ibid.
128	De Fiſci Advocatis	93
129	De Digeſtione Juris Civilis ſub Juſtiniano	ib.
130	De Juſtiniano	ib.
131	De Codice Juſtinianeo	94
132	De Digeſtis	95
133	De Inſtitutionibus	96
134	De 50. Deciſionibus	ib.
135	De Novellis Conſtitut. ſive Authent.	97
136	De Novellis Juliani	98
137	De Triboniano & ſociis	ib.
138	De Baſilicorum libris	100
139	De Fato Juriſprudentiæ Juſtinianeæ in Italia	102
140	De Inſtauratione juris Juſtinianei ſub Lothario	103
141	De Pandectis Florentinis	104
142	De Inſtauratione ſtudiorum juris	105
143	De Bononienſi Schola, & de Irnerio	ib.
144	De Variis Irnerianæ ſcholæ ſectis	107
145	De Martino	ibid.
146	De Bulgaro	109
147	De Hugolino	ib.
148	De Rogerio, & Othone, & Placentino	110
149	De Pyleo	ib.
150	De Alberico, & Joanne	111
151	De Azone, ejuſque ſchola	ib.
152	De Lothario Cremonenſi	112
153	De Balduino Bononienſi	ib.
154	De Rofredo Beneventano	ib.
155	De Accurſio & ejus Schola	113
156	De Jacobo Ardizono, & Odofredo	114
157	De Dino	115

Digitized by Google

INDEX

Cap. Pag.

158 De Bartolomæo a Capua 115
159 De Petro de Bella Pertica, & Jacobo de Arena, & Oldrato ib.
160 De Jacobo de Belviſo,& Butrigario ib.
161 De Cino Piſtorienſi 116
162 De Alberico de Roſata 117
163 De aliis turmatim ib.
164 De Bartolo ib.
165 De Baldo, & fratribus 120
166 De Paulo Caſtrenſi 122
167 De Alexandro Tartagno 123
168 De Jaſone Mayno ib.
169 De Saliceto, Fulgoſio, Cumano, Caſtilioneo, Cœpolla, Ruino, Riminaldis, Curtiis, Deciis, Nicolao, Spinello 124
170 De Alciato, & ſanctiori Juriſprudentia, ſive de Cujaciana ſchola 125
171 De Æmilio Ferretto 127
172 De Goveano. ib.
173 De Budæo 128
174 De Antonio Auguſtino 129
175 De Bituricenſi ſchola 130
176 De Enguinario Barone ib.
177 De Duareno ib.
178 De Hugone Donello 131
179 De Franciſco Hottomanno 132
180 De Jacobo Cujacio 134
181 De Barnaba Briſſonio 137
182 De aliis acervatim 138
183 De Marano, Gothofredis, Veſembegio, Perezio, Panciarolo, Mornacio, Vinnio, Grotio, Antonio Fabro, Gregorio Toloſano ib.
184 De Quatuor ſcholis poſt renovatam juriſprudentiam judicium 139
185 Concluſio de interpretum uſu 140

LIBER II.

Cap. Pag.

1 De Boni, Malique Natura, ſive, de Juſtitia naturali 147
2 De Duplici Naturæ lege 148
3 De Lege rerum univerſarum, ſive de Lege promiſcua 149
4 De Lege peculiari humanæ naturæ, ſive de Lege Rationis ib.
5 De Naturali bonorum extremo 150
6 De Virtutum origine ex lege Naturæ 152
7 De Morbis Naturæ rationalis, ſive de vitiis ibid
8 De Vita beata ſapientis 153
9 De Juribus humanæ rationis ib.
10 De Origine Societatis humanæ 154
11 De Jure Gentium & origine Commerciorum ib.
12 De Permutatione, Contractuum omnium elemento 155
13 De Jure Pacis 157
14 De Jure Belli ib.
15 De Civili poteſtate 158
16 De Juſtitia Romanorum 159
17 De Jure Sapientis in ceteros ib.
18 De Origine imperii,& Juriſdictionis 160
19 De Converſione rerum 161
20 De Moribus civilibus ib.
21 De Variarum regionum legibus, & earum origine 163
22 Fragmenta aliquot Legum regiarum, ſive Juris Papyriani 167
23 De Legibus XII. Tabul. 171
24 De Scriptoribus ad has leges priſcis; & variis hujus juris appellationibus 173
25 De Jure Patrio ib.
26 De Jure Tutorum 177
27 De Jure Patronatus 181
28 De Jure conjugum, & connubiorum 182
29 De Divortiis 184
30 De Partu XI. Menſium 185
31 De Partu monſtroſo 187
32 De Rebus litigioſis 188
33 De Servitutibus Prædiorum 189
34 De Aqua pluvia arcenda 190
35 De Arboribus cædendis 191
36 De Glande legenda 192
37 De Interſtitio ſepis ib.
38 Finium Regundorum 194
39 De Uſucapionibus ib.
40 De Teſtamentis 196
41 De Succeſſionibus ab inteſtato 198

Cap.

Cap.		Pag.
42	De Diviſione hereditatis	200
43	De Statuliberis	201
44	De Mancipationibus	ib.
45	De Collegiis & Sodalibus	203
46	De Jurejurando	205
47	De Fœnore	ib.
48	De Criminibus, & primo de Furtis	210
49	De Furto per lancem & licium	212
50	De Arboribus furtim cœſis, & fruge ſecta	214
51	De Dolo in re depoſita	216
52	Si Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur	ib.
53	De Paſtu pecoris	217
54	De Tigno injuncto	218
55	De Famoſis libellis	220
56	De Reliquis injuriis	222
57	De Pecuniis repetundis	224
58	De Falſis teſtibus	ib.
59	De Teſte deſertore	225
60	De Cœtibus nocturnis	226
61	De Crimine perduellionis	227
62	De Parricidio, ſive hominis Cæde, & Veneficiis	ib.
63	De Cæde parentum	229
64	De Incendio	230
65	De Ordine judiciorum & de in jus vocando	ib.
66	De Vindicibus	234
67	De Pactis	236
68	De Cauſa peroranda	ib.
69	De Vadimonio deſerto	238
70	De Obvagulando	240
71	De Vindiciis	241
72	De Sententia & re judicata	244
73	De Jure publico, & de legis actione	248
74	De Privilegiis non irrogandis	249
75	De Capite civis Romani	251
76	De Indulgentia in hoſtes	ib.
77	De Jure Sacro, & religioſo, & Sacris privatis	253
78	De Religioſis, & Sumtibus funerum	255
79	De Jure Flaviano	265
80	De Actibus legitimis ſive Actionibus legis	267
81	De Mancipatione	270
82	De Ceſſione in jure	271
83	De Emancipatione	272
84	De Adoptione	ib.
85	De Adrogatione	273
86	De Manumiſſione	275
87	De Aditione hereditatis	276
88	De Optione	278
89	De Tutoris datione	279
90	De Acceptilatione	ib.

Sequuntur Tabulæ Duodecim.

Tab.		Pag.
1	De in jus vocando	280
2	De Judiciis & Furtis	282
3	De Rebus Creditis	284
4	De Jure patrio, & jure Connubii	286
5	De Heredit. & Tutelis	288
6	De Dominio, & de poſſeſſione	290
7	De Delectis	292
8	De Juribus prædiorum	294
9	De Jure Publico;	296
10	De Jure Sacro	298
11	Supplementum V. prior. tab.	300
12	Supplementum V. poſter. tab.	302

LIBER III.

Cap.		Pag.
1	De Juſtitia Civili	307
2	De Mente humana, & ejus jure in corpus	ib.
3	De Natura Servis, & natura Dominis	308
4	De Meromiſtoque imperio	309
5	De Tribus Civitatum generibus, & primo de	

INDEX

Cap.		Pag.
	de ſimplici, ſive de Optimo Statu Civitatis	309
6	De Civitate Miſta	310
7	De Civitate Perturbata	ib.
8	De Legibus Civilibus & earum cauſis	311
9	De Auctoritate Juriſjurandi, & juris Divini	312
10	De Variis Civitatis Miſtæ formis	ib.
11	De Regno	313
12	De Tyrannide	315
13	De Regimine Optimatum, & de Nobilitate	319
14	De Ordine medio Civium	321
15	De Dominatione paucorum	ib.
16	De Republica, & Statu populari	322
17	De Civili Converſione rerum Romanarum	325
18	De Lege Fuſia Caninia	326
19	De Lege Ælia Sentia	329
20	De Lege Julia Manumiſſionis	333
21	De Lege Petronia de Servis	ib.
22	De Lege Junia Norbana & S. C. Largiano	ib.
23	De Lege Menſia	336
24	De Lege Viſellia	ib.
25	De Fideicommiſſariis Libertat. & S. C. Daſumiano	338
26	De S. C. Rubriano	ib.
27	De S. C. Junciano	339
28	De S. C. Articulejano	ib.
29	De S. C. Vitraſiano	340
30	De S. C. Noniano	ib.
31	De S. C. Claudiano	342
32	De Lege Veſtii Lybici	344
33	De Legibus Tutelaribus, & Lege Attilia, Julia, Titia	345
34	De Muliebri Tutela, & lege Claudia	346
35	De Lege Lætoria	350
36	De Lege Julia, & Papia Poppæa	351
37	De illicitis nuptiis irritandis ſub Marco	354
38	De S. C. Claudiano ad L. Papiam	356
39	De S. C. Calviſiano	ib.
40	De S. C. Perniciano	357
41	De Spadonibus	ib.
42	De Sponſalibus	358
43	De Vacatione nuptiarum	360
44	De Virginibus Veſtalibus	ib.
45	De Pœnis imparium, & præmiis parium nuptiarum	ib.
46	De Divortiis libertarum, & aucto jure patronorum ex conjugio	362
47	De aucto jure libertorum & libertarum ex conjugio	363
48	De Præmiis liberorum cauſa conſtitutis, & S. C. Claudiano: & de jure trium liberorum	364
49	De Præmiis libertorum ex ſuſceptis liberis	367
50	De Muliebri tutela liberorum gratia ſoluta	368
51	De Pœnis Cœlibatus, & prohibitione capiendi ex teſtamento	ib.
52	De Teſtamentis Conjugum & Decimis eorum	370
53	De Dote conſtituenda	373
54	De Remiſſione jurisjurandi	374
55	De Conditione prohibente Nuptias	ib.
56	De Lege Julia Miſcella	375
57	De Fundo Dotali ex L. Papia & de jure Latii & de jure Italico	377
58	De Divortiis	378
59	De Teſtamentis libertorum eorumque ſucceſſione	380
60	Ad L. Papiam Popp. de caducis: ſive ad L. Caducariam, & de Viceſimis	381
61	De Jure accreſcendi	387
62	S. C. & Oratio Antonini de Tutorum nuptiis cum pupillis	391
63	S. C. Plancianum	392
64	De Lege Atinia	395
65	De Lege Plautia	ib.
66	De Lege Scribonia	396
67	De Lege Mamilia	ib.
68	De Uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur	ib.
69	De S. C. Macedoniano	397
70	Lex Julia de Ceſſione bonorum	398
71	De S. C. Vellejano	ib.
72	De Lege Cincia	399
73	De Lege Cornelia de Teſtamentis	400
74	S. C. Neronianum de Legatis	401
75	De Lege Furia	ib.
76	De Lege Voconia	402

77

Digitized by Google

Cap. — Pag.

77 De Lege Falcidia 403
78 De SCto Trebelliano, Pegaſiano, Aproniano, & Sabiniano 404
79 De Lege Velleja & ad L. gallus ff. de liber. & poſtum. 407
80 De Lege Glicia, ſive de querela inofficioſi teſtamenti 411
81 S.C. Julianum de petitione hereditatis 412
82 De S. C. Claudiano, ſive de adſignatione libertorum 413
83 De S. C. Tertulliano ib.
84 De S. C. Orficiano 415
85 De lege Cornelia, & Julia Majeſtatis 416
86 Ad L. Juliam de Adulteriis 422
87 De Stupro 428
88 De Inceſtu, & lege Peducea 429
89 De Averſa Venere 432
90 De Lege Scantinia 433
91 Ad Leg. Plautiam; & Leg. Juliam, de vi publ. & vi privat. 434
92 De S. C. Voluſiano 437
93 Ad Leg. Juliam Repetundarum ib.
94 De Lege Calfurnia Junia 438
95 Ad L. Juliam Peculatus, de Sacrilegiis & Reſiduis 441
96 Ad Leg. Juliam de annona 444
97 Ad Leg. Juliam agrariam ſive de termino moto ib.
98 Ad Leg. Juliam de ambitu ib.
99 Ad Leg. Julias judiciarias 445
100 De Lege Cornelia de falſis, & ad S. C. Libonianum, aliaque ad eam adjecta 447
101 De Lege Cornelia nummaria 451
102 De Leg. Cornelia de injuriis 452
103 Ad Leg. Corneliam de Sicariis 453
104 De Lege Cornelia & Pompeja de Parricidis 459
105 De Lege Titia Publicia & Cornelia de luſu 460
106 De Furtis 461
107 De Lege Fabia de plagiariis 462
108 De Lege Remmia, Petronia, & S. C. Turpilliano 464
109 De S. C. Silaniano, & Statiliano, & aliis ad eandem rem S. C. 466
110 De Lege Aquilia, & de ædium demolitione S. C prohibita 469
111 De Lege Rhodia de jactû 471
112 De Lege Licinia 474
113 S. C. de religione Sepulchrorum ib.

LIBER DE ROM. IMP.

Cap. — Pag.

1 De Juſtis Imperii Romani cauſis 479
2 De Romani Imperii natura 480
3 De Imperio in Republica conſtituto 481
4 De Principe Romanorum 482
5 Quid ſit Imperare 483
6 De Origine Imperatoris 484
7 De Cæſareis Magiſtratibus, & de Pontificatu Maximo 485
8 De tribunitia poteſtate 486
9 De Cenſura 487
10 De Proconſulatu 488
11 De Jure referendi 489
12 De patris patriæ appellatione ib.
13 De Senatoria Imperatoris dignitate 490
14 De Auctoritate Senatus ib.
15 De Republ. in Senatum translata, & de Comitiis 491
16 De Judiciis publicis 494
17 De Conſilio Imperatoris, ſive de Conſiſtorio 495
18 De Communione Senatus, & Principis 496
19 De Diſcrimine inter Imperium & Regnum 498
20 De Legislatione Senatus 499
21 De Conſtitutionibus principum 500
22 Juramenta in acta principum ib.
23 De Lege Regia 501
24 De vero Legis Regiæ ſenſu 502
25 Animadverſiones in Legem Regiam 505

Cap. Pag.
26 Ad Legem quod Principi ff. de conſtitutionibus Princ. 507
27 An Princeps ſolutus legibus intelligatur 510
28 De Auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure gentium 512
29 De Auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure Romano ib.
30 De Auſpiciis & lege curiata 513
31 Quale fuerit Imperium Cæſarum 515
32 De Imperatorum creatione 516
33 De Senatus auctoritate in creatione Imperatoris 517
34 De militum jure in creatione Imperatoris 523
35 De remotione Senatorum a militia ib.
36 De jure civitatis in exercitum 524
37 De perpetua poteſtate Senatus in Imperatorem 525
38 De reliquis Senatus juribus, & de conſulari poteſtate 528
39 De falſa Imperii translatione ad Græcos 532
40 Quomodo accipienda ſit Imperii diviſio ib.
41 De Sede Imperatoris 533
42 De communione Urbis cum Bizantio 534
43 De Conſtantini jure in Imperii translatione ib.
44 De Conſtantini voluntate in Imperio transferendo 535
45 De Privilegiis urbis Conſtantinopolitanæ 536
46 De Coloniis Romanorum 537
47 De Civitate Rom. Italiæ univerſæ ib.
48 De jure Italico urbis Conſtantinopolitanæ 538
49 In Jacobum Gothofredum de falſa exæquatione urbis Conſtantinopolitanæ cum Romana 539
50 Operis concluſio 543

OPUSCULA ET ORATIONES.

1 Specimen Priſci Juris ad Caſparum Carpineum Cardinalem 549
2 Oratio pro Romanis Legibus ad Magnum Moſchorum Regem 571
3 Oratio de Jurisprudentia ad ſuos Juris Civilis Auditores 585
4 Oratio de Canone Interiorii ad ſuos Juris Pontificii Auditores 594
5 Oratio de Recta in Jure Diſputandi Ratione 600
6 Canones diſputandi 607
7 Oratio de Repetendis fontibus doctrinarum 608
8 Oratio de Inſtauratione Studiorum ad Clementem XI. Pontificem Maximum 616
9 Oratio in auſpicatione ſtudiorum de Sapientia univerſa 636
10 Oratio pro Legibus Arcadum 647
Leges Arcadum 650
11 Dialogus de Lingua Latina ad Emmanuelem Martinum 651
12 De Converſione Doctrinarum ad J. Gabrielem Reginerium 666
13 De Contemtu Mortis ad Franciſcum Pignatellum Archiepiſc. Tarentin. 672
14 De Luctu Minuendo ad Taojanum Miroballum 675
15 Priſci Cenſorini Photiſtici hydra myſtica, ſive de corrupta morali doctrina dialogus 677
16 Acta Conſiſtorialia creationis S. R. E. Cardinalium inſtituta a Clemente XI. P. M. diebus 17. Maji & 7. Junii anno 1706. 691

J. VIN-

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINÆ

ORIGINUM JURIS CIVILIS

LIBER I.

QUI EST

DE

ORTU ET PROGRESSU JURIS CIVILIS

AD

CLEMENTEM XI.

PONT. MAX.

SEU

OPERUM TOMUS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ORTU ET PROGRESSU

JURIS CIVILIS

LIBER I.

QUoniam nihil eſt aliud jus civile, niſi naturalis ad Romanæ Reip. inſtitutionem relata, Romaniſque moribus, & literis explicata ratio: ideo ut juris curſum oſtendamus, ponenda eſt ante oculos Romanæ Reip. facies, imagoque illius brevi oratione adumbranda, ducto initio ab antiquiori Pop. Rom. diviſione, in patricios ſcilicet, & plebejos.

I. DE POPULO ROMANO, ET EJUS ORDINIBUS.

Populi Romani ſumma, & præcipua diviſio ea eſt, quæ a genere proficiſcitur, quæque ipſum habet auctorem Romulum. Is enim delectis primoribus Civitatis, viris ingenuis, qui ætate, opibus, conſilio, auctoritate ceteris antecellerent; iis magiſtratus omnes, & divinarum humanarumque rerum, totiusque Reipublicæ curam attribuit: *a*) eosque a reliquo populo diſcretos patricios appellavit; quod eſſent ingenui, ac patrem ciere, ſive demonſtrare poſſent, atque eſſent, ut Plutarchus ait, εὐπατρίδαι: ceteros juſſit eſſe plebem, quam publici negotii minime participem abduxit ad agrorum cultum, paſtum pecorum, opificia quæſtuoſa. Ex patriciis publicum Conſilium conſtituit, quem Senatum a gravitate nuncupavit: eique adſcriptos ab auctoritate Patres, ab ætate Senatores. Itaque Senatorum natus eſt ordo, quem excepit equeſtris: Ex quibus alia deducta eſt Populi Romani diviſio, quæ ab ordine ducitur; atque in Senatores, equeſtrem ordinem, & plebem populus omnis eſt deſcriptus.

a) Livius *lib. 1. c. 8.* Dionyſ. *lib. 2.* Plutarch. *in Romul.*

II. DE EQUESTRI ORDINE.

Equeſtris autem ordo ab ipſa quoque Romuli ætate repeti poteſt. Nam, ut Dionyſius, ac Livius tradunt, Romulus ad cuſtodiam ſui corporis, ex honeſtiſſimis familiis, trecentos ſibi delegit; qui primo quidem Celeres dicti ſunt, a Remi interfectore Celere, qui eis initio præfuit: *a*) deinde Flexumines, * poſtea Troſſuli, quod Troſſulum Tuſcorum oppidum ſine peditum opera expugnarint: poſtremo Equites, quod equo publico a Cenſoribus *b*) aſſignato, collataque ad id ex publico pecunia, mererent. Siquidem erant & alii, qui cum proprio equo ** mererent; huic tamen ordini non adſcribebantur: qui vero equo publico merebant, in Urbe Senatoribus; qui privato, peditibus in bello opponebantur. *c*) Is autem ordo a paucis initiis, mirum quantum, procedentibus temporibus, abundarit! Equitum inſigne fuit aureus annulus, & anguſtus clavus, ſive tunica clavis purpureis, iisdemque anguſtis *** intertexta. *d*) Eidemque ordini legibus theatralibus attributi ſunt quatuordecim gradus, in quibus ſedentes ludos ſpectarent. *e*) Hujus ordinis homines a Cenſoribus vectigalia, & tributa, certa pecunia quæſtoribus urbanis repræſentata, conducebant, quos publicanos appellarunt. *f*) Ut autem Senatores; ita & equites a Cenſoribus legebantur: & equites quidem cenſu ſeſtertium quadringentorum millium: unde Horatius: *g*) *Si quadringentis ſex ſeptem millia deſint Plebs eris.* Senatores autem cenſu duplo majori, nempe octingentorum millium, ſive ſcutatorum aureorum viginti quatuor millium. *h*) ****

a) Feſtus *verb. celeres.* Plinius *lib. 33. cap. 2.* Sigon. *de antiqu. jur. Civ. Rom. lib. 2. cap. 3.*

* Pro Flexuminibus Flexutes apud Plinium legi jubet Salmaſius *ad Lampr. in Comm. c. 2.* Flexutes autem dici cenſet veteri more pro Flexitibus, qui ſint a Flexes flexitis, quod deſcendat a flexu, eo quod equitum ſit, equos in gyrum flectere, ſeu, ut eſt apud Virgilium, *flectere ludus equos.*

b) Varro *de lingua latina.* Sigon. *loc. cit.*

** Res manifeſta ex Livio *L. XXVII. c. 11.* Equites, qui cum privato equo merebant, vicaria opera defuncti videntur pro merentibus cum equo publico, plane ut hodie paſſim exhiberi videmus ab equitibus, qui vice eorum equeſtrem militiam ſubeant. Illi ſtipendia, lardum & poſcam conferunt, hi in armis exercentur, hoſti occurrunt, pugnamque capeſſunt. Inoleſcit hic mos in omnibus pedetentim Rebus publicis, primum in rebus ob cladem publicam trepidis, tum & luxuria ſæpe civium, qua homines diteſcentes bellici fere piget laboris.

c) Sigon. *ibid.*

*** De clavis, lis ingens ſuperiore ſeculo fuit inter Rubenium & Ferrarium, in qua Grævius *in præfat. T. VI. theſ. antiqu.* ſententiam ſecundum Rubenium dedit, ne Pyrrhonem quidem amplius dubitare poſſe cenſens, quin clavi fuerint lineæ, ad inſtar faſciarum, oblongæ, quadratæ. Et bene eſt, quod ipſe jam Ferrarius *Anal. de re veſt. c. 1.* mutata ſententia agnoſcit, clavos fuiſſe ſegmenta purpuræ oblonga, a lato in acutum deſinentia. Ut enim ſententia hæc illi Rubenii quam proxime accedit, ſic nominis ſimul originem rationemque prodit.

d) Roſin. *lib. 5. cap. 33.* Sigon. *lib. 2. cap. 3. de antiq. jur. Civ. Rom.*

e) Hotom. *antiq. Rom. lib. 2. c. 10.*

f) Cic. *pro Planc. & pro Dom.*

g) *Epiſt. 1. ad Mæcenat.* Sigon. *ibid.*

h) Manut. *de Sen. Roman. de Orig. Senat.*

**** Unde conſit, cenſum equitum, ex calculo Manutii, quem ſequitur Gravina, fuiſſe ſcutatorum aureorum millia duodecim. Sed utrorumque felicitati invidens Jo. Fr. Gronovius, dimidiatis eorundem facultatibus, ſcutatis fere ſubſtituit unciales.

Digitized by Google

III. DE SENATORIBUS.

Senatus conſtabat initio centum patribus, qui ob id C. literam centenarii notam calceis inſcribebant. *a*) Is vero numerus non fuit diuturnus. Nam bis a Romulo Senatum lectum ſcribit Dionyſius; primo ex Albanis centum; deinde ex Sabinis, quos ex fœdere in civitatem acceperat, alteros centum. Iterum Tarquinium *b*) Priſcum alios adjeciſſe centum: ac præfinitum ab his numerum Tarquinii ſævitia, & cædibus fuiſſe imminutum, poſt vero expletum a Bruto Conſule. Longe aliter Livius, qui lectos quidem a Romulo centum ſcribit, deinde alios centum a Priſco: Verum Brutum Conſulem, ut ordinis robur augeret, adjeciſſe centum, indeque trecentum numero Senatum conſtitiſſe: his verbis: *c*) *Deinde quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret; cædibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equeſtris gradus electis, ad trecentum ſummam explevit.* Atque a Romulo lecti Patres majorum gentium; ab aliis adjecti Regibus minorum gentium; adſcriptique a Bruto Coſ. Patres conſcripti dicebantur: quo nomine ſequens ætas totum complexa eſt Senatum. Hunc numerum auctum Syllanis temporibus fuiſſe, Sigonius *d*) ex veteribus colligit. Duas enim lectiones Senatorum factas; alteram Sylla & Ruſo Coſſ. alteram Sylla Dictatore, Appianus refert. Ego vero, non tam auctum a Sylla Senatum arbitror, quam cædibus imminutum ex bello civili, poſt ab eo novis lectionibus reſtitutum. Quem autem numerum præfinierit, non plane conſtat: certe Ciceronis tempore CCCC. exuperaſſe colligitur ex epiſtola quadam Ciceronis ad Atticum: ſcribit enim, Curioni aſſenſiſſe Senatores XV. ex altera vero parte affuiſſe CCCC. Cæſar vero Dictator, cum omnia ex libidine gereret, ac turpiſſimis mortalium Senatum aperiret; DCCCC fere Senatorum * legit; auctoque ſupra modum numero, imminuit ordinis dignitatem. Unde Auguſtus, ut veterem Senatui ſplendorem redderet, rejectis indignis, numerum decuſque reſtituit priſtinum. *e*) Porro Senatus initio quidem nonniſi patriciis patuit; poſtea vel a Servio Tullio gratiam plebi, ob delatum ſibi regnum, referenti, vel a Poplicola & Bruto, qui poſt exactos Reges ex plebejis familiis imminutum Senatorium numerum expleviſſe dicuntur, Senatus eſt plebejis patefactus: ut ex equeſtri potiſſimum ordine, qui Senatorum ſeminarium appellabatur, Senatores legerentur, ſi cenſum haberent Senatorium: quem cenſum ampliatum ab Auguſto fuiſſe, Suetonius auctor eſt. Iſque cenſus neceſſarius erat non modo ad adipiſcendum, ſed ad tuendum, & retinendum ordinem: nam ſi lapſis facultatibus minueretur cenſus, in equeſtrem ordinem Senator Cenſoris juſſu tranſibat, ſi cenſum haberet equeſtrem: ſi ne huic quidem cenſui ſua bona ſufficerent, ad plebejos deſcendebat: unde plures patriciorum familiæ, abſumta re familiari, modo ad equites,

a) Hotom. *Antiquit. l. 2. c. 10.*
b) Sigon. *lib. 2. c. 2. de antiqu. jur. Civ. Rom.*
c) Liv. *lib. 2. c. 1.*
d) *Cap. 2. lib. 2. de jur. civ. Rom.*

* Eidem numero alios adjecerat Antonius, tanquam ex tabulis teſtamenti C. Cæſaris, qui dicti Orcini, exemplo libertorum Orcinorum, ſeu eorum, quos patronus in teſtamento verbis directis manumiſiſſet, qui ideo ſic dicti ſunt, quoniam patronus eorum jam in Orco, ſive illic eſſet, unde negant redire quemquam, Suet. *in Aug. c. 35.* Cujacius *Obſerv. III. 23.*

e) Sueton. *in Aug. cap. 8.*

Digitized by Google

modo ad plebejos * juſſu devenere cenſorio. Nec omnis ætas aditum ad Senatum habebat; ſed cum in Senatum ii maxime legi conſueviſſent, qui magiſtratus urbanos geſſerant, quorum initium ducebatur a Quæſtura, cujus legitima ætas erat annorum XXVII: hanc antiquitatis ſtudioſi ad Senatoriam dignitatem arbitrantur fuiſſe præfinitam ætatem. Nec tamen qui Magiſtratus geſſerant, continuo Senatores erant: niſi per Cenſorem lecti eſſent, dum luſtrum conderetur: ac ſi cenſoria lectio defuiſſet; jus quidem habebant ſententiæ in Senatu dicendæ; Senatores tamen minime dicebantur: neque cum in Senatum venerant, ſententias rogabant; ſed in eas, quas principes dixerant, non voce, ſed pedibus concedebant locum mutantes, & tranſeuntes ad eos, quorum ſententiam probarent, ideoque Pedarii vocabantur, *a*) unde veteris edicti formula: *Senatores quibusque in Senatu ſententias dicere licet.* Mos erat ſane olim, ut prætextati Senatorum liberi, ſimul cum Patre curiam ingrederentur: ſed Senatusconſulto fuit ſublatus; unique Papirio Prætextato datus aditus ad Curiam, præmio repræſentatæ in puerili ætate prudentiæ, cum matrem, a qua de rebus in Senatu geſtis interrogabatur, mendacio eluſit: qua fide & præmatura ſane gravitate meruit, ut nondum aſſumta virili toga, pro Senatore haberetur: ac ab egregio facinore, quod prætextam adhuc gerens ediderat, prætextati cognomen retineret. Tribunis tantum plebis ſine lectione cenſoria poſt Atinium plebiſcitum tributam fuiſſe ſenatoriam dignitatem ſcimus: Siquidem hæc Gellius refert ex Capitone: *b*) *Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quanquam Senatores non eſſent ante Atinium plebiſcitum.* Atinium fuiſſe, Sigonius ſuſpicatur, Tribunum illum plebis, qui Q. Metellum Macedonicum de Saxo dejici juſſit, a quo cenſore in legendo Senatu fuerat ipſe præteritus: rogavitque populum, ut Tribuni plebis deinceps Senatores eſſent; metuens ne iterum a ſequentibus Cenſoribus præteriretur. Antequam autem cenſus inſtitueretur, Paulus Manutius ex Livianis verbis in Oratione Canuleji, colligit, Senatores fuiſſe creatos a populo, & aliquo etiam tempore poſt cenſuram inſtitutam: ſiquidem in ea oratione legitur, patrum multos fuiſſe cooptatos, aut lectione Regum, aut juſſu Populi, cui teſtimonio aliud longe illuſtrius accedit ex Cicerone in oratione pro Sext. *Majores*, inquit, *noſtri cum regiam poteſtatem non tuliſſent, ita Magiſtratus annuos creaverunt, ut conſilium Senatus Reipublicæ proponerent ſempiternum: deligerentur autem in id conſilium ab univerſo populo.* Hujus ordinis inſigne fuit tunica laticlavis, ſive clavis purpureis veluti floribus ** diſtincta; qui Senatoria in veſte lati erant, anguſti vero in equeſtris ordinis tunica. *c*)

* Imo in Caritum tabulas relati ſunt & inter capite cenſos. Quod iniquitate non carebat, ſi fortunæ injuria bonis lapſus eſſet, qui dignitate movebatur. Sed penſabatur id damnum utilitate publica, qua ſevere occurrendum erat profligatis hominum prodigorum moribus, quibus plerumque avita patrimonia evertuntur. Prodigis nec hodie caremus. Pauci tamen pares illi Romano, Mænio, qui cum bona omnia abliguriviſſet, tandem domum apud Forum vendidit unica excepta columna, in qua aſſeres junxit, ut gladiatorios inde ludos conſpiceret, ut ex veteribus Grammaticis obſervat Alciatus *ad L. 242. D. de V. S.*

a) Hotom. *lib. 2. c. 10. antiq. Rom.*

b) *Lib. 14. c. 8.*

** Imo ſenatorum tunicam uno eodemque lato clavo; eam contra equitum binis quidem ſed anguſtis clavis inſignitam fuiſſe,

IV.

Digitized by Google

IV. DE PLEBE RUSTICA, ET URBANA.

Reliquus Populus nec Senatores, nec equites, verum plebs erat; eaque vel ruſtica, vel urbana. Ruſtica cultui agrorum operam dabat. Romulus enim ſecundum militarem, rei ruſticæ curam voluit eſſe præcipuam: unde priſcis temporibus non infimus tantum ordo, ſed & Senatores atque patricii, cum a belli adminiſtratione vacarent, ac res domi foriſque quieſcerent, rei ruſticæ ſeſe dabant: ut Dictatores etiam, & Conſules ab aratro accerſerentur: id quod de L. Cincinnato, & Quintio Claudo, & de Curio, Fabritio, Regulo, Serrano, Conſularibus illis & triumphalibus viris eſt literis traditum. Quique colendis agris operam dabant, ii & magis in militia ſtrenui, & honeſtiores & graviores erant in civili vita. Prædia vero vel propria quisque colebat; vel de publico aſſignata. *a*)

V. DE PLEBE URBANA ET TRIBUNIS ÆRARIIS.

Pars alia, plebs urbana erat; eaque vel argentariæ, ac mercaturæ, fœnorique vacabat, vel opificiis; vel urbano ſervitio, & curiæ forique miniſterio. Unde, præter artifices & argentarios & mercatores, erant & tribuni ærarii, * qui Aſconio, *b*) & Varrone auctoribus, pecuniam in ſtipendium militum de ærario Quæſtori Proconſulis adnumerabant; quorum memoriam licet ab antiquiſſima ætate repetere, cum eorum mentio fuerit apud Catonem *c*) a Gellio adductum. Hujusque ordinis magnum fuiſſe numerum oſtendit lex Aurelia, qua cum equitibus, & Tribunis ærariis communicata fuere judicia, quæ antea penes ſolos Senatores erant. *d*)

VI. DE SCRIBIS, APPARITORIBUS, ACCENSIS, INTERPRETIBUS, PRÆCONIBUS, VIATORIBUS, LICTORIBUS.

Huic accedebat ordo Scribarum, qui leges, actus, rationesque omnes publicas perſcribebant, ac referebant in tabulas. Quod negotium haud parvi ſane momenti dabatur viris honeſtis, quippe futuris cuſtodibus fidei publicæ, publicæque voluntatis conſervatoribus. Quam ob cauſam & apud Græcos hominibus honeſtiori loco natis hujuſcemodi munus deferebatur. Quamvis Cornelius Nepos in Eumene, Scribarum munus in majori apud Græcos honore, quam apud Romanos fuiſſe ſcribat. Apparebant autem magiſtratibus, eisque leges & jura ſubjiciebant.

docet laudatus Grævius *in Pr. T. VI. Theſ. Antiqu.* obſervatque, inde eſſe, quod ſenatoria tunica dicatur latus clavus, cum clavi anguſti, in plurium numero, equitibus tribuantur. Hæc autem ſegmenta non florum inſtar ſparſa fuiſſe, ſed in tunicis lati-claviis a pectore, in anguſticlaviis ab humeris ad imam tunicam deſcendiſſe, & quod formam clavi imitarentur, clavos dicta eſſe, hodie conſtat, & partim obſervatum fuit ad *c.* 2.

c) Roſin. *Antiq. Rom. lib.* 5. *cap.* 33.

a) Sigon. *lib.* 2. *cap.* 6. *antiqu. juris civ. Rom.*

* Qui forſitan ex ipſis artificibus, argentariis & mercatoribus legebantur cogendæ in ſua quisque tribu pecuniæ, cujus quærendæ cura dein ab ærariis ad procuratores Cæſaris translata, poſtquam judicia quoque Cæſar ærariis ademerat, & ſolos ſenatores & equites judicare voluerat. Suet. *in Jul. c.* 41.

b) *Lib.* 4. *de ling. latin.*

c) *Lib.* 7.

d) Hotom. *de Magiſt.* Sigon. *de antiq. jur. civ. Rom. lib.* 1. *c.* 8.

Cum enim, qui magiſtratum inibant, præſertim juvenes, munus plerumque ſuum ignorarent, cogebantur id a Scriba, quem uſus peritum fecerat, cognoſcere: ita ut Scribæ, qui leges ad manum habebant, eſſent quodammodo doctores magiſtratuum; quorum juriſdictio pro conſilio & arbitrio Scribarum explicabatur. * Hinc, cum horum arrogantia nimis exultaret, reſedit tandem Catonis opera, *a*) qui deprehenſam illorum ignorantiam caſtigavit. Cumque numerus eorum minime eſſet exiguus, diſpertiti fuerunt in decurias: in quibus, qui Scriba fieri optabat, locum ſibi aliquando emere ſolebat. *b*) Et quoniam jus erat magiſtratibus Scribas legere, *c*) ideo qui a Quæſtore legebantur, Quæſtorii ſcribæ; qui ab Ædili, Ædilitii; qui a Prætore, Prætorii vocabantur. *d*) Extat & apud M. Varronem *e*) de Scribis Pontificum mentio: itemque in veteri inſcriptione apud Onuphrium: *Agriæ Triphoſæ Veſtificæ Livius Theona ab Epiſtolis Græc: Scriba a libris Pontificalibus conjugi Sanctiſſimæ B. D. S. M.* Erant & Scribæ navales, quos Feſtus ait omnium fuiſſe gradu minimos, propter pericula, quæ ſubibant. Suum quoque locum tenebant apparitores magiſtratuum, & accenſi, ſic appellati, quod accirent, ** ſive exciperent mandata Conſulis, *f*) & vocarent ad comitia centuriata, itemque ad tribunal Prætoris eos, quibus erat jus reddendum; vel moleſtis interpellationibus ſilentium imponerent. Erant & Interpretes, a quibus exterorum ſermo aperiebatur: item & præcones, qui vel ad haſtam in auctionibus ſtabant, ut oblata pretia ſignificarent; vel in comitiis magiſtratuum, ut populum cogerent ad ſuffragia, & deſignatos renunciarent; vel in judiciis & quæſtionibus, ut judices, & reos, & accuſatores, & teſtes accirent; vel ſubjiciente ſcriba ferendas leges populo recitabant; vel in concionibus audientiam faciebant. Lictores etiam erant, qui ſummovendo populo, ſontibus cædendis, ac ſecuri feriendis, faciendisque juſſibus præſto erant Conſulibus, Prætoribus, Interregibus, & Dictatoribus: ac lictores a ligando dicti, quod ſontibus ad ſupplicium manus ligarent. His affines viatores, qui juſſu magiſtratuum acceſſebant a via, vel aliquod nunciabant, atque hinc dicti viatores.

* Unde bella iis occaſio naſcebatur inſinuandi ſeſe in amicitias juvenum nobilium, viamque ſibi parandi ad affinitates cum ſplendidis Romæ familiis. Hodie quoque regnum fere forenſe penes ſcribas eſt, idem eorum æſtus, eadem ſuperbia, eadem ſæpe juris ignorantia.

a) Plutarch. *in Cat. maj.*

b) Cic. *pro Cluent.* Liv. *lib.* 40.

c) Adrian. Turn. *adverſ. lib.* 11. *cap.* 10.

d) Sigon. *antiqu. jur. civ. Roman. lib.* 2. *c.* 9.

e) *Lib.* 4. *de ling. latin.*

** Quod jam Varroni viſum *L. V. c.* 9. Idem tamen Varro *L. VI. c.* 3. Accenſos dici putat a cenſendo, quia cenſionem ſeu arbitrium ſequantur magiſtratus, rem, credo, magis intuens, quam originem vocabuli; quemadmodum Jureconſulti teſtamentum a mentis teſtatione derivant. Attamen ab acciendo minus recte quoque dici videntur accenſi, primum, quod flexio vocis repugnat, qua acciti, non accenſi dicuntur, qui arceſſuntur, vel evocantur, tum quod utique accenſi non acciebantur, ſed acciebant. Quidni igitur ſimpliciter Accenſos ab accenſendo dictos putemus, tanquam lictores accenſos, ſeu ſupernumerarios: ſic enim milites accenſi dicuntur, quotquot extra numerum militant. Vegetius *de re milit. II.* 19.

f) Varro *de ling. lat. lib.* 4. & 5. Sigon. *lib.* 2. *cap.* 15. *de antiq. jur. civ. Rom.*

VII.

VII. DE OPTIMATIBUS, POPULARIBUS, NOBILIBUS, IGNOBILIBUS, HOMINIBUS NOVIS.

Porro cum cives Romani pars bonis & probis ſeſe darent; pars in ſeditiones & tumultus ruerent; quorum plerique ſtudioſi erant plebis: Hinc illi optimates dicti ſunt, hi populares: quoniam illi cum Senatu faciebant, hi cum ſeditioſis tribunis plebis; cum alioqui non ſemper vox popularis in odioſam ſignificationem detorqueretur. Atque hæc eſt tertia populi Romani diviſio. Rurſus cum ii, qui magiſtratus curules geſſerant, nempe Conſulatum, Præturam, Cenſuram, Aedilitatem, poſſent imaginem ſui pictam relinquere poſteris; contigit, ut Civium Romanorum alii majorum imagines haberent; alii tantum ſuas; alii nullas; hinc, qui majorum imagines haberent, nobiles; qui ſuas, homines novi; qui nullas, ignobiles dicebantur. Unde patricii, quibus tantum initio Urbis magiſtratus & honores, rejecta plebe, patuerunt, olim tantum dicti ſunt nobiles; poſtea etiam plebeji: quorum ſcilicet majores magiſtratus curules geſſerant: atque hæc quarta eſt a dignitate ſumta diviſio.

VIII. DE CENSORIBUS.

Univerſus autem populus deſcribebatur, atque in ordines tribuebatur a Cenſoribus: quorum poteſtas decerpta fuit ex imperio conſulari, atque in peculiarem collata magiſtratum A. V. C. CCCX. *a*) quoniam Conſules aſſiduis bellis, & gravioribus negotiis occupati, cenſui peragendo minime vacare poterant: unde, annos ſeptendecim cenſus, res civibus maxime ſalutaris, fuerat intermiſſus. *b*) Cenſum autem inſtituerat Servius Tullius, qui quantum quisque haberet æſtimari, civesque Romanos per capita cenſeri juſſit; unde poſtea cenſores dicti, quod ad eorum cenſionem, *c*) ſive arbitrium deſcribebatur populus, & per eos facultates & bona ſingulorum æſtimabantur, atque in cenſorias tabulas referebantur, ut pro ſubſtantiis tributa penderentur: hinc cenſus nomine bona, & fortunæ comprehenduntur. *d*) Cenſores creabantur duo quinto quoque anno. Quo tempore quia civitas a Cenſoribus luſtrabatur, ideo luſtri vocabulo quinquennium ſignificatur. Olim quinquennium Magiſtratus durabat; *e*) poſtea per Mamercum Dictatorem annuus & ſemeſtris factus fuit. His non opes modo civium æſtimandæ, ſed & mores regendi committebantur. Ab his vitæ ſingulorum aut laus impertiebatur, aut inurebatur infamia: totaque Urbs animadverſione illorum emendabatur; ut qui cenſoribus placuiſſet ſtatum ſinguli retinerent. Senatorem enim, cujus turpem vitam deprehendiſſent, Senatu movebant: equitem, ademto equo publico, ad plebejos rejiciebant: plebejos, ademto ſuffragio, tribu ſubmovebant, ac referebant in Ceritum tabulas, ut fierent ærarii, ſive ut civis conditionem non niſi pendendo tributo retinerent privati jure ſuffragii: quod Cerites primi fuerint e municipibus, quibus Romani jus Civitatis conceſſerint; ut tamen publicis negotiis, & honoribus abſtinerent, quod tradit Gellius. *f*) Ad hujuſmodi conditionem ignominioſi a

a) Liv. *lib. 4. c. 8.*
b) Liv. *lib. 1. c. 43.*
c) Varr. *lib. 4. ling. latin.* Feſt. *lib. 3.*
d) Liv. *lib. 4. cap. 8.*
e) Liv. *lib. 4. c. 24. & lib. 9. c. 33.*
f) *Lib. 16. c. 13.*

Cen-

Digitized by Google

Cenſoribus redigebantur. His animadverſionibus ſingulorum ordinum maculas, rejectis turpibus, eluebant, judiciumque ſuum promulgabant, cum peractum cenſum recitarent. Siquidem is Senatu motus, & equo annuloque privatus putabatur, qui a Cenſoribus fuiſſet in cenſus recitatione præteritus. Qui autem in ea recitatione fuiſſet ex Senatoribus primo loco nominatus, is Princeps Senatus dicebatur: *a*) Qui honos præterquam conſularibus & cenſoriis habebatur nemini: unde cum alter Cenſorum virtute ac ſplendore ceteris Senatoribus anteiret, ab ipſo Collega in cenſus recitatione Princeps Senatus conſtituebatur. Porro a Cenſoribus loco motus poterat aliquando priſtinum gradum, vel per alios Cenſores, vel per judices recuperare; ſi Cenſoris animadverſio, non tam veris criminibus, quam turpi fama, ſæpe alieno livore conflata, niteretur. Contigit enim non raro, ut qui a Cenſoribus exuti dignitate fuiſſent, ad cenſoriam & ipſi dignitatem, repetitis honoribus, pervenirent. *b*) Animadverſionis cenſoriæ cauſa non ſolum turpitudo vitæ, ſed etiam negligentia fuit: quandoquidem in Equitem, qui equum macilentum, & parum nitidum haberet; aut in eos, qui agrum incultum poſſiderent, ac ſordeſcere ſinerent, animadvertebant. Vectigalia item, & fundi publicanis per Cenſores in conſpectu populi Romani locabantur: item & publica ædificia corrupta vel neglecta reficienda dabantur; veluti templa, viæ, pontes, aquæductus. Cenſoris etiam curæ ſuberant precia ſacrificiorum, & anſeres, qui ob memoriam ſervati Capitolii de publico, juſſu Cenſorum, alebantur. Neque legum condendarum, aut abrogandarum poteſtate Cenſores carebant certis in cauſis: nempe nuptialibus: iisque negotium datum erat, ne quem in Urbe cœlibem eſſe paterentur. Cum quis in cenſura deceſſiſſet, non modo in locum mortui nemo ſufficiebatur; ſed & Collega magiſtratu abibat, ominis cauſa, cum anno, quo Roma capta fuit a Gallis, Cenſorem mori contigerit. Initio patriciorum tantum erat magiſtratus; anno tandem Urbis CDII. plebejis etiam patuit. *

IX. DE TRIBUBUS RUSTICIS, ET URBANIS.

Igitur civium ordines per cenſores deſcripti & emendati tribuebantur in triginta & quinque partes, quas vel a conferendo tributo, Tribus appellabant; vel quod initio populus trifariam eſſet diviſus a Romulo, cui tribuum inſtitutionem plerique ſcriptorum, *c*) Dionyſio ſubſcribentes, aſſignant. Tres autem tribus in tres conjectæ fuerunt regiones. Prima tribus fuit Ramnenſium a Romulo dicta, in quam Græcanici homines, qui latinos agros incolebant, & Albani, quos Romulus ſecum duxerat, confluxerunt, & Palatium, ac Cœlium tenuere montes. Altera

a) Liv. *l. 27. c. 11.*

b) Cic. *pro Cluent.* Valer. Maxim. *l. 2. c. 9.*

* Creari autem cenſores e privatis deſierunt ſub Auguſto, qui, cum P. Æmilium Lepidum & Munacium Plancum Cenſores creaſſet, prima ſtatim die cum tribunal conſcendiſſent, tribunal corruit, omine collabentis dignitatis Suet. *in Aug. c. 37.* Dion. *L. LIV.* Dein principes ſuo nomine facultates civium deſcribi juſſerunt, ipſi quoque judicium de moribus exercentes, idque ſæpe acerbe & impotenter. Multo tamen poſt interjecto tempore Cenſorem Decius creavit Valerianum, eundem illum, qui dein imperavit & a Parthorum Rege Sapore captus & ludibrio habitus eſt. Pollio *in vita Valeriani.*

c) *Lib. 2. in Rom.*

Tatien-

Digitized by Google

Tatienſium a Tito Tatio Sabinorum Rege, quem ſimul cum ſuis poſt confectum bellum Romulus in urbem accepit: eamque tribum in capitolio & quirinali locavit. Poſtrema Lucerum fuit: cujus nominis certa non fertur origo, cum alii dictam arbitrentur a Lucumone Etruſco; alii a Lucero Ardeate, qui ſub Romulo domicilium & fortunas ſuas Romam tranſtulerat; alii a Luco, in quem, præter Sabinos & Albanos, reliquus confluxit ex finitimis, & advenis collectus populus; qui loca plana inter palatium & capitolium, atque circum forum inſederunt: ex quibus deinceps tribus aliæ ſunt derivatæ. Verum aucta multitudine civium, Servius Tullius Urbem ampliavit, pomœrioque incluſit Viminalem, & Exquilinum collem, intulitque novam tribuum rationem, & numerum: tributaque Urbe in regiones quatuor, totidem conſtituit tribus urbanas, quibus e locis Urbis nomen impoſuit: eaque nomina fuere ſuburana, palatina, exquilina, collina. *a*) His adjectæ multitudinis ruſticæ tribus quindecim: quæ cum a locis, ut urbanæ, nomen traxiſſent, poſtea pleræque exuto priori nomine, ab illuſtrioribus familiis, quæ in ſingulis locatæ tribubus erant, alia ſibi nomina induerunt. Cumque ſub Servio Rege decem & novem eſſent tribus; ſequentibus temporibus, increbreſcente usque multitudine, lectione cenſoria novæ ſunt adjectæ, ut ad triginta quinque pervenerint: isque numerus conſtitit, permanſitque etiam inter urbanas, & ruſticas priſca diſtinctio: ac ſordes in urbanas; in ruſticas flos urbis, & illuſtriores familiæ conjectæ fuerunt: propterea quod apud Romanos, ſecundum militarem, præcipua, ex inſtituto Romuli, erat dignitas rei agrariæ, *b*) cui nobiliores, & ſplendidiores operam dabant, relictis opificiis & officinis penes ſervos, aut infimam plebem. Nunc tribuum nomina, eorumque nominum rationem ſubjiciamus: ac primo loco tribus urbanas quatuor deſcribemus, quibus quatuor urbis regionum nomina hæſerunt. Prima igitur Suburana dicta eſt: nominisque origo ſubura; quaſi ſub antiqua Urbe, ut Junius apud Varronem docet. *c*) Suberat enim ei loco, qui murus terreus vocabatur. Varro tamen deducit nomen a Pago ſuccuſano: traditque pro C. litera ſubſtitutam fuiſſe B. & pro S. ſubjectam R. ut in plerisque nominibus Romanorum poſt propagatam apud Romanos literam R. *d*) Secunda Exquilina ab Exquiliis, quas alii ab excubiis Regis dictas putabant; alii quod excultæ fuiſſent a Tullio Rege. Tertia Collina ab duobus collibus Viminali, ſic dicto, quod ibi vimineta fuerunt; vel ab Jove Viminio, cujus ibi erant aræ, & Quirinali, ubi Quirini fanum. Quarta Palatina a Palatio Monte, cui nomen dedit vel balatus pecorum, ut, Varrone teſte, putabat Nævius; vel Palatini ſive Aborigenes, qui ex agro Reatino profecti, (qui ager Palantium appellabatur) eum Urbis locum tenuerunt. *e*) Nunc progrediamur ad ruſticas, nempe primo ad quintam, quæ dicta fuit Romilia, *f*) quod eſſet ſub Roma: cui tribui Onuphrius aſſignat eam agri partem, quæ in Tuſca prope Urbis mœnia, ſecundum flumen, ad maris oſtia, trans Tiberim, excurrebat. *g*) Sequitur ſexta Lemonia, a pago Lemonio, qui eſt in via latina. *h*) Septima

a) Dionyſ. *lib. 4.*
b) Plin. *lib. 18. c. 3.* Varr. *lib. 2. de re ruſtic.*
c) *Lib. 4. de ling. lat. pag. 12.* Turneb. *ibid.*
d) *Vid.* Feſt. *in Sub. Trib. ibid.*
e) Varr. *ibid.* Turn. *ibid. p. 13.*
f) Varr. *ibid.*
g) *Lib. 2. commen. Reip. Rom.*
h) Cic. *Philip. 9.*

Pupinia, ex agro Pupinio in Latio cis Tiberim, ad mare pertinens. *a*) Octava Galeria, cujus nominis certam originem nemo veterum prodidit; ſicut nec Nonæ Polliæ; ac Decimæ Valtiniæ. Ideoque Sigonius & Onuphrius ab ignotis nobis locis nomen traxiſſe putant. Quæ ſequuntur, eæ ſunt, quas veteri exuto nomine, novum ab illuſtribus familiis traxiſſe diximus. Undecima igitur Claudia, ab Appio Claudio, qui eam in tribum ſe familiamque ſuam conjecerat. *b*) Sicuti duodecima Æmilia, a celeberrima Æmilia gente: & decima tertia Cornelia, ab antiquiſſima gente Cornelia, & decima quarta a Fabiis, Fabia. Decima quinta, ab Horatiis, Horatia. Decima ſexta, a Meneniis, Menenia. Decima ſeptima, a Papiriis, Papiria. Decima octava, a Sergiis, Sergia. Decima nona, a Veturiis, Veturia. His adjectæ fuerunt anno V. C. CCLVIII. a Cluſtumina ſive Cruſtumina Tuſcorum Urbe, Cruſtumina tribus viceſima; & viceſima prima, a Vejis agroque Vegentium Vejentina. Et anno V. C. CCCLVI. viceſima ſecunda Stellatina, a campo Stellate non eo, qui eſt in Campania, ſed eo, qui ad primum lapidem abeſt a porta Capena, ſic a Tuſcis appellato. Viceſima tertia Tromentina, a Tuſcorum Campo Tromento. Viceſima quarta Sabatina, a lacu Sabate. Viceſima quinta Arnienſis, a Tuſco flumine Arno, ut Sigonius & Onuphrius putant. Rurſus anno CCCXCV. addita eſt tribus viceſima ſexta Pomptina, ab Agro Pomptino: & viceſima ſeptima Popillia, quæ ſcribitur etiam Poplilia, & Poblilia, & Pulilia: idque nomen Scaliger ad Feſtum deducit a Popillia fœmina; Onuphrius a loco. *c*) Anno autem V. C. CDXXI. adjecta eſt viceſima octava tribus Mæcia, a Caſtro Mæcio: & viceſima nona Scaptia, ab Urbe Scaptia. Et anno CDXXXV. tribus triceſima Uſentina, a fluvio Ouſente: & triceſima prima Falerina, ab agro Falerno. Acceſſerunt anno ab V. C. CDLV. triceſima ſecunda Anienſis, ab amne Aniene: & triceſima tertia Terentina, a loco quodam in campo Martio, cui nomen Terentinum. Et anno DXII. a Sabinorum lacu Velino, Velina tribus triceſima quarta: & triceſima quinta Quirina a Curenſibus Sabinis, ut Feſtus ſuſpicatur. *d*) Quamvis autem præter hæc alia ſuperſint tribuum nomina in inſcriptionibus, & veterum libris; tamen non alias tribus forte deſignant, quam deſcriptas, quibus plura ſæpe indita fuere nomina.

X. DE CURIIS.

Cum populum omnem Romulus in tres, ut diximus, tribus deſcripſiſſet, eaſdem tribus diviſit in Curias triginta; ut tribus una decem complecteretur Curias. *e*) Harum autem ſingulis certum conſtituit numerum, certaque Sacra præſcripſit, ædesque deſtinavit, in quas ſingulæ Curiæ ad communia Sacra * peragenda, epulasque

a) Val. Max. *lib. 4. cap. 4.*

b) Liv. *lib. 2. c. 16.* Halicar. *lib. 5.*

c) Liv. *lib. 8. c. 17.*

d) *Voce Quirina p. 199.*

e) Dionyſ. *lib. 2.*

* Qua parte ſimiles hæ ædes noſtris Baſilicis erant, curiones autem ſimiles noſtris Parochis. Unde Galli etiam Parochos ſuos curiones appellant, originem vocis *Curé* a curione repetentes. Quodſi cui nimia & miſera videatur diligentia, qua urbis curiæ & tribus, tam ruſticæ quam urbanæ inter juris ortus & progreſſus recenſentur, dandum aliquid animo Romano Anteceſſoris in Romano Archihymnaſio.

lasque

laſque publicas, ſumma cum hilaritate, celebrandas convenirent: ut his epulis, eaque ſacrorum communione animorum concordia coaleſceret. Ad ſacra vero pecuniam attribuit ex ærario: quique tum Sacris, tum ædibus, & ſingulis Curiis præerant, Curiones appellati. Singulæ vero Curiæ, vel a Sabinis mulieribus, vel a locis traxere nomen, vel, ut Varro tradidit, a Ducibus, & veteribus, unde populus deceſſerat, locis. Auctis tribubus, vetus tamen Curiarum numerus eſt retentus: ac propter multitudinem tantum attributa ſunt ampliora loca, ad quæ populus e veteribus Curiis anguſtioribus evocaretur; relictis tantum propter religionem in antiquis locis quatuor Curiis; nempe Forienſi, Rapta, Vellenſi, Velitia. Cum autem Curiæ ſimul cum tribubus auctæ minime fuerint; evenit, ut & Curiæ Ruſticæ nullæ eſſent: & qui erant ex municipiis, cum tribus haberent, non tamen Curiarum eſſent participes. Atque hac ratione populum deſcripſit Romulus.

XL. DE CLASSIBUS ET CENTURIIS.

Alia eſt autem a Servio Tullio cenſus auctore orta diviſio in ſex claſſes, & centum tres, & nonaginta centurias: atque in claſſibus, & centuriis conſtituendis non a locis, aut communibus Sacris, *a*) ſed a cenſu rationem * inivit. Unde in primam claſſem conjecit, qui centum millia æris, aut majorem cenſum haberet; eaque claſſis obtinebat octoginta peditum centurias; quarum quadraginta juniorum erant, totidem ſeniorum, & decem, atque octo equitum. Altera continebat centurias decem ſeniorum; totidem juniorum; & duas fabrorum: eratque intra centum usque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſus. Tertia continebat, eodem ætatis diſcrimine, peditum centurias itidem viginti, eratque cenſus millium quinquaginta: quarta continebat etiam centurias viginti, additis tubicinum duabus; eratque cenſus quinque & viginti millium. Quinta continebat triginta peditum centurias ætatis etiam ratione diſtinctas; quindecim ſcilicet ſeniorum, juniorum totidem: eratque undecim millibus cenſa. In ſextam demum claſſem conjecti fuerunt egeni, & tenues nempe proletarii, qui tantum propaganda, & alenda prole Rempublicam juvabant, ideoque dicti proletarii, & capite cenſi; quod propter inopiam caput tantum, & nomen, non autem bona profiterentur in cenſu: ejusque claſſis nulla eſt habita ratio, nullus deſcriptus, aut definitus numerus: eaque

a) Sig. *lib. 1. c. 4. de antiq. jur. Civ. Rom.* Dionyſ. Hotom. Roſin. *Antiq. lib. 6. cap. 8.*

* Notabilis hæc diviſio Servii Tullii, qua diſcrimen civium in diſparitate ponitur divitiarum, modicis inter ſingulas claſſes interjectis ſpatiis. Inde vegetior æmulatio, mater induſtriæ, ob præſentem ſpem emergendi. In primam claſſem conjecti, qui centum millia æris haberent, vel, mille unciales Imperiales aut Philippeos. Eximiæ hæ opes civis etiam ingenui viſæ ſunt in priſtina paupertate. Increbreſcentibus dein divitiis locupletes ſaltem viſi ſunt liberti, qui ultra centum millia æris ſeu mille ſeſtertia coëgiſſent, §. 2. *J. de Succeſſ. libert.* & ſic in libertis retentus & expreſſus mos antiquiſſimus in cenſu ingenuorum. In vulgus autem notum eſt, ad adumbrandum quinarium claſſium numerum, quibus bona profeſſi continebantur, teſtes totidem alienationi per æs & libram etiam in teſtamentis adhiberi ſolitos fuiſſe, unde, additis libripende & anteſtato, numerus teſtium in teſtamentis ſeptenarius, manaſſe dicitur.

Digitized by Google

pro una centuria numerabatur: ita ut centuriæ omnes numerum referrent CXCIII. Prima enim claſſis erat XCVIII. Centuriarum, ſecunda XXII. tertia XX. quarta XXII. quinta XXX. Ceterum initio populi diviſio per claſſes, & centurias minime communicabat cum altera diviſione facta per tribus: verum expletis triginta quinque tribubus, utraque partitio convenit, & claſſes, atque centuriæ collatæ ſunt in tribus: ita ut populus univerſus in tribus; tribus autem ſingulæ in quinque claſſes; claſſis autem in ſuas quæque centurias tribueretur.

XII. DE TURBA FORENSI.

Poſtremo habuit & plebs Romana *a*) ſuam fæcem, ſordiumque colluviem collectam ex egenis, quos diximus, & proletariis, ſine lare, ſine tecto, ſine ſede vagos, effuſos, egeſtate, vel pravitate, & deſperatione rerum omnium ad tumultus, & flagitia paratiſſimos, quos turbam forenſem Livius, quod in foro ad captandos legis Agrariæ rumuſculos otioſa ſtaret; Cicero urbanam plebem; Horatius, quod non toga, ſed tunica tantum ob egeſtatem uterentur, tunicatum popellum appellavit. Hos, ut mendicitatem eorum levarent, in agros publicos deducebant: hos prædæ cupidos, & ob ſummam miſeriam nullam deteriorem conditionem pertimeſcentes ſeditioſi quique, dum turbare, ac miſcere vellent omnia, in meliorum fortunas, & opes impellebant, veluti ad hoſtilem prædam. Produximus jam integrum Reipublicæ Romanæ corpus membris etiam potioribus notatis: nunc vim & poteſtatem ordinum, eorumque partes in rebus gerendis, conſiliisque publicis agitandis, condendisque legibus aperiamus. Nec me fallit, minime omnia perpetuo tenuiſſe, ſed mutationibus crebris modo inclinaſſe multa, modo convaluiſſe, atque ad plebem modo, modo ad Senatum, & Conſules recidiſſe. Verum nos ea potiſſimum oratione noſtra complectemur, quæ maxime fuere diuturna; tempusque illud potiſſimum ſpectabimus, quo firmioribus ſtetit Romana Reſpublica viribus.

XIII. DE CONSULIBUS.

Regimen igitur ea triplex præferabat; Regium in Conſulibus; Ariſtocraticum in Senatu; Populare in Tribunis & plebe. Quandoquidem Conſules ſpeciem præbebant Regiæ poteſtatis, quæ, nomine ſublato, maxime in Reipublicæ Romanæ regimen influebat. Ergo in Conſulum auctoritate, dum eſſent in urbe, urbanæ res omnes, & Reſpublica tota recumbebat. Quippe Conſulibus, præter Tribunos plebis, magiſtratus ſuberant omnes: illis introducentibus, legationes Curiam adibant: eorum conſiliis oblata negotia expediebantur: eisque referentibus gravior deliberatio ad Senatum rejiciebatur: illis juſſa Senatus perficienda committebantur. *b*) Quæ vero cum populo communicanda fuiſſent, & per populum tranſigenda, Conſulum erat maturiori conſilio antea perpendere, atque examinare, concionesque ad tempus advocare; dimiſſoque Senatu ad populum decreta Patrum, & Senatusconſulta referre; quodque major pars ſciviſſet imperare. Quamvis autem a Coſſ.

a) Sigon. *de antiq. jur. Civ. Rom. lib. 2. c. 13.*

b) Polyb. *lib. 6.* Hotom. *antiq. lib. 1. cap. de Coſſ.*

pro-

Digitized by Google

provocatio eſſet ad populum, neque liceret iis injuſſu populi animadvertere in caput civis Romani: tamen poterant coërcere ſontes, ac jubere in vincula publica duci. Dum vero ad bellum cum exercitu proficiſcerentur, rerum omnium ſummam pro arbitrio adminiſtrabant: nam ne bellicis negotiis, unde publica quies pendebat, aliquid injiceretur moræ, viſum eſt, liberam adminiſtrandi poteſtatem deferre Conſulibus: ne in re trepida inopia conſilii ſeſe implicarent. Licebat igitur iis caſtrenſem omnem diſciplinam pro arbitrio regere, tribunos militum creare, delectum habere, de publico ære per Quæſtorem, quantum uſus ferret, impendere, in caſtris ſupplicium ſumere, ſociis quantum viſum fuiſſet imperare. Conſules quoque ante præturam conſtitutam jus in Urbe dixiſſe, colligitur ex Livio, Dionyſio, Pomponio. *a*) Senatores pignoribus captis in Senatum venire cogebantur a Conſule, ut Plutarchus, & pluribus locis Cicero tradit. Porro conſularis ætas erat annorum quadraginta trium ex lege annaria. *b*) Creabantur autem comitiis centuriatis: *c*) & cum duodecim faſcibus & Lictoribus alternis menſibus incedebant; Sellam habebant curulem, induebanturque toga prætexta, quam capiebant ante Deos Penates primo magiſtratus die: *d*) ſceptrumque, ſive ſcipionem manu gerebant eburneum: *e*) & ex Urbe ad bellum paludati, votis publicis nuncupatis, proficiſcebantur. Magiſtratum inibant Kalendis Januariis, & aliquando Idibus Martiis; eorumque annuum erat imperium. Atque hæc ſunt regiæ poteſtatis reliquiæ, quæ poſt exactos Reges in Coſſ. coaluere. *

XIV. DE SENATU, ET EJUS POTESTATE.

Optimatum vero regimen Senatus exprimebat auctoritas. Etenim, ut Dionyſius refert, *f*) vetuſtiſſima lege Reſpublica omnis in Senatus erat poteſtate; præter magiſtratuum creationem, legationem, & belli paciſque arbitrium. *g*) Quo tempore, Livius tradit, populi juſſa minime fuiſſe firma, niſi patrum acceſſiſſet auctoritas; quæ poſt populi ſeceſſiones ſacratis legibus adeo fuit extenuata, ut cum antea populus auctoritate Senatus regeretur, poſtea populi juſſu Senatus confirmaretur auctoritas. Quæ autem Senatus, conſtituta Republica, populi juſſu ad

a) *Lib. 1. ff. Tit. 2 de orig. juris.*

b) Cicer. *pro Muren. & ep. 7. lib. 1.*

c) Manut. *ad epiſt. 1.* Cic. *lib. 1. verb. Hortenſii.*

d) Dionyſ. *lib. 3.*

e) Lipſius *in Not. Varior. ad Salluſt. de Bello Catil. pag. 83.*

* Sic igitur Mixta Reſpublica fuit non tantum ex Ariſtocratia & Democratia, ſed ex Optimatum populari & Regio regimine ſimul. Et regnum quidem Conſulari imperio adumbratum, niſi quod hoc annuum, illud perpetuum, quod Rex ſine collega, Conſules bini eſſent, ne aut mora aut ſolitudine imperium eorum corrumperetur. Sæpius tamen inter ſe commiſſi ſunt Senatus & Populus, quam cum Populo & Senatu Conſules. Qui formas integras deſignant, decipiuntur auctoritate modo patrum, modo plebis prævaleſcente. Ipſe hic lapſus eſt Grotius *de jur. bell. ac pac. lib. 1. cap. 3. §. 19.* quem refellit Schelius *de jur. imper. p. 38. & ſeqq.*

f) *Lib. 2.*

g) *Vid* Zamoſc. *hoc eſt* Sigonium *de Senat. lib. 2. c. 2.*

curam ſuam revocaſſet, ea ex *a*) Polybio promta breviter exponemus. Ærarium & pecunia publica Senatus arbitrio diſpenſabatur. Quæſtores enim, niſi Conſul imperaſſet, minime poterant vel ad minimos ſumtus pecuniam publicam delibare injuſſu Senatus. Controverſias præterea in Italia ſuſcitatas, ſi publica eſſent objurgatione, aut gravi decreto componendæ, Senatus ad ſe trahebat. Hinc in veteri tabula ænea, in Liguria inventa, legimus, miſſos a Senatu arbitros finium regundorum inter Genuates, & Veturios eſſe; reque cognita, Romam venire juſſos ſententiam ex S. C. dicturos. *b*) Ad bellum etiam indicendum, aliudve quid grave negotium adminiſtrandum, Legatos Senatus mittebat, & opes atque ſubſidia indigentibus populis decernebat. Quomodo exteræ legationes eſſent excipiendæ, aut dimittendæ; quidve poſtulatis reſpondendum, Senatus providebat; ut abſentibus Conſulibus, tota videretur a Senatu ſuſtentari Reſpublica. Conſulibus etiam frumentum, & veſtes, & pecunia ad militum ſtipendia ſufficiebantur; & numerus militum explebatur, & ſtatuebatur juſſu Senatus: cujus erat, confecto anno, vel prorogare imperium, vel alteri demandare provinciam. Quam Senatus dominationem ut infringeret Tiberius Gracchus tulit, ne quem plus anno provinciam conſularem tenere Senatus pateretur. *c*) Verum non tam imminutam hac in re, quam ampliatam Senatus poteſtatem a Gracchis apparebit: ſi illud animadvertemus, lege Sempronia (de qua Cicero pro domo ſua) a Cajo Graccho latum fuiſſe, ut provinciæ quotannis quidem, ſed per Senatum decernerentur; utque nemini intercedere liceret. *d*) Res ab Imperatoribus geſtas, Senatus, teſtimonio ſuo, extollere poterat, aut extenuare, vel, ſi viſum eſſet, pecuniam ad triumphum ex ærario promere: unde tum urbanæ res, tum quodam modo militares Senatui ſuberant, niſi tribuniciis interceſſionibus res devolveretur ad populum. *e*) In eo vero Senatus poteſtas excellebat maxime, quod in trepidis rebus, atque turbatis infinitam poteſtatem Coſſ. Reipublicæ adminiſtrandæ permittebat, graviſſimo illo, ac triſti Senatusconſulto, quod extremum & ultimum Cæſar appellat: *f*) *Dent operam Conſules, ne quid Reſpublica detrimenti capiat.* Quæ verba ſummum, & latiſſimum in Conſules imperium transferebant: ut ſuo jure poſſent exercitum parare, bellum gerere, coërcere quoquo modo patres, atque populum: quorum rerum ſine hoc S. C. jus minime Conſulibus fuiſſe, injuſſu populi, *g*) Salluſtius docet. Senatus voluntas Senatusconſultis continebatur: quorum conficiendorum rationem breviter explicabimus.

XV. DE SENATUSCONSULTO, ET LOCO HABENDI SENATUS.

Igitur veteres, qua erant religione, atque honeſtate, ut aberrantes animi, præſentia numinis, ad ſaniorem ſententiam ducerentur, Senatum in loco Sacro, auſpiciisque dicato, cogere conſueverunt. Romulus in templum Vulcani extra

a) *Lib. 6.*
b) *Apud* Zamoſc. *de Senat. Rom. lib. 2. c. 2.*
c) Zamoſc. *lib. 2. de Senat. p. 185.*
d) Cic. *lib. 1. ep. 7. verb. Lege Sempronia, ubi Manut.*
e) Zamoſc. *de poteſt. Senat. lib. 2. pag. 174.*
f) *Lib. 1. de Bell. Civ. c. 7.*
g) *De bello Catilin. c. 29.*

Urbem

Digitized by Google

Urbem Senatum vocabat: Hoſtilius Rex Hoſtiliam Curiam Senatui habendo deſtinavit. Pulſis Regibus, modo in templa, veluti Jovis, Apollinis, Martis, Bellonæ, Caſtoris, Concordiæ, Virtutis, Fidei; modo in Curias, Hoſtiliam, Pompejam, Juliam, (in quibus ejus rei gratia fuere templa *a*) per augures conſtituta) conſultandi cauſa Senatores conveniſſe, in veterum libris obſervamus. Audiendis autem legationibus, ne ſtatus Urbis exteris pateret, locus extra muros erat conſtitutus in æde Bellonæ, * quo conveniebant etiam, cum quis audiendus erat, qui cum imperio eſſet: cui, niſi depoſito Imperio, Urbem intrare minime licebat. Si quod vero portentum nunciaretur, ſub dio conſultabant: quia religio erat Senatum ſub tectis habere. Nicoſtratus, cujus liber, quem de Senatu ſcripſerat, injuria temporum intercidit, referente Feſto, *b*) tria olim fuiſſe Senacula tradidit, unum ubi poſtea ædes Concordiæ fuit; alterum ad portam Capenam, tertium in æde Bellonæ. *c*) Senacula autem erant in templis, aut curiis, loca auſpiciis dicata, in quibus Senatores conſidebant.

XVI. DE TEMPORE HABENDI SENATUS.

Senatui autem habendo ſtata erant præfinitaque tempora, nempe Kalendis, Nonis, Idibus, exemtis diebus comitialibus, in quibus cum populo agebatur: quo tempore per legem Pupiam non licebat haberi Senatum, *d*) ne patres a ſuffragiis ferendis avocarentur. At menſe Februario toto, Senatus poſtulatis Provincialium, & Legationibus audiendis cogebatur lege Gabinia. *e*) Et cum Senatores ſtatis temporibus conveniebant, legitimus Senatus dicebatur. Indictus autem, cum extra ordinem, ac præter conſtituta tempora, in re trepida, ad grave aliquod negotium explicandum, a majori magiſtratu Senatus indicebatur. Unde inter legitimum, & indictum ** Senatum eſt orta diſtinctio, quæ legitur apud Capitolinum in Gordiano. *f*)

XVII. DE VOCANDO SENATU.

Vocabatur autem Senatus a majori magiſtratu, qui eſſet in Urbe, nempe a Dictatore, quando in magno Reipublicæ diſcrimine creabatur; vel ab eo Conſule, penes quem faſces eſſent illo menſe. Conſulibus autem abſentibus, a Prætore, qui ſecundum Conſulem potiorem obtinebat in Urbe locum; ita ut in Conſulis locum, eo abſente, ſuccederet: eademque ratione, dum rebus præeſſent Decemviri, vel Tribuni militares, vel Interreges, vel Triumviri Reipublicæ conſtituendæ cauſa creati, per hos haberi Senatum oportebat. *g*) Quæ Agellius ex Varrone retulit.

a) Agell. *lib. 14. c 7.*

* Ne in urbem intromiſſi occulta ejus rimentur mala, dein turbam irritent & omnia miſceant.

b) *Verba: Senacula.*

c) Feſtus.

d) Cic. *lib 1. Epiſt. ad Lentulum, & ad Quintum Fratrem.*

e) Cic. *lib. 2. ad Quintum Fratrem.*

** Legitimo quoque Senatui, cum in Urbe eſſet, ſemper interfuiſſe dicitur Hadrianus *apud Spartianum in Vita ejus c. 8.*

f) Hotom. *de Antiqu. lib. I. de Senat. cap. 5.*

g) *Lib. 14. cap. 7.*

Digitized by Google

tulit. Illud quæſitum quoque ſcripſerat Varro, an majoribus magiſtratibus abſentibus, atque etiam Prætore, jus hoc devolveretur ad Præfectum Urbis, qui proximum a Prætore poteſtatis gradum obtinebat, Senator tamen non erat. Et a Præfecto Urbis Tuberonem, & Capitonem *a*) contra Mutium ſtetiſſe legimus: cum & Tribunis plebis ante Atinium plebiſcitum, quo Senatores facti ſunt, Senatum habendi jus fuiſſet.

XVIII. DE JURE REFERENDI, SENTENTIASQUE ROGANDI.

Porro qui Senatum habebat, is jure ſuo referebat; ac ſi detrectaret, eas partes Tribunus plebis ſuſcipiebat, *b*) cui & jus erat, aut addere quod viſum erat relationi Conſulis; aut eam perſequi, aut novam exordiri. Sententiam autem rogabant ante comitia quidem princeps Senatus, poſt comitia vero Coſſ. deſignati, & eorum is, qui prior fuerat renunciatus: Secundum hos, ii qui Conſulibus rogantibus viderentur: modo ne gradus magiſtratuum negligerent, ac ne Prætorium Conſulari, Ædilitium Prætorio, Tribunitium Ædilitio præferrent. Atque is eſt rogandi ordo conſtantior: ceterum hac in re in Senatu variatum fuiſſe, pluribus ex veterum teſtimoniis comprobat *c*) Paulus Manutius: etſi Coſſ. deſignatorum, Conſularium, & Magiſtratuum, ex ordine ante omnes habitam plerumque rationem fuiſſe non ambigitur. Moris autem erat, ut quem ordinem *d*) rogandi Conſul initio Magiſtratus inſtituiſſet, eum toto anno teneret: unde novum fuit in C. Cæſare, ut cum conſueviſſet a Craſſo initium rogandi facere; poſt junctam affinitatem, honorem hunc tranſtulerit in Pompejum; quod Suetonius tradit; quem locum ſic accipio, ut e Conſularibus Craſſum, & Pompejum primos poſt Coſſ. deſignatos, rogatos cenſeam a Cæſare. Alioqui falſum eſſet, quod ex Agellio & Cicerone colligitur; nimirum Coſſ. deſignatos primo loco rogatos fuiſſe ſententiam. In quo Suetonii loco explicando, mire ſeſe verſat Princeps Romanæ antiquitatis *e*) Manutius. *

XIX. DE DICENDA SENTENTIA, ET S. C. PER DISCESSIONEM.

Poſt rogationem a Conſule, aut alio ex majoribus magiſtratibus factam, ſententiam dicebant ſtantes, ea libertate, ut non modo ſermones interponere poſſent alienos, ſed novos inſtituere, atque ad veſperam producere: ita ut cum non lice-

a) Agell. *lib. 14. cap. 8.*
b) Cic. *orat. pro Sext. & in epiſt. ad Planc. lib. 2. ep. 1. ad Q. Frat. & epiſt. 2. lib. 1. ad Lent.*
c) *De Senat. Rom. c. de ord. rog. ſent.*
d) Sueton. *in Jul. Cæſ. c. 21.*
e) *De Sen. Rom. c. eod. ut ſup.*
* Notatur hic Manutius, nec tamen ſine eximiæ laudis mixtura. Idem paulo antea laudabatur. Quare concidit convicium inimicorum Gravinæ, qui inter cætera ei exprobrare ſolebant, multa ſe ex Manutio hauſiſſe, nunquam appellato ejus nomine. Eundem jam in Notis excitaverat ſupra *ad c. 2. ſin. & ad c. 13.* Fugit id auctorem Elogii Gravinæ *in Giornale de Letterati d'Italia.*

ret,

Digitized by Google

ret, neque ante ortum Solis, neque ſub occaſum Senatusconſultum condere, *a*) qui moram negotiis vellent injicere, diem dicendo eximerent: * quod ſæpe Marcus Cato contra deteriores, & Pub. Clodius adverſus meliores feciſſe feruntur, dicebantque ſententiam ſuo quisque loco. Sedendi autem is erat ordo, ut primi ſederent Conſules, Prætores, & proximi Prætoribus Cenſores, quibus Manutius ex auctoritate Meſſalæ in libris, quos ſcripſerat de auſpiciis, ſecundum tribuit a Prætore locum. Poſt hos, qui minores magiſtratus gererent Ædiles curules, Ædiles plebis, Quæſtores, atque infra hos forſan Tribuni plebis, quia vere magiſtratus non erant: quamvis nihil adhuc certi compererim. Deinceps qui defuncti erant magiſtratibus pro dignitatis gradu, nempe Conſulares, Prætorii, Ædilitii, Quæſtorii, cumque his etiam ii, qui magiſtratus minime geſſerant; ſed vel deſignatum, vel magiſtratu functum accuſaſſent, nocentemque probaſſent: qui accuſationis præmio, in deſignati locum & dignitatem ſuccedebant. Si Senator plures res, diverſaque capita una ſententia complecteretur; tum ab eo poſtulabatur, ut divideret ſententiam, ac de ſingulis rebus ſeorſum referret. *b*) Neque ei, qui diviſionem poſtulabat, oratione longa erat utendum, aut conſurgendum: *c*) ſatisque erat, ſi imperaſſet *divide*. Dictam autem ſententiam Conſulis erat pronunciare, ut in quam vellent partem Senatores diſcederent, quo S. C. fieret: eaque in Senatu Conſulis erat auctoritas, ut liceret ei dictas ſententias vel pronunciare, vel ſi contra rem ſuam venirent, ſupprimere, ne in eas S. C. fieret. Hinc Cæſar libro primo de bello civili ſcribit: *Lentulus Conſul ſententiam Calidii pronunciaturum ſe omnino negavit.* Sententiam vero hac exordiri conſueſſe formula: *Quod verba facta ſunt de literis:* hac autem concludere, *de ea ita cenſeo*, ex Ciceronis Philippicis, ubi plura extant exempla, colligitur. Ubi conſul ſententiam pronunciaſſet, ut probantium, vel rejicientium judicia cognoſceret, Senatum diſpertiebat his verbis: *Qui hoc ſentitis illuc tranſite: qui alia omnia in hanc partem.* Nam omninis cauſa refugiebant pronunciare *contrarium:* unde id per hanc formulam *in alia omnia* exprimebant. Itaque Senatores mutabant locum, & eo concedebant, ubi recitata erat ſententia, quam quisque comprobarat. Similem in ſuffragiis ferendis diſceſſionem in Lacedæmonum Republica primus inſtituit *d*) Sthenelaidus Ephorus, cum antea ſententiam ſuam voce ſignificarent. In eam autem ſententiam S. C. condebatur, in quam frequentior numerus Senatorum diſceſſerat. Et ſi de re levioris momenti, aut minime dubia Conſul referret; ne tempus in exquirendis ſententiis duceretur, juſſu Conſulis in eam, quam ille pronunciaſſet ſententiam, tacite diſcedebant: idque vocabatur S. C. per diſceſſionem. Quam-

a) Cic. *Phil.* 3.

* Quod tum demum contigiſſe veriſimile eſt, cum reſpublica ingentibus motibus inteſtinis concuteretur. In fedata enim Urbe moram negotiis dicendo injici, ſermones interponi a re alienos, imo inſtitui novos & ſic ortum occaſumque ſolis in eadem conjungi rogatione, alienum videtur a gravitate Ampliſſimi Ordinis. Nec minus mirabilis videbitur, dum diem dicendo eximit Senator, eſuriens Conſul, quam ſuſpiciendus olim videbatur Zeno, quod eſurire doceret & diſcipulos inveniret.

b) Pædian. *in Miloniana.*

c) Plin. *ep. ad Ariſton. lib.* 8.

d) Thucyd. *lib.* 1.

Digitized by Google

vis enim ad omne S. C. diſceſſio fieret; tamen ſi ſingulárum ſententiarum recitatio diſceſſionem non præceſſiſſet, diſcriminis gratia, S. C. per diſceſſionem appellabatur: quod ſcilicet non ore, ſed pedibus tantum ſententia ferretur, iisque judicium animi ſignificaretur. Ex quibus conficitur, Tuberonem, qui omnia S. C. per diſceſſionem fieri dixerat, minime cum Varrone pugnare, qui alia S. C. per relationem, alia per diſceſſionem fieri animadverterat; quod ſcilicet in aliquibus interveniebat diſceſſio, & recitatio: in aliis vero, recitatione omiſſa, ſola diſceſſio.

XX. DE JUSTO SENATORUM NUMERO.

De numero Senatorum ad S. C. faciendum neceſſario, niſi augurari velimus, nihil ex veteribus libris compertum nobis eſt, quod certo auſimus confirmare. *a)* Sane ſcribit Dio, Auguſtum, cum videret minus frequentes eſſe Senatores, ſtatuiſſe, ut S. C. fierent minori Senatorum numero, quam quadringentorum: cum antea rata non eſſent S. C. quibus minimum quadringenti Senatores non adfuiſſent. Verum Prudentius trecentos tantum judicat juſtum fuiſſe numerum.

Hic conſulta Patrum conſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore, quam ſi
Tercentum ſenſiſſe Senes legerentur in unum.

At hic locus magis ad numerum ſententiarum, quam ad numerum Senatorum pertinere videtur. Certum vero numerum fuiſſe ad S. C. neceſſarium, inde colligitur, quod mos erat, ut quivis Senator, qui S. C. impedire vellet, dicere Conſuli poſſet *b) Numera Senatum.*

XXI. DE CONSCRIBENDO SENATUSCONSULTO.

Diſceſſione facta, S. C. ſcribebatur expreſſo nomine illius, in cujus ſententiam fiebat, expoſitaque ſummatim re, de qua fuerat conſultatum: ut ex his veterum Scriptorum ſuperſtitibus exemplis: *c) Quod M. Marcellus Coſ. verba fecit de Provinciis:* vel: *Marcus Pomponius conſuluit:* vel: *Quod verba facta ſunt de Philoſophis, & Rhetoribus.* Scribendo aderant non omnes, qui probaſſent; ſed ii, qui majorem ſententiæ recipiendæ operam navaſſent. Formula enim quædam S. C. quæ extat in epiſtola Cœlii ad Ciceronem, oſtendit, ſcribendo paucos affuiſſe, cum plures conſenſiſſent. *d)* Addebatur & T. litera, qua ſignificaretur idem & Tribunos plebis cenſuiſſe: ſive non eſſe interceſſum; ideoque S. C. firmum eſſe. Eorum, qui aderant, nomina S. C. adſcribebantur, dicebanturque auctoritates perſcriptæ: quia clarorum virorum nomina perſcripta magnam S. C. tribuerent auctoritatem.

a) Lib. 54. in fin.
b) Hotom. *antiq. lib. de Senat. 1. cap. 7.*
c) Hotom. *de Senat. lib. 1. cap. 8.*
d) Hotom. *de Sen. lib. 1. cap. 9.* Manut. *de Sen. Rom. cap. ult.*

XXII.

Digitized by Google

XXII. DE ADSERVANDO S. C.

Scriptum S. C. initio quidem deferebatur in ædem Cereris; poſtea vero in ærarium, ubi leges, & pretioſiſſima quæque Urbis aſſervabantur: neque ante ratum erat, quam in ærario conderetur. *a*) Qui mos aſſervandi S. C. fuit inſtitutus ab Horatio Valerioque Coſſ. qui S. C. in ædem Cereris deferri juſſerunt: ne deinceps, arbitrio Conſulum, ut antea, corrumperentur, aut ſubducerentur. Scribendis S. C. operam dabant ſcribæ; niſi quid S. C. ineſſet, quod vulgari minime conveniret: id enim tum Senatoris manu ſcribebatur, excluſis etiam pedariis, quod tacitum S. C. fuit appellatum, ut tradit *b*) Capitolinus.

XXIII. DE IMPEDIMENTO S. C. SIVE DE INTERCESSIONE TRIBUNI.

Senatusconſultis conficiendis impedimento erant interceſſiones eorum, qui vel eadem eſſent poteſtate, qua ii, qui S. C. facere vellent, vel majore: unde Conſul Conſuli, Prætor Prætori; ac denique Tribuni plebis, pro poteſtate ſibi ſacrata lege tributa, quamvis ex minoribus eſſent magiſtratibus, obſiſtere poterant omnibus, edita voce *Veto:* ita ut vel ab uno Tribunorum, quamvis ceteri conſentirent, S. C. impediretur; ac tum Senatus voluntas perſcripta cum nominibus eorum, qui intervenirent, Senatus auctoritas, ad comprobandam Senatus voluntatem, dicebatur; resque rejiciebatur ad populum, cujus erat, vel Tribunorum interceſſionem, vel Senatus auctoritatem comprobare. Quod ſi Senatus cum populo conveniret; tum leges ex S. C. condebantur; cujusmodi non paucas licet invenire. *c*) Nec tamen ſi qui temere intercederent, id eis erat impune: cum enim interceſſio in rem non eſſet publicam, aut remittere cogebantur eam, aut pœnam aliquando ſubire. *d*) Scribit enim Cæſar, in Senatu de Tribunis plebis graviſſime fuiſſe decretum. Ceterum cum ante Atinium plebiſcitum Tribunis plebis, qui a Cenſoribus lecti non eſſent, minime Curiam ingredi liceret; ſolebant Tribuni ante valvas Curiæ, poſitis ſubſelliis, decreta patrum examinare, quod Valerius tradit. *e*) In cujus explicatione loci, mire ſe torquet Paulus Manutius: cum, ſi retuliſſet mentem ad Atiniam legem, ante quam legem Tribunus plebis, ſine lectione cenſoria, Senator non erat, explicare ſe facile potuiſſet.

XXIV. DE SENATUS DECRETO.

Si qua vero de re privata S. C. conſcriberetur, ſæpe Senatus decretum appellabatur: cum id, quo publica negotia comprehendebantur, nunquam decretum, ſed S. C. diceretur. Sunt, qui putarint, caput aliquod S. C. appellari decretum, quam ſententiam *f*) Aelio Gallo Feſtus aſſignat.

a) Sueton. *in Auguſt.*
b) Hotom. *de Sen. lib. 1. c. 9.*
c) Manut. *ibid.*
d) Cic. *ad Att. lib. 2.* Cæſar *de bello civil. lib. 1.*
e) *Lib. 2.*
f) Manut. *de Sen. c. ult.*

XXV. DE DIMITTENDO SENATU.

Factum S. C. recitabatur, ac poſtea dimittebatur Senatus his formulis: *P. C. nemo vos tenet:* vel *Nibil vos moror P. C.* tandem impetrata concione S. C. populo exhibebatur, ut populi conſenſu Senatus voluntas comprobaretur. Siquidem vix ulla de re Senatus decernere poterat adverſus populi voluntatem. Et cum initio nulla de re liceret ad populum ferri, niſi ex S. C. conſequentibus temporibus, per tribunicias ſeditiones, & diuturnas inter plebem, & Senatum conflictationes, res ea deducta eſt, ut S. C. non niſi adjuncta lege conſiſteret.

XXVI. DE RATIONE FERENDÆ LEGIS.

Nunc, ut rerum ordo fert, ad rationem ferendæ legis, agendique cum populo progrediamur. Hactenus enim, quantum ſuſcepti operis ratio fert, cum Conſulum, tum Senatus in adminiſtranda Republica, condendoque jure, poteſtatem propoſuimus: modo quæ multitudini partes in rebus gerendis relictæ fuerint, aperiamus.

XXVII. DE TRIBUNO PLEBIS.

Cum Conſulis in bello gerendo, regendaque Republ. ſummum fuerit arbitrium; tamen niſi Senatus voluntas conatum Conſulis adjuvaret, conſularis auctoritas pene jacebat: quia Senatus voluntate frumentum, veſtes, & ſtipendia ad alendum exercitum ſufficiebantur: &, ut diximus, ejus in arbitrio poſitum erat, decernere bellum, & anno jam exeunte, aut prorogare imperium, aut alteri provinciam demandare. At cum Senatus aliena Populi voluntate nihil conſtituere de rebus gravioribus poſſet, & interceſſione tribunicia S. C. vis infringeretur, ac res rejicerentur ad Populum: hinc licet intelligere, ſummum rerum arbitrium in Populo conſtitiſſe, ac omne imperium, quamvis diſtractum in plures, refluere tamen ad Populum, tanquam ad caput ſedemque ſuam. In publicis enim rebus auctoritas erat Senatus; poteſtas tamen, & majeſtas erat penes Populum. Itaque Populi præcipuum erat, non jubere modo & confirmare: ſed abrogare leges, aut emendare, decretaque Senatus munire, vel tollere. Arbiter etiam Populus erat fortunarum, & capitis, pœnæque, ac proemii diſpenſator; cum honores, & magiſtratus, juſſu Populi deferrentur, ejusque judicio, aut multa irrogaretur gravior; aut de capite Civis Romani decerneretur. Quam Populi poteſtatem præferebat Tribunus plebis, qui velut imago erat popularis auctoritatis, communisque voluntatis adminiſter, Dux, & tutela Civium, arx & præſidium libertatis. Hic ſpecie quidem, & nomine vix magiſtratus erat, imo ne magiſtratus quidem proprie; cum & Sella curuli, & juriſdictione careret, & non ad jus reddendum, ſed ad arcendam injuriam fuerit inſtitutus; re tamen & auctoritate magiſtratus erat ſummus, quia intercedendo, & vetando, ac Senatus, Conſuliſque conatibus obſiſtendo, arbitrio ſuo, curſum conſiliorum interrumpebat; atque interponendo ſeſe reſcindebat acta Senatus, pluſque quodammodo hic vetando poterat, quam Conſul imperando. *a*) Et quoniam Sacroſanctus erat, legeque Horatia latum fuerat, ut, qui

a) Dionyſ. *lib. 6.* Liv. *lib. 3. c. 55.*

eum

Digitized by Google

eum violaſſet, illius caput Jovi eſſet Sacrum, familiaque liberi liberæque ad ædem Cereris venum irent; ideo tuto manus poterat in magiſtratus injicere, atque ipſum etiam Cenſorem, imo & Conſulem in vincula ducere. Metellum enim Conſulem a L. Flavio, & Cenſorem Appium a P. Sempronio, Tribunis plebis, in carcerem ductos, ex Dione, *a*) ac Livio *b*) didicimus. Unde vocationem quidem non habebat, quod juriſdictione careret; habebat tamen prehenſionem, & viatorem. Creati ſunt initio quinque, anno ab V. C. CCLX. poſtquam plebs oppreſſa ære alieno, vexataque injuriis patrum, qui jure creditorum plebejos ſibi nexos in ſervitutem adigebant, ſeceſſiſſet trans Anienem in Sacrum montem: *c*) unde & leges ibi de conſtituenda tribunicia poteſtate conditæ, Sacratæ leges ſunt nuncupatæ. Feſtus vero ſacratas fuiſſe leges dictas ſcribit, quia ſancitum iis eſſet, ut qui Tribunos plebis violaret, Jovi eſſet Sacer. Idemque cenſet, Sacrum montem dictum, quod eum plebs, cum diſcederet, Jovi conſecraviſſet. *d*) Tulit autem eo anno L. Junius, Tribunus plebis primus creatus, & Caſſius, atque Cominius, Conſules, ut plebi ſui eſſent magiſtratus Sacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet; neve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. Adjectum eſt etiam in Aventino fœdere, altera nempe ſeceſſione ob Appii Claudii libidinem, concitante Virginio, facta in Aventinum; uti Tribuni plebis magiſtratu, exacto anno, abeuntes, totidem alios in ſequentem annum deſignarent; ſi neglexiſſent, confeſtim vivi flammis injicerentur; ſi quæ in deſignando inter eos eſſet orta diſſenſio, poteſtas prorogaretur, dum alios crearent. Lex vero Icilia, quam tulit Sp. Icilius Tribunus plebis, vetuit Tribuno ad populum concionanti contradicere, aut eum interpellare. *e*) Lata eſt & Duillia lex, ut qui plebem ſine Tribunis reliquiſſet, quive magiſtratum ſine provocatione creaſſet, tergo & capite puniretur. Auctus etiam eſt Tribunorum numerus, ut decem jam eſſent. Et quoniam non ad agendum, ſed ad reſiſtendum hæc poteſtas fuit inſtituta; *f*) ideo plus unius interceſſio pollebat, quam conſenſus ceterorum. * Solennis autem interceſſionis formula erat vox illa celebris *veto*. *g*) Et quo præſens omni tempore omnibus eſſet tribuniciæ poteſtatis auxilium, ejus domus ne noctu quidem claudebatur; neque poterat

a) *Lib.* 37.

b) *Lib.* 9.

c) Liv. *lib.* 2. *c.* 33. Onuph. *in Urb. Rom.* *p.* 153.

d) Hotom. *antiq. lib. de Magiſt. Cap. de de Tribun.* Idem *in legibus cap. Sacrata Junia.* Liv. *lib.* 3. Dionyſ. *lib.* 6. Gell. *l.* 13. *c.* 13. Diodor. *lib.* 12.

e) Dionyſ. *lib.* 7. Liv. *lib* 3.

f) Plutarch. *in Caton. uticen.*

* Sic, ut in ſola tutoris datione conſenſus majoris Tribunorum partis ſufficeret. *pr. J. de Atiliano tutore.* Quam valida vero ſpes præſidii fuerit, quæ contra inſultus patrum plebi in tribunis ſuis repoſita eſſe putabatur, inde potiſſimum apparet, quod ſacer & exſecrabilis eſſe juſſus eſt, qui Tribunum plebis violaſſet. Quare Imperatores, cum Sacroſancti eſſe cuperent, nullum nomen invenerunt arcendæ injuriæ aptius, quam illud Tribuniciæ poteſtatis, quam partem maximam Regalis imperii appellat Flavius Vopiſcus *in vita Taciti c.* 1.

g) Plutarch *probl.* 8. Halicarnaſ. *lib.* 8. Gell. *lib.* 8. *c.* 2. Macrob. *lib.* 4. Saturn. *c.* 3. *Vide quæ diligenter* Cujacius *ad l.* 2. *ff. de verb. ſignif. ſive lib.* 1. *Pauli ad edictum.*

Tribunus integrum diem Urbe abeſſe, niſi Latinis feriis, ut ad eum adverſus injurias perfugium ſemper, & unicuique pateret, tanquam ad portum periclitantium, & aram ſalutis, atque anchoram publicæ ſecuritatis. Quo pacto principes, quo ſe publico præſidio, ac totius ferme populi auctoritate munirent, tribuniciam ſibi poteſtatem arripuerunt: itaque non armis ſolum, ſed vi, ac jure populari exorientis imperii radices perpetuo confirmarunt. Dictatore creato, cum omnes magiſtratus ceſſarent, hic tamen unus permanebat. Conciderat ſane ſub Sylla Tribunorum plebis poteſtas, tantum non intercedendi facultate ſublata; ſed eam demum reſtituit Cn. Pompejus. Ita vero magiſtratus hic popularis erat, ut a plebejis avelli nunquam potuerit, & transferri ad Patricios: nemoque niſi plebejus creari poterat: cum ad alios omnes promiſcue plebeji, ac patricii vocarentur.

XXVIII. DE COMITIIS.

Nunc quomodo plebs, & populus duce, ac vindice Tribuno majeſtatem, ac poteſtatem ſuam ad leges condendas conferret, explicabimus. Senatores quidem in curiam, ut diximus, ac plebeji evocabantur in campum, comitium, & forum. Cumque pars populi conveniret, conſilium; cum autem populus coiret univerſus, comitia dicebantur; ac centuriata comitia in campo Martio; curiata in Comitio, quod erat foro adjunctum, imo & ipſum pars aliqua fori, cujus initium a Palatii porta; tributa *a*) vero habebantur vel in campo, vel in Comitio, vel aliquando in Capitolio, vel in pratis, vicoque Flaminiis. Nihil enim referebat extra ne, an intra pomœrium cogerentur: cum alia comitia ſumma religione certis eſſent locis alligata. *b*) Cum vero conſilia populi, & judicia conventusque judicum celebrabantur comitiis centuriatis: ratio ſuffragiorum non ex ſingulis hominibus inibatur, ſed ex ſingulis centuriis; ut quod plures centuriæ populi ſciviſſent, id ratum juſtumque eſſet: ſicuti & in curiatis, quod plures curiæ; & in tributis, quod plures tribus comprobaſſent, id erat firmum. Comitiorum omnium curiata ſunt antiquiſſima; quippe quibus imperii fundamenta jacta ſunt, & a priſcis Regibus ante Servium Tullium, qui comitia centuriata, & centurias inſtituit, juſſæ leges, creati magiſtratus, bellum & pax conſtituta, ſummaque Reipublicæ adminiſtrata: ita ut ſequentibus temporibus, in quibus curiata comitia obſoleverunt, ac tantum religionis cauſa perſtiterunt, quod iis major ineſſet ſacrorum & auſpiciorum auctoritas: tamen aliis in rebus, ad ſpeciem ſaltem, retenta fuerint: ut cum ſummum magiſtratibus imperium centuriatis obtigiſſet comitiis, tum demum pleno, atque optimo jure datum eſſet, ſi lex acceſſiſſet curiata: quæ non quidem veris, ſed per triginta lictores, triginta curias referentes, adumbratis comitiis ferebatur; ita ut binis comitiis de majoribus Reipubl. negotiis cum Populo diſceptaretur; quorum priora, nempe centuriata vera erant; poſteriora, nempe curiata in ſpeciem uſurpabantur. Quam vetuſti moris notitiam, optimis ſane conjecturis, elicuit Nicolaus Gruchius ex M. Tullii locis, *c*) quibus in eandem ſententiam & Hotomannus

a) Marlian. *lib. 3. c. 17. & 2. epit. Topograph. Urbis.*

b) Pollet. *hiſt. for. Rom.*

c) Cic. *de leg. agr. 2.* Hot. *lib. 3. cap. 11. Antiq. Rom. de Comit.*

fuit

ſuit adductus. Qua de re acriter inter Gruchium, & Sigonium dimicatur. Atque ut concludamus breviter, magiſtratibus majoribus, qui centuriatis; minoribus, qui tributis comitiis creabantur, poteſtas accedebat plenior ex curiatis in ſpeciem uſurpatis, tanquam ex ſolennitate majori, atque umbra quadam veteris majeſtatis. Tributis comitiis, non ſolum Urbani magiſtratus, minores ſcilicet, ſed & Provinciales creabantur omnes, & Pontifices Maximi, Augures, Fœciales, Septemviri epulonum, & quindecim viri Sacris faciundis: atque in horum Sacerdotum creatione tribus ad ſuffragium vocabantur: cum alii Sacerdotes a ſuis Collegis cooptarentur. *a*) Iisdem comitiis ferebantur & plebiſcita, quæ ad ſolam plebem pertinebant ante legem Hortenſiam, *b*) qua, ſedatis diſcordiis, juris diſcrimen inter patricios, & plebejos fuit omnino ſublatum. Cum enim prius plebiſcitis, ſive rogationibus tribuniciis a plebe tributis comitiis adprobatis, plebs ſola teneretur; Q. Hortenſius Dictator tulit, ut deinceps iis etiam Patricii obligarentur, indeque inter leges, & plebiſcita diſcrimen evanuit. *c*) Cum autem Tribuni plebis legem tributis comitiis ferrent, jus evocandi ad ſuffragium Patricios non habebant; liberum tamen erat Patribus ſuffragium inire. Summa vero vis comitiorum, & poteſtas, atque majeſtas Populi Romani collata potiſſimum eſt in centuriata comitia, in quibus ferebantur eæ rogationes, quæ proprie dictæ ſunt leges, quæque plerumque vel ex S. C. vel Patribus auctoribus, a majori magiſtratu rogabantur. *d*) Q. enim Publilius Philo Dictator tulerat, ut legum centuriatis comitiis ferundarum ante ſuffragia Populi, Patres auctores fierent. *e*) Unde juſſa totius Populi, quæ proprie leges dicebantur, his ſunt edita comitiis. Stante igitur Republica Romana, juris diviſio commode duci poteſt a Senatu, Plebe, & Populo. E Senatu autem prodiere S. C. E tributis comitiis, quæ plebs cum ſuo Tribuno celebrabat, plebiſcita: ex univerſis tandem Populi ſuffragiis in comitiis centuriatis, auctoritate plerumque Senatus præeunte, leges extiterunt. Centuriatis autem comitiis majores magiſtratus, * nempe quorum majora, ſeu rata magis erant auſpicia, creabantur, *f*) ut Coſſ. Præt. Cenſ. inque iisdem exercebantur judicia perduellionis: *g*) quod crimen erat hoſtium patriæ. Porro Comitia centuriata legum rogandarum cauſa ſolis *h*) Coſſ. Dictatoribus, Prætoribus, Interregibus habere jus erat, præ-

a) Hot. *Ant. lib. 2. cap. 12.*

b) *An Horatiam, vide DD. ad l. 2. ff. de orig. jur.*

c) Manut. *de leg. p. 864. poſt* Roſinum.

d) Paul. Manut. *de leg pag. 860.*

e) Liv. *lib. 8. cap. 12.*

* Majores igitur Magiſtratus, quales erant Dictator, Conſul, Prætor, Cenſor, in Comitiis primum Centuriatis legebantur, dein in Comitiis Curiatis, quæ a XXX lictoribus, totidem Curias referentibus, repræſentabantur, lege Curiata Imperium nacturi. Magiſtratus contra minores, quales erant Tribuni plebis, Ædiles, Quæſtores, & magiſtratus provinciales in comitiis Tributis creabantur, antequam in Curiatis confirmarentur. Majores porro auſpiciis majoribus, Minores minoribus uſi in comitiis Curiatis, Gellius *Noct. Attic. XIII, 15.* quorum illa ab avibus majoribus, veluti aquila, vulture; hac a minoribus, veluti columba, bubone, dicta videntur.

f) Gell. *lib. 13. cap. 14.*

g) Val. Max. *lib. 6. c. 5.* Liv. *lib. 6.* Cic. *pro Sext.* Sigon. *lib. 3. de Judic. Rom. c. 5.*

h) Roſin. *eod. l. de com. c. 10.*

miſſo

miſſo edicto, ut Populo innoteſceret, ad quam diem in campum Martium convenire deberent: *a*) ad quam ab edicti die trinundinum intercedebat, ſive tres nundinæ. Nundinæ autem erant nono quoque die, quo Cives in re ruſtica occupati ab agris negotiorum cauſa confluebant in Urbem. Hinc ille comitiis dictus erat dies, quo teneri plebs in Urbe poterat, & interim, interjecto tempore, de lege deliberarent inter ſe. Quoniam autem ipſo nundinarum die haberi comitia non licebat, protrahebantur in ſequentem. Nundinas enim Jovis fuiſſe ferias aliqui putarunt: unde Julius Cæſar ſcripſerat, eo die cum populo agi nefas eſſe. *b*) Eadem dierum ratio, & in plebiſcitis obſervabatur.

XXIX. DE LEGUM FERENDARUM EXAMINE.

Interea laturus legem, ſive Tribunus plebis eſſet, ſive magiſtratus major, eam cum prudentibus, ac neceſſariis ſuis communicabat, ne civium offenſionem incurreret; neve novam legem contra morem majorum proponeret. Cavendum ei namque erat, lege Licinia, & Ebutia, ne quod ſibi, aut cognatis, affinibusve ſuis commodum nova lege captaret. Item cautum erat lege Cæcilia, & Didia, ne per Saturam (quod cibi genus erat ex variis cibis paratum) ſive pluribus, variisque de rebus, una rogatione lex ferretur; aut ne quid infereretur legi, de quo legem ferri non liceret. Unde hac utebantur ad omnes leges tranſlatitia formula: *Si quid jus non fuit rogari, ejus hac lege nihil rogatum;* & illa: *c*) *Si quid contra alias leges ejus legis ergo latum eſſet, ut ei qui eam legem rogaſſet impune eſſet.*

XXX. DE PUBLICATIONE LEGIS, CONCIONE, ET SORTITIONE, ET SUFFRAGIIS FERENDIS.

Scriptam legem laturus, ſi ab optimatibus ſtaret, eam ad Senatum referebat: ut ſi a Senatu probaretur, ferendam legem opinio prudentiæ commendaret: ſi legislator popularis eſſet, & turbulentus, rogationem, neglecto Senatu, meditabatur. Antequam autem rogationis cauſa concio advocaretur, lex erat promulganda, ſive publice proponenda, ut ſingulis poteſtas cognoſcendi fieret, aut corrigendi, admonendique magiſtratus. Poſt ſi tributis comitiis ferri oporteret, populus a Tribuno in forum; ſi vero roganda eſſet comitiis centuriatis, in Campum Martium Cives a majori magiſtratu convocabantur: ubi præco, ſubjiciente Scriba, legem recitabat. Deinde, niſi pro poteſtate tribunus plebis impediret, orationes ad ſuadendam, aut diſſuadendam legem habebantur a magiſtratibus, vel ab ipſo latore legis, vel a privatis, quibus concionandi poteſtas facta eſſet a magiſtratu aliquo. Nam injuſſu magiſtratus privatis nullus erat dicendi locus. Qui vero ſuadebant, auctores legis dicebantur. Ubi eſſet peroratum præſentibus Sacerdotibus, & divina procurantibus, poſtquam de Cœlo ſervatum eſſet, * auſpiciis captis, urna

a) Cic. *pro domo ſua.*
b) Macrob. Saturn. *lib. 1. c. 16.*
c) *De his, & ſequentibus teſtimonia vide apud* Manut. *de leg.*

* Seu, poſtquam obſervatum eſſet, an ſignum de cœlo infauſti aliquid portenderet. Sic Jove fulguriante cum populo agi nefas erat, & mali ominis habebatur occur-

vel

Digitized by Google

vel ſitella deferebatur, qua exciperentur nomina Tribuum, ſi tributa: centuriarum, ſi centuriata comitia eſſent; eaque urna leviter verſabatur, ut ſortes æquarentur, ne ulla exiliret, aut ſubſultaret. Æquatis ſortibus, ſortitio fiebat, & quem ſors dederat ordinem Tribus, vel centuriæ tenebant. *a*) Sane ſub Tullio Rege, qui ut centurias, ita & centuriata comitia inſtituit, primæ ad ſuffragium vocabantur maximi cenſus centuriæ in prima, & ſecunda claſſe deſcriptæ; quæ, quia reliquas numero exuperabant, ideo illis conſentientibus ceteræ omittebantur. Sin diſſentirent, ciebatur tertia claſſis; deinceps quarta, donec ad inopum centurias, quod raro vel nunquam contigit, perveniretur. Etenim ſæpe primarum centuriarum ſuffragiis negotium conficiebatur. Mutata vero ſequentibus temporibus ratio eſt. Etenim inſtitutum fuit, ut quæ prima centuria, vel tribus ex urna educeretur, ea ſuffragium ante alias ferret, & prærogativa diceretur. Cujus ſententiam centuriæ, ac Tribus reliquæ ſuis plerumque ſuffragiis complectebantur; quæque tribus, vel centuriæ poſt prærogativam ad ſuffragia evocarentur, ex jure vocatæ dicebantur: ut binis eodem tempore comitiis quodammodo (id quod Aſconius obſervat) *b*) cum Populo ageretur: prima erant prærogativarum; altera jure vocatarum ſententias prærogativarum ferme comprobantium. Et quoniam procedentibus temporibus, ut diximus, centuriæ tribubus ſunt incluſæ; ideo primo tribuum, poſt ejus tribus, quam ſors dediſſet, fiebat ſortitio centuriarum; ut pateret, quæ, quave de tribu eſſet prærogativa centuria. Unde quæ prima e tribubus exiſſet, dicebatur prærogativa tribus; quæ ex eadem tribu centuria exiſſet prima, prærogativa centuria vocabatur. Porro ejus, qui de prærogativa tribu rogaretur primus a magiſtratu, major erat exiſtimatio, & ſplendor: unde ille honoris gratia dicebatur Primus. Neque enim cuilibet honos hic habebatur; ſed gravioribus tantum Civibus. Dum autem comitia celebrarentur, initio quidem fuerat conſtitutum, ut aliquot intra urbem armati vias cuſtodirent: poſt ut armorum periculum ex urbe removerent, exercitum aliquem, cum intra urbem non liceret, extra urbem, ſublato vexillo, in Janiculo collocarunt: non tam credo ad arcendam, ut ſcriptores tradunt, hoſtium vim, ſi qua immineret; quam ad compeſcendos armatis paratisque militibus civiles motus, ſi qui ferendis ſuffragiis, aut diſſenſione ſententiarum, aut partium ſtudio tumultuarentur. Ad exercitum autem milites per ſucceſſionem poſt latum ſuffragium accedebant. Atque ad uſurpationem vetuſtatis receptum fuit, ut Conſul, veluti Dux exercitus, extra Pomœrium tabernaculum haberet. *c*) Dum comitia maxime ferverent, dirimebantur ſtatim, ſi tonitru

ſus avis inviſæ, veluti bubonis. Servare autem pro obſervare arufpicum vocabulo dictum, &, quamdiu de cœlo ſervabatur, nihil agi poterat; quicquid actum eſſet, irritum erat, donec appareret. obnuntiationi auſpiciorum contrariorum locum non eſſe. Cic. *Phil. II*, 32. *Quisquam, ne*, inquit, *divinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de cœlo ſervare conſtituit.* Quare fallitur Manutius, cum in Quæſitis per epiſtolam in Gruteri *Lamp. Crit. T. IV. p.* 213. comitia, in quibus de cœlo ſervatum eſſet, plane nulla fuiſſe, cenſet. Si enim ſervando de cœlo intelligi debet, utrum auſpiciis aliquid vitii inſit, utique valida erunt comitia, in quibus de cœlo ſervantibus nihil vitioſum occurrerit.

a) Dionyſ. *lib.* 4.

b) *c.* 2. *in Verr.*

c) Dionyſ. *lib.* 37.

Digitized by Google

exaudiretur, aut quis morbo herculeo, qui ex ea re comitialis fuit appellatus, corriperetur: ac prodebatur, ſive protrahebatur dies comitiorum, ſi adhibitus de more augur obnunciaret, ſive adverſa renunciaret auſpicia; ſi tribunus intercederet, ſi conſul ſupplicatione decernenda, indicendisque feriis comitialem diem eximeret. Comitiis autem coactis, ſortitione tribuum, & centuriarum facta, confuſus populus in ſuam cujusque tribum, ordinis cauſa, remittebatur ab eo, qui legem ferebat, his ſolennibus verbis: *Diſcedite Quirites.* Atque ubi ſuam quisque tribum repetiiſſet, ferebatur ſuffragium, olim quidem voce; poſt tabellariam vero legem duæ ſingulis civibus tabellæ diribebantur, ſive diſtribuebantur a diribitoribus, ſive diviſoribus: quarum altera novam legem improbabat antiqua probando, ac propterea inſcripta erat hac nota *A:* ſive *Antiqua probo;* Altera legem probabat novam, inſcriptaque erat hac nota *V. R.* ſive: *uti rogas.* Ne qua vero fraus in tabellarum diſtributione lateret, privati aliquot homines, qui de lege laborabant, aut diribebant, ipſi, aut de pontibus diribentibus præſidebant. Extruebantur enim in Campo pontes multi, ſive anguſtæ quædam ſubſtructiones e tabulatis ſolo editæ. In horum pontium capite imponebantur ciſtæ plenæ tabellis, quæ ſuffragium laturis miniſtrabantur: in extremis vero pontibus aliæ ciſtæ, in quibus ferentes ſuffragium tabellas quisque ſuas deponebant. Hinc natum, ut ſexagenarii de ponte a junioribus dejicerentur: quia nullo jure illi ad munera publica cogebantur. Hinc depontani ſenes, hoc eſt e ponte dejecti. Totidem autem extruebantur pontes, quot eſſent in tributis comitiis tribus, nempe XXXV. in centuriatis centuriæ, nempe CXCIII. Per eos igitur pontes tranſeuntes, acceptas in prima pontis parte tabellas in extrema reddebant: itaque ſuffragium ferebatur. *a*) Igitur, ubi ſors prærogativam indicaſſet centuriam, vocabat eam præco ad ſuffragium. Illa vero movens concedebat in locum prope Tribunal in Campo Martio cancellis ſeptum, quod ovile * dicebatur: eoque ſuffragium laturi pergebant per pontes: in quorum capitibus diſpoſiti erant diribitores, qui tabellas ſingulis traderent. Ad ovilis autem oſtium ſtabant rogatores cum ciſtis, in quas populus conjiceret tabellas, utram quisque vellet: quibus conjectis a ſingulis centuriis, tum ſuffragia numerabantur a cuſtodibus, qui ea punctis notaverant: ** ut ea tribus, aut centuriæ ſententia renunciaretur, in quam plura ſuffragia convenirent; ea reticeretur, quæ paribus eſſet diſtracta ſuffragiis, niſi de perduellionis crimine ageretur. *b*) Tum enim reorum cauſa, paria ſuffragia abſolutionis ſententiam præferebant. Hæc autem dinumeratio tabularum, & punctorum notatio, dicebatur quo-

a) Roſin. *lib. 8. cap. 2.*

* Quo centuriæ, tanquam ſeptis, caulave grex continebantur. Formam ejus cum pontibus & ſuffragatore, accepta a diribitore tabella ſuffragium ſuum in ciſtam conjiciente, exhibet numus P. Licinii Nervæ, apud Fulvium Urſinum *Fam. Rom. edit. Patin. p. 149.* Adde Vignol. *Diſſert. de col. Antonini Pii c. 2.* Quodſi alio loco Comitia, quam in campo Martio habebantur, extenſis is funibus ſepiebatur, quem περισχοίνισμα appellat Appianus *Civil. III. p. 885. edit. Tollii.*

** Unde puncta ferre Cicero dixit *pro Plancio c. 22.* Notiſſimum illud Horatii,

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

b) Dionyſ. *lib. 1.*

Digitized by Google

que diremtio ſuffragiorum, & dirimere ſuffragia. Si lex ex diremtione ſuffragiorum a populo ſcita, vel accepta appareret: tum in æneas incidebatur tabulas: deinde vel publice populo inſpicienda proponebatur, vel deferebatur ad ærarium adſervanda. Atque hac de poteſtate leges, & S. C. fluxerunt: illaque ſunt ratione condita, & conſtituta, priusquam ad unius poteſtatem omnia deveniſſent.

XXXI. DE PRIMIS ROMANORUM LEGIBUS, ET JURE PAPYRIANO.

Romanum igitur jus diverſis e fontibus manavit, ac variante Reipublicæ forma, initia mutavit, & nomen. Etenim ſub dominatu regio plures ad regendam multitudinem leges conditæ ſunt a Regibus, quæ, quia collectæ fuerunt a P., ſeu quis malit a Sex. * Papyrio, Juris Papyriani nomen acceperunt. Sublatis Regibus conditum eſt a decemviris jus XII. Tab. ex jure Papyriano, & Athenienſi coactum, quod decemvirale jus appellamus. Uſu vero poſcente Plebs, vel Senatus, vel uterque plura in utilitatem Reipublicæ, atque civium conſtituerunt, quæ plebiſcita, & S. C., & generali nomine, leges nuncupantur. Ex formulis autem, ritibusque ſolennibus judiciorum compoſitum eſt jus civile Flavianum, a Cn. Flavio ſcriba dictum: qui ſubtractum Pontificibus librum populo prodidit. Ex diſputationibus, interpretationibus, reſponſiſque Juriſconſultorum nata eſt jurisprudentia. Ex edictis magiſtratuum proceſſit jus honorarium. Ex Imperatorum conſtitutionibus, decretis, & reſcriptis, Principum placita extiterunt. Ac ſane jus Papyrianum fortuna potius, quam conſilio prodiit: quod plerumque accidit in primis hominum coitionibus, initiiſque regnorum, ubi non tam virtus, quam cupiditas dominatur; quæ parem aliquando utilitatem, pacemque procreat: ut mirum non ſit, ſi effera multitudo, moribus ingeniiſque diſcors, e fugitivis, exulibusque collecta, qualis priſca gens Romanorum fuit, ſub unius Imperio, & legibus, coaluerit. Quamvis enim ſuus ſingulorum amor ſibi aliena trahendo, voluntates dirimat, & quilibet ad alios ſubigendos natura feratur: tamen ſtudio quisque ſui remittit ſæpe alteri, quod ſine periculo, atque propria pernicie auferre non poteſt. Hinc a mutuis injuriis abſtinent, quia par utrinque metus impendet. Unde malunt ſeſe homines continendo ſervare, quam rapiendo peſſum ire. Propterea omni licet virtute deſtituti, tamen ſæpe numero parcunt aliis, ut ſibi parcatur: communique conſilio ſocietatem ineunt, ** atque cuſtodiunt, ut coactis plurium viribus, in-

* Forſitan id malit nemo. Pro libro *Sexti* enim libro *ſexto* legitur apud Pomponium in codicibus manu exaratis, ut Cujacius monuit. Publii tamen nomen Papirio quoque invidet Dionyſius Halicarn. *L. III. c. 49.* qui eum Cajum appellare videtur. Refert enim, Cajum Papirium Numæ leges vetuſtate abolitas in uſum publicum revocaſſe. Quare Cel. Heineccius, Pomponium de Publio Papirio ita tentat: *Fuit autem in primis peritus PUBL. JUR.* id eſt *publici juris*, *Papirius:* unius litteræ mutatione ad jurisperitiam referens, quæ vulgo pro nomine habentur. Poſſunt & duo Papirii fuiſſe, Cajus & Publius, quorum ille leges ſolius Numæ, hic Regum omnium collegerit, prouti cenſet Celeb. Otto *Præf. T. IV. Th. Jur. p. 4.* Pomponii locum noviſſime etiam tractavit Cl. Weſſelingius *Obſerv. L. I. c. 4.*

** Non inconcinne ita origo Imperii Ro-

jurias æmulorum validius propulſent. Unde, quæ concitat animos cupiditas, eadem refrænat. Igitur ne coacta ſocietas diſſenſionibus turbaretur, Urbis initio regis juſſa pro legibus erant. Deinde certas firmasque leges tulit Romulus comitiis curiatis, hoc eſt, ſuffragiis populi per triginta curias diſtributi; aliæque ab regibus aliis leges deinceps latæ fuerunt; quarum reliquias, ſi quas germanas eſſe conſtat, interjecimus legibus XII. Tab. in quas regias leges collatas fuiſſe a decemviris, teſtimonio veterum, accepimus; *a*) non quidem omnes (nam quæ ad regium dominatum pertinebant, ſimul cum regio nomine ceciderunt, & fortaſſe abrogatæ fuere lege Terentia) ſed eas, quæ aut ad religionem ſpectabant, aut ad jus privatorum: quæ libro ſequenti ſe offerent inter leges decemvirales: idque doctiſſimorum virorum eſt judicium, Scaligeri præſertim. *b*) Profectæ vero leges regiæ potiſſimum ſunt a Romulo, Numa, & Servio Tullio; quorum primus naturæ jus extulit, & matrimonii, educationis liberorum, juraque parentum ſtabilivit. Alter jus gentium expreſſit, ac de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura leges aliquot promulgavit, præter cæremonias, & ritus, & Sacrorum religionem, quæ Numam præcipuum agnoſcit auctorem. Poſtremus juri civili * conſtituendo vacavit, & de contractibus, atque delictis quinquaginta rogavit leges, item de fœnore, de nexibus ære alieno. *c*)

XXXII. DE JURE XII. TAB.

Cum vero C. Terentius Arſa Trib. pleb. ut Conſulum immoderatam in plebem poteſtatem deprimeret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges con-

mani ab Hobbeſii bello omnium adverſus omnes repetitur. Fuerit alia aliarum civitatum origo. Incubuerit alicubi tyrannis civibus etiam invitis. Romulo a ſuis volentibus delatum eſt imperium, nullo alio fine, quam ut æquo jure uti liceret. Erat & antea Romanorum ſocietas quædam, ſed quæ uti τῶν ἐπὶ λείαν ὡρμημένων, ſodalitium prædæ cauſa habentium, minus tuta videbatur ab extero hoſte, minus firma in inteſtinis diſſidiis. Utrinque pacatæ civitatis amor & ſtudium ex mutuo propullulat metu.

a) Dionyſ. *lib. 2. & 10.*

b) Scaliger *ad Feſtum in verſ. nuptias.* Cujac. *obſ. 2. cap. 40.*

* Neſcio, annon ferri poſſit auctoris diſtinctio, a Lipſio etiam adhibita, & ſi ea aliis diſpliceat. Videtur enim loqui de iis, quæ potiſſimum a Regibus Romanis ſancita fuerunt, etſi ii & alias leges promulgaverint. Extulit Romulus potiſſimum jus Naturæ, ſed idem quædam de ſanctitate murorum caviſſe videtur per *L. ult. D. de R. D.* Expreſſit Numa jus gentium, ſed idem religionibus populum devinxit, nec ideo male ei tribuitur lex de mortua gravida, non niſi exſciſſo fœtu, tumulanda, de qua in *L. 2. D. de mort. infer.* Servius jus civile conſtituit, ſed idem quoque de ſævitia liberorum adverſus parentes cavit. Feſtus *in voce Plorare.* Cui ſententiæ nec obſtant leges ab aliis Regibus latæ. Sic Tulli lex eſt de tergeminis ex ærario alendis, Dionyſius Halicarn. *III. p. 215.* ob fortitudinem Horatiorum tergeminorum, quorum memoria ventri etiam tres portiones ſeponuntur in *L. 3. D. Si pars hered. pet.* & *L. 28. §. ult. D. de Judic.* Tullii autem lex mere civilis eſt. Sic Anco jus feciale originem debet, Livius *I. 32.* etſi eo magna pars juris abſolvatur gentium.

c) Dionyſ. *l. 4. & 5.*

fulari

ſulari imperio perſcriberent, creandis, eaque deliberatio variis contentionibus per decennium extracta fuerit: & poſt impetratam duplicaudorum Tribunorum plebis poteſtatem intermiſſa; revixit tandem Romilio, Veturioque Coſſ. in plebem Rom. quæ militiam detrectabat impotentius dominantibus. Hinc anno ab V. C. CCC. Spurio Tarpejo, & A. Terminio Coſſ. res ad Senatum delata eſt, ex ſententia P. Romilii factum S. C. (quod deinde fuit plebiſcito confirmatum) ut tribus triremibus pro majeſtate Reip. Rom. magnifice inſtructis, legati per Italiam, & univerſam Græciam petitum leges mitterentur: creatique Sp. Poſtumius, Sext. Sulpicius, A. Manlius, qui utiliores Civitatum ſingularum, & Lacedæmoniorum, atque Athenienſium potiſſimum leges deſcripſerunt. Quæ Romam allatæ, redactæ fuerunt ſimul cum legibus aliquot Regiis in duodecim tabulas a decemviris ad id delectis, cum ſummo imperio, ſilentibus aliis magiſtratibus: easque leges partim integras perſcripſerunt, partim emendarunt, partim ad populi mores, & conſuetudinem urbis inflexerunt, novasque aliquot ipſi pro temporum opportunitate, ut ſuſpicari fas eſt, interſeruerunt. Quarum ſumma capita, quæ e fragmentis eruere licuit viris eruditis, breviter hic innuemus, easque ad ſuas tabulas ex ordine a Jacobo Gothofredo deſcripto revocabimus: nam in ſequenti libro, ubi eas ſigillatim evolvemus, rerum, ac materiarum, docendi cauſa, ſequemur ordinem, non tabularum. Prima tabula rationem inſtituendi, agitandique judicii tradebat. Secunda continebat cauſas judicii prorogandi, teſtium exeitandorum, & rationem perſequendorum furum. Tertia complectebatur rem uſurariam, & depoſiti actionem, & auctoritatem executionemque rei judicatæ. Quarta definiebat jus parentum in liberos, & jus emancipationis, & legitima tempora, quibus juſti liberi naſcerentur. Quinta ſtatuebat jura teſtamentorum, & ſucceſſiones ab inteſtato, & hæreditatis diviſionem, & jura tutelarum. Sexta exhibebat venditiones, & uſucapiones, & poſſeſſionem, atque tignorum in alieno inductorum, itemque repudiorum jura. Septima de damno agebat, & injuria in agros, pecora, vel proprium corpus, aut famam illata: indeque pergebat ad alia delicta, nempe ad falſos teſtes, homicidas, veneficos, ſagas, parricidas, atque ad tutorum, & patronorum fraudes in pupillos, & clientes. Octava conſtituebat jura prædiorum urbanorum, & ruſticorum, definito ambitu parietis, & ſpatio inter confines fundos, itemque ſpatio viæ; tradebatque ſodalibus certorum collegiorum ferendæ ſibi legis facultatem. Nona fons erat juris publici, vetabatque privilegia, & cœtus nocturnos prohibebat, puniebatque ſeditioſos; & redeuntes in fidem populi Romani, cum antea deſciviſſent, tamen recipiendos jubebat. Judices pecunia corruptos capite mulctabat, & judicium de capite Civis Romani, non niſi comitiis centuriatis fieri permittebat. Decima comprehendebat jura Sacrorum, & ſepulchrorum, & cæremoniarum, & jusjurandum. Undecima de jure connubiorum agebat, & de ſacris deteſtandis, itemque de vi poſtremarum legum. Duodecima, quæ ſimul cum undecima ſupplementum erat, de pignore aliquid attingebat, & de calumnioſo, falſoque judicio, itemque de ſervo noxæ dando. Quæ omnia ſigillatim explicabuntur libro ſequenti. Nunc hæc indicaſſe ad continuandum narrationis ordinem ſatis fuerit.

Digitized by Google

XXXIII. DE ACTIBUS LEGITIMIS, ET JURE FLAVIANO.

Ex harum autem legum ſenſu, & poteſtate deductus eſt uſus, ſive ratio judicii exercendi, & negotiorum agitandorum, certis adhibitis formulis, & ſolennitatibus veterum Juriſconſultorum artificio conditis, *a*) eductisque de Sacrario Pontificum: quas legis actiones, * & actus legitimos appellarunt: quæ altera fuit poſt XII. Tab. portio juris civilis, libro ſecundo a nobis ſigillatim explicanda, dictumque fuit Jus civile Flavianum, a Flavio ſcriba, qui librum earum populo vulgavit. Præter legis actiones, qui ſunt actus in lege civili ſolenniores, & quaſi commercii forenſis inſtrumenta, editæ ſunt a prudentibus, poſt editum jus civile Flavianum, aliæ formulæ ad nova contractuum genera, novaque negotia in diem emergentia, ex moribus adcommodatæ, per Sex. Ælium compoſitæ, a quo juris Æliani nomen duxerunt. Atque hæc juris civilis portio, nempe jus civile Flavianum, & Ælianum, itemque interpretationes prudentum proditæ e re nata, quas fori diſputationem appellarunt, ſub priſcæ jurisprudentiæ nomine comprehenduntur. Verum ſeneſcente jam XII. Tab. jure, vel propter obſcuritatem verborum, & antiquitatis oblivionem, ut mortalia omnia, ſenſim dilabente: itemque novis indies negotiis oborientibus, quæ novam legem veterum ſententia minime comprehenſam poſtulabant; auctoritate populi, vel Senatus, vel utriusque variis temporibus novis legibus, Senatusconſultis, & plebiſcitis, vel reddita fuit lux decemvirali juri, vel adjectum, immutatumve aliquid, quod ſi ſolius plebis conſenſu Tribuno rogante fieret, plebiſcitum appellabatur; ſi Senatus auctoritate, Senatusconſultum; quod deinde populi ſuffragio confirmatum, legis vim, ac nomen obtinebat. Quarum legum illæ, quæ ad jus privatorum pertinent, explicabuntur libro tertio. Satis enim fuerit nomina earum hic breviter indicare: tum ut hæc narratio ſuo filo deducatur; tum ut lector antequam cognoſcat ſingulas, procul adſpiciat univerſas.

a) Cic. *ad Attic. lib. 6. ep. 1. pag. 536. cum not. varior.*

* Diſtinguendum autem primo duplex legis actionum genus inter ſe, tum utrumque ab actibus legitimis. Igitur legis actiones primo, ipſo definiente Pomponio *in L. 2. §. 6. D. de O. I.* erant formulæ, quibus homines inter ſe diſceptabant. Tales adhuc circumferuntur, veluti in actionibus perſonalibus: Ajo, te mihi dare aut facere oportere; in vindicationibus rei immobilis: Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt; in vindicationibus denique rei mobilis: Hanc ego rem jure Quiritium meam eſſe ajo. Hæ legis actiones ab aliis ſecundi generis diſtant, quia hæ apud judicem quidem, ſed ſine diſceptatione interponebantur. Erant enim formulæ, quibus actus voluntariæ jurisdictionis apud judices explicabantur veluti manumiſſio, adoptio, ceſſio in jure. Cum autem ambæ hæ legis actiones coram judice expedirentur, eo quidem præcipue ab actibus diſtabant legitimis, quales erant hereditatis aditio, ſervi optio, mancipatio, acceptilatio *L. 77. D. de R. J.* quod hi ſine judicis auctoritate intra privatos fieri ſolerent paries. Recte autem auctor jus civile Flavianum & Ælianum, interpretationesque prudentum priſcæ jurisprudentiæ nomine venire, ait. Quæ enim inde exſtitit jurisprudentia usque ad tempus, quo principum conſtitutiones invaluerunt, media vocatur *in §. 3. J. de leg. agn. ſucc.*

XXXIV.

XXXIV. DE POSTERIORIBUS LEGIBUS.

Omnes igitur leges partim perſonas, partim negotia, partim judicia reſpiciunt. Exordiemur a perſonis, quæ vel liberi ſunt, vel ſervi. Ad ſervorum ſtatum pertinet lex Caninia, & lex Ælia Sentia, quibus liberior manumittendi facultas coërcebatur. Illa enim certum ſervorum manumittendorum numerum præſcribebat; hæc manumiſſi, & manumiſſoris ætatem definiebat, certasque manumiſſionis cauſas poſtulabat. Lex Julia principem manumittentem eximebat obligatione ſervandarum ſolennitatum. Petronia ex diſcrepantibus judicum ſententiis præferebat illam, quæ libertati ſtuderet. Junia Norbana medium gradum inter ſervitutem, & plenam libertatem conſtituebat: isque libertatis gradus Latina libertas appellabatur, cui cohærens eſt S. C. Largianum, quo filii hæredes a Patre inſtituti præferuntur ceteris in bonis Latini liberti decedentis. Viſellia plenam libertatem Latinis libertis ob honorem tribuebat militiæ, præter quos, illos, qui jure aureorum annulorum carerent, ab ingenuorum honoribus arcebat. Daſumianum S. C. iis, quibus libertas relicta erat a teſtatore, abſentibus etiam hæredibus, libertatem præſtabat. S. C. Rubrianum eos, quos hæres a prætore evocatus manumittere negligeret, liberos eſſe jubebat. Articulejanum in cauſa relictæ libertatis cognoſcere jubebat præſidem provinciæ, de qua erat teſtator, & ſervus: quamvis hæres ex altera eſſet provincia. Vitraſianum partes explebat infantis, ac liberum pronunciabat eum, cui teſtator libertatem reliquerat a pluribus hæredibus, inter quos eſſet infans, qui loquendi uſu careret. Ninnianum libertatem adimebat ei, qui, colludente domino, per judicis ſententiam liber pronunciatus fuiſſet. Erat & S. C. quo prohibebatur, poſt quinquennium quæſtionem de ſtatu defuncti retractari. Claudianum ſervitutis pœna mulieres ab aliorum ſervorum commerciis abſterrebat. Lex Vectii Lybici ſervos publicos, qui publicis ſcripturis operam dabant, a Republica manumiſſos, non amplius Latinos, ſed Romanos cives fieri permiſit. Et hæ leges, atque S. C. fuerunt de conditione ſervorum: ſequentia liberorum ſtatum complectuntur. Ante omnes procedit lex Atilia, qua tutor ex lege a prætore datur iis, quibus nec ullus agnatus adeſt, nec tutor datus a teſtatore. Lege vero Julia, & Titia in provinciis tutor eandem ob cauſam dandus erat a præſidibus. Lex Claudia, cujus eſt incerta ſententia, vel mulieres exemit a perpetua tutela, ſub qua jure antiquo erant; vel facultatem ejus tutelæ gerendæ ſuſtulit. Lex Lætoria adoleſcentes minores viginti quinque annis a dolis alienis tutos præſtabat. Succedunt leges ad conjunctionem perſonarum pertinentes, nempe nuptiales: quarum præcipua erat lex Papia, quæ pluribus capitibus, pœnis, præmiisque propoſitis, nuptiarum frequentiam excitabat, cœlibatum, & viduitatem inhibebat, inopiam ærarii privatarum hæreditatum viceſimis portionibus, & caducorum lucro levabat. Cui legi plura S. C. cohæſerunt, quæ in ejus expoſitione a nobis afferentur. Fuit & S. C. quo nuptiæ inter pupillas, & tutores, curatoresque prohibebantur. Nuptias conſequitur partus, cujus agnoſcendi poſt divortium ratio S. C. Planciano tradebatur. • Poſt perſonas occurrunt leges, quæ ad negotia pertinent, quarum primas innuemus eas, quæ in viventium negotiis verſantur. Primum locum dabimus legi Atiniæ, quæ rei furtivæ uſucapionem non aliter permiſit, quam poſt reditum ipſius ad priorem, & verum dominum; a quo ſi res de-

nuo

Digitized by Google

nuo receſſiſſet, exuebat prioris furti vitium. Simileque conſtituerunt lex Plautia, & Julia in rebus vi poſſeſſis. Lex Scribonia ſuſtulit uſucapionem ſervitutum. Lex Claudia, & S. C. Macedonianum adoleſcentium fœnerationes reſciderunt. Lex Julia vulgatum ceſſionis bonorum beneficium conceſſit debitoribus, qui ſolvendo non erant; ut propria corpora moleſtiæ ſubtraherent, bona creditoribus cedendo. Vellejanum S. C. fœminis intercedentibus, & pro alio ſe obligantibus prodita exceptione ſubvenit. Lex Cincia immoderatas donationes, & munera coërcuit. Prodeamus nunc ad negotia, quæ a morte aliorum emergunt, quibus regendis hæ ſunt leges conſtitutæ. Offert ſe primo lex Cornelia, quæ teſtamenta condita ante captivitatem ab iis, qui apud hoſtes deceſſerunt, perinde confirmat, atque ſi diem ſuum in Urbe obiiſſent. Lex Furia certam ſummam definivit, ſupra quam non liceret legare, aut mortis cauſa donare, niſi certis perſonis. Lex Voconia legandi libertatem & effuſam erga mulieres teſtatorum liberalitatem compeſcuit. Lex Falcidia vetuit, plus dodrante legando abſumi. S. C. Trebellianum actiones omnes, quæ hæredi, & in hæredem competerent, juſſit cum reſtituenda hæreditate tranſire. S. C. Pegaſianum conceſſit hæredi, hæreditatem reſtituere rogato, quartæ detractionem. S. C. Sabinianum proſpexit adoptato filio in adoptionem alteri dato a patre trium liberorum: cui filio quartam bonorum partem relinquendam juſſit. Lex Velleja inſtituendorum poſthumorum rationem tradidit. Lex præterea Glicia fuit eruta per Cujacium, ex qua inofficioſi teſtamenti querela manavit. S. C. Julianum conſuluit iis, quorum in fraudem hæreditaria bona fuerunt alienata. S. C. Claudianum liberti hæreditatem ei filio detulit, cui teſtamento fuit aſſignatus, relicto ei jure patronatus. S. C. Tertullianum, & Orphitianum filio, matrique mutuam ſucceſſionem aperuerunt. E negotiorum legibus ad ea, quæ ad crimina, & judicia pertinent, procedamus. Judicialium legum ante alias digna memoratu eſt lex Cornelia de majeſtate, quæ complectebatur leges omnes antiquiores, in eos lata, qui aliquid contra Rempublicam molirentur: novaque capita condidit, quibus ejus criminis atrocitas coërceretur. Fuit & lex Julia de coërcendis adulteriis, qua & ſtuprum, & fœdiora libidinum genera comprehenduntur. Reprimendæ vero audaciorum hominum violentiæ latæ fuerunt lex Pompeja, Clodia, Pedia itemque Julia, quæ inſcribitur *de vi*. Fuit etiam & lex Julia, quæ rapaces manus magiſtratuum a ſociorum, & provincialium bonis arcebat, injuſtaque juriſdictionis lucra prohibebat, quæ dicta eſt repetundarum: cum qua conjungi poteſt Lex Glaucia eodem pertinens, ejuſdemque tituli Lex Cornelia. Quibus legibus privatæ pecuniæ ab avaris magiſtratibus repetebantur. At publicæ, Sacræque pecuniæ repetebantur aliis legibus, nempe Lege Julia peculatus, & de ſacrilegio, & de reſiduis, qua tenebantur, qui vel non omnem pecuniam publicam in rationes retuliſſent, vel relatam non integram reddidiſſent. Hiſque legibus reprimitur avaritia. Sequuntur leges, quæ compeſcebant ambitionem, quod præſtitit Lex Petilia, Bæbia, Mævia, Fabia, Tullia, Aufidia, Calfurnia, Licinia, Pompeja, & poſtremo Lex Julia de ambitu. Plura quoque de conſtituendis, regendiſque judiciis, Legibus Juliis continebantur. Multa porro crimina plectebantur Legibus Corneliis: quarum prima offertur illa de falſo, quæ falſa teſtamenta ſubjicientes, atque corrumpentes, & ſcripturas, ſive privatas, ſive publicas vitiantes puniebat: itemque

omnes,

Digitized by Google

omnes, qui veritatem fraude celaſſent, aut imagine veritatis falſum obtuliſſent. Cui ſimilis lex Cornelia nummaria, quæ crimen coërcuit falſitæ, vel attonſæ monetæ. Fuit & lex Cornelia, quæ puniebat injurias, ſive verbis, ſive re, ſive ſcriptis illatas: & Lex etiam Cornelia de Sicariis, & Veneficiis, quæ ſuppliciis afficiebat eos, qui ferro, vel veneno mortem alicui obtuliſſent. Quam legem plura comitabantur S. C. quorum nomina interciderunt. Ex quibus S. C. celebria ſunt illa, quæ caſtrationem puerorum prohibebant. Eademque lege Cornelia de Sicariis horribile parricidii crimen continebatur. Quod crimen complexa eſt deinde Lex Pompeja, quæ de parricidiis inſcribebatur. Denique lege Cornelia, quæ de luſu erat, vetita fuit alea, qua hominum patrimonia ſortis arbitrio ſubjiciuntur. De furtis conſtituit Lex Hoſtilia, ut abſentis nomine agere liceret. Plagium, ſive liberi hominis, aut alieni ſervi ſuppreſſionem, punivit Lex Fabia: in quam factum fuit S. C. ut ſervorum fugitivorum venditio legis ſententia comprehenderetur. Fuit Lex Remmia de puniendis calumniatoribus. Et de tergiverſationibus, ſive iis, qui accuſationem deſtituunt, pœnam ſtatuit S. C. Turpillianum, alio nomine lex Petronia nuncupatum. Eos vero, qui bene meritos vindicare neglexerint, ut ſunt hæredes, qui, teſtatore occiſo, ſupplicium ſumere de ſervis omiſerint, plectit S. C. Silanianum. A cujus criminis accuſatione quinquennio hæredes liberantur per S. C. Statilianum. S. C. autem Silaniani vis porrecta eſt etiam ad ſervos, qui teſtamento manumiſſi eodem ſub tecto manſiſſent. Eaque fuit ſententia S. C. Neroniani, vel Claudiani, quam ſententiam S. C. aliud Trajani temporibus conditum protraxit ad eos etiam ſervos, quos teſtator vivens manumiſiſſet. Superſunt duæ, quæ ſunt de damno ſarciendo leges: quarum altera, nempe Aquilia, cavit de damno ſarciendo ab homine, vel per hominem dato. Altera, nempe Rhodia, e Rhodiis petita legibus: inter cujus capita illud fuit præcipuum, quo contributio mercium ſervatarum inſtituitur ad reparandam jacturam illius, cujus merces, levandæ navis cauſa, merſæ fuerunt.

XXXV. DE JURE HONORARIO, ET DE PRÆTORE URBANO, ET PEREGRINO.

Et hæc quidem brevis legum, & S. C. ad jus Civile pertinentium ſumma eſt, quam in hoc expoſitionis curſu juvat habere perceptam, quo lector ad libros ſequentes accedat paratior. Verum inertes eſſent leges, & otioſæ, niſi hominis miniſterio verterentur ad uſum, atque ex Civium conſenſu gravem, prudentemque virum nanciſcerentur, cujus voce, atque auctoritate vires ſuas explicarent, quod munus eſt Magiſtratus. Is enim legum quodammodo vita eſt, & manus: quæ vel languentes extollit: vel obſcuras evolvit, vel dilatat anguſtas. Eadem poteſtas ex totius populi arbitrio, vel optimatium, aut principis juſſu, certos ad homines ducta, atque continuata reddit brevi, & celeriter, quod præſtari a ſingulis, vel ab univerſis, uſu poſcente, ſine ſumma, & inexplicabili difficultate, non poſſet. Ideo cunctus populus certos cives poteſtate armat univerſorum, ut ea utantur ad flectendas, regendasque leges, & ad expedienda ex earum, vel aperto, vel abdito ſenſu, oblata negotia. Id præſtitit apud Romanos magiſtratus ille, unde omnis jurisdictio cauſarum, & judiciorum ratio fluebat, nempe Prætura: cujus antea vis,

 atque

Digitized by Google

atque poteſtas ipſo Conſulatu continebatur. Prætoris generale nomen erat ſummis omnibus magiſtratibus conveniens; præcipue vero Conſulatui: propterea quod Conſul judiciis, & exercitui præeſſet, *a*) Hinc legimus apud Livium, *b*) vetuſtiſſimam fuiſſe legem: *Ut qui prætor maximus eſſet, clavum pangeret:* id eſt Conſul, aut Dictator, apud quos erat ſummum imperium. *c*) Propterea & Juſtinianus hujus initium verbi ante ipſum conſulatum ponit, docetque, nomen fuiſſe proprium Imperii, veteribusque Romanis Imperatores ſuos appellatos fuiſſe Prætores. Verum poſtquam plebeji diuturnis contentionibus pervicerunt, ut alter Conſul de plebe fieret; Patres, ut jus cum plebe communicatum, deminutumque patriciis, aliqua ratione repararent, prætexentes nimias Conſulis occupationes, & cauſantes negotiorum urbanorum turbam, quæ a Conſulibus longa expeditione, aſſiduaque militia diſtractis evolvi minime poterant; impetrarunt, ut aliqua conſularis poteſtatis portio, ea nempe, qua res forenſis continebatur, conferretur in peculiarem magiſtratum creandum e numero patrum, quem communi hujus nominis ſignificatione, ad ſingulare munus contracta, prætorem appellarunt, ann. ab V. C. CCCLXXXVI. *d*) Hujus conſularia erant inſignia, pro conſulari poteſtate, quam exprimebant: cum prætor Conſulis collega minor & diceretur, & eſſet: *e*) quoniam iisdem, ut Meſſalla tradidit, cum Conſule auſpiciis creabatur, & abſente Conſule ipſius munus in urbe gerebat. Ideo ſex lictoribus utebatur, cum ſecuribus: quod intelligendum eſt de prætoribus provincialibus: nam qui erant in urbe, duobus tantum utebantur. *f*) Utebatur etiam prætexta, ſella curuli, haſta, miniſtris, ſcribis, accenſis. *g*) Hinc Cicero ſcribit: *Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum prætorem urbis has literas deferrem: qui, quod conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat, more majorum.* Sub Imperatoribus Prætor centumviralibus quoque judiciis præſidebat. *h*) Jus vero reddebat e ſella curuli, ex ebore: dictaque fuit curulis, quia veteres, magiſtratu jam perfuncti, curru conſueverant in curiam vehi, honoris gratia, quo in curru ſella erat. *i*) At confluentibus ad Urbem exteris increbreſcebant in diem peregrina negotia: quibus expediendis cum Prætor urbanus minime ſufficeret, creatus fuit ann. V. C. DX. vel DVIII. ut Sigon. in Chronol. Livian. Prætor alter peregrinus appellatus, qui jus redderet inter cives, & peregrinos. Unde duplex erat in urbe juriſdictio prætoria, urbana altera, altera peregrina, quas prætores creati ſortiebantur. Majorem autem & poteſtate, & dignitate urbanam peregrina fuiſſe, multis ex antiquitatis veſtigiis elucet. *k*) Nihil vero ſtatuo de triplici diſcrimine inter has ab Hotomanno notato: nobis enim nondum liquet aliud, niſi quod inter peregrinos &

a) Varro *lib* 4. *de ling. lat.*

b) *Lib.* 7. *c.* 3.

c) *Novell.* 25. *de præt. Lycaon.*

d) Liv. *lib.* 7. *c.* 1. Hotom. *de prætur.* Sigon. *de Judic. lib.* 1. *c.* 7.

e) Hotom. *de præt. Urb.* Gell. *lib.* 12. *cap.* 14. Plutarch. *Polyb.*

f) Cic. *de leg. agraria con. Rull.*

g) *In epiſt.* 1. *familiar. lib.* 12.

h) Quintil. *lib.* 6. *c.* 3. Varro *in vit. Pop. Rom. lib.* 2. *apud Nonium.*

i) Iſidor. *lib.* 20. *Ethim. cap.* 1. Briſſonius *antiq. lib.* 3. *cap.* 15.

k) Appian. *de Bell. Civ. lib.* 2. Dion *lib.* 42.

Cives

Digitized by Google

Cives jurisdictionem exerceret. *a*) Incertum eſt autem, an ſolus urbanus edictum in albo proponeret; an apud eum tantum legis actio fuiſſet: nec facile eſt ex uno, aut altero vetuſtatis loco, rem adeo obſcuram evolvere. Quin etiam ſi quid hac ſuper re definire vellemus, cogeremur ab Hotomanno * diſſentire: ſiquidem Theophilus in Inſtitutionibus ait: *Datum eſt jus legis ferendæ præcipue prætori urbano, & peregrino, & ædilibus curulibus, idque jus honorarium dictum. b*)

XXXVI. DE PRÆTORIBUS PROVINCIALIBUS, ET QUÆSITORIBUS.

Adjectis pluribus Imperio provinciis, conſtat alios, novorum negotiorum cauſa, creatos fuiſſe prætores. Itaque poſtquam ad Romanum Imperium acceſſit Sicilia, & Sardinia, duo etiam prætores, qui eas regerent, acceſſere; totidemque adjectis duabus Hiſpaniarum provinciis. Qui prætores annum provincias tenebant quisque ſuas. Ac ſi eis ultra annum prorogaretur Imperium, proprætores appellabantur; quod commune fuit omnium prætorum provincialium nomen, poſtquam ab anno V. C. DCIV. juſſi ſunt per annum in urbe manere, ac certo publicarum quæſtionum generi ſinguli præeſſe, antequam in ſuas quisque provincias proficiſcerentur. *c*) Eadem ratione Conſules, cum poſt exactum in urbe conſulatum in provincias mitterentur, proconſules appellabantur. Enim vero initio crimina publica penes Regem; poſtea penes Conſules agitabantur: ſed quia lege Valeria jus provocationis populo delatum fuit; itemque vetitum in caput Civis Romani animadvertere injuſſu populi; cœpere ſingula crimina per populum mandari vel Conſulibus, vel Dictatoribus, vel Prætoribus lege, aut Senatusconſulto usque ad annum DCIV. ſed exundante in dies numero criminum, cum incommodum eſſet, vel ſingulas cauſas ab univerſo populo mandari magiſtratibus, vel ad tempus creari quæſitores, qui de certis criminibus cognoſcerent; ſatius eſſe duxerunt, quæſtiones inſtituere perpetuas, cum annuo magiſtratu, qui eis præeſſet: creatique hi a populo prætores dicebantur, & quæſitores. Unde anno DCIV. inſtitutæ ſunt quæſtiones perpetuæ, quæ proprium prætorem, ſive quæſitorem

a) Sigon. *de Judic. lib. 1. c. 7.*

* Eidem Hotomano alii veterum loci opponuntur, etiam noviſſime a Viris Eximiis, Everardo Ottone *ad Inſtitutiones p. 42.* & Heineccio *ad Pandectas p. 14.* Sed quorum interpretatio in utramque ſententiam flecti poſſit. Etſi etiam Albo diſtiterit Edictum Prætoris Peregrini ab Edicto Prætoris Urbani, vix tamen credibile eſt, ſententias utriusque magis diverſas fuiſſe, quam ab Edicto Prætoris Urbani diverſum fuerit Edictum Proconſulis Provinciale. Horum autem ſimilitudo ſumma fuiſſe deprehenditur: Solennitatibus juris quidem diſtringi peregrinus nequibat, ſed iisdem etiam inter cives præſcindendis magna pars Edicti Urbani inſerviebat. Feſtinant plerumque peregrini, ſed & properantium deſiderio ſatisfieri facile poterat a Prætore peregrino, in ea Edicti Urbani ſimplicitate, de plano jus dicente. Denique quod Prætura Urbana & Peregrina in eodem Prætore conjuncta reperitur apud Livium, & in veteribus inſcriptionibus, hoc quoque argumentum tale non eſt, ut in contrariam partem trahi nequeat.

b) Sigon. *de Judic. lib. 1. c. 7.*

c) Roſin. *lib. 7. cap. 41. Ant. Rom.*

Digitized by Google

haberent. Quamobrem, præter urbanum prætorem, & peregrinum, erant in urbe prætores provinciales, qui anno antequam in provincias proficiſcerentur, judiciis capitalibus, quæſitorum nomine, præerant. His acceſſerunt poſtea, ſimul cum novis criminibus, novæ quæſtiones perpetuæ, & ſimul cum iis alii prætores, ſive quæſitores rerum capitalium. Quæſtionum autem nomine ſignificatur merum imperium, ſive jus gladii, & capitalis animadverſio. Iidemque prætores appellabantur quæſitores parricidii; propterea quod parricidii vocabulo criminum omnis contineretur atrocitas.

XXXVII. DE PUBLICIS QUÆSTIONIBUS.

Ac prima quæſtio perpetua inſtituta eſt de pecuniis repetundis, L. Piſone Tribuno plebis legem ferente, ut Cicero teſtatur in Bruto. Hanc excepere quæſtiones de peculatu, de majeſtate, de ambitu: quæ illæ quæſtiones erant, quas ſortito exercebant, antequam irent in provincias prætores provinciales. His L. Sylla quatuor alias publicas quæſtiones adjecit, & prætores, ſive quæſitores etiam quatuor: nempe de ſicariis, de veneficiis, de falſo, & de parricidio, ſive homicidio. Cum autem eſſent decem jurisdictiones, raro ſingulis jurisdictionibus ſuus attribuebatur prætor: ſed ſæpe juſſu Senatus jurisdictiones geminabantur, ut ſingulis prætoribus binæ jurisdictiones mandarentur. Unde habemus exempla prætorum urbanorum, qui quæſtionem de veneficiis ſuſceperant, qualis, teſte Cicerone, Cajus fuit Verres. Et parricidii quæſtio in Cajum Fannium Prætorem ſimul cum quæſtione de Sicariis collata fuit, ejusdem Tullii teſtimonio in Roſciana. Ceterum ſi jurisdictiones non geminaſſet Senatus, decem ex earum numero erant prætores. Itaque tollitur meo judicio diſſenſio inter Pomponium, & vetuſtiores ſcriptores a Lipſio notata. *a*) Siquidem Pomponius decem prætores conſtituit; alii octo. Sub Cæſare vero decem prætores fuiſſe, Dion *b*) tradit, quorum unus urbanæ, alius peregrinæ jurisdictioni præerat: ceteri vero octo quæſtionibus publicis. Duos præterea Cæſar prætores creavit, qui frumento præeſſent, ob id Cereales * appellatos. Auctus deinde fuit ſub Auguſto numerus, ut refert Suetonius, *c*) prætoribus duobus, ut tradit Pomponius. *d*) Duos præterea Claudius adjecit, qui jus de fideicommiſſis dicerent: quod quidem intelligitur usque ad certam ſummam: nam majoris ſummæ jurisdictio erat Conſulis, *e*) ut Quintilianus indicat ex Vallæ interpretatione, contra quam fruſtra pugnat Budæus. Etenim Vallæ ſuffragatur Ulpianus, qui ſcribit: *f*) *Fideicommiſſa non per formulam petuntur, ut legata; ſed cognitio Romæ quidem eſt conſulum, aut prætoris, qui fideicommiſſarius vocatur; in provinciis vero præſidum provinciarum.* Prætorum

a) *Antiq. Rom. cap. 10.*
b) *Lib. 42. 43.*
* Imo Ædiles tantum Cereales conſtituit Cæſar, non etiam Prætores. Conſtantius Landus *theſ. jur. T. III. p. 1456.* Ad illos quoque ſolos verba Pomponii pertinent *in L. 2. §. 32. D. de O. J.* Everardus Otto *in præf. T. III. theſ. jur. p. 56.*
c) *In Auguſt. cap 30.*
d) *L. 2. de orig jur. § capta 32.*
e) *Lib. 3. c. 6.*
f) Ulpianus *tit. 25.*

antem

autem fideicommiſſariorum alterum ſuſtulit Titus, *a*) ejusque loco Nerva ſubjecit alium, qui Fiſcum inter & privatos jus diceret, quem Fiſcalem appellavit. Denique Marcus Antonius, *b*) Capitolino teſte, adjecit tutelarem, ut pupillis adeſſet, & tutores cogeret ſuſcipere tutelam, atque ſatisdare rem pupilli ſalvam fore; quo tutorum fraudibus occurreretur. Prætorum autem munus in reddenda jurisdictione, jureque civili cuſtodiendo, explicando, leniendo, atque ad uſum flectendo verſabatur. Etenim non ſatis eſt optimas leges condere, niſi viva quædam excitetur auctoritas, quæ legem per ſe mutam reddat quodammodo vocalem, & æquitate duce, ad oblatos caſus prudenter eam deducat: quod Prætores edicto, atque auctoritate ſua præſtabant.

XXXVIII. DE EDICTO PERPETUO.

Quæ prætor edicta ſtatim a magiſtratu inito proponebat: hoc eſt, in albo ſcribebat, ut populo ſignificaret, quo jure eum civibus eo anno eſſet uſurus. Atque initio ſane licebat Prætori, propoſitum edictum e re nata mutare, diverſimque ab eo jus conſtituere, ubi uſus poſceret; quod multis fraudibus pandebat viam. Siquidem prætores, aut propriam cupiditatem explebant, aut alienam colligebant ambitioſe gratiam; dum ad beneficium, vel injuriam priora mutarent edicta, & conderent nova. *c*) Ideo C. Cornelius Trib. pleb. legem tulit, ut prætores ex edictis ſuis perpetuis, ſive fixis jus dicerent: neque eis toto magiſtratus anno recedere liceret ab eo jure, quo ſe uſuros initio magiſtratus civibus denunciaſſent. Quamobrem cogebatur prætor initio magiſtratus, exprimere quidquid ad univerſam ſuam totius anni jurisdictionem pertineret: poſtea enim neque addere, neque detrahere, & immutare de ſemel propoſito edicto licebat. *d*) Itaque edicta prætoris in certam juris reddendi normam tranſierunt. Id quod ab aliquibus adeo perplexe traditur, ut vix internoveris diſcrimen inter edictum perpetuum Cornelianorum temporum, & aliud edictum Adriani juſſu digeſtum. Scilicet Adriani ævo ex pluribus ſuperiorum prætorum edictis, annuis illis quidem, ſed propter auctoritatem, & æquitatem eorum translatitiis, atque in aſſiduam jurisdictionem verſis; proptereaque veterum Juriſconſultorum interpretatione ornatis, edictum unum compoſitum eſt, & in plura capita, mirabili arte, tributum, Adriani juſſu, per Salvium Julianum Juriſconſultum, quod perpetuum quoque fuit appellatum, *e*) alio ſenſu, omni ſcilicet poſtero tempore duraturum: ex quo jus a futuris prætoribus redderetur; quod in urbanum poſtea diviſum eſt, & provinciale: cui forte inſerebatur, ſi quid potiſſimum ſingularum provinciarum conveniret moribus, aut legibus, quas provinciales ex fœdere ſibi retinuiſſent. Urbanum tamen, pro urbis auctoritate, nomen edicti prætorii præcipuum tulit. Varie igitur accipitur vox *perpetuum*: ſignificat enim fixum, & immutabile; ac præterea futuri temporis progreſſionem. Quamobrem edictum Cornelianorum temporum perpetuum dicitur, quod toto magiſtratus anno adeo teneret, ut interea temporis mutari nefas eſſet, ſequenti

a) Pompon. *l. 2. §. 32. de orig. juris.*
b) *In Marco.*
c) Aſcon. *in Cornelian.*
d) Dion. *36.*
e) *L. 2. Cod. de vet. jur. enucleand. l. 1. Cod de condict. indeb.* Eutrop. *lib. 9.*

Digitized by Google

vero anno non niſi novi prætoris auctoritate reviviſceret, more pontificiarum conſtitutionum, quas *Cancellariæ* regulas vocant; quæ quamvis maneant ſemper eædem; tamen a novi Pontificis confirmatione recipiunt auctoritatem, proximi Pontificis morte jam amiſſam. Edictum autem Adriani perpetuum dicitur, quia ejus poteſtas ſine novi prætoris adprobatione, ſuopte robore, in omnem tendebat poſteritatem, ſingulisque prætoribus proponebatur obſervandum. *a*) Porro prætoris album Accurſius fuiſſe putat parietem dealbatum, edictique verbis inſcriptum; nec ſi appenſam tabulam confingamus, prætoris jus furibus objiciamus, atque raptoribus. Quamvis etiam hanc loquendi formulam inveniamus in libris Juris, nempe *album ſublatum*; figuram tamen elocutionis hanc liceret exiſtimare, idemque pollere, quod inductum, vel corruptum. Tollit enim album, ſive ſententiam edicti, quod album appellatur, quicunque album corrumpit. Sed me alioſum trahunt verba Juriſconſulti, qui diſtinguit *album ſublatum* ab *albo corrupto*, his verbis: *Hoc edicto tenetur & qui tollit, quamvis non corruperit. L. 7. ff. de jurisdict. omn. jud.* Cujacius porro tradit, in albo proponere aliud non ſignificare, quam exponere in luce, clarum facere, in mundo ponere. *b*) Prætor autem vel ipſe cognoſcebat, ſi liberet, aut vacaret, aut appellaretur; vel alteri mandabat judicium: unde ipſius jurisdictio, vel in judicando, vel in judice dando, vel in poſſeſſionem immittendo verſabatur: ejusque poteſtas, teſte Varrone, his exprimebatur verbis: *Do, Dico, Abdico. Dicebant*, cum aliquem V. G. liberum pronunciarent: *Addicebant*, cum rem aliquam domino adjudicarent mancipatione, vel in jure ceſſione, vel adoptione: de quibus libro ſecundo. *Dabant* immittendo in poſſeſſionem, vel concedendo Judicem, vindicias, & actionem. *c*) Cognoſcebant autem de civilibus tantum cauſis, cum eis alia quæſtio non mandabatur. Ex hujus igitur magiſtratus jurisdictione prodierunt edicta, quæ, oblata facultate, ſingulas prope juris civilis partes, vel explendo, vel addendo, vel leniendo attigerunt. Quod jus honorarium fuit appellatum a magiſtratu, ex quo proceſſit, qui vir Honoratus nuncupabatur. Cujus juris natura diſſimilis eſt aliquando a jure civili. Jus enim civile directum eſt, ſeverum, præciſum atque totum e ſubtili ratione, verborumque nativa proprietate conceptum. Honorarium vero, utpote proditum e re nata, & e plurium eventorum cognitione, imo aliquando ex certarum commiſeratione perſonarum, & ex opportunitate temporum excitatum, remiſſius eſt, & humanius, plusque trahit ex æquitate, ac ratione utilitatis communis, quam ex religione verborum, & ſuperſtitione vetuſtatis: nec tamen juri civili, & prioribus legibus adverſatur: ne ſuo exemplo populi venerationem ſolvat, cui ſe cives jurejurando obſtrinxerunt; ſed id aliquando, ſi cogatur varietate temporis, latenter facit, & verecunde: plerumque vero legibus ita obſequitur, ita obtemperat, ut mentem verbis reconditam conſequatur. Unde quo legis verba non perveniunt, eo magiſtratus poteſtate perducuntur, ſi fuerint anguſtiora; ſi vero ſeveriora ſint, per eundem magiſtratum, æquitatis lenocinio, mulcentur, & ad pleniorem populi utilitatem deflectuntur. Itaque jus honorarium lenimentum fuit, & benigna interpre-

a) *L. 2. ff. de ſtat. hom.*

b) *In notis inſtit. de actionibus §. penult.*

c) Sigon. *de Jud. lib. 1. c. 7.* Gothofred. *in manual. pag. 170.*

tatio

Digitized by Google

tatio Juris Civilis: quæ ubi verba deſtituerent, occurrebat pleniori vocabulo, ſenſuque ſuaviori. Quod totum jus, quæ lex annua, ut Ciceronis *a*) verbis utar, ante Adrianum erat, & novi prætoris auctoritate ſuſcitabatur: poſtea, ut diximus, Adriani juſſu diſtinctum titulis, digeſtumque fuit a Salvio Juliano, *b*) ut in corpus juris civilis referretur, prætoresque jus dicerent, non amplius ex annuis, ſed ex perpetuis, & immutabilibus edictis: qui libri dicti ſunt digeſtorum edictorum. Julianus autem non modo contexuit edicta vetera; ſed iis interpretationes adjunxit ſimul cum edictis novis, quæ in noſtris legibus novæ clauſulæ vocantur: isque edicti prætoriani ordinator appellatur a Juſtiniano, *c*) & edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor. Ad quod edictum ſequentes Juriſconſulti veterum exemplo, plures commentarios attexuerunt, ut præter ipſius Juliani ſcripta, teſtantur Pauli, & Ulpiani ad edictum libri. Tanta enim æquitate prætorum edicta commendabantur, ut cum antea ſtudioſi juris civilis omnem prope operam ponerent in legibus XII. Tab. Ciceronis tempore, ſtudia juris auſpicarentur ab edicto prætoris, ſuper quo Ser. Sulpicius duos conſcripſit libros. Ofilius autem ejus diſcipulus illud accurate compoſuit. Porro titulorum ordinem, quo edictorum ſeriem diſpoſuit Julianus, *d*) revocavit aevo noſtro feliciter Jacobus Gothofredus, qui edictorum fragmenta Guilielmi Ranchini diligentia jampridem collecta, in ſedes quodammodo reſtituit ſuas. Nunc ad ædilitium edictum tranſeamus: ne quid ad compendiariam antiquitatis cognitionem, & ad initia juris honorarii deſideretur. *

a) *In Verrem.*

b) *Vide* Cujacium *in Juliano in princ.*

c) *L. 1. §. ſi pater ff. de ventr. in poſſeſſ. mitt. l. penult. Cod. de condict. indeb. l. 2. §. ſi qui dicitur. C. de vet. jur. enucleand.*

d) *Vide* Gothofred. *Manual. pag. 10.*

* Venuſtiſſimum eſt hoc caput, refertumque rebus eximiis. Illa inprimis comparatione Juris Civilis & honorarii nihil artificioſius. Explicabatur autem jurisdictio Prætoria Albo Prætoris, quod non ſine mentis perturbatione intueri debitores ſolebant, propter remediorum Prætoriorum expeditiſſimam rationem. Accurſii ſententia motus Rævardus *Protrib. c. 4.* apud Plaut. *Perſ. I. 2. v. 21.* pro *albo rete*, malebat *albo pariete*, ſed Rævardo renititur Taubmannus, qui vulgatam lectionem auctoritate codicum veterum tuetur. Et porro λεύκωμα quidem appellatur hoc Edictum Dioni Caſſio *Lib. 36.* & *in Novella 70. & 101.* & λεύκωμα Suidas album interpretatur parietem, gypſo obductum, ad inſcriptionem civilium rerum aptum; Sed etſi paries Suidæ hoc nomine veniat, patitur tamen ratio vocabuli, etiam tabulam dealbatam eodem nomine comprehendi. Quod præterea fieri ſuadent diſerta verba legis, quibus utitur Gravina. Edictum autem perpetuum Adriano debetur, ſeu, ſi mavis, Hadriano: adſpiratur enim id nomen in numis Latinis, quod Auctori non fuerat obſervatum. Seriem edicti perpetui a Jac. Gothofredo exhibitam in fontibus juris, theſaurus ſiſtit Ottonianus *T. III. p. 241.* Ad idem edictum commentarios ſuos ad Pandectas præcipue direxit Gerardus Noodt. Idem in ſynopſi Pandectarum fundamenti loco ſubſtravit Weſtenbergius. De ſingulis autem Prætorum edictis, veluti de Edicto Cn. Octavii de eo quod metus cauſſa, de Edicto C. Aquilii Galli de dolo malo, de Edicto Prætoris Publicii, quo propoſita eſt actio Publiciana, ut & de Edictis Prætorum repentinis dicere Auctor ſuperſedit, ne ſcriptoribus Hiſtoriæ Juris, qui de his data opera agunt, materiam omnem præriperet.

XXXIX.

XXXIX. DE ÆDILIBUS.

Ædiles dictos, Varro tradit, a ſacrarum, privatarumque rerum, atque ædium procuratione. *a*) Eodem enim tempore, quo plebs in montem ſacrum ſecedens impetravit a Senatu anno A. V. C. CCLX. Tribunos, obtinuit duos Ædiles e plebe creandos, qui Tribunis operam præberent, & miniſtrarent, *b*) eorumque juſſu cauſas leviores, liteſque privatas aliquot dijudicandas ſuſciperent, & cum ædium ſacrarum, tum locorum publicorum, tum annonæ curam gererent, matronarum mores, civium ſumtus, dictaque, factaque immodeſta obſervarent, & coërcerent. Sed cum contentio exorta inter Plebem, & Senatum de Conſule creando quieviſſet, plebſque perviciſſet, ut alter conſulum e plebejis fieret, ob eamque cauſam in honorem Deorum Senatus ludos decreviſſet; ædiles plebis munus ludorum recuſarunt: cui muneri ſeſe obtulerunt Patricii juvenes: *c*) quibus ab univerſis gratiæ actæ, prodiitque S. C. ut duo ædiles ex patriciis, rogante Dictatore, a populo crearentur: atque ita in poſterum additi ſunt ædiles duo, qui ab ſella curuli, qua utebantur, curules ſunt appellati. Cumque initio ex patriciis crearentur, progredientibus temporibus, etiam his magiſtratus cum plebe fuit promiſcuus: ut non modo ædiles plebis, ſed etiam curules ex plebe ſæpe crearentur. Primique creati ſunt ædiles curules anno A. V. C. CCCLXXXVII. Cneus Quinctius Capitolinus, & Pub. Cornelius Scipio, L. Sextio, & L. Æmilio Mamerco Coſſ. Hi plura munera cum ædilibus plebis habuere communia, veluti annonæ curationem, pluriumque rerum cognitionem; præcipue vero curam gerebant Sacrarum ædium, publicorumque locorum, & tutelam urbis. Hi & curabant ludos, eoſdemque proprio ſumtu magiſtratum ineuntes populo dabant: quorum plerumque magnificentia (ut eſt ambitio in primis honorum gradibus præceps) privatas opes exſuperabat: unde profuſo patrimonio, contractoque magno ære alieno, ſpoliis provincialium deinceps jacturam reparare cogebantur. Horum laborum, & ſumtuum præmio, antiquiorem in Senatu dicendæ ſententiæ locum impetrabant, & togam prætextam, & ſellam curulem, item jus imaginis in poſteritatem tranſmittebant. Matura hujus magiſtratus ætas erat annorum 37. præcipuam autem jurisdictionem exercebant in rebus venalibus, & rerum corruptarum vitium obſervabant, & fraudes, aut præcavebant, aut redhibitionibus emendabant. Propterea, prætorum inſtar, his de rebus edictum proponebant, quo populus admonebatur, ac docebatur, quam rationem ædiles tenere vellent anno ſui magiſtratus in reddendo jure: unde Hegio apud Plautum ita loquitur de paraſito feſtive legem ferente in laniones, & piſcatores:

Euge edictiones ædilitias habet.

Quod edictum, non minus quam prætorium Juriſconſultorum commentariis exornari meruit, ut partem juris honorarii conſtituerit. De quibus enim edicebat Ædilis, edicere poterat & prætor: & deficientibus ædilibus, judicium transferebatur ad Prætorem. *d*) Ex edicto igitur ædilitio, actiones manabant contra venditores

a) *De ling. lat. lib. 4. pag. 20.*
b) Dionyſ. *lib. 6.*
c) Liv. *lib. 6. cap. 42. & l. 7. cap. 1. & 2.*
d) Cujac. *obſ. lib. 8. c. 38. ex Dionyſ. lib. 11.*

ditores rerum vitiatarum, & corruptarum: quarum altera actio *redhibitoria* dicitur; altera *quanti minoris*. Priori venditio tota reſcindebatur, & rei vitioſæ venditor cogebatur rem ſuam, reddito precio, ab emtore recipere. Poſteriori actione contractus reſcindebatur ex parte, repetita precii portione, quæ deerat rei venditæ; ſive reddito a venditore eo, quo minoris reperta fuit res, quam fuerat indicata, quæ actio æſtimatoria dicebatur. Duos præterea ædiles Cæſar addidit a mandata ſibi re frumentaria Cereales nuncupatos. *a*) Nunc ad J. C. auctoritatem, & artem accedamus. *

XL. DE JURISPRUDENTIA.

Publica voluntas legibus concredita, non modo miniſtrum poſtulat, cujus voce civibus expromatur, quod munus eſt magiſtratuum: ſed, præter legem, ipſa magiſtratuum auctoritas comitem, atque adjutricem flagitat ſapientiam: quæ, pro re nata, ei ſubveniat, indicetque quorſum, & quousque ſententia legis ratione ducta procurrat; unde deflectat, quo diffundatur; denique quando extendenda ſit, aut retrahenda: quod moralis philoſophiæ præceptis, & dialecticorum regulis expeditur. Præterea leges ævo ſuo notis, atque perſpicuis verbis expreſſæ, conformatæque ad ſui morem ſeculi, progredientibus temporibus, obſcurantur: quia longinquitas temporis, aut exuit hominibus mores priſcos, adductis novis, aut excutit e memoria, communique loquendi conſuetudine priſca vocabula, ſenſu illorum immutato: atque ita legum lux eripitur oculis civium, & nox offunditur publicæ voluntati, niſi præſto ſit aliquis morum, verborumque vetuſtorum gnarus, atque peritus, qui ſeptam priſcis vocabulis, & moribus legum ſententiam diligenter evolvat. Quamobrem e philoſophia, rectaque ratiocinandi norma, quæ abſtractas a rebus ſingulis leges aptat, adglutinatque negotiis: & ex antiquitate, atque perſpecta proprietate vocabulorum, tanquam e germanis radicibus, jurisprudentia conſurgit: quæ, cum ſit moderatrix, & interpres legum, boni & æqui ars a ſuis cultoribus appellatur. Hoc apud Græcos munus, præſertim Athenis, fere præſtabant oratores: qui dum cauſas agebant, leges obſcuras, aut incertas, ex uſu ſuo explicabant, eoque vim ingenii, & rerum peritiam conferebant: quo Judicum voluntatem, & populares adfectiones ad clientis, vel cauſæ ſuæ utilitatem traducerent: quorum interpretationibus privati commodi ſtudium, neceſſitasque defenſionis, & ſuſpicio mercedis acceptæ fidem adimebat. Verum Romæ legum interpretandarum ars longe gravior fuit, & ſanctior: non enim, ut apud Græcos, conducebantur interpretes; ſed ii tantum accipiebantur, quibus eam auctoritatem ſumma ſcientiæ, atque virtutis opinio tribuiſſet, quique hunc laborem nulla lucri cupiditate, ſed civium juvandorum ſtudio ſuſcepiſſent. Principio enim, ut diximus alibi, legum interpretationes tanquam oracula e collegio Pontificum proferebantur; poſterioribus vero temporibus, qui fide, atque auctoritate ceteris anteiret, quique ſpectata virtute apud cives eſſet, is ſeſe publice ad reſpondendum dabat.

a) Dionyſ. *lib. 43. ſub fin.* Pompon. *lib. 2. de orig. jur.*

* Ad exemplum ædilium Romanorum creati ædiles in Coloniis & Municipiis, de quibus pleniſſime egit V. Cl. Everardus Otto, libro ſingulari.

Digitized by Google

Tantique apud Romanos id æſtimabatur, ut nobiliores, * & ſapientiores hunc laborem non refugerent: imo & ad ea quoque deſcendebant, quæ apud Græcos, nonniſi per pragmaticos, & legulejos ſubſervientes oratoribus expediebantur. Itaque tanto in honore præ ceteris gentibus jus civile apud Romanos erat, ut hæc ſcientia eximia, & peculiaris Romanorum fuerit: cujus inventores ipſi & habebantur, & erant. Unde Juriſconſultis æque, atque ſummis exercituum ducibus, maximisque Oratoribus, potiores gradus in Republica patebant. Clariſſimus enim quisque atque ingenioſiſſimus, vel ſimul cum oratoria facultate jurisprudentiam conjungebat; vel, ſi a clamoribus fori ſeſe ſtudio quietis in juventute, aut in ſenectute tædio negotiorum avocaret, ad jus civile profitendum, tanquam in portum ſe recipiebat. Eo etenim ſtudio duo, quæ maxime in civitatibus pollent, ingenii laus, & exiſtimatio prudentiæ continebantur. a) Hinc apud Romanos jus civile a recta ratione ductum præſtantioribus artibus excolebatur: cum jus aliarum gentium rude prorſus eſſet, & inconditum. Quam autem auctoritatem in publicis negotiis magiſtratus; eandem in privatis prope aſſerebant Juriſconſulti: qui ſingulis civium contractibus, teſtamentis, & litibus, ſuis conſiliis præſto erant, vel cavendo; vel ſtipulationes, & teſtamenta dictando; vel diſſenſiones, atque diſcordias arbitrio ſuo componendo. Quam ob cauſam, aut domi ſedentes excipiebant conſultores, aut ambulantes transverſo foro conſilii ſui copiam faciebant: aut amicis in judicio diſceptantibus operam dabant. Pluribus autem ſcriptorum generibus Jurisconſultorum doctrina proferebatur. Nam initio Jurisprudentia in Pontificum Sacrario latens ſancta erat, & ſecreta diſciplina, quæ nullis adhuc mandata ſcriptis arcano tradebatur. Promta ſane erant, & pervulgata civibus jura, utpote brevi oratione concluſa, & publicis proſcripta tabulis: uſus tamen legum, & ſententia illarum abſtruſior, earumque interpretandarum, atque tractandarum ratio, quæ non tam ex auctoritate publica, quam ex certorum hominum ingenio deducitur, quæque jurisprudentia nuncupatur, erat in ipſorum interpretum poteſtate.

XLI. DE DISPUTATIONE FORI.

Cum enim ambiguitas aliqua juris occurreret, prudentes viri convenientes, & inter ſe diſputantes occultam legum vim contentionibus vexatam, & e profundo ſuæ obſcuritatis excuſſam exprimebant, tradebantque populo ſenſum a majori parte comprobatum. b) Quæ diſputatio fori appellabatur. Eaque ratio tractandi juris civilis abſque ſcripto, eaque prudentum auctoritas ad juris interpretationem inſtituta, peperit jus illud, quod ſine ſcriptis venire dicitur. Quamvis poſtea ſen-

* Qui ſplendor jurisprudentiæ dein nimium quantum obſcurari cœpit, cum civilis ſcientia libertorum artificium eſſet. Mamertinus *in Panegyr. c. 20.* & ſervus Scytha, a cive Antiocheno emtus, jus profitetur. Photius *in Biblioth. cod. 271.* & nomen Ulpiani pro piſce vel edulio haberetur. Ammianus Marcellinus *L. XXX. c. 4.* Præſtantiam jurisprudentiæ Romanæ præ Græca pluribus extulit Gravina in oratione pro Romanis legibus ad magnum Moſchorum Regem.

a) Cic. *de orat. lib. 2.*

b) Pomp. *l. 2. §. 2. de orig. jur. ubi* Cujacius. *Exemplum habemus* Juſtiniani *C. de vet. jur. enucl.*

ten-

Digitized by Google

tentiæ a fori diſputatione procedentes mandarentur ſcriptis. Hinc Ulpianus, Venulejus, Triphoninus, aliique Juriſconſulti, libros diſputationum inſcripſerunt: quibus complectebantur jus a prudentibus illatum, atque, ut Gellii verbis utar, tacito, & illiterato hominum conſenſu, moribusque receptum: *a*) quo continebatur uſus, atque tritura fori, & auctoritas Juriſconſultorum: *b*) quæ aut communi Juris civilis appellatione, aut peculiari jurisprudentiæ nomine appellabantur. Hinc reſponſa, quæ privatim antea dabantur conſulentibus, vel ab ipſis ſcripta Juriſconſultis, vel ex ore ipſorum excepta, *c*) judicique relata. Quibus reſponſis Judices plurimum tribuebant, non quidem ut poſtea, juſſu publico, legeve ulla: ſed tacito populi conſenſu, & quadam auctoritate, atque commendatione ſapientiæ, longo, rectoque reſpondendi uſu civibus comprobatæ. *

XLII. DE RESPONDENDI JURE.

Initio enim jus civile profeſſuris propriarum virium confidentia populo præbebat ſe. *d*) Primus Auguſtus publicam Juriſconſultis tribuit auctoritatem; juſſitque, ut reſpondendi facultas non amplius e privato conſilio, *e*) ſed ex Principis beneficio prodiret. Quod & noſtris temporibus tenet. **

a) Cujac. *ad l. 2. §. 2. ff. de orig. jur.*

b) Cic. *in Top. & 2. de Invent.* RæVard. *de auctor. prud. cap. 14.*

c) *Leg. 2. §. 47. verſ. & ut obiter ff. de orig. jur.* Briſſonius *de form. lib. 3. in fine.*

* Unde ad diſputationem fori referri debent jus, quod dicitur receptum, receptæ quæ dicuntur ſententiæ. Ejusdem generis eſt jus, quod poſt multas varietates obtinuiſſe dicitur in *L. 32. D de O. & A.* & paſſim. Nota Q. Mucii & Sulpicii controverſia de ſocietate inæquali in lucro percipiendo, damno penſando, cujus mentio in *L. 30. D. pro Socio, & in §. 2. J. de Societate.* Nec minus celebris quæſtio, an partus ancillæ in uſufructu ſit, agitata inter M. Manilium & Lælium Brutum, cujus præter Ciceronem meminit Ulpianus in *L. 68. pr. D. de uſufr.*

d) Cujac. *ad l. 2. §. 47. verſ. & ut obiter ff. de orig. jur.*

e) *Leg. 2. ff. de orig. jur. §. 47. l. 2. C. de advoc. diverſ. jud. & l. 7. de profeſſ. & med. C. lib. 10. & l. 1. C. Theodoſ. de reſp. prud.*

** Veterem tamen morem de jure reſpondendi reſtituit Hadrianus, qui iis omnibus reſpondendi facultatem dedit, qui ſtudiorum pollerent fiducia. Pomponius *in L. 2. D. §. ult. de O. J.* Hodie contra, ut auctor obſervat, principis fere beneficio reſponſa dantur, ſive ab integris Collegiis, veluti a Rota Romana reddantur, ſive ſuppeditentur a privatis Doctoribus. Nam his quoque in Academiis publica auctoritate reſpondendi poteſtas conceditur, etſi eveniat interdum, ut hi Doctores vitio creati juris omnis tam publici quam privati, tam ſacri quam profani, ſint imperiti. Quod eſt ex malo more, quo pro dignitate Juriſconſulti grandis paſſim pecuniæ ſumma ſolvi ſolet, cujus illecebris animi Promotorum interdum deliniuntur. Exemplo fuit avaritia Doctorum Italorum. Jaſon enim & Alciatus L. imo C. aureos exegiſſe dicuntur pro bulla, ut vocant, Doctorali. Cujacio quoque manus, credo, inauratæ erant, cum lauream Doctoralem Marquardo Frehero, etſi egregiæ indolis puero, conferret anno ætatis decimo tertio. Quis enim juris peritiam expectet a puero impube. Si ſaltem decimum ſeptimum ætatis annum ſuperaſſet, exemplo uti poterat Nervæ filii, qui tot annorum adoleſcens, aut certe non multo major de jure publice reſponſitaſſe dicitur in *L. 1. §. 3. D. de Poſtul.*

XLIII. DE AUCTORITATE PRUDENTUM.

Tantum autem inde Juriſconſultorum auctoritas valuit, ut imperaret etiam ſententiis Judicum: quibus minime recedere licuit ab opinione illa, quam aut nemo Juriſconſultus palam oppugnaſſet, ſi unum tantum haberet auctorem; aut omnes unanimes adprobaſſent: ita enim accipio, quod ſcribit Juſtinianus in Inſtitutionibus: *a*) nam in contrariis Juriſconſultorum reſponſis, cur non licuerit Judicibus vertere ſeſe utro vellent? qua de re in *Codice Theodoſiano lib. 1. tit. 4.* traditur regula, & diſcrimen ſententiarum veterum Juriſconſultorum, quos Principis adprobavit auctoritas. Dabantur etiam reſponſa per epiſtolam, quando per epiſtolam petebantur. Cujuſmodi exempla invenimus in Digeſtis. Ceterum quia tanta erat Juriſconſultorum in Judiciis auctoritas Principum imperio fundata; conſueverunt reſponſa obſignata tradi Judicibus: ne ſi res patuiſſet, eventus cauſæ ante ſententiam Judicis palam fieret. *b*) Cœpit autem juris interpretatio mandari ſcriptis poſt illata in Italiam ſtudia Græcorum. *c*) Id tamen incondite fiebat, ut illis temporibus, & ſine arte. Quamobrem ſingula negotia, ſingularum perſonarum nominibus, ut propoſita eſſent, atque agitata, deſcribebantur: neque ad certum genus cauſarum, & infinitam quæſtionem abſtrahebantur: nec generibus definitionibusque conſtitutis, res poſtea tribuebantur in partes, ut jus civile certa, conſtantique ratione tradi poſſet; *d*) quod ſuo tempore & deſiderabat Craſſus, & ſe præſtiturum ſperabat. *e*) Princeps autem Tiberius Coruncanus, fertur, ſeſe publice ad reſpondendum dediſſe, diſcipuloſque habuiſſe, qui & doctrinam illius addiſcerent, & reſponſa magiſtri exciperent. *f*) A Coruncano autem ad Servium Sulpicium jus civile ſcriptis quidem, ſed ſine arte ulla committebatur. Servius Sulpicius primus dialecticis regulis diſpoſuit juriſprudentiam, adhibuitque artem; qua & genera componi cœperunt, & diſtingui partes, & definitiones concipi, colligique regulæ: ut per hanc artem univerſa etiam philoſophia, quæ ad mores pertinebat, in jus civile manarit, & ſimul cum ea philoſophorum rixandi cupido, in tranquillam antea ſcientiam penetrarit. Cum aliter ſentirent Juriſconſulti, qui a Stoicis eſſent; aliter qui a Peripateticis, vel Epicureis: quodque ſua quisque a familia imbiberat, in Juriſprudentiam refunderet. Ex interpretationibus igitur Juriſconſultorum in morem tranſeuntibus, & legum aſperitatem verecunde, ac furtim lenientibus, ortæ ſunt regulæ Juris æquitatis ratione temperatæ: quæ deinde influxerunt in edicta magiſtratuum, * atque decreta Principum; itaque duritiem per-

a) *Tit. de jur. nat. gent & civ.*

b) Ræward. *de auctor. prudent. cap. 14.*

c) Cic *de orat.*

d) Cic. *de orat. lib. 1.*

e) Pompon. *de orig. jur. l. 2. §. Jur. civil. ſcient. 35.*

f) Cicer. *de orat. & in Brut.*

* Reſponſis tamen Juriſconſultorum, poſt tempora Auguſti, qui vim iis juris conceſſerat, Majeſtatem Prætoris imminutam, ejuſdemque regnum forenſe tandem penitus everſum fuiſſe, cum cura demonſtrat Heineccius *Antiquit. T. I. p 67.* Fuit igitur hæc Auguſti conceſſio inter artes Imperii, quibus id agebatur, ut priſtina magiſtratuum poteſtas pedetentim enervaretur & caderet. Notanda interim juris capita, quæ, tanquam auctoritate prudentum introducta, paulo poſt a Gravina recenſentur.

domus-

domuerunt vetuſti, ac directi juris. *a*) Hujuſmodi ſunt uſus codicillorum, actio doli, & actiones illæ fere omnes, quas utiles appellamus: quia non ex directo, & ſcripto jure; ſed ex utili, & æqua Juriſperitorum interpretatione proceſſerunt: & exhæredatio poſthumi, ac differentia exhæredationis filiorum, ab exhæredatione filiarum, & nepotum; *b*) & Aquilianæ ſtipulationes, auctore Aquilio Juriſconſulto; & variæ ſucceſſionum differentiæ. *c*) Item regula Catoniana, & ſubſtitutio pupillaris; *d*) & prohibitio donationis inter virum, & uxorem; & ut ſoli magiſtratus mandent jurisdictionem, *e*) utpote ſibi jure ſuo competentem, *f*) non alieno beneficio; & ne pupilli ſine tutore auctore obligentur. *g*) Quibus addendæ ſunt omnes regulæ juris & bonæ fidei judicia ſub ea formula: *ut inter bonos bene agier oportet*, & actio rei uxoriæ, &, ex receptiori ſententia, inofficioſi teſtamenti querela. Denique quidquid a Juriſconſultis morum, & conſuetudinis, & recepti juris nomine fertur, omne ipſorum auctoritate prodiit, ac verſum eſt in uſum. Multa enim ex certis, ac privatis caſibus in populum traducta ſunt univerſum, exceptaque a Juriſconſultis, civili ratione munita fuerunt; poſteaque rerum judicatarum conſtantia firmius hæſerunt. *h*) Cumque his aggregandæ ſunt formulæ ſolennes, & cautiones, & actiones legis, quæ omnia jam oſtendimus deberi Juriſconſultis.

XLIV. DE JURISCONSULTORUM PHILOSOPHIA.

Et quoniam, ut diximus, ad prudentiam Romanorum fuit adtributa philoſophia * Græcorum; plura dogmata verſantur in jure civili, quæ philoſopho-

a) *Inſtit. de Codicill.* Cic. *de off. lib. 3.*

b) *§. 1. Inſtit. de exhæred. liber. leg. ult. C. de liber. præter.*

c) *§. eſt autem Inſt. quib. mod. tollitur oblig.*

d) *l. maximum vitium Cod. de lib. præter.*

e) *L. 2. ff. de vulg. & pupill.*

f) *L. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

g) *L. more ff. de juriſd. om. Jud.*

h) Cujac. *ad l. 2. ff. de orig. jur. §. his legibus 5.*

* De Stoica Juriſconſultorum Philoſophia, idem docendo Gravinæ præiverant Cujacius *obſ. Lib. XXVI. c. 40.* & Merillius *obſ. L. 1. c. 8. ſequent* De eadem librum ſe ſingularem affectum habuiſſe, M. Aurelius Galvanus ſcribit *de uſufr. c. 1. §. 1.* Sed his non credulus Paganinus Gaudentius *de Philoſophia apud Romanos c. 43.* negabat, Philoſophiam, quæ in jure regnat, Stoicam eſſe. Argumenta pro Stoica JCtorum Philoſophia concinne complexus eſt Gravina, ſed, licet, inſectemur Stoicos, ne ſoli Philoſophi ſint. Primum igitur quod Zeno ſuos ad res civiles gerendas admittit, haberet aliquam vim, ſi omnes reliquæ Sectæ Philoſophorum ſuos ab iis avocaſſent; quamvis & ea vis exigua eſſet, quia dudum bene adminiſtrata Reſpublica erat, antequam Philoſophi Romæ innoteſcerent. Definitionem legis, laudata eorum ſapientia, a Stoicis petit Marcianus; Philoſophorum contra nomine ſolos Epicureos intelligere videtur Alfenus *in L. 76. D. de judiciis.* Vocabulorum indagare originem, cum Grammaticum; concitis in oratione numeris uti, cum Rhetorem magis, quam Philoſophum deſignet: nihil inde proficitur ad rei ſummam, quod JCti quoque verborum proprietati ſtudent, & brevibus in ſententiis numeris utuntur. Atqui regulis & principiis Stoicorum delectantur. Cedo quibus? an opinionibus Stoicorum ſingularibus, ſeu, ſi mavis, opinionum portentis illis, quæ παράδοξα appellant. Imo

rum ſcholam, ac Stoicam præcipue redolent. Hæc enim maxima doctrina ideo in jure civili dominabatur, quia Zeno a rebus gerendis minime, *a*) ut aliæ ſectæ philoſophorum, avocabat. Jubebat enim Chryſippus, niſi prohiberetur,

minime; eum enim, qui partem acervi frumenti abſtulerit, totius acervi furem eſſe, negat Ulpianus in *L. 21. pr. D. de furtis*, contra ſententiam Stoicorum, qua ii omnia peccata æqualia putabant. Quodſi ii omnes Stoici ſunt, qui alluſionibus pro definitionibus utuntur, nemo veterum Stoicus non erit. Delectantur enim iis omnes Theologi, Medici, Juriſconſulti veteres. JCtos vero præterea a definiendo cohibebat invidia, qua plebem juris ignorantia premebant, ne ipſorum facile conſilio carere poſſent. Quare minime φιλορίζοντες erant, multoque minus ea definiendi libidine pruriebant, quæ recentiores quosdam invaſit, & quam in Feltmanno deridet Ulricus Huberus. Juſtitiæ cum ſe ſacerdotes appellant, veramque non ſimulatam Philoſophiam colere profitentur, magis eſt, ut umbraticam Stoicorum ſapientiam contemnere videantur, quam quod ea magnopere delectentur. Jurisprudentia iis rerum divinarum & humanarum ſcientia definitur, non quod & Stoicis Philoſophia earundem rerum notitia dicitur, ſed quia Jus Pontificium magna pars erat juris civilis, utique qua ad ſacra, ad vota, ad ferias, ad ſepulchra & ſi quid ejuſmodi eſt, pertinet. Nulla autem Philoſophorum ſecta adeo humanitatis oblita erat, quin ſuis ſocietatis humanæ commendaret commoda. Soli porro Epicurei a Stoicis, credo, diſſentiunt, quando hi, omnia hominis cauſa nata eſſe, ajunt. Cæteri, qui hunc orbem a Deo, auctore provido, profectum eſſe profitebantur, orbem aut nulli, quod providentiæ adverſabatur, aut uſui hominis, animalis omnium nobiliſſimi, deſtinari, concedere cogebantur. Ergo non magis Stoica, quam Platonica, aut Peripatetica eſt hæc ſententia. Præterea rationibus hæc ratio jure annumerabitur claudicantibus. Quid enim? Si in uſufructu non eſt fœtus mulieris, quia natura omnia hominis cauſa produxit, nec in dominio, vi ejuſdem erit rationis. Uſuras Seneca quando humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina appellat, quid aliud agit, quam ut avaritiam compeſcat & reprimat fœnebre malum. JCti contra, cum uſuras natura provenire negant, ſed jure percipi, ajunt, uſuras non naturalibus quidem fructibus acceſent, ſed tamen habent pro civilibus, naturæ earum convenienter. Neque enim e re ipſa, ut poma, uvæ, frumenta, olivæ, fœnum & ſilva cædua naturæ vel ſolius ope, vel induſtria humana cooperante concipiuntur; ſed legum beneficio obveniunt, vice mutua utilitatis ejus, quam ex pecuniæ uſu mutuatarius capit. Septennes ætatis gradus jam Solon epigrammate celebraverat, dudum antequam Stoici eſſent. Mitto Hippocratem, quia non eſt, cur Medicorum principi teſtimonium denuntiem in re quotidianæ experientiæ, eademque vulgo notiſſima. Maternorum porro viſcerum latens onus, infantem nondum editum, hominem, imo animal eſſe, negant JCti: idem Stoici putaſſe dicuntur Plutarcho, quod mirum, cum ipſas virtutes, juſtitiam, fortitudinem, prudentiam, animalia appellent, ut patet ex Seneca *epiſt. 113.* Sed demus id Plutarcho de Stoicis. De JCtis vero idem inde colligitur, quod ſpem tantum animantis, adeoque non animal ipſum ex lege regia peremiſſe dicitur in *L. 2. D. de mortuo inf.* qui mulierem gravidam, non exſecto partu, ſepeliverit. Agnoſco ſimilitudinem, ſed legem regiam ſimul latam animadverto, dudum antequam Zenonis nutrix naſceretur. In computatione Falcidiæ quoque placuit, ut fructus poſtea percepti, qui maturi mortis tempore fuerant, augeant hereditatis æſtimationem, excepto ventre, quia partus nondum editus homo non recte fu-

πολι-

Digitized by Google

πολιτεύεσθαι τὸν σοφὸν, & Tacitus: *a*) *aſſumta etiam Stoicorum arrogantia, ſectaque; quæ turbidos, & negotiorum appetentes facit.* Unde Marcianus, & ipſe Stoicus eorum ſapientiam extollit. Hinc multa juriſconſulti traxerunt e conſuetudine Stoicorum. Item enim atque Stoici vocabulorum originem, atque proprietatem veſtigabant, *b*) brevibusque atque conciſis numeris concludebant ſæpe ſententias. *c*) Multa etiam ſunt in jure noſtro tum dicendi genera, tum regulæ, atque principia juris e Stoicorum ducta principiis. Ut enim Stoici virtutis; ita & juriſconſulti ſeſe juſtitiæ Sacerdotes appellabant: *d*) ut illi ſapientiam, ita & hi juriſprudentiam rerum divinarum, & humanarum ſcientiam definierunt. *e*) Legis definitionem nobis Marcianus tradit a Stoicis. *f*) Ab eorum doctrina commendatio eſt illa ſumma humanitatis, & mutuæ benevolentiæ ſtudium, ad mutuam opem. Nam Stoici, referente Tullio, *g*) dicebant, communem eſſe hominum inter homines, & naturalem commendationem: *h*) nosque Seneca docet, cognatos eſſe natura. Eadem ratione juriſconſulti cognationem quandam inter nos natura conſtitutam eſſe tradebant; ideoque negabant, fas eſſe homini hominem inſidiari. *i*) Et Papinianus ait, beneficio affici hominem, hominis intereſſe. *k*) Hominem porro in fructu eſſe juriſconſulti negarunt: *l*) quanam ratione ducti, niſi quod natura omnes rerum fructus, hominis cauſa, comparaverit? quod eſt a Stoicis, qui cetera hominum cauſa nata eſſe dicebant. *m*) De uſuris eandem, atque Stoicorum natio juriſconſulti ſententiam tulerunt: illi enim uſuras vocarunt humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina: *n*) juriſconſulti autem dixerunt, uſuras natura non provenire, ſed percipi jure. *o*) Intervalla naturæ ſeptenis annis juriſconſulti ſimiliter, atque Stoici diſtinguebant. Hi enim ſeptimo quoque anno aliquid novi exiſtere in humana natura obſervabant: puer enim ſepten-

iſſe dicitur, in *L. 9. D. ad Leg. Falcid.* quod quid aliud, quæſo, vult, quam, minime in hereditatis computatione hominem dici poſſe partum, qui antequam edatur, æſtimari & vendi nequeat. Quid denique verius & ad popularem ſenſum accommodatius dici poteſt, quam, in ventris inſpectione, partum, mulieris portionem, vel viſcerum eſſe? Imo non tantum non Stoica, ſeu παράδοξα eſt ſententia, quæ eum pro ſpe magis animantis vel hominis, quam pro animali vel homine ipſo habet, ſed etiam omnium veriſimillima. Neque enim ſua ſponte movetur infans in utero matris nondum perfectus, neque ſentire intelligitur, neque nutritur ſuapte, etſi his præcipue animalia cenſeantur.

a) Laërt. *in Zenon.*

a) Tacit. *lib. 14. c. 58. annal.* Plutarch. περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων.

b) Senec. *ep. 88.* Cic. *de fin. 3.*

c) Laërt. *in Zenon.* Arrian. *lib. 1. cap. 20.* Senec. *1. de benef. cap. 3.*

d) Diog. Laërt. *in proœm.* & *in Zenon.* *Ulp. l. 1. ff. de juſt. & jur.*

e) Senec. *epiſt. 89.*

f) *L. 2. ff. de legibus.*

g) *L. 3. de finib.*

h) *Epiſt. 95.*

i) *L. 3. ff. de juſt. & jur.*

k) *L. 7. ff. de Serv. export.*

l) *L. vetus 68. ff. de uſufr. & quem quis ut fruat.*

m) Cic. *l 3. de finib.*

n) Senec. *lib. 7. de benef. c. 10.*

o) Senec. *lib. 7. de benef. c. 1.* Cenſorin. *de die natal. c. 14.* Artemid. *lib. 2. ὀνειρ. cap. 75.* Varr. *5. de lingua lat.* Macrob. *lib. 1. in ſomn. Scip. c. 6.* Iſidor. *lib. 11. orig. cap. 2.*

nis

Digitized by Google

nis dentes mutat; in alterum ſeptennium pube veſtitur; tertio ſeptennio barbam induit; quod elegantiſſimis elegis antea Solon expreſſerat. Unde ſeptimo anno pueritia; *a*) quarto decimo vero pubertas definitur, exemplo Stoicorum, a compluribus juris auctoribus, quorum opinio prævaluit. De fœtu etiam, qui eſt in utero matris, juriſconſulti noſtri proxime, atque Stoici exiſtimarunt: non enim animal, ſed portionem ventris materni plerique illum duxerunt: inter quos Ulpianus ait: *b*) *Partus enim antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.* Quam ſententiam Stoicis tributam ſcimus.

XLV. DE JURISCONSULTORUM SECTIS.

Quo autem in Juriſconſultis una cum doctrina etiam Philoſophorum ingenium agnoſcas: ecce tibi poſt intextam juriſprudentiæ philoſophiam, ex diſputationibus, & jurgiis opinionum, & ſcholarum nata varietas. Sciſſa eſt enim juriſprudentia in duas familias, quarum altera Caſſianorum erat, altera Proculianorum. Origo diſſidii ab Attejo Capitone, & Antiſtio Labeone; quorum alter fuit ab Ofilio, alter a Trebatio inſtitutus: utrique tamen oriundi a Tuberonis diſciplina. Attejus Capito, quæ a majoribus tradita fuerant, conſtantius tenebat, & verbis, atque inſtitutis hærebat firmius; Labeo vero mentis quodam ardore ſublatus, indulgebat ingenio, innixusque propriæ ſapientiæ, ſibique amplius permittens, provehebatur in altum, & novitate ducebatur. Itaque plura intulit, vel ignota, vel intentata veteribus. Ingenium Præceptorum ſui cujusque diſcipuli expreſſere: atque Attejo quidem ſucceſſit Maſurius Sabinus, unde ex quorundam ſententia Sabiniani; Sabino Caſſius, unde Caſſiani: Labeoni vero ſucceſſit Proculus, & Nerva Pater, & Pegaſus: unde Proculiani, & Pegaſiani. Atque in illos Attejus religionem vetuſtatis; in hos Labeo libertatem tranſmiſit novitatis. Manſit autem hoc diſſidium ortum ſub Tiberio ad Antonini tempora; hosque utraque ſecta præcipuos habuit auctores: quorum ſeriem hoc ordine ſub oculos ponendam duximus a Gothofredo juniore ſumtam:

Sabiniani Caſſiani	Proculiani Pegaſiani.
	Sub Auguſto
Attejus Capito Ofilii diſcipulus	Antiſtius Labeo Trebatii diſcipulus.
	Sub Tiberio
Maſſurius Sabinus	Nerva Pater.
	Sub Cajo Claudio Nerone
Cajus Caſſius Longinus, a quo Caſſiani	Proculus, unde Proculiani.

a) Ulp. *l. 1. §. 2. ff. de admin. & peric. tutel. l. ſi infanti. Cod. de jur. delib.*

b) *L. 1. §. 1. ff. de vent. inſpicien.* Papinian. *l. 9. ff. ad leg. falcid.*

Sub

Digitized by Google

Sub Veſpaſianis

Cœlius Sabinus, a quo Sabiniani	Nerva filius, & Pegaſus, a quo Pegaſiani.

Sub Trajano, Adriano, Antonino Pio

Priſcus Javolenus	Celſus Pater
Alburnius Valens	Celſus filius
Tuſcianus	Priſcus Neratius.
Salv. Julianus.	

Quorum contentiones, & diſſidia, inclinante jam jurisprudentia, & remittente ingeniorum ardore, deflagrarunt. Hujus diſcordiæ plura veſtigia ſuperſunt in libris juris; multasque retinemus reliquias conflictantium inter ſe ſcriptorum: quas Tribonianus cavere non ſatis potuit; quamvis Juſtianus miram locorum concordiam polliceatur. Quibus promiſſis miſere torquet eorum ingenia, * qui fide

* Imo diverſæ ſectarum ſententiæ parum remorantur Juris ſtudioſos, etſi vulgo tradi ſoleat, cum Geminationibus & Emblematibus Triboniani inter nævos juris Romani, exundare etiam opiniones Juriſconſultorum, ſtudio ſectæ diſcrepantes. Pleraque enim veterum diſſidia dudum ante Juſtinianum conſtitutionibus principum anteriorum compoſita erant, & ſi quid controverſiæ ſupereſſet, id fere L Deciſionibus Juſtiniani abolitum novimus. Proinde contrariarum ex ſectis ſententiarum rariſſima in jure veſtigia ſuperſunt, ſi ea excipias, quæ Hiſtorica de iis ratione referuntur. Antinomiæ præterea in jure paucæ & in quibus ipſis conciliandis nihil proſunt regulæ de Sectis traditæ. Earum certiſſima eſt, qua Sabinus veterum auctoritatem ſecutus, Labeo contra novaturiendi ſtudio ductus dicitur. Nititur ea fide Pomponii, poteſtque comprobabari exemplis compluribus, præcipue de Sabinianis. Ecce enim Sabinus & cum Sabino Caſſius veterum ſententiam probare dicuntur in *L. 27. §. 21. D. ad legem Aquil. in L. 3. §. 18. & 19. D. de A. P. in L. 31. D. ad leg. Falcid.* Ille contra novandi pruritus, quo contraria Secta ferebatur, etſi parciora ſui in jure veſtigia reliquerit: novitatis tamen ſtudio Labeo uſuras in ſocietate obtentu ejus quod intereſt primus præſtari juſſiſſe videtur *in L. 60. D. pro Socio*, ut obſervavit Gerardus Noodt *de fœnore & uſuris l. I. c. 5.* Secunda regula eſt, quod Sabiniani ſimplicius rationes ſubducunt, quam Proculiani. Sic Sabiniani putabant, emtionem etiam re pro re data contrahi, cum Proculiani pretium exigerent. Sabiniani eum tantum poſſidere putabant, qui corpore rem tenet, Proculianis contra, animo etiam poſſideri exiſtimantibus. Sabiniani in ſpecificatione priſtinum novæ ſpeciei dominium continuari putabant, Proculiani contra dominium ſpecificando rumpi, & prævalente rei forma mutari cenſebant. Sabiniani pubertatem generandi potentia explorabant, Proculiani contra annos metiebantur, opinionem magis hominum ſecuti, quam ſubſtantiam. Liquida eſt regula per adjecta exempla. Sed præſtare auſim, nullius eam de cætero in ſolvendis juris ænigmatibus futuram poteſtatis. Tertio loco ad æquitatem proni Sabiniani dicuntur, vergentibus Proculianis ad juris ſtricti rigorem. Illi enim utilitatis & humanitatis rationem habent in *L. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. L. 20. D. de reb. cred. & L. 13. D. de lib. & poſt.* ex his contra Celſus *in L. 91. §. 3. D. de V. O.* quæſtionem de bono & æquo eſſe, ait, in qua-

illius difficultates ex repugnantia ſententiarum injectas propriæ malunt ignorantiæ, quam alienæ negligentiæ aſſignare. Quod ſæpenumero Cujacius monet. Itaque plurimum refert ſcire, quam quisque ſectam juriſconſultus amplectatur. Cumque hoc maxime differant, quod Sabiniani æquitatem: Proculiani ſummum jus potiſſimum ſpectent; variantes hæ opiniones in re univerſa ſuſceptæ, varias etiam, atque diverſas certis in juris articulis pepere ſententias. Nec parum auxit hæc diſſidia Stoicum philoſophandi genus: * cui ſeſe Proculiani magis

rum genere plerumque ſub auctoritate juris ſcientiæ pernicioſe erretur. Hæc quoque regula magis a parte Sabinianorum munita eſt, quam a parte Proculianorum, ſed ſi vel veriſſima eſt, uſu tamen in decidendis juris controverſiis penitus deſtituitur.

* Remittere hoc loco auctor videtur a ſententia ſuperiore, qua omnes JCtos Stoicis faviſſe dixerat. Subſiſtit enim in ſolis Proculianis. Sed de his quoque idem parum veriſimiliter dicitur. Laborarunt Labeo & Proculus in texendis conjunctionum & disjunctionum regulis: idem Stoici facere non dedignati ſunt. Sed inde plus ſequitur, quam quidem hoc loco ſequi debebat. Si enim Stoici ſunt, quotquot de verborum figuris diſquirunt, JCti omnes Stoici erunt; omnes enim in titulo de verborum ſignificatione de vocum proprietate diſputant. Induerint igitur Juriſconſulti perſonam interdum Grammatici, poſcente id conjectura voluntatis, aut ſtricto interpretandi genere, non ideo protinus, quibus in hoc cum Stoicis convenit, conveniet etiam in reliquis. Formam, veluti navis, ſine materia, veluti tabulis, intelligi poſſe rei convenienter Seneca monet; eadem materiam abſorberi Proculus ait, quæ ſententiæ minime ſunt eædem. Annos pubertatis JCtos ab Hippocrate, non a Stoicis didiciſſe, ſupra monitum eſt. Mortem voluntariam non ſoli Stoici apud Romanos obibant. Pomponium certe Atticum Epicureum fuiſſe, novimus. Fuerit ea proinde jure Romano non prohibita, nec punita, niſi in his, qui ob metum pœnæ ſe occidiſſent, ut cenſet Cornelius van Bynkershoek *Obſ. L. IV. c. 4.* nec tamen ideo ſolis id Stoicis acceptum feremus. Imo horum ſententiæ id parum conſequens erat; cum enim ſapientem ſuum nulli injuriæ, nulli contumeliæ obnoxium, doloris autem expertem adeo fingerent, ut etiam in tauro Phalaridis exclamaturum dicerent, quam dulce eſt, quam hoc non curo: quomodo probare poterant laqueum torquentem, venenum bibentem, præcipitemve ſe ex alto mittentem, ne miſer eſſet. Imo Romæ quoque quam inviſi & abjecti animi fuerint habiti, qui ſibi manus intuliſſent, ex Virgilio colligas, qui

Proxima deinde, inquit, *tenent mæſti loca, qui ſibi letum*
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores.

Servo tamen naturaliter licere in ſuum corpus ſævire, Ulpianus ait *in L. 9. §. 7. D. de Pecul.* & eum, qui tædio vitæ mortem ſibi conſcivit, lugeri non vetat Marcianus, utut lugeri vetet eum, qui id fecerit conſcientia ſceleris. Scilicet in illis negligendam cenſebant injuriam ſibi ſolis illatam, in his vindicandam necem, quæ & aliis obeſſet. Ille enim civitati interimendo ſe ſubducit civem quemvis, hic civem tollit Reipublicæ antea gravem & cujus ſupplicium aliis terrori eſſe debebat formidine pœnæ. Plerique porro, exceptis Philoſophis, qui inſana ſibi ſapientia jactationis ergo manus inferebant, non temere eo videbantur decurſuri, ut tædio vitæ mori decernerent, prævalente dulcedine vitæ, cujus amorem natura ipſa homini indidit. Alia ratio videbatur eorum, qui in vinculis habitant,

ob-

Digitized by Google

obſtrinxerant. Quamobrem illi multas juris controverſias ejus ſcholæ ſeveritate definierunt: *a*) cum Julianus, qui ex altera familia erat, ſubtilitates illas juris, atque nimiam ſcrupuloſitatem intrepide contemſerit. Conſuetudine igitur Stoicorum Proculiani maxime occupabantur in dialecticis: quarum Labeo peritiſſimus habebatur; *b*) plurimumque laborabat in regulis conjunctionum, & diſtinctionum pertexendis, ordinandisque verborum nexibus. *c*) Igitur illi doctrina imbuti Stoicorum, ex eorundem ſententia ſæpe pronunciabant. Quamobrem in ea quæſtione artifex ne ſit ſpeciei dominus, an qui materiæ dominium habet: Proculiani pro artifice ſtabant: quia ex doctrina Stoicorum acceperant, res non tam materiæ, quam formæ, atque adeo ipſius conditori eſſe adjudicandas; cum id, quod ſunt res, a forma ducant, ſine qua materia prorſus eſt iners. *d*) Puber-

inibique certam mortem opperiuntur, in primis deficiente, ut inter paganos, ſpe certa melioris vitæ. Hi facilius arrepturi ferrum aut venenum hauſturi fatale videbantur, dilaniati conſcientia ſcelerum & ſupplicii metuentes atrocitatem. Horum proinde infamiam intendi e publica viſum eſt utilitate. Arithmeticam quoque proportionem Stoici amabant, ajebantque, peccata omnia æqualia eſſe. Poſſit aliquis ſuſpicari, neque enim diſerte id traditur *in L. 23. C. de legatis*, eandem proportionem Proculianis arriſiſſe in agro dividendo, ſi paterfamilias alicui fundum in ſolidum legaverit, deinde alii partem ejus dimidiam tribuerit. Verum inde minime conſit, Proculianos Stoicis addictos fuiſſe. Non enim qui proportionem Arithmeticam in conjectura ſequitur voluntatis, eam ideo confeſtim probat in æſtimandis peccatis. Quicquid autem in proportione Arithmetica Stoicum eſt, id eo pertinet, ut omnia peccata ſint paria. Legis *23. C. de Legatis*, ſpecies hæc eſt. Legaverat aliquis alicui fundum in ſolidum: deinde alii partem ejus dimidiam. Quidam duplo majorem primi partem eſſe volebant ea ſecundi, quia illi totus, huic dimidius tantum fundus relictus eſſet, & illi beſſem, huic trientem addicebant. Hi civiliter & ſubtili ſtrictaque ratione rem æſtimabant. Alii naturaliter dividi fundum volebant, ut ſinguli legatarii ſemiſſes ferrent. Similis ſpecies de uſufructu proponitur *in L. 19. D. de Uſu & uſufr. leg.* Si quis enim alii fundum, alii uſumfructum reliquiſſet, uſusfructus tanquam pars dominii, jam priori legatario conceſſus & poſtea pro parte tantum ademptus videbatur. *L. 6. D. de Uſufr. ear. rer. L. 76. §. 2. D. de Leg.* Neglexit in hac ſpecie Imperator ſimplicitatem naturalem, ut apparet ex *§. 1. J. de Uſufr.* cum eam interpretationi ſtrictæ prætulerit *in L. 23. C. de Leg.* Trebatius quoque eum, qui dolium aperit & inde aliquid vini aufert, vel aliquid ex acervo frumenti tollit, non ideo totius dolii, totius acervi furem appellat, quod omnia peccata æqualia putet, ſed quod & totum corpus attigiſſe videatur, qui aurem hominis attigit. Aberrat in eo homo alias peritiſſimus, quod corpora fluida aut coacervata comparat ſolidis, & a quantitate ſejuncta concludit ad continuam. Everardus Otto *in juriſprudentia Symbolica L. II. c. 3.* Caſtratos denique cum imperfectos dicant Proculiani, commune magis hominum judicium quam Stoicorum auctoritatem ſequuntur. Quis enim perfectum dicat hominem, cui deſit melior pars corporis?

a) *L. ita 51. §. 1. ff. ad l. Aquil. l. ſi tibi pecuniam. ff. de reb. cred. l. ſi ita 13. ff. de liber. & poſt.*

b) Gell. *lib. 13. cap. 10.*

c) *L. conjunct. 29. l. ſæpe. 53. §. 1. ff. de V. S. l. hæc verba ille. 124. ff. eod.* Diog. Laërt. *in Zenon.*

d) Senec. *epiſt. 88.*

Digitized by Google

tatem a decimo quarto ætatis anno Proculiani auſpicabantur, perinde atque Stoici, qui eam potiſſimum aptam nuptiis ætatem æſtimabant. *a*) Licebat per Stoicos angorem animi effugere voluntaria morte, quod & Seneca ſæpenumero prædicat; & Zeno ipſe proprio ſanxit exemplo: licuit etiam & per Proculianos: ſiquidem Neratius, qui ea ex familia erat, lugeri vetat eum, qui ſceleris conſcientia mortem ſibi conſcivit; non qui tædio vitæ. *b*) Idque Adrianus, & Antoninus Pius adprobarunt. *c*) Proportionem Stoici arithmeticam ſequebantur: cum omnia peccata putarent æqualia, æquales virtutes, neque de ſapientibus alterum alteri ſapientia præſtare arbitrarentur (ut enim nec vero quid verius; neque falſo quid falſius: ita nullus error, aut crimen alio erat eorum ſententia majus) eandem proportionem amplexos eſſe Proculianos oſtendit *lex viceſima tertia C. de legatis.* Nec mirum, quia Trebatius Labeonis Doctor, a quo Proculiani, crimina omnia exæquabat. *d*) Nam teſte Ulpiano, Trebatius putabat eum, qui aurem tangeret alicujus, totum attigiſſe corpus; & qui dolium aperiret, indeque parum vini auferret, non tantum ejus, quod abſtulit furem eſſe; verum etiam totius: quod Stoicam doctrinam ſapit. Quid de Caſtratorum a Spadonibus differentia? *e*) Caſtratos Proculiani morboſos exiſtimarunt, auctoritate Stoicorum, & Cynicorum, quos Lucianus ait rejeciſſe Caſtratos inter imperfectos. *f*) Ideo, ſi emtor ignoraſſet, Caſtratum hominem ab ſe emtum, Labeo Proculianorum princeps redhibendum cenſuit, quaſi morbo affectum. *g*) Sed jam ad ſingulos, & celebriores Juriſconſultos veniamus: ac prius certa juriſprudentiæ genera percurramus.

XLVI. DE VARIIS ÆTATIBUS JURISPRUDENTIÆ, ET DE JURISCONSULTIS ANTIQUÆ JURISPRUDENTIÆ.

Quatuor igitur ſunt genera juriſprudentiæ a variis ducta temporibus: quorum primum antiqua juriſprudentia nuncupatur, quæ ſtatim poſt latas leges duodecim Tab. prodiit: aſpera quidem illa, tenebricoſa, & triſtis non tam in æquitate, quam in verborum ſuperſtitione fundata; eaqua Ciceronis ætatem fere attigit, manſitque annos circiter CCCL. Quæ hanc excepit, viguitque annos fere ſeptuaginta novem, media dicitur; ſuperiori longe humanior: quippe quæ magis utilitate communi, quam poteſtate verborum negotia moderaretur: ductaque interpretum, ac magiſtratuum auctoritate, leges veteres flecteret ad lenitatem. Huic ſucceſſit juriſprudentia nova ab Auguſti Imperio, anno ſcilicet ab V. C. DCCXXIX. ad Juſtinianum uſque protracta. Editis deinde a Juſtiniano Novellis, proceſſit juriſprudentia, quæ dicitur noviſſima, quæque pervenit ad annum Chriſti DCCLI. a quo tempore juriſprudentia, barbarorum colluvie merſa, usque ad Lotharium latuit Italiæ.

a) Plutarch. *lib. 5. de plac. cap. 24.* Tertull. *de anim. c. 38.*
b) L. *liberorum 11 §. 3. ff. de his qui notant. infam.*
c) *L. 3. §. 4. & 5. ff. de bonis eorum, qui ante ſent. l. 6. §. 7. ff. de injuſto, rupto, & irr.*
d) *L. vulgar. in princ. 21. ff. de furt.*
e) Gell. *lib. 4. c. 2. l. 6. ff. de lib. & poſt.*
f) Lucian. *in Eunuch.*
g) Gell. *lib. 4. cap. 1.*

XLVII.

Digitized by Google

XLVII. DE TIBERIO CORUNCANO.

Sed jam præcipuos juriſprudentiæ auctores producamus. Ut autem prætercam Appium Claudium Decemvirum conditorem legum XII. Tab. & ejus ſive pronepotem, ſive, ut alii volunt, abnepotem Appium Claudium Cœcum, Publium Sempronium, qui a civili prudentia dictus eſt Sophus, & Publium Cornelium Naſicam, patrem illius, qui a publico Populi Romani amore, appellatus eſt Corculum; quorum ſane memoria maximis rebus geſtis, & veterum hiſtoricorum monumentis ſatis eſt pervagata. *a*) Exordium ducam a Coruncano e Tuſculo, qui princeps publicam juris civilis profeſſionem eſt ingreſſus: quique auditores habuit, & ſententias plures, atque reſponſa reliquit ab eis excepta. Vixit is tempore primi belli Punici; primusque de plebe Pontifex max. eſt creatus. Conſul fuit cum Pub. Valerio Lævino, anno A. V. C. CCCCLXXII. & cenſuram geſſit cum Cajo Claudio, anno ab V. C. CCCCLXXXV. & circa annum DVII. Dictator fuit comitiis habendis. De Vulſinienſibus triumphavit, tantaque auctoritate erat, ut ad eum, teſte Cicerone, *b*) de humanis, & divinis omnibus referretur.

XLVIII. DE SEXT. ET P. ÆLIIS.

Conſecuti ſunt hunc Sex. & Pub. Ælii Fratres ambo Coſſ. ex pauperrima Æliorum gente: *c*) de qua ſexdecim una domuncula claudebantur. *d*) Porro Sex. Ælium Ennius a prudentia Catum appellavit. *Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.* Conſul fuit cum T. Q. Flaminio, anno ab V. C. DLII. Publius autem Ælius Conſul fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno V. C. DXLIX.

XLIX. DE LUCIO ATILIO.

Lucii Atilii tanta fuit opinio prudentiæ civilis, ut primus a pop. Rom. latine *Sapiens* appellaretur; cum Sempronio *Sophi* nomen fuerit e græca lingua petitum: ut exiſtimem ab eruditis magis, quam a vulgo id ei contigiſſe.

L. DE MARCO CATONE.

Floruit etiam innumeris virtutibus immortalitati commendatis, teſtimonio hiſtoricorum, & juris etiam civilis ſcientia, Marcus Cato e municipio Tuſculano. Hic cum hortatu L. Valerii Flacci Romam veniſſet, ætatisque ſuæ anno decimo ſeptimo in militiam profectus eſſet; brevi mira felicitate, atque incredibili favore populi ad ſummos honores pervenit; *e*) Cenſorque creatus, tantam gravitatem, atque ſeveritatem adhibuit, ut inde *Cenſorius* fuerit appellatus: notandisque ſumma libertate pluribus ex nobilitate in multorum offenſionem venerit: a quibus quoties in judicium capitis vocatus eſſet, quod crebro evenit, toties non abſolutus modo, verum etiam laudatus diſceſſit. Hic ex ſua prole inſignes alios dedit

a) Cic. *orat. pro Planc. c. 8.* Liv. *lib. 18.* Cic. *pro Dom. & de leg lib. 2.*
b) *Lib. 3. de orat.*
c) Valer. *l. 4. c. 4.* Plutarch. *in vit. Æmil.*
d) Cic. *de orat. lib. 6. l. 2. ff. de orig. jur. §. deinde.*
e) Liv. *lib. 39. c. 40.*

G 3 Juriſ-

Juriſconſultos, quales etiam fuere *a*) M. Cato Prætor * & Marcus Cato Salonianus.

LI. DE BRUTO.

Non minoris exiſtimationis in jure civili fuit *b*) M. Junius Brutus, qui præturam geſſit, & de jure tres (Scævolæ teſtimonio) edidit libros: *c*) quamvis alii ſeptem numerent. Hunc Pomponius tradit ſimul cum P. Mutio Scævola, & Manilio jus civile fundaſſe ab V. C. DCXX.

LII. DE P. MUTIO SCÆVOLA PONTIFICE.

Publius Mutius Scævola Pontifex Max. fuit & Tribunus plebis: in qua poteſtate Lucium Tubulum, rogatione lata, in exilium abire coëgit: quod cum Prætor eſſet, & quæſtionem de Sicariis exerceret, pecuniam accepiſſet. Prætor etiam, & Conſul demum creatus eſt cum L. Calfurnio Piſone Frugi, Senatum vexante Tiberio Graccho, qui populari gratia Remp. evertebat. Unde Patres armis decertandum putabant. Et quia Scævola negarat ad vim deſcenſurum; Naſica, ſublata manu, ducem ſe obtulit eorum, qui Remp. ſalvam vellent; coactaque multitudine Tiberium Gracchum interemit. Cujus facti Scævola, qui ſocius eſſe recuſarat, in judicio tamen laudatorem ſeſe, ac vindicem præſtitit. Naſicam enim accuſatum, non defendit modo, ſed etiam ornavit, adprobavitque ab eo geſta; ut laudem fortitudinis, quam amiſerat re gerenda, ea poſtea tuenda recuperarit. Moriens vero P. Mutius ** in Aſia, Pub. Licinium Craſſum Mutianum

a) Gell. *lib. 13. cap. 19.*

* Huic vulgo tribui videas regulam Catonianam, qua dein convaleſcere nequit, quod ab initio invalidum fuit, & cujus eximius in jure uſus eſt, præcipue in ultimis voluntatibus. Poſſet tamen etiam Catoni, patri, tribui, cujus ſuperſint libri de re ruſtica. *Regulam Catonis* ſingularibus iisdemque elegantibus Commentariis illuſtrarunt Franciſcus Balduinus & Jo. Strauchius, noviſſime etiam junctim editis.

b) Liv. *lib. 5. dec. 4.*

c) *L. 2. §. poſt hos ff. de orig. jur.* Cic. *de orat. lib. 2.*

** Fertur hic Mucius, ſic enim legendum, non Mutius, numi & ſcriptores Græci docent, fertur inquam, quando animo indulgebat, pila bene & duodecim ſcrupis optime luſiſſe, animoque adeo intento, ut, cum aliquando ex certamine ſcruporum inferior diſceſſiſſet, rus petens, totius luſus ordinem repetere & ſic ſuum errorem detegere potuerit. Cicero *de orat. 1. c. 5*) Quinctilianus *lib. II. c. 2.* Eum autem phtiriaſi extinctum, Bertrandus putat auctoritate Plutarchi *in Sulla p. 475.* ſed diſſentit Grotius, quia verba Plutarchi etiam de quovis alio Mucio, in quorum familia jura civilia jam pridem verſabantur, intelligi poſſint. Ex hujus Mucii libro ὅρων, vel definitionum, quatuor fragmenta Pandectis illata *L. 64. D. de A. R. D. L. 8. D. de aqua quot. & æſtiva L. 241. D. de V. S. & L. 73. D. de R. J.* eſtque is eorum omnium antiquiſſimus, quorum ſcripta in Pandectis digeſta ſunt. Eidem cautio Muciana vulgo tribuitur, qua is, cui conditio non faciendi impoſita eſt, reſtitutum cavet ſe relicta, ſi fecerit, quod facere prohibitus eſt, *L. 7. pr. D. de cond. & dem.* De juriſprudentia Muciana Franciſcus Balduinus egit *in Scævolis, editis Baſilea 1558. 8vo.* & deinceps. Mucii Auguris

fra-

Digitized by Google

fratrem adoptivum in Pontificatu Max. ſucceſſorem I. C. & Q. Mutium Scæv. filium, Juriſconſultorum omnium principem, reliquit: totque familia hæc deinceps J. C. peperit, ut in ea juriſprudentia domicilium contuliſſe, ac Scævolarum vetuſtum eſſe, atque avitum patrimonium videretur.

LIII. DE MANLIO TORQUATO.

Manlius, ſive Manilius, cui tres de jure civili libros Pomponius adſcribit, Conſul fuit cum L. Marcio, * anno A. V. C. DCI. tantæ innocentiæ, ac ſeveritatis; ut cum Decius Syllanus filius a ſe in adoptionem datus per legatos Provinciæ Macedoniæ peculatus poſtularetur; ipſe hæreditaria ſeveritate, publicam animadverſionem domeſtico ſupplicio antevertere voluerit. Nam ſuſcepta privatim cognitione, antequam publice ea de re conſuleretur, Senatu jubente, auditis biduum accuſatoribus, & teſtibus, tertio die adverſus filium ſententiam tulit: qua juvenem, utpote a majoribus ſuis degenerem, Republica, & domo ſua indignum pronunciavit; ablataque omni ſpe reditus, e conſpectu ſuo juſſit abire. Hac injuria filius exanimatus, voluntaria morte ſe infamiæ ſubtraxit. Quæ calamitas minime tamen Patris ferociam fregit: nam exequiis filii non ſolum corpore, ſed animo etiam abeſſe voluit; ſiquidem cum funus duceretur, ipſe domi ſedens, mente ſoluta, & libera conſultoribus audiendis, civiumque negotiis componendis, jucunde vacabat. *a*)

LIV. DE CAJO MARTIO FIGULO.

Cajus Martius Figulus, Caji Martii filius illius, qui cum Naſica conſulatum geſſerat, anno A. V. C. DXCI. etiam in Juriſconſultos a pluribus refertur. Is cum petitione conſulatus repulſam tuliſſet, & a civibus de more conſuleretur; injuriam indignatus *conſulere*, inquit, *ſcitis; Conſulem facere neſcitis. b*)

LV. DE CAJO LIVIO DRUSO.

Cajus Livius Druſus tanta ſcientia juris, tantaque caritate fuit, ut confecta jam ætate, luminibus etiam amiſſis, aſſidue tamen conſultoribus vacaret. *c*)

LVI. DE MEDIA JURISPRUDENTIA, EJUSQUE JURISCONSULTIS, ET DE P. RUTILIO RUFO.

Atque hi antiquam juriſprudentiam condiderunt. Mediæ autem juriſprudentiæ a Ciceronis ævo profectæ, hi celebriores feruntur auctores. Primo loco

arbitrium de finibus regundis inter Genuates & Veturios interpoſitum, legitur apud Gruterum *Inſcript. p. CCIV.*

* Imo cum Cn. Octavio eum conſulem fuiſſe, A. V. DLXXXVII. ex Cicerone *de Fin. 1. 7.* colligit Heineccius *Hiſt. jur. L. 1. c. 3. §. 103.* Quare recenſeri debebat ante P. Mucium, cujus Conſulatus in annum decimum DCXX. incidit. Eſt autem præſto in Manlio Torquato exemplum eximium patriæ poteſtatis, qua patri, tanquam judici domeſtico in filium animadvertere licebat.

a) Val. Max. *l. 5. c. 8. n. 3.*

b) Val. Max. *l. 11. c. 3. n. 2.*

c) Val. Max.

pro-

Digitized by Google

producam Publium Rutilium Rufum, cujus extrema ætas in pueritiam Ciceronis incidit. Is græcis literis cumprimis eruditus P. Mutii Scævolæ, ac Panætii Stoici auditor fuit; ejusque diſciplinæ alumnum, non mentis, & orationis tantum; ſed operum quoque ſeveritate, tota vita ſe præſtitit. Siquidem neque injuria unquam, nec gratia victus, utramque adverſam pariter, ac ſecundam contemſit fortunam: & Civitatem, quam exul, & repetundarum injuſte damnatus reliquerat, etiam oblatam a Sylla repudiavit: quaſi opus non eſſet reddi ſibi Civitatem, quam, ſalva innocentia, retentaque animo romana virtute, nunquam amiſerat. Hinc in eo judicio, dum pro ſe diceret, neque ſummos Oratores L. Craſſum, & M. Antonium ſibi adeſſe voluit: neque ſupplices manus ad cujusquam genua circumtulit: ſed majori ſibi gloriæ duxit innocentem damnari, quam ſuperborum opem implorantem abſolvi. Ac ſicuti nullæ hunc inimicitiæ, ita nec amicitia deflexit a virtute. Cum enim cujusdam amici parum juſtæ rogationi reſiſteret, & amicus diceret: *Quid mihi amicitia tua, ſi nihil abs te impetro, opus eſt?* Rutilius retulit: *Imo quid mihi tua, ſi propter te ſum aliquid inhoneſti facturus?* Itaque rectiſſime hunc togatum, & Conſularem Socratem appellaveris. Diſciplinæ militari exquiſitam etiam artem inſervit, evocatis e ludo Caji Æmilii Scauri magiſtris gladiatorum: uſuque ad rationem expenſo, militiam virtute jam florentem, etiam ſcientia munivit. Tribunus plebis fuit, & Conſul cum Cajo Manilio, anno A. V. C. DCXLVIII. & Aſiæ Proconſul, teſte Pomponio. Deceſſit in exilio, reliquitque libros de jure non paucos, & orationes aliquot, judicio Ciceronis, exiles; inter quas unam de modo ædificiorum, quam Senatui Auguſtus recitavit, edictoque promulgavit, ut proprium ea de re conſilium, veterum auctoritate, comprobaret. Scripſit idem Rutilius hiſtorias, & de vita ſua libros. *a*)

LVII. DE Q. ÆLIO TUBERONE.

Quintus Ælius Tubero Panætii etiam auditor a Stoicorum doctrina morum & orationis triſtitiam ſuſcepit cum dialectica ſubtilitate. Avita decora, & honores, honorum ipſe contemtu, longe ſuperavit. Nam paupertatem generis ab ſuis majoribus faſcibus, & triumphis ornatam, ipſe, prælata honoribus continentia, magis nobilitavit per acceptam repulſam. Epulum enim P. Africani nomine populo Rom. cum daret Fab. Maximus, ipſe rogatus, ut triclinium ſterneret, lectulos ligneos Punicanos pellibus texit hædinis, & fictilia veterum, pro argenteis vaſis expoſuit. Quam obſoletam jam frugalitatem populus mirari malebat, quam experiri, plusque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Pauli Tuberonis avi, ejusque avunculi Africani merita: quibus hic in comitiis prætoriis, juſtum ſuffragiorum numerum minime tulit. Doctrina juris præſtitit omnes, quotquot ante ſe floruerant. Scripſit hiſtorias, & librum de officio Judicis ad Cajum Oppium. Hunc vero Conſulem fuiſſe, a nullo veterum, præter Pomponium, accepimus. Lucullum ob opulentiam, & ædificiorum magnificentiam, quibus in Campania non terras tantum, ſed & maria occupaverat, homo priſca ſeveritate Xerxem Togatum appellare ſolebat. *b*)

a) *De his* Tull. *in Brut. & de orat. lib. 1.*

b) *De hoc* Gell. *lib. 1. cap. 22.* Cic. *in Brut. & in orat. pro Muren.*

LVIII.

LVIII. DE SEX. POMPEJO, ET CÆLIO ANTIPATRE.

In Juriſconſultos etiam refertur Sextus Pompejus, Cn. Pompeji patruus: quem Cicero in Bruto ait præſtantiſſimum ingenium contuliſſe ad ſummam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ, & rerum Stoicarum ſcientiam. Item Cælius Antipater, quem hiſtoriæ majorem ſonum addidiſſe, Cicero tradit: *a*) cum ipſe primus fuerit rerum exornator; *b*) alii vero ante illum narratores tantum.

LIX. DE Q. MUTIO SCÆVOLA AUGURE, ET SCÆVOLA PONTIFICE.

Quintus Mutius Scævola Augur, injuria præteritus a Pomponio, multis a Cicerone laudibus; & crebro attollitur. In hujus enim diſciplinam Cicero adoleſcens fuerat a Patre traditus, ab eoque, pluſquam Oratoribus mos eſſet, jus civile addidicit, reſponſis ejus, atque diſputationibus, aſſidua conſuetudine, audiendis. Oratoris munus pro ſe tantum Scævola exercuit, in eo præſertim judicio, in quo repetundarum ab Albutio poſtulatus, accuſatore fracto, atque repreſſo, non ſine laude, fuit abſolutus. Lucilii mordacitatem, a quo pluribus verſibus laceſſebatur, magnifice contemſit: longeque majori gloria ſprevit Syllæ minas: quibus adduci nunquam potuit, ut ſententiam ferret adverſus C. Marium, cum a Senatu hoſtis patriæ, cogente Sylla, judicabatur. A reſpondendi munere, providendisque publicis, privatisque negotiis, neque valetudine, neque ingraveſcente avocabatur ætate. Atque ad ſummam ſenectutem, & morbum adductus, cum viribus deficeretur, voce tamen, atque præſentia in Saturnini tumultu civibus præſto fuit. Uxorem habuit filiam Lælii natu majorem, ab eoque in Collegium Augurum eſt cooptatus. Filiam nuptui dedit L. Craſſo Oratori Max. Tantæ vero modeſtiæ fuit, ut ex aliena ſcientia nil ſibi quidquam adſereret. Ideo cum de jure prædiatorio conſuleretur, ſuos conſultores amandabat ad Furium, & Caſcellium prædiatores: quanquam id ad Juriſconſulti ſcientiam, cujus erat peritiſſimus, etiam pertineret. Prætor in Aſiam eſt profectus. Conſul fuit cum L. Cæcilio Metello Dalmatico, anno A. V. C. DCXXXVI. cum quo & ipſe de Dalmaticis triumphavit. Ab hoc Mutio Augure alio dignitatis vocabulo diſtinguitur. *c*) Q. Mutius Scævola Pontifex, Publii Mutii Pontificis filius, qui tribunatum plebis geſſit, & Conſul fuit cum L. Craſſo, *d*) cum quo & alios obivit honores, præter cenſuram, qua Scævola, vel forte caruit, vel voluntate. In Conſulatu legem tulit, ne non civis pro cive haberetur. Aſiam Proconſul novem rexit menſes, tanta innocentia, & integritate; ut dehinc quaſi virtus omnis unius viri eſſet imitatio, quisquis recte adminiſtraſſet, Scævola diceretur, illiusque adminiſtratio ex S. C. pro exemplo, atque forma ceteris magiſtratibus in provinciam proficiſcentibus proponeretur. Itaque multa multi rectores provinciarum ex edicto Mutiano in ſuum transferebant. Ob eam integritatem, qua totius provinciæ benevolentiam collegit, in

a) *Lib. 2. de Orat.*
b) Cic. *in Brut. & in l. 1. c. 6. de leg.*
c) *De confuſione perſonarum apud* Pompon. *in variis Scævolis. vide* Coccejum §. 40. & 41. *l. 2. ff. de orig. jur.*
d) Cic. *in Brut.*

Digitized by Google

offenſionem venit publicanorum: *a*) quorum rapacitas ejus exemplo, & auctoritate coërcebatur. Quanto ſuperavit omnes doctrina juris, tanto ceteros Juriſconſultos præſtitit eloquentia; ut eloquentium Juriſconſultiſſimus, & Juriſconſultorum eloquentiſſimus, a Cicerone appelletur. *b*) Apud Centumviros in judicio Marci Curii, & Marci Coponii acute; ac vehementer pro ſubtili ratione juris pugnavit contra L. Craſſum, pro æquitate adverſus juris ſeveritatem, ſummo plauſu, dimicantem. Quæſtio erat illa: an ſubſtitutus poſthumo, ſi is ante moreretur, quam in ſuam tutelam veniſſet, eo non nato, ſuccederet. Scævola ſeſe verbis continebat, neque ferebat, ut ſub uno duo caſus involverentur, & nondum natus pro mortuo haberetur: Craſſus indiciis, atque veſtigiis verborum ad reconditam voluntatem eruendam ducebatur, contendebatque ſubſtitutum, mortuo filio, vocatum, eadem voluntate vocari, eo non nato; quæ ſententia obtinuit, ceſſitque ſeveritas æquitati. Ex hujus familiaritate, tanquam ex communi Juriſprudentiæ ſchola inſignes ejus ætatis Juriſconſulti prodiere: nempe Gallus Aquilius, Lucilius Balbus, Sex. Papyrius, Cajus Juventius. Libros reliquit decem & octo, quibus Pomponius jus civile conſtitutum eſſe ſcripſit. Forte quod artem aliquam, & ordinem ad eam doctrinam primus adjunxerit. Cum Syllanis partibus faveret, fraudeque obſeſſi Patrès in Senatu trucidarentur: ipſe fugiens, araſque Veſtæ complexus, eas ſanguine ſuo reſperſit: vulneratus Caji Fimbriæ juſſu, a quo, cum non omnem adhuc ſpiritum vir graviſſimus exhalaſſet, ludibrio habebatur: diem enim illi dixit apud Populum, ob id nempe crimen, quod parcius neque totum corpore ſuo telum excepiſſet. Quæ haud inopinanti mors eſt oblata: cum enim ſuas partes extra urbem ſequi poſſet, ille, ut conſilium ſuum in componendis diſcordiis populo præberet; neve ad mœnia patriæ armatus obverſaretur; mortem præoptavit, de quo Lucanus:

Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipſum penetrale Deæ, ſemperque calentes
Mactavere focos: parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit jugulo, flammiſque pepercit.

LX. DE C. AQUILIO GALLO.

Cajus Aquilius Gallus æquiſſimus, una & ſolertiſſimus cautionum artifex, atque malitiarum, ut cum Cicerone loquar, *c*) everriculum, plures habuit in jure civili auditores, & quidem nobiles, quos inter Servium quoque Sulpicium; qui fragmenta aliqua ſuis libris e ſcriptis Aquilianis inſeruit: quæ Aquilii ſcripta, ne quidem ad Pomponii ætatem, integra pervenerunt. Ex aliorum igitur auctoritate, ac fide ſuperſunt in Digeſtis aliquot ſummi viri monumenta, tum celeberrimarum formularum, qualis eſt Aquiliana acceptilatio, & ratio inſtituendorum poſthumorum, itemque formula doli mali; tum utiliſſimæ legis de damno ſarciendo. *

a) Cic. *pro Planc. c. 13.*
b) Cic. *lib. 1. de Orat.*
c) *Lib. 3. de natur. Deor. c. 74. & lib. 3. de offic. & in Brut. & pro Cæcin.*

* Eidem debetur jus accreſcendi, *L. 14. D. de Hered. inſtit.* & jus poſtumorum ad patrui hereditatem admittendorum, *L. 127. D. de legat. 1.* Vitam ejus noviſſime Ce-

Hanc

* Hanc prudentiam, & æquitatem ſcriptis docuit, & exemplo: cum Octaciliæ Laterenſis impudicæ mulieris fraudem in judicium conſilio reſecuit. Etenim Octacilia, qua Cajus Viſellius Varro obſcæne utebatur, eo ægrotante, cum ex illius teſtamento per leges capere non poſſet, quantum ipſa optabat; pellexit hominem ad voluntariam debiti confeſſionem: qua Varro accepta tulit Octaciliæ trecentum millia nummorum, quæ, redintegrata Varronis valetudine Octacilia, cui ab illius hæredibus petenda erant, ab ipſo Varrone in judicium vocato impudentiſſime petiit: Hic vero Aquilius, cui fraus extra judicium oboluerat, judicem agens, etſi detegi dolus in judicio non poſſet; quo tamen exitum præcluderet fraudibus, principibus Civitatis viris adhibitis, conſcientiam veritatis, ſcripturæ, ac teſtibus antepoſuit; abſolutoque Varrone Octaciliam, cum ſuis turpiſſimis captionibus, e ſuo conſpectu abire juſſit. Hæc ejus æquitas cum ſolertia, & ſumma ſcientia juris conſpirans, regnum quodammodo illi tradidit judiciorum: ut quamvis conſulatum non geſſerit, conſularis tamen ei non defuerit auctoritas. Tribunus plebis creatus legem tulit, quam habimus, Aquiliam. * Domum habuit in Viminali, magnificentia, & pulchritudine memorabilem. *a*) Prætor fuit cum Cicerone.

LXI. DE L. LUCILIO BALBO.

L. Lucilius Balbus Stoicæ doctrinæ principatum, ætate ſua, tenuit; ut nemo huic ex Græcis anteponeretur. Quapropter ſuum opus ei Antiochus philoſophus miſit, & a Cicerone in dialogis *de natura Deorum* Stoicarum partium defenſor inducitur. Serv. Sulpicium habuit in jure civili diſcipulum, qui plures Lucilii ſententias libris complexus eſt ſuis: cum Lucilii ſcripta non permanſerint. Eundem Balbum Cic. in Bruto doctum, eruditumque, atque conſiderata tarditate hominem vocat. Henelius fratrem hunc facit illius, qui Stoicam doctrinam in Tullianis libris exponit.

LXII. DE CN. AUFIDIO.

Cn. Aufidius omiſſus a Pomponio Ciceronis ætate in juriſperitorum numero fuit. Huic cæcitas neque ſcientiarum lumen neque rerum gerendarum facultatem ademit: nam vir prætorius fuit, & graviſſimas in Senatu ſententias dicebat, & græcam ſcripſit hiſtoriam, & ſuum officium amicis diligentiſſime præſtitit.

LXIII. DE C. JUVENTIO.

Cajus Juventius, cui ab aliquibus Titi prænomen imponitur, is eſſe putatur, quem Cicero ſcribit peritum fuiſſe juris, & non t m acri eloquentia, quam verſuta, ac magis ad irretiendum animos, *b* quam ad confutandum idonea. Hic inter

leb. Heineccius ſingulari oratione illuſtravit.

* Quod tamen non ſatis conſtare, ipſe profitetur, *de Leg. & SC. c. CX.* qua in re aſſentientem habet Virum Summum, Gerardum Noodt *ad L. Aquiliam c. 1.* Pighium tamen plerique ſequuntur, qui hanc legem latam putat A. U. DLXXII. a L. Aquilio Gallo, Tribuno plebis.

a) Plin. *lib. 17. cap. 1.*
b) Cic. *in Brut.*

Mutii diſcipulos, & Serv. Sulpicii præceptores ponitur: cujus Servii libris Juventii ſcripta promebantur.

LXIV. DE SEX. PAPYRIO.

Ejuſdem auctoritatis, ac fortis fuit Sextus Papyrius: nam & Mutii auditor fuit, & Servii præceptor, ejuſdemque libris poſteris traditus.

LXV. DE SERVIO SULPICIO.

Sed jam ad Servium Sulpicium, integrioris doctrinæ fontem, veniamus. Cujus prudentia cum privatim, tum publice populo Romano profuit: privatos enim ſcientia juris; rem vero publicam animi virtute juvit, atque conſilio. *a*) Ciceroni fuit communione ſtudiorum, & voluntate in Republica adminiſtranda conjunctiſſimus; quem ſibi Sulpitius eloquentia præſtantem, ſuperare juriſprudentia voluit: ad quam eum adpulit objurgatio Q. Mutii Scævolæ, qui a Sulpicio de cujuſdam amici negotio interrogatus, cum ſemel atque iterum reſpondiſſet, & Servius imperitia juris non adhuc perciperet; *b*) indignatus parumper, turpe dixit eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare. * Itaque Servius pudore affectus, ad jus civile ſe contulit; adeoque brevi profecit, ut omnibus ante ſe Juriſconſultis antecelleret; ac ſuperavit facilitate Gallum, conſilii celeritate Lucilium: id, quod erat in utroque præſtantius, ad ſe pertrahens. Hoc etiam omnes Juriſconſultos vicit, quod juriſprudentiæ uſu potius, & moribus enutritæ, quam arte, ipſe addidit comitem, atque adjutricem dialecticam: qua res diſſipatas coëgit in propria genera; generibusque ſuas ſubtexuit partes: inque ſuum ordinem ſcientiam eam deſcripſit univerſam: ut mens antea errabunda, recta pergeret via; uſuque definiendi, diſtinguendique fallacias, captiones declinaret. ** Proprietatis verborum ad eruendam ex Juriſconſultorum inſtituto primævam eorum ſignificationem erat ſtudioſiſſimus, ac ſi quid eum effugeret, Marcum Varronem conſulebat. *c*) In quæſturæ, atque præturæ petitione L. Murænam vicit, ab eodem

a) Cic. *in Brut.*

b) Pomp. *l. 2. de orig. jur. §. 43.*

* Quod falſi arguit Ant. Auguſtinus *de Nominibus Pandectarum col. 224.* primum, quod, Scævola ſuperſtite, Servius non floruerit gloria eloquentiæ, tum quod dudum poſt mortem Scævolæ, ex inſula Rhodo ſcilicet, reverſus, juriſprudentiæ demum ſe addixerit. Verum illud prius per anteciparionem dicit Pomponius, Rhodum vero recens a Mucii objurgatione Sulpicius petiit, ut juri, cujus uſus ſolus penes Scævolam fuerat, artem adjiceret, quo nomine eum laudat, Scævolæque opponit Cicero *in Bruto c. 41.* Reſediſſe aliquid fellis in animo Sulpicii propter ſeveritatem reſponſi Muciani, ex acerbitate notarum colligi poteſt, quibus Mucii ſcripta perſtrinxit, & quæ reprehenſa Mucii capita appellantur Gellio *L. IV. c. 1.* Exemplum *in L. 3. §. 6. D. de penu leg.* Uberrime de eo egit Vir Celeb. Everardus Otto in oratione ſingulari.

** Sic pulcherrimum locum Ciceronis de Philoſophia Sulpicii *in Bruto c. 41.* ſuis noſter iterum verbis effert, dubiumque ſimul relinquit, Tulliusne an ipſe rem majore vi eloquentiæ prodiderit. Antea eum attigerat *in cap. 42.* & infra attinget *c. 64.* & *in oratione de juriſprudentia.*

c) Gell. *lib. 2. cap. 10.*

in

in Conſulatus petitione victus: quem Sulpicius ambitus accuſavit, defendente Cicerone, qui ne reus accuſatoris dignitate obrueretur, jucundiſſima cavillatione juriſprudentiam præ militari peritia extenuavit. Antepoſitus deinde Sulpicius fuit in eodem honore Marco Catoni recuſanti ſua in petitione prendere, aut compellare quemquam: collegamque habuit in conſulatu M. Marcellum: *a*) cujus a Magio Chilone interemti funus ipſe curavit Athenis. Victore Cæſare, nec dum in Italiam reduce, Sulpicius, qui Pompejo ſtuduerat, ſibi metuens in Græciam conceſſit: pluresque ad ſolatium animi regiones oberravit. Tandem a Cæſare Romam reverſo, ſumma clementia, non modo reſtitutus, ſed & Græciæ præfectus fuit. Mortuo Cæſare, S. C. conditum eſt in Servii ſententiam, ut Octavio, quod egregiam Reipublicæ operam navaſſet, ac Antonium urbem direpturum ſtrenuo repuliſſet, ante tempus præfinitum legibus, magiſtratum petere liceret. Tandem legatus miſſus ad Antonium Mutinam obſidentem; ut eum juſſu Senatus ab ea obſidione dehortaretur, atque ad ſaniora conſilia revocaret: ingraveſcente valetudine in itinere occubuit, Hircio, & Panſa *b*) Coſſ. cui Senatus ex Ciceronis ſententia ſumtus ampliſſimos decrevit in funus, & ſepulchrum, ſtatuamque in roſtris equeſtrem ex ære. Uxorem habuit Poſthumiam, quam rumor fuit a Cajo Cæſare adulterio pollutam. Scripta reliquit ſane permulta, & egregia: quæ Cicero pluris faciebat, quam ſuperiorum omnium opera peritorum: numerumque centum prope, & octaginta librorum ejus, Pomponius prodidit.

LXVI. DE CAJO TREBATIO TESTA.

Cajus Trebatius Teſta inſignem & ipſe locum inter ſui temporis Juriſconſultos tenuit: Ciceroni fuit familiariſſimus, per quem Trebatio aditus patuit ad Cæſaris amicitiam in Gallia: ubi *c*) Ciceronis gratia tam benigne fuit receptus a Cæſare, ut ei Tribuni militum ſtipendia, ſine muneris labore, detulerit. Cæſar vero hunc adhibuit conciliatorem ad Ciceronem, & Servium Sulpicium, ut eos a Pompeji partibus traduceret ad ſuas; nullo tamen ſucceſſu. Rerum potitus Cæſar Trebatium ſe admonentem, ut Senatui adſurgeret, minaci vultu increpuit. Trebatii rogatu, Cicero Topicorum libros, forenſibus exemplis refertos, conſcripſit, eidemque miſit. Apud Auguſtum eo in honore habebatur, ut de graviſſimis quibuscunque negotiis conſuleretur. Itaque Trebatio auctore, ac ſuaſore codicillorum uſum adprobavit. *d*) Unde non mirum, ſi tam honorifice ab Horatio * in Satyris appellatur. Libros compoſuit de jure civili haud paucos & de Religione novem: qui fortaſſe propter dicendi genus inconditum, rarius verſabantur in manibus: non enim admodum eloquentiæ ſtuduerat. Ingenio vero magis, quam Judicio valuit, utpote in definiendo præceps: ut ſe oſtendit in quæſtione illa: poſſet

a) Dion. *l.* 40.
b) *Philipp.* 9.
c) *Ex lib.* 7. *epiſt.* Cic. *ad fam.* & *lib.* 4. *epiſt.* 1.
d) *Inſtit. de codic. in princ.*
* Qui ſcilicet junior erat Trebatio, quocum Cicero, utpote ætate major, ſæpe joco liberiori cavillari deprehenditur. Quare Daniel Heinſius *in Diſſ. de Satyra Horatiana*, Trebatium tanquam hominem dubiæ ſanitatis traducit, quem excuſat Nic. Hier. Gundlingius *in diſſ. de C. Trebatio Teſta.*

ne de furto, ante aditam hæreditatem commiſſo, hæres agere? in qua cum neminem id ſenſiſſe reſponderit, a Cicerone coarguitur: qui Brutum, Manlium, & Sext. Ælium auctores produxit.

LXVII. DE OFFILIO.

Trebatii fuit æqualis Offilius Servii auditor: cui Offilii Auguſti familiaritas nullum honorem attulit: nam ſupra equeſtrem gradum non aſcendit. Complexus eſt libris ſuis fundamenta juris civilis: nam princeps prætoris edictum diligenter concinnavit, & de juriſdictione ſcripſit, ac de viceſimis hæreditatum. * Juris partiti & actionum libros edidit, & ad Atticum epiſtolas aliquot, forſan de quæſtionibus juris. *a*)

LXVIII. DE A. CASCELLIO.

Vixit eodem tempore A. Caſcellius: qui ut ſcientia juris par fuerit Offilio, & Trebatio; *b*) utrumque tamen eloquentia præſtitit. Vitam ad Auguſti tempora produxit: neque tamen mores cum Republica mutavit, retinuitque ſub novo Romanorum ſervitio veterem libertatem: cujus duo ſe habere præſidia contra tyrannorum potentiam exiſtimabat, ſenectutem ſcilicet, & orbitatem. Sunt enim filii obſides Principi paternæ voluntatis. Quapropter conſulatus honorem oblatum ab Auguſto recuſavit: ne accipiendis honoribus auctoritatem tribuentis aſſereret: aut, injuſtis honoribus gerendis, illi ſocium ad opprimendam Rempublicam ſe præberet. Ac ne proſcriptionibus bonorum juris auctoritatem tribueret; noluit formulas componere, quibus Triumvirorum largitiones exprimerentur. Ejus in ſcribendo ſtudium antiquitatis Quintiliano commendatur. De ſcriptis tamen ſuis, ne ad Pomponii quidem ætatem ſuperfuit: præter librum benedictorum: ** quæ in-

* Imo de Viceſimis manumiſſionum, de quibus lata lex A. U. CCCXCVI. Livius *L. VII. c. 16.* Lex enim *de Viceſima hæreditatum* ſub Auguſto demem lata, L. circiter annis poſt mortem Cæſaris, cui familiariſſimus fuiſſe Pomponio, dicitur Ofilius. Et erat is ſane tempore eo adultæ jam ætatis. Tubero enim, cum Ligarium apud Cæſarem fruſtra accuſaſſet, & ideo ab oratoria arte ad Jus Civile tranſiret, Ofilio in primis operam dedit. Sed nec auctoris ſententiæ argumenta deſunt. Conſilium enim indicendæ viceſimæ hereditatum Auguſtus in Cæſaris ſe tabulis inveniſſe jactabat, cujus inſtituto commendando nemo aptior Ofilio, Cæſaris familiari, nemo gravior ſene. Neque Ofilium ad leges, ſed de legibus Viceſimarum ſcripſiſſe, Pomponius ait. Poteſt proinde Viceſimam quoque hereditatum commendaſſe, tanquam utile fiſco inventum, Cæſari autem jam probatum, ab Auguſto vero, civibus Ofilii ſuaſione delinitis, inſtitutum.

a) *Leg. 55. §. 1. ff. de legat. 3. l. 3. ff. de penu legat. l. quod nos 234. in fin. ff. de verb. ſign.*

b) *De hoc* Gell. *lib. 1. cap. 16.* Ammian. Marcell. *hiſt. lib. 30.* Valer. Max. *lib. 6. cap. 1.*

** Conſentiunt Gravinæ plerique, venire hoc nomine acute & facete dicta. Et appellavit Macrobius *L. II. Saturn. c. 6.* Caſcellium noſtrum Juriſconſultum miræ urbanitatis, Cato autem & Domitius Marſus apud Quinctilianum *L. VI. c. 4.* hominem urbanum deſcribunt, cujus multa bene dicta reſponſaque ſint, & qui in ſermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus,

ter-

terpretari licet, reſponſa ex tempore, cum conſultorum plauſu prolata. *a*) Fuit enim ingenio celeri, & arguto. Honóres nullos geſſit ſupra quæſturam. *b*) De his autem tribus proximis Juriſconſultis hoc judicium ætas ea tulit: nempe Trebatium peritiorem fuiſſe Caſcellio; Caſcellium Trebatio eloquentiorem; utroque vero doctiorem Offilium.

LXIX. DE Q. ÆLIO TUBERONE.

Q. Ælius Tubero L. filius patricia gente, cui Ligarium ab ſe Cæſari accuſatum, jamque omnium opinione, atque ipſius etiam Cæſaris tacita cogitatione damnatum, eloquentia ſua Cicero eripuit. Ex infelici hujus accuſationis exitu, ſe ad juriſprudentiam adjunxit ſub Offilio præceptore, pluresque libros de jure publico, & privato doctiſſime ſcripſit: ſed antiquis uſus dicendi generibus, minus gratiæ libris ſuis a poſteris conciliavit. Sulpitiam Servii filiam uxorem duxit.

LXX. DE ALFENO VARO.

Alfenus Varus Cremonenſis omnium, vel hoc uno præſtantiſſimus, quod ſuam totam duxit a doctrina dignitatem. *c*) Cum enim ſutor eſſet, arte abjecta, mira magnitudine animi Romam conceſſit, inque Servii ſeſe diſciplinam tradidit; ex qua per inſignes virtutes, ac juris ſcientiam evaſit ad conſulatum, ac mortuus honore, ſumtuque publico fuit elatus. Libros reliquit Collectaneorum, & Digeſtorum, quos Julius Paulus in compendium contulit, quorumque fragmenta legimus in Digeſtis noſtris. Conſul fuiſſe creditur ab aliquibus cum P. Vinutio, triennio poſt Chriſtum natum. *

omni denique loco ridicule commodeque dicat, Corn. van Bynkershoek *Præterm. ad L. 2. D. de O. J. §. 45.* Sed quid ejuſmodi dicta ad originem juris pertinent, de qua agendum ſuſceperat Pomponius? Forſitan Caſcellius exemplo Servii Sulpicii eo libro probatas tantum JCtorum majorum ſententias collegerat, quod Jureconſultis Caſcellium inſecutis quoque familiare fuit. Chriſtiano ſenſu Marcus a Lycloma *Benedictorum libros IV.* oppoſuit male dictis Antonii Fabri *in libris de erroribus Pragmaticorum.*

a) Macrob. *lib. 2. Saturn. c. 6.* Freher. *lib. 2. parerg. cap. 3.*

b) *De libro benedictorum.* Menag. *in amœnit. jur. civ. cap. 8.*

c) Horat. *lib. 1. Satyr. 3. ubi Acron.* Gell. *lib. 6. cap. 5.*

* De vita & fragmentis Alfeni Henricus Brenemannus egit *in Pandectis Juris Civilis auctoribus ſuis & libris reſtitutis, editique Amſterodami 1709. 8.* & plenius Celeb. Otto, qui *T. V. theſauri juris* inſeruit *Alfenum ab injuriis vindicatum.* Detrahit is fidem Scholiaſtæ Horatiano, nihil motus ſuffragiis gentis Alfenæ apud Cremonenſes, etſi ea imaginem Alfeni ex ære peregrinis inter viſenda urbis oſtentet, vel auctoritate Franciſci Ariſii, qui *in Cremona literata, ne dubitandum quidem eſſe*, ait, *quin vicus Alfenus in agro Cremonenſi a noſtro dicatur.* Et certe imago Alfeni ex eo genere commenti eſſe videtur, quo Patavini ſtatuam Pauli, de qua videndus Schultingius *ad vitam Pauli initio*, aut ſepulcrum Livii exhibebant, de quo adeundus *Sertorius in marmoribus eruditis Epiſt. 8. p. 144.*

LXXI.

Digitized by Google

LXXI. DE CAJO.

Inter hos Servii auditores adſcriptum reperimus a Pomponio Cajum, de quo infra. Sed Cujacius id ex eo Pomponii loco cenſet expungendum, * tum quia Cajus ille ſub Antonino vixit; tum quod Pomponius ibi decem præfinit: quibus, ſi aggregetur Cajus, non decem, ſed undecim evenient.

LXXII. DE AUFIDIO TUCCA, ET NAMUSA.

Aufidii duo, Tucca, & Namuſa magnam in libris noſtris præferunt auctoritatem. *a*) Namuſa vero plures juriſconſultorum libros digeſſit in centum quadraginta.

LXXIII. DE SECTARUM AUCTORIBUS, ET PRIMUM DE ANTISTIO LABEONE.

Ad hos uſque, uno quodam alveo, juriſprudentia fluxit: poſt autem diſceſſit in rivos. Diducta eſt enim ſuper pluribus juris articulis in oppoſitas ſententias a duobus, contrariarum ſcholarum auctoribus, Antiſtio Labeone, & C. Attejo Capitone. Antiſtius Labeo, nobiliſſima familia, Labeonis illius fuit filius, quem Brutus in Cæſaris cæde ſocium habuit, ac mox in morte comitem. *b*) Labeo enim ille, cum exercitum ab Antonio fuſum, ducesque Brutum, & Caſſium voluntaria morte interemtos accepiſſet, audiſſetque ſuum ipſius nomen inter morientis Bruti ſuſpiria ſonuiſſe; turpe ſibi putavit vindicibus libertatis, & amicorum fato ſupereſſe. Itaque a ſervo, cui gladium obtulit, quemque mortem rogaverat, eſt interfectus: cum civibus juriſprudentia, & fortitudine in tuenda patria libertate, atque amicis in conſervanda fide plurimum profuiſſet. In filium autem non modo transfudit ingenium, quo patri cum juriſprudentia, tum in reliquis doctrinis excelluit: ſed amorem etiam ipſum libertatis: cujus amoris laus, mutatis jam cum Republica moribus, in infamiam, apud vulgi volubilitatem, tranſierat. Ob hanc enim cauſam Labeo contumax habebatur, quod Auguſto veteri libertate reſiſteret, neque adduci poſſet, ut ſervile illius ætatis ingenium ſuſciperet. Hinc Horatius, ut aſſentaretur Auguſto, temporibusque ſerviret, Labeonem in Satyris appellat *c*) inſanum. Itaque cum vir virum in Senatum legeret, veritus non eſt ipſe legere M. Lepidum; quamvis Octavii inimicum tum exulantem; nec aliam hujus facti excuſationem attulit; *d*) niſi quod cuique homini ſuum ſit judicium. Et cum contra increparetur, ac tanquam puer illuderetur ab Auguſto, nihil ſe mali promeritum reſpondit, ſi legeret in Senatum, quem Auguſtus Pontificem eſſe pateretur: nondum enim auſus fuerat Auguſtus Lepido, ceteris ornamentis exuto, Pontificatum eripere. Quo reſponſo Principem Labeo delinivit. Cujus

* Imo parcendum ſævo ferro, Cajique prænomen addendum Aulo Ofilio, ut dicatur C. Aulus Ofilius, quod noviſſime probavit Cornelius van Bynkershoek *in prætermiſſis p. 77.*

a) *L. 5. §. 7. ff. commod. l. 2. §. 6. ff. de aqu. & aq. pluv. arc.*

b) App. *lib. 4. de Bell. civil.*

c) *Lib. 1. Satyr. 3.* Gell. *lib. 13. c. 12.*

d) Suet. *in Aug. c. 54.*

tamen

Digitized by Google

tamen ut contumaciam Auguſtus frangeret, Attejum Capitonem ſtudiorum illius æmulum, atque laudis obtrectatorem, in Conſulatus petitione prætulit Labeoni. *a*) Etſi non deſint qui ſcribant, Labeonem Conſulem ſuffectum, honorem accipere ab Octavio recuſaſſe. *b*) Quamobrem intra præturam ſe continuit, ac laude virtutis conſulatum anteivit. Cum philoſophiam, ceteraſque ingenuas artes, ac præcipue dialecticam, & grammaticam impenſe didiciſſet, accepit a Trebatio juriſprudentiam: in qua meruit cum Servio Sulpicio conferri a Petronio Arbitro. Mirus erat in originibus latinarum vocum expiſcandis: quarum cognitione latentiores legum ſenſus eruebat. Ac ſcientia, miroque acumine ſublatus ingenii, longe ſibi plus indulſit, quam ſuperiores juriſconſulti. Nam extra veterum traditionum fines evagatus, novis luminibus jus civile ſuffudit; tentavitque plura nondum auſa prioribus. Ita ut ex ejus novitate doctrinæ peculiaris juriſprudentiæ ſchola extiterit: quæ ab eo, veluti a capite, longa ſucceſſione Proculo, Nervæ filio, & Pegaſo, & Cælio tradita, Proculianos peperit, & Pegaſianos. Studia ſua ita diſpertiebat; ut ſex menſes in ſolitudinem ſe conſcribendis libris conjiceret; ſex vero alios publice ſe conſulentibus præberet. Cum præter humanum, divini juris etiam eſſet peritiſſimus; duos Deorum ordines diſtinxit, malorum alterum, qui ærumnis hominum; alterum bonorum, * qui ludis, & voluptatibus placarentur: quod a Stoica, & Platonica doctrina retulerat. *c*) Tantæ fuit auctoritatis in Urbe, ut cum acerrime certaretur de recipiendo codicillorum uſu; illius exemplum omnes alios ad ſe traxerit. Nemo enim de codicillorum auctoritate dubitavit, poſtquam iis uſum Labeonem apparuit. De numero librorum ejus ambigitur: nam apud Pomponium in aliquibus codicibus leguntur quadraginta volumina; in Cujaciano vero quadringenta. Qui autem libri poſt ejus mortem apparuerunt, appellati ſunt poſteriores: quibus multa, & abſtruſa de vocabulorum originibus, & eorum ſignificatione continebantur.

LXXIV. DE ATTEJO CAPITONE.

Ejus Æmulus, ac diſcors moribus, & doctrina fuit Attejus Capito; ſiquidem Labeo ingenii æſtu, præter veterum traditiones vehebatur; at Capito religione quadam, ac veneratione præceptorum antiquitati obſtringebatur. Verum Labeo cum doctrinam ſperneret veterum, priſcam tamen libertatem retinebat. Capito vero novam lubens complectebatur ſervitutem, ita ut literas potius, quam animum arripuerit veterum Romanorum. Unde callidus aſſentandi artifex ab Auguſto conſulatum impetravit, tanta omnium invidia; ut popularem gratiam æmulo ſuo Labeoni haud exiguam pepererit. Auguſto mortuo adulationem vertit ad Tiberium: quo in adulando tectior, eo callidiſſimo Principi gratior. Admiſcebat enim ſuis

a) Dionyſ. *lib. 39.* Tacit. *annal. lib. 3. cap. 75.*

b) Pomp. *l. 2. ff. de orig. jur.*

* Vel ipſe ideo accenſendus Manichæis ante Manetem, qui, ut notum eſt, *proſpera hominibus & ſalutaria Bono, adverſa contra & noxia Malo numini tribuere ſolebat.* Sed hujus ſententiæ auctorem Theologum & a noſtro diverſum fuiſſe, veriſimiliter putat laudatus van Bynkershoek *p. 94.*

c) Aug. *lib. 2. de Civit. Dei c. 77. lib. 8. cap. 13.*

aſſentationibus imitationem quandam priſtinæ libertatis: qua Tiberium invidia populari levabat. *a*) Cum enim Tiberius in reos majeſtatis recipi vetaret Lucium Ennium, qui effigiem Principis in communem argenti uſum ſuderat: ipſe, quaſi non Principis blanditor, ſed vindex priſcæ libertatis: *non eſſe*, inquit, *Patribus auctoritatem eripiendam; neque jus illi eſſe remittendi eas injurias, quas Reſpublica, læſo principe, accepiſſet.* Ac non modo in rebus gravibus, verum etiam in levioribus quibusque gratiam Principis aucupabatur. Veluti cum Tiberius vellet verbum ab edicto ſuo expungere, aut ad Grammaticorum judicium referre, quod ſibi parum latinum videretur; Attejus minime opus eſſe reſpondit; novo enim verbo uſuros cives, poſtquam Principi excidiſſet. *b*) Qua reſponſione ſtomachatus Pomponius Grammaticus, ad Cæſarem converſus: *imo*, inquit, *hominibus quidem Civitatem dare Cæſar potes; verbis non potes.* Quæ libertas homini fuit impune. Curationem aquarum ei Cæſar, mortuo Mæcenate, delegavit: *c*) eundemque triennio, quam Tiberis inundarat, coërcendo flumini præfecit ſimul cum L. Arruntio. Quo in munere graviſſimus fuit municipiis, & Coloniis: quorum querelis auditis, abjecit conſilium avertendorum fluminum, & lacuum, quæ in Tiberim influebant: quod prohibendarum inundationum remedium ducebatur. Conſulatum geſſit cum Germanico. Sunt qui pro Attejo Fontejum ſcribant in eo conſulatu, ſed pro Attejo Tacitus pugnat. * Obiit ſub Tiberio, Cajo Sulpitio, & D. Haterio Coſſ. Libros plures edidit collectaneorum: quibus haud pauca Senatus, Tribunorumque decreta, edictaque Auguſti, Tiberiique inſeruit. *d*) Multa quoque de jure Pontificio ſcripſit, & de publicis judiciis commentarium, aliaque plura *e*) Gellio, Feſto, Macrobio, Nonio, Frontino memorata.

LXXV. DE NERVA PATRE, ET FILIO.

Nerva pater ſcholam ſuſcepit Labeonis, eamque ingenio, & diſputationibus dilatavit. Conſul fuiſſe fertur ſub Tiberio: *f*) cui Nerva erat adeo familiaris, ut ab eo ſecum Capreas fuerit deductus: ubi flagitioſæ libidinis ſpectator proximus erat, & invitus, oppreſſæque libertatis aſſiduus contemplator, tanta indignatione animi, ut quem orationis auctoritate comprimere non audebat, propriæ mortis exemplo admonere voluerit. *g*) Cumque angore animi, atque triſti deſperatione haud obſcure ſignificaret, grave aliquid in ſe ipſum conſulere; Tiberius, quamvis cauſæ noſcendæ cupidus, nec eam eruere ab eo potuit; neque animum illius abſterrere a morte, quam obſtinaverat. Maluit enim ille honeſtum exitum, quam turpem vitæ cum Tyranno conjunctionem. Quoniam enim amicitiam illius de-

a) Tacit. *ann. lib.* 3. *in fin. cap.* 75.

b) Dion. *lib.* 57.

* Imo apud Tacitum in optimis codicibus legitur Fontejus. Litera T. autem in nomine Atejus geminari non debet, ut docent inſcriptiones & Faſti. De Labeone & Capitone eorumque ſectatoribus dixi *in diatriba de Sectis Juriſconſultorum.*

c) Tacit. *lib.* 1. *annal. cap.* 76. *in fin.* & *cap.* 79.

d) Gell. *l.* 2. *c.* 24. *lib.* 4. *c.* 14.

e) Gell. *l.* 10. *cap.* 6. Feſtus *in verb. mundus.*

f) Tacit. *l.* 4. *annal.* 58.

g) Tacit. *annal. l.* 6. *c.* 26.

clinare

Digitized by Google

clinare non poterat ſine periculo: vitam ſibi ademit, quæ vel ignominioſe traducenda erat, ſi Tyranno carus eſſe cupiebat; vel illius crudelitate deponenda, ſi placere ſtuduiſſet bonis. Itaque abſtinentia cibi ſemetipſum abſumſit: eoque facto corruptos mores Tiberio exprobravit, anno A. C. N. XXXIV. Reliquitque Nervam filium ea ingenii alacritate, ut anno ætatis decimo ſeptimo ſeſe publice conſulentibus obtulerit. Quo in munere cum liberius aliquando indulgeret ingenio, videbatur aliquanto argutior. *a*) Libros edidit de uſucapionibus, & alios reſponſorum, quorum Papinianus, & Vlpianus haud raro meminerunt. *b*) Ex hoc prognatum ferunt Nervam Imperatorem.

LXXVI. DE PROCULO.

Nervæ patris diſciplinam excepit Licinius Proculus: * de quo cum nihil certi traditum reperiatur, aliqui, etſi levi conjectura, eum eſſe putarunt, qui ſub Othone prætorio præfuit. *c*) Quicunque ille fuerit; certe magnam in jure civili auctoritatem eſt aſſecutus: ita ut extincto Labeonis nomine, ſchola illius, quæ per Nervam ad Proculum pervenerat, Proculianorum appellaretur.

LXXVII. DE PEGASO.

Suam hic ſectam tradidit Pegaſo: quem Juvenalis ** obſcuro loco natum innuit, propriaque virtute ſummos honores adeptum. *d*) Nam ſub Veſpaſiano præfectus urbi fuit, deinde Conſul cum Puſione. Quo in magiſtratu ſe auctore conditum eſt S. C. de retinenda per hæredem quarta ex ſingulis rebus per fideicommiſſum relictis, exemplo Falcidiæ: quod Pegaſianum eſt appellatum.

a) Paul. *l. penult. ff. in quibus cauſis pign. vel hypoth.*

b) *L. 47. ff. de acquir. poſſ. l. 2. ff. de his qui notant. infam. l. 3. ff. de uſuf. & alibi.*

* Imo hunc Proculum Sempronium dici colligunt ex *L. 47. D. de Legatis II.* Sed hic Quæſitor Proculus Sempronius Reſponſor, Proculus ſine prænomine, dicitur. Ecce enim præmittitur: *Sempronius Proculus, Nepoti ſuo ſalutem.* Subjicitur, *Proculus reſpondit*, nec confundi debent perſonæ avi & nepotis. Forſitan nec Sempronius, nec Licinius dictus eſt. Licinii enim nomen nulla alia ei ratione tribuitur, quam quod per eadem tempora Licinius Proculus Præfectus Prætorio fuit, quæ ratio non eſt magni ponderis. Sectatores ejus Proculejanos non Proculianos ſcribi debere, Cujacius monet ad *Tit. de O. J. in fine & L. XXVII. Obſ. 28.* Sed utraque ſcribendi ratio ferri poteſt. Pro illa ſtant Pomponius *in L. 2. §. 47. D. de O. J.* pro hac ſunt § *25. J. de Rer. diviſ.* & Ulp. *tit. XI. §. 28.* una cum Analogia vocis Grammatica.

c) Tacit. *l. 1. hiſt. cap. 46.*

** Vel potius Scholiaſtes ejus, qui ad verſum:

Pegaſus attonitæ poſitus modo villicus urbi, Pegaſum Trierarchi filium fuiſſe, ait, nomenque traxiſſe a liburnæ paternæ paraſemo, quod erat Pegaſus; dein addit, eum in juris ſtudio tantam memoriæ gloriam meruiſſe, ut liber vulgo, non homo diceretur. Ægid. Menagius *Amœnit. jur. civil. cap. 17.*

d) Satyr. 4.

Digitized by Google

LXXVIII. DE CELSO PATRE.

Ab hoc Proculiana diſciplina tranſiit in Juventium Celſum patrem, indeque ad filium. Pater initæ conjurationis auctor a Domitiano compertus, cum fruſtra negaret, aſtu, & ſimulatione pœnam effugit. *a*) Promiſit enim, clam inquiſiturum ſe, criminiſque conſcios delaturum, ſi ſibi vita condonaretur. Annuente Tyranno, ipſe aliud ex alio nectens, rem ad Domitiani mortem extraxit, ſeque ac ſocios periculo exemit. Apud Trajanum in magna æſtimatione fuit. Prætor creatus Licinium nepotem, *b*) qui ambitus, & repetundarum reis facultatem teſtium Romam evocandorum fieri volebat, adeo acriter objurgavit; ut accenſis utrinque animis ad contumelias excurrerint.

LXXIX. DE CELSO FILIO.

Hunc excepit Celſus filius, qui adoleſcentis nomine in libris juris a Patre diſtinguitur. Conſul ſuffectus primo, deinde ordinarius fuit ſub Adriano: *c*) qui ejus conſilio eſt uſus inter juriſconſultos ceteros, quos, adprobante Senatu, ſibi adjungere conſueverat. In Romano marmore invenimus Celſum, qui Promagiſter Scrinii libellorum ſub Antonino fuit. Præter libros triginta novem digeſtorum, reliquit etiam aliquos de uſucapionibus: quibus in libris crebra mentio eſt Patris. *

LXXX. DE NERATIO PRISCO.

Neratius Priſcus Labeonis Scholam per Celſum patrem poſtremus accepit. Eum Trajanus tanta benevolentia, & honore complectebatur, ut multorum judicio eidem traditurus imperium videretur. Cui & provincias commendare fuerat auditus, ubi fatale aliquid ſibi contigiſſet. *d*) Quam Neratio ſpem abſtulit Adrianus, forſan favore Plotinæ: ut ſat noſter habuerit ab Adriano in conſilium adhiberi. Conſul fuit, ut creditur, ſub M. Aurelio.

LXXXI. DE MASURIO SABINO.

Poſtquam totam jam Scholam Labeonis percurrimus, remeabimus ad Atte-jum Capitonem: cui ſucceſſit Maſurius Sabinus obſcuro loco, tenuibusque facultatibus, quem diu aluit auditorum pietas, & liberalitas. Ad equeſtrem ordinem, ſua tantum virtute, nullis meritis majorum, quinquagenarius aſcendit. Is cum parum lucri colligeret e ſtudiis, novum tamen honorem Juriſprudentiæ peperit.

a) Dion. *lib. 67.*
b) Plin. *lib. 6. epiſt. 5.*
c) Spart. *in Æl. Adrian.*
* De Celſis in ſingulari diſſertatione egit Ill. Heineccius, ex qua tria hoc loco repetimus. Primo, quæ de Celſo, patre, a Gravina dicuntur, pleraque omnia ad filium pertinere; tum, Promagiſtrum ſcriniorum, qui libello de feretro faciendo ſubſcripſit, eſſe nepotem; & tandem filio perperam tribui librum de uſucapionibus, qui a nemine veterum appellatur, tantum abeſt, ut Celſus in eo patrem ſæpius laudet, qui rarenter plane in Pandectis nominatur.
d) Spart. *in Æl. Adrian.*

Primus

Digitized by Google

Primus enim ab Auguſto, deinde ab Tiberio publicam accepit auctoritatem reſpondendi de jure: cum antea non e Principum auctoritate arceſſeretur munus reſpondendi; ſed e privatorum arbitrio, ac populari opinione ſuſciperetur. Ab eo igitur tempore quo neceſſe fuit, hoc a Principe impetrari, reſponſa judicibus offerenda ſcriptis mandari, obſignarique conſueverunt. Quod inſtitutum ex Principis auctoritate reſpondendi, gratia deinde, atque ambitione corruptum, neglexit Adrianus: qui non petendum id munus reſpondit, ſed præſtandum. Hoc eſt non ex Principis conceſſione, ſed ex propriis doctrinæ meritis expromendum. Auctoritatem enim reſpondendi princeps, uti uſu venit, tribuere poteſt vel indocto; reſpondere vero recte nemini, niſi docto licuerit. Ex hujus nomine totam Juriſprudentiam Perſius notavit eo verſu:

Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Is Cocceium Nervam alterius factionis principem habuit æmulum.

LXXXII. DE C. CASSIO LONGINO.

C. Caſſius Longinus materna e ſtirpe juriſprudentiam; at a vindice libertatis gente conſtantiam ſimul, & judicandi ſeveritatem retulit. *a*) Natus eſt enim Tuberonis filia, Serv. Sulpicii nepte: Majores vero paterni generis habuit inclitum illum Cæſaris interfectorem Cajum Caſſium, & L. Caſſium prætorem, ad cujus Tribunal in criminum ultionem tanta ſeveritas excubabat, ut reorum ſcopulus diceretur. Hos Caſſius noſter adeo expreſſit integros, ut Juriſprudentiam generis materni, & paterni virtutem, præclaris maximiſque rebus gerundis, dicendiſque graviſſimis ſententiis, haud impari laude, reddiderit. Conſul fuit cum M. Vinutio Quartino XVII. anno Imperii Tiberii Cæſaris. Sequenti anno de redigendis in fiſcum Sejani bonis, toto aſſentiente Senatu, vehementiſſime diſſeruit. Similitudine nominis in capitis diſcrimen fuit adductus, eum Caligula ad necem depoſcente; quod reſponſum a Fortuna Antiate accepiſſet, ut caveret a Caſſio: id autem pertinebat ad Chæream Caſſium, cujus manu occubuit. Syriæ præfecturam a Claudio accepit, ac pontificiam Judæorum ſtolam ſummis ſumtibus, & magnificentia elaboratam, quæ prius a Romanis adſervabatur, & Judæis poſcentibus ad Sacrificiorum uſum promebatur, quamque Tiberius in Judæorum poteſtatem retulerat: Caſſius, ne quid Romanis ex antiquo jure decederet, in Romanorum redegit cuſtodiam. Quæ cauſa Judæis fuit legationis mittendæ ad Claudium. Quamvis doctrinæ magis, quam bellis vacaret; priſcæ tamen diſciplinæ ſtudioſiſſimus fuit. Meherdatem deducere juſſus, metuens ne cunctando langueſcerent barbarorum animi; neve perfidia mutarentur ii, a quibus Meherdates in Regem poſtulabatur; prælii committendi, urgendæque rei auctor erat. Sed id conſilium fraude neglectum ab Rege Arabum Abbaro. Quamobrem Meherdates ea mora nudatus auxiliis, poſtea infeliciter, imparibuſque copiis pugnans in hoſtium poteſtatem eſt redactus. *b*) Supplicationum frequentiam ob debellationem Partho-

a) *De hoc* Sueton. *in Calig. c.* 57. Dion. *l.* 59. *in fin.* Tacit. *l.* 16. *ann. cap.* 7. *&* 9. Sueton. *in Neron. c.* 37. & Tacit. *lib.* 5. 3. *&* 14. *annal. & lib.* 12.

b) Tacit. *lib.* 12. *ann.*

Digitized by Google

rum, auctoritate ſua, compeſcuit: auctorque fuit dividendorum dierum in ſacros, & negotioſos; ne annus totus ſupplicationibus traduceretur, ſi pro Romanorum felicitate Diis agerentur gratiæ, quantæ deberentur. Compeſcendæ Puteolanæ ſeditioni a Senatu datus invitis, propter nimiam ſeveritatem ipſemet poſtulavit, ut negotium alteri mandaretur. Pedanio Secundo præfecto urbis ſervili manu obtruncato, multitudo ſervorum, quorum tueri dominum intererat, pœnas dare cogebatur: Sed quia hinc plebs pro aliquorum innocentia; illinc Senatus pro dominorum ſecuritate certabat; Caſſius in medium progreſſus demonſtravit facinus tale, ac tam difficile ſine omnium, aut dolo, aut culpa explicari nequiſſe: cunctiſque perſuaſit, ſingulorum ſervorum conſcientiam fuiſſe criminoſam. Neronis crudelitate in exilium eſt actus: quod majorum imaginibus interpoſuiſſet illam Caji Caſſii, qui in Cæſarem conjuraverat, cum ea inſcriptione: *Duci partium.* Verum obiit tandem in urbe a Veſpaſiano revocatus. Ingenii certamen exercuit cum Proculo: Caſſius enim tanta æſtimatione ferebatur inter diſcipulos Capitonis, ſive inter Sabinianos, ut ſchola illa tota deinceps Caſſianorum appellaretur.

LXXXIII. DE CAJO ITERUM.

Fuit & Cajus alius ex equeſtri ordine ſub Antonino: *a*) cui ab aliquibus adſcribitur quidquid Caji nomine in libris juris occurrit. Hunc Menagius *b*) in diſſertatione ſua *de utroque Cajo* accipit pro T. Cajo, quem prænomine diſtinguit a Cajo Caſſio Longino: ad quem pertinere ait verba iſta Cujacii: *c*) *Fuit hic auctor grammaticis familiaris, propter bonarum literarum, & Homeri potiſſimum tractandi, quæ in eo fuit, peritiam ſummam.* Scripſit autem recentior ille, quisquis fuerit, inſtitutiones: unde ſuas magnam partem depromſit Juſtinianus, ut merito illum *Cajum noſtrum* appellet, *d*) non quod eum inter ætatis ſuæ viventes Juriſconſultos miniſtrum haberet. De hoc doctiſſime Aleander in ſuis ad Cajum commentariis. *e*) *

a) Pancirol. *de claris interpretib. lib. 1. cap. 28.*

b) *In Amœnitat. jur. civil.*

c) *Lib. 11. obſ. cap. 38.*

d) Cujac. *in proœm. inſtitut.*

e) *L. 8. 9. ff. ad S. C. Orphit.*

* Loco hic minime ſuo Gravina differit de Cajo, Juriſconſulto, juris ſtudioſis omnibus inde ab artis ingreſſu commendatiſſimo. Ad ipſum enim Inſtitutionum proœmium, in quo eum ſuum Juſtinianus appellat, quæri ſolet fueritne Cajus Chriſtianus nec ne? Affirmaverat id olim Ezechiel Spanhemius *in orbe Romano II. capite 5.* & *in Add. p. 578.* Sed idem confidentius jam negatur, poſtquam de vita & ætate Caji accuratius egerunt Antonius Schultingius, *ad vitam Caji a Bertrando deſcriptam*, & Fr. Caroli Conradi, *in Actis Eruditorum Lipſienſibus 1737. menſe Februario*, qui & *Aurea Caji exercitatione ſingulari* illuſtravit. Incidit autem ætas Caji in eam Antoninorum. Certe M. Aurelium Antoninum Philoſophum, ſacratiſſimum ſuum principem vocat *in L. 9. D. ad SC. Tertullianum*, ut perſpicue apparet juncto *pr. J. ad SCtum Orficianum*. Cæterum nec de equeſtri ejus ordine, nec de prænomine Titi, conſtat.

LXXXIV. DE COELIO SABINO.

Cœlius Sabinus e Caſſii Longini diſciplina profectus, magnæ fuit apud Veſpaſianum auctoritatis. *a*) Honoris cauſa in duos menſes, nempe Quintilem, ac Sextilem, conſulatum acceperat ab Othone: quam dignitatem ſub Vitellio quoque retinuit. Librum ſcripſiſſe fertur *ad edictum Ædilium Curulium*, unde multæ ſententiæ illius in rebus venalibus obtinuerunt. *b*) Ab hoc Sabinianorum appellatio proceſſit: quamvis eam Pancirolus * deducat a Maſurio Sabino.

LXXXV. DE PRISCO JAVOLENO.

Cœlii ſchola migravit ad Priſcum Javolenum, cui mentis levitas auctoritatem in juriſprudentia non imminuit. Habebatur enim parum ſanus, quod Paſſenio Poëtæ recitanti elegos ad verba hæc: *Priſce jubes?* improviſo reſponderit: *Priſcus Javolenus non jubeo: c*) unde repente riſus obortus. Non tamen de jure acute minus, recteque reſpondit: neque ſuis conſiliis in legibus condendis minus profuit *d*) Antonino Pio, ſub quo vixit, ac Syriæ præfuit, teſte Juliano. *e*) Scripſit libros ex Caſſio quindecim, & libros decem ex poſterioribus Labeonis, & epiſtolas ad Plautium, qui magnus & ipſe fuit Juriſconſultus. Auditores habuit Javolenus plures, inter quos Tuſcianum, & Valentem, & omnium præſtantiſſimum Julianum: in quo ſectarum diſſidia quieverunt: quamvis a Donello inter Proculianos ** adnumeretur. *f*)

LXXXVI. DE SALVIO JULIANO, ET TARRUNTENO.

Is non minus animi, quam corporis prole fuit inſignis. Avus etenim fuiſſe ab Eutropio; proavus a Spartiano traditur Juliani Imperatoris: qui & ipſe juriſprudentiæ laude floruit. Hinc in errorem inductus Aurelius Victor ipſum Imperatorem Julianum edicti perpetui compoſitorem appellat, ambigitque Salvium ne, an Didium Julianum Imperatorem nuncupet. Quem errorem Victor etiam Grotio *in ſparſis floribus* offudit. *** *g*) Cognomen Salvius habuit Severi, patria

a) Tacit. *l. 2. hiſt.*
b) Gell. *lib. 7. cap. 4.*
* Imo vincere videtur Panciroli ſententia. Quod enim placitum Sabinianorum dicitur *in §. 2. J. de emtione venditione*, id Sabino & Caſſio tribuitur *in L. 1. D. de Contr. emt.* Sabinum autem, qui toties in Pandectis Caſſio præponitur, Maſurium Sabinum eſſe, nemo dubitat. Prætereа tanta ejus auctoritas erat, ut Maſuri Rubricam Perſius pro tota juriſprudentia ponat, & in ejuſdem libros Juris Civilis juriſconſulti præcipui, Pomponius, Ulpianus & Paulus commentarios ſcripſerint. Apud Pomponium Proculianis Caſſiani quidem opponuntur, ſed nuſpiam Pegaſianis Sabinianos opponi videas. Pegaſianorum enim nomen ſolis interpretibus debetur.
c) Plin. *l. 6. epiſt. 15.*
d) Capitolin. *in Antonino Pio.*
e) *L. 5. an apud ſe ff. de manumiſſ. vind.*
** Vide quæ *de Sectis JCtorum* ſcripſimus *p. 51.*
f) *Comm. jur. civil. lib. 5. cap. 25. l. 1. §. 1. quo hær. 14. ad leg. Alcid.*
g) *Ad l. 2. de orig. jur.*
*** Severi cognomen non habuit noſter, ſed pronepos ejus Imperator Didius Salvius Julianus Severus. Celeb. Otto *Pr. T. I. Theſ. Juris p. 17.* ubi de Juliano copioſe diſſerit.

Medio-

Digitized by Google

Mediolanenſis, illuſtri genere. Magnam vero ſapientiæ laudem adquiſivit ſub Adriano: cui familiariſſimus fuit, cujusque juſſu ex veteribus, novisque abs ſe commiſſis edictis, condidit, atque in concinnum titulorum ordinem digeſſit edictum perpetuum; ſcripſitque libros, quos digeſtorum appellavit, nempe: ut Cujacius interpretatur, *edictorum digeſtorum. a*) Prætor fuit, & ſub Antonino Pio Conſul cum Torquato: ac (ſi tacentibus faſtis conſularibus fas eſt credere Spartiano) Conſul factus eſt iterum ſub Marco Philoſopho cum Piſone. Quibus in magiſtratibus, exemplo Javoleni præceptoris ſui, proprios ſervos vindicta liberabat, eandemque ſententiam aliis prætoribus ſuadebat. *b*) Hujus eſt præclarum illud: *Nulla lex tam late patet, ut ad omnia pertingat.* In pluribus juris civilis locis a Principibus honorificentiſſime appellatur. Sunt qui hujus vitam ad Commodi * usque imperium extendant: eumque arbitrantur eundem eſſe, qui cum Paterno etiam Juriſconſulto particeps conjurationis fuit, quique ſimul cum Paterno, juſſu Principis, vitam amiſit. *c*) Paternus autem, qui Tarruntenus erat cognomine, libros reliquit militarium quatuor: quorum in digeſtis aliquot monumenta ſuperſunt.

LXXXVII. DE DOMITIO LABEONE.

Floruit ſub Adriano Domitius Labeo, qui dubium eruditis injecit, ſui ne, *d*) an ſuperioris Labeonis ** libri ſignificentur in Digeſtis.

LXXXVIII. DE T. ARISTONE.

Titus Ariſto non modo fons publici, privatique juris, verum etiam omnium doctrinarum, & omnis eruditionis a *e*) Plinio fuiſſe traditur: conceptamque animo ſapientiam laudabilibus factis explicaſſe; ut nihil aut nos ad Plinii teſtimonium; aut Plinius ipſe ad majorem hominis laudem poſſit adjungere.

LXXXIX. DE ARRIANO.

Arrianus initio Senator, deinde ſeceſſit in otium literarium; atque ad hunc miſſæ creduntur epiſtolæ a Plinio ad Arrianum ſcriptæ. Librum edidit de interdictis, & de re militari.

XC. DE SEXTO CÆCILIO AFRICANO.

Sextus Cæcilius Africanus, Juliani diſcipulus, tantum præceptori ſuo tribuit, ut Africani ore videatur Julianus, tanquam Apollo ex tripode, oracula fudiſſe.

a) *Ad Julian. in princ.*
b) *L. 5. an apud ſe ff. de man. vind.*
* Confer. Celeb. Heineccii *diſſertationem de Salvio Juliano.*
c) Lamprid. *in Commodo.* Dion. *in Commod. lib. 72.*
d) *L. 27. ff. qui teſt. fac. poſſ.*
** Imo id temporis ratio nullatenus patitur. Et videtur Domitius omnino conſultor potius, quam Juriſconſultus dicendus, ſi quis inſpiciat *L. 27. D. qui teſt. fac. poſſ.* Reſpondit ei Celſus, ut habet Gloſſa, *minus curialiter*, quin ut homini dubiæ ſanitatis. Inde eſt, quod quæſtiones ineptæ & ridiculæ, quæſtiones dicuntur Domitianæ.
e) *Lib. 1. epiſt. 22.*

Omnia

Digitized by Google

Omnia enim fere de Juliani ſententia ſumma fide pronunciat per verba: *ait*, *exiſtimavit*, * *negavit*, *putavit*, *inquit*, *reſpondit*, *placet*, *notat*. Adeo ſapientiæ gloriam doctori ſuo non invidebat vir alioqui divini, humanique juris peritiſſimus. Siquidem Cæcilius ille fuiſſe creditur, quem Gellius *a*) adverſus Favorinum philoſophum decemvirale jus propugnantem inducit; vixitque ſub Adriano, aut Antonino Pio. Extat de eo peculiaris Menagii diſſertatio. Ego nihil certi ſtatuo: & quoad aliud mihi illuceſcat, Cujacium ſequor. *b*)

XCI. DE SEXTO POMPONIO.

Sextus Pomponius, ut quidam putant, ex antiquiſſima Pomponii Attici familia, auctor fertur *legis 2. ff. de origine juris:* in qua non raro ſcriptoris diligentia ne dicam, an hiſtoriarum cognitio deſideratur? ut non mirum, ſi ab eruditis non paucis ea lex Pomponio abjudicetur. Cum Papinianum principem alioqui juriſprudentiæ inter Juriſconſultos non deſcripſerit; facile crediderim, aut ejus legis auctorem non eſſe Pomponium, aut ante Papinianum vixiſſe, Adriani puta ætate: ** quamvis a Lampridio ſcriptore non diligentiſſimo ſub Alexandro ponatur, ſi locus eſt integer: nam ſi Salmaſii lectionem, & reſtitutionem amplectamur, Pomponius manebit extra numerum a Lampridio deſcriptum. Expungitur etiam inde a Caſaubono, auctoritate veterum codicum, ex regia Bibliotheca.

XCII. DE JUNIO MAURICIANO, ET ÆLIO MARCIANO.

Junius Mauricianus ſub Antonino Pio *** vixit, & Ælius Marcianus, qui Bæticam Proconſul adminiſtravit. *c*) Præter alios libros ſcripſit inſtitutiones, unde multa Juſtinianus tranſtulit in ſuas.

* Imo hæ voces non Africani ſunt, referendæ ad Julianum, ſed Triboniani, pertinentes ad Africanum, ut liquidum ex iis, quæ de Africano diximus in libro *de Sectis Jureconſultorum.* Menagii rationibus, quibus is Sextum Cæcilium, qui apud Gellium cum Favorino de XII. tabulis diſputat, & noſtrum eosdem eſſe, negat; ſatisfieri poteſt iis, quæ habet Cujacius *Tract. I. in Afric. princ. Obſ. VII. 2.* & Bern. Henr. Reinold *ad L. 23. D. de R. J.* Et merito hic Cujacii ſententiam deſerere noſter dubitavit. Quantum enim doctrina & juriſprudentia poſſet Cujacius, expertus videtur in elucidandis *Africani quæſtionibus*, quæ adeo ſubtiles & obſcuræ ſunt, ut antea vulgo circumferretur dicterium: *Africani lex eſt, ergo difficilis.*

a) *Lib. 20. cap. 1.*

b) *In princip. comment. ad African.*

** Imo Antoninum Pium Divum appellat in *L. penult. D. de pollicitationibus*, adeoque Divorum ſaltem fratrum tempora attigit. Exſtat de eo Reinoldi oratio, in qua Enchiridion ejus a ſuſpicione *νοθεύσεως* vindicat. Eidem libello *ἀνιστορησίας* labem abſterſit Cornelius van Bynkershoek *in Prætermiſſis ad L. 2. D. de O. J.* Ut autem cum Antonio Auguſtino, Pomponios geminos fuiſſe, credamus, quia Ulpianus *in L. 32. D. de legatis I.* ait: *Quod ita verum eſſe, tam Sextus quam Pomponius negant*, neceſſitas nulla eſt. Sexti enim voce Sextus Cæcilius Africanus deſignari videtur.

*** Imo Severo & Antonino Caracalla. Conf. Cl. Noodkerk *de lege Petronia. p. 128.*

c) *L. ſi aug. 57. ff. de leg. 2.*

XCIII. DE ULPIO MARCELLO, MECIANO, SATURNINO.

Eadem ætate floruit Ulpius Marcellus, qui a conſiliis fuit Antonino Pio, ut exiſtimat Cujacius in *comment. ad Ulp. Marc.* Et Voluſius Mecianus auctor *a*) Voluſiani S. C. qui ſummis laudibus extollitur a M. Antonino: & Claudius Saturninus, qui prætor fuit, *b*) quique cum ſeorſum ſæpe ſentiret ab aliis, cauſam præbuit noſtratibus interpretibus, ut homines ſui ingenii Saturninos appellent. *c*)

XCIV. DE TERTULLIANO.

Vixit autem ſub Septimio Severo Tertullianus, qui an idem fuerit ac Sacer Scriptor: quamvis Cujacium *d*) auctorem habeam, qui propter multa juriſprudentiæ ſemina in Sacri ſcriptoris libris collucentia, eundem eſſe cenſet; nihil ego tamen certi affirmare auſim; diſſentiente præſertim, non levibus ex cauſis, * Hugone Grotio. *e*) De hoc latius agit Menagius in *amœnitatibus juris civilis.*

XCV. DE PAPYRIO JUSTO, & ALIIS.

Ad eandem ætatem refertur Papyrius Juſtus, & Meſſius Ruſticus, & Calliſtratus, & Tryphoninus, qui e Juliani ſchola profectus creditur, quique ſub Caracalla Syriæ præfuit; & Arius Menander, qui tot Severi Principis erat negotiis implicatus, ut excuſationem a tutela meruerit. *f*)

XCVI. DE FABIO SABINO.

Fabius Sabinus, ad quem ex aliquorum opinione ab Ulpiano, Paullo, Pomponio ſcripti ſunt libri, qui ad Sabinum nuncupantur, ab Æliogabalo capite damnatus, vitam ſervavit per Centurionem: qui cum ſurdus eſſet, & aliter mandata excepiſſet, eum urbe pellendum cenſuit.

XCVII. DE FABIO SABINO F.

Hujus filius Fabius Sabinus J. C. quem Alexander in conſilium adhibuit; ea conſtantia, & vitæ integritate fuit, ut ætatis ſuæ Cato diceretur: *g*) eo fortaſſe admirabilior, quod priſcam illius virtutem in corruptiſſima ætate retinuit. Sed his jam percurſis, ad celebriores ejuſdem temporis Juriſconſultos, a nobis e turba, honoris gratia, ſevocatos, veniamus. **

a) *L. antepenult. ff. ad l. Jul. de vi priv. L. divi. 17. ff. de jur. patr.*

b) *L. 1. ff. de Senator.*

c) *DD. in l. 1. de Senat.* Bald. *in l. 1. rub. 4. C. de Sacroſ. Eccleſ.*

d) *Obſ. 7. c. 2.*

* Præcipua petitur a ſtili diverſitate. Juriſconſultus enim dicendi genere Rhodio utitur, cum tumida & phalerata ſit oratio Doctoris Eccleſiæ. Exemplum ſtili ſimplicis, quo Tertullianus, Juriſconſultus, uſus eſt, præbeat *L. 33. D. de teſtam. milit.*

e) *In epiſt ad Tit. cap. 3.*

f) *L. verum 2. § ex facto. ff. de minor.*

g) Lamprid. *in Alex.*

** Sabinum, qui centurionis errore ſervatus eſt, ut eum, ad quem Ulpianus libros ſcripſit, eoſdem eſſe, ipſe Lampridius teſtatur *in Heliogabalo c. 16.* Sed fallitur Lampridius, uti obſervat Wilhelmus Grotius

XCVIII.

XCVIII. DE CERBIDIO SCÆVOLA.

Eos ætate præceſſit *a*) Cerbidius Scævola; cui laudem ſummam non propria tantum, ſed & diſcipulorum dignitas peperit: quorum in numero fuiſſe traditur Severus, poſtea Imperator, & Papinianus, & Paullus, a quo ideo *Scævola noſter* appellatur: *b*) ac propter magnam in jure civili auctoritatem legum, Coryphæus a Modeſtino dicitur, & ab Arcadio, atque Honorio, prudentiſſimus. *c*) Ejus conſilio in legibus, decretisque condendis M. Antoninus philoſophus plurimum juvabatur. Nihil hujus reſponſis gravius; nihil priſcæ ſanctitati ſimilius, * nihil denique propius ad cauſæ veritatem: cum ex ipſius facti receſſibus, quo ingenio penetrabat, reſponſorum ſuorum vim, & rationem extulerit; unde ſolenne illud apud Scævolam, *ſecundum ea, quæ proponerentur*. Peritis enim, illuceſcente facto, jus confeſtim occurrit. Huic tribuitur proverbium illud, *jura vigilantibus ſcripta ſunt*. Ejus ſchola Senatum quodammodo juriſconſultorum aperuit, fuditque clariores juriſprudentiæ proceres. *d*) Atque inter ceteros Paullum, Triphoninum, &, qui antiquitatem univerſam doctrina, & gloria ſuperavit; poſteritatem vero ejuſdem ſpe gradus exuit, Papinianum; cujus vix unquam nomen a Principibus abſque laude profertur, quemque juriſconſulti ejus æquales Ulpianus, & Paulius, quamvis habuerint ſtudiorum ſocium, tamen verebantur ut Magiſtrum. Nec enim prorſus erravit Lampridius, qui eos Papiniani diſcipulos facit: nam ſi non ætate, voluntate tamen fuerunt, & cultu.

XCIX. DE PAPINIANO.

Papiniani clarior fuit vita, quam felicior: exitum enim habuit, qualem ſub Tyranno fortiſſimi quique nanciſcuntur. *e*) Hoſtilii Papiniani, atque Eugeniæ Gracilis filius fuit. Ætate, ac gloria procedens munus ſubiit procuratoris Fiſci. Præfecto prætorio adſedit. Septimio Severo, non ſolum affinitate per ſecundam uxorem, ſed ſocietate quoque ſtudiorum, ac vitæ gratus adeo fuit, ut ab illo ſtatim poſt ſuſceptum imperium prætorio præfectus fuerit: qui ſummus erat, ſecundum Principem gradus: ab eodemque moriente curam filiorum illius acceperit. Quam ei fidem Papinianus capite ſuo perſolvit. Etenim, diſſidentibus inter ſe

in vitis JCtorum II. XI. 9. De Fabii Sabini juriſprudentia non conſtat, niſi quod in conſilio Alexandri Severi fuiſſe dicitur, Lampridius *in Alex. c. 68.*

a) *De Scævola vide* Fabrot. *in Cujac. parat. ff. expilat. hæredit.*

b) *Vid.* Cujac. *in recitat. ſolenn. in reſponſ. Cerbid. Scævol.*

c) *L. ſcire oportet §. aliud ff. de excuſat. tutor. L. 3. Cod. Theod. de teſtam.*

* Partium tamen ſtudio eum abripi *in L. 14. D. de Tranſact.* cenſet Ger. Noodt *Probabil. II. 2. & de Pactis & de Tranſact. c. 22.* ſed jam hujus criminis Scævolam abſolvere ſategit Schultingius *in enarratione Pandectarum ad tit. de Tranſactionibus §. 17.* Variationes ejuſdem Scævolæ vide apud Cujacium *Obſ. IV. 1.* Merillium *Obſ. I. 9.* & eundem Gerardum Noodt *Obſ. II. 18.* Servilius quoque JCtus *in L. 10. D. de jure Patr.* Cornelio van Bynkershoek *Obſ. L. V. c. 23.* mutandus videtur in Cervidium, quo Scævola ſignificetur.

d) Cujac. *ad Papinian. in princ.*

e) Spartian. *in Caracall.* Dion. *lib. 77. & 78.*

mutuis odiis, Geta, & Caracalla; ille nullam curam prætermiſit, quo animos eorum componeret. Qua caritate offenſus Caracalla: quia hoſtis loco habebatur ab eo, quicunque fratri non eſſet infeſtus; Papinianum, vel Getæ necem prohibentem; vel parricidium excuſare detrectantem; vel nolentem Imperatori orationem componere ad facinus apud populum diluendum, ſuis militibus occidendum tradidit. Feruntur autem hæ voces ſummæ conſtantiæ indices a morituro Papiniano editæ: nam cum ab Imperatore rogaretur; *non tam facile*, inquit, *parricidium excuſari poſſe, quam fieri.* Atque inſtante Imperatore, ut populo perſuaderet, Getam propter ſua ſcelera merito interemtum, reſpondit: *Aliud eſt parricidium, accuſare innocentem occiſum.* Atque ſupplicio proximus vates etiam fuit poſterioris facinoris a Macrino ſuſcepti: qui cum præfectus prætorio eſſet, Antoninum. Papiniani occiſorem imperio ſpoliavit, & vita. Stultiſſimum enim fore Papinianus dixerat eum, qui ſibi eſſet ſucceſſurus, ſi proculcatam in ſe præfecturam relinqueret inultam. Cum autem audiſſet Caracalla, Papinianum bipenni fuiſſe obtruncatum, carnificem increpuit, quod ſuum juſſum gladio non fuiſſet executus. Tradit Soccinus * urnam argenteam ætate ſua Romæ repertam a ruſtico cum hac inſcriptione: *Æmilii Papiniani J.C. & Præfecti Prætorio requieſcunt hic oſſa, cui infelix Pater, & Mater ſacrum fecerunt mortuo anno ſuæ ætatis triceſimo ſexto.* Erat & alia inſcriptio: *Æmilio Papiniano Præfecto Prat. J.C. qui vixit annos triginta, ſex M. quatuor, D. decem, Papinianus Hoſtilius, Eugenia Gracilis turbato ordine in ſenio heu parentes fecerunt filio opt.* Lepidum vero eſt, quod latro comprehenſus reſpondiſſe fertur Papiniano cum interroganti, cur latrocinium feciſſet? nam ad hæc latro retulit: *& tu cur Præfectus es? a)* Tanta vero illius in jure civili fuit auctoritas, ut nunquam ab Imperatoribus, niſi honorificentiſſime appelletur: inque variantibus J. C. ſententiis, ea præferretur, a qua ſteterat Papinianus: cum quo ſemper ipſa veritas habitare cenſebatur. Et cum alii Papiniani auctoritate nitantur, ipſe ad nullius unquam auctoritatem excurrit: ut quot reſponſa, totidem reddidiſſe oracula videatur. Hinc illa de ſummo J.C. crebra, & plena honoris elogia: nimirum, *Aſylum juris, & legalis doctrinæ Theſaurus. b)* Hinc tertio anno auditores juris ſeſe libris Papiniani tradebant, & Papinianiſtæ dicebantur; eoque anno ineunte Papiniano feſtum diem agebant. Hinc Hieronymus aliud inquit Paullus noſter; aliud Papinianus præcipit. Eundemque locum Papiniano tribuit in humano jure, quem habet Paullus in Divino. Maxi-

* Imo utramque hanc inſcriptionem falſi arguit Everardus Otto *in Papiniani vita*, cujus ubertate & eruditione factum eſt, ut de Papiniano hodie parum dici poſſit, quod non ille dixerit prius. Abſtinemus a reliquis, id dixiſſe ſatis habentes, non uſquequaque verum eſſe, quod dicit Gravina, Papinianum ad nullius unquam auctoritatem excurriſſe. Labeonem enim & Pegaſum laudat *in L. 55. §. 7. D. de Solutionibus.* Nervam ſequitur *in L. 47. D. de A. P.* Neratio Priſco adſtipulatur *in L. 19. D. de Dolo malo* & *L. 33. D. de uſufr.* Inprimis vero Juliani auctoritate ſæpiſſime utitur, ut *in L. 62. D. de Rei vind. L. 50. D. de Peculio, L. 76. D. de Hered. inſtit. L. 43. D. de Bonis libertorum, L. 26. D. Si quis omiſſa cauſa, L. 47. D. de Fidejuſſoribus.*

a) Dion. *lib. 76.*

b) Cujac. *in Papin. in princ.*

mum

Digitized by Google

mum ſane juriſprudentiæ incrementum, & vir priſcis Reipublicæ temporibus dignus, qui Romanam juſtitiam ſcriptis docuit, & ſui ipſius capitis pernicie. Quod ingenium ſuis omnibus in reſponſis, totoque genere orationis elucet. Ineſt enim in eo præter elegantiam, & candorem latinitatis, omnibus Juriſconſultis familiarem, gravitas talis, ut non tam interpretem, quam latorem legum agere videatur. Catonianam nos conſtantiam Principis juriſconſultorum, in ſcenam ad popularem admirationem adduximus, Vernacularum Tragœdiarum * quarta, quæ inſcribitur *Papinianus*.

C. DE DOMITIO ULPIANO.

Hunc ſequitur Domitius Ulpianus Syrus, qui prætoribus primo; deinde ipſi Papiniano præfecto prætorio adſedit. *a*) Verum per Heliogabalum ob inviſam propudioſæ libidini probitatem a publicis muneribus jam ejectus, poſtea redditus Reipublicæ fuit, & Magiſter ſcrinii aſſumtus ab Alexandro Severo: cujus imperium regebatur, Ulpiani conſilio, quem repugnante primum, deinde laudante Mammæa matre pro tutore adhibuit, *b*) eumque dilexit præ ceteris Juriſconſultis, quos advocare in conſilium conſueverat, quosque veluti Pythium conſulebat, antequam grave aliquid aggrederetur. *c*) Horum ſapientiæ tribuenda eſt moderatio illa Severi ſuper fiſci negotiis, conditarumque ab eo conſtitutionum lenitas, atque æquitas. Cum neminem ad ſe ſolum Alexander admitteret, tum ne cui nimiam apud populum potentiam pareret favore ſuo, tum ne invidiam ſereret inter amicos; unum tamen excepit Ulpianum, quem, ſemotis arbitris, ad ſe introduci permiſit. Nam præter prudentiam, erudito ejus colloquio maxime capiebatur. Præfectus prætorio creatus ab eodem Principe Ulpianus adeo adverſas habuit militum voluntates, ut ab iis etiam ad necem peteretur: a qua illum ſæpe Imperator, & aliquando, objecta etiam ſumma purpura, eripuit. Quamvis vero tanta fuerit hominis doctrina, neſcias tamen, plus ne profuerit humano juri, quam obſtiterit Divino. Siquidem auctoritatem omnem, & gratiam ſuam apud Principem direxit adverſus Chriſtianos: a quibus benevolum Imperatoris animum, ſeminibus etiam noſtræ religionis, imitatione Mammææ matris, imbutum, detorſit: mitiſſimumque Principem, collectis omnibus Imperatorum conſtitutionibus in Chriſtianos conditis, in eos, exemplo ſuperiorum Principum, incitabat. Scribendi genere uſus eſt leni, temperato, & facili, ut nunquam tamen gravitas in eo deſideretur. Mira eſt ejus proprietas verborum: quorum adeo erat religioſus, curioſusque inveſtigator; ut Theodorus Cynulcus apud Athenæum ſuperſtitionem hominis, & inutilem ſubtilitatem faſtidierit. Unde ſpinarum collector appellabatur. Moleſtiam enim familiaribus objiciebat crebris quæſtiunculis de ſingulis vocabulis rogi-

* Hæ numero quinque junctim *Neapoli excuſæ fuerunt 1712. & 1717. in 8.* Inſcribuntur vero prima Palamedes, ſecunda Andromeda, tertia Appius Claudius, quarta Papinianus & quinta Servius Tullius. Quæ deinceps ab auctore in Latinum converſæ ſermonem cuſtodiuntur apud heredem ejus, Petrum Metaſtaſium.

a) *L. 1. ff. de cenſib.* Lamprid. *in Sever. cap. 26.*

b) Lamprid. *in Alex.*

c) Lamprid. *in Alex. Sever.*

Digitized by Google

tando, atque contendendo, nullique cedendo. Et cum inter epulas de cujusque cibi appellatione percunctaretur, extaret ne alicubi verbum, an non extaret, κειτέκειτ⊛ fuit appellatus: quamvis Caſauboni ſententia hic alius ſit ab Ulpiano Juriſconſulto. *a*) Vicit tandem auctoritatem hominis, & gratiam Principis militare odium, quo demum Ulpianus interiit. *

CI. DE JULIO PAULLO.

Cum Ulpiano conjungimus Julium Paullum Patavinum. *b*) Is cum ſeſe cauſis defendendis exercuiſſet, & cum eodem Ulpiano Papiniani fuiſſet aſſeſſor, ſcrinii memoriæ magiſter creatus fuit, & poſtremo præfectus prætorio: *c*) ita ut Ulpianum diſciplina, ætate, honoribus, & Principis gratia æquaverit; ſtyli tamen gravitate ſuperarit, & numero librorum, quo vicit ceteros: cum nullam non juris particulam attigerit. Hoc etiam Ulpiano diſſimilis, quod Ulpianus in juris definitionibus remiſſior eſt, & pronior ad æquitatem; Paullus vero ſeverior & religioſior juris. **

CII. DE HERENNIO MODESTINO.

Herennius Modeſtinus Ulpianum habuit magiſtrum, a quo ſtudioſus ſuus appellatur. Eundemque Ulpianum ſæpe conſuluit, etiam abſens, cum Dalmatiam pro Conſule *** adminiſtraret. *d*) Græcarum fuit ac latinarum literarum cum

a) *Animadv. in Ath. cap. 7.*

* Quæ de Ulpiano circumferuntur, accurato judicio caſtigavit Ant. Schultingius *in juriſprudentia Ante-Juſtinianea.* Reſcripta principum contra Chriſtianos colligentem excuſat van Bynkershoek *de religione peregrina p. 240.* Illum vero κατὰκειτον Athenæi, a JCto diverſum eſſe, etiam Celeb. Fabricius annotavit *Biblioth. Græcæ IV. 20. 6.* Jacobi Lectii orationem *de vita* & *ſcriptis Ulpiani*, exhibet *Tomus I. Theſauri* Ottoniani. Eminent inter ſcripta Ulpiani libri ejus ad Edictum laude candoris & perſpicuæ gravitatis.

b) *L. quæſt. §. cum vir. ff. de legat. 3. L. lecta. ff. de reb. cred.*

c) Æl. Spart. *in Nigro.*

** Ex libris Pauli bina circiter millia fragmentorum, ſeu ſi mavis, bina circiter millia legum in Pandectis inveniuntur. Placet is ſibi in ſtudio brevitatis, unde ſæpe nimis ſubtilis eſt & obſcurus. Notum dictum Raph. Fulgoſii, *Iſte maledictus Paulus ſemper ita obſcure loquitur, ut vix poſſit intelligi, &, ſi haberem eum in manibus, eum per capillos interrogarem.* Idem Duareno *ad L. 132. D. de V. O.* propter ſcribendi genus obſcurum, implicatum ac tortuoſum Heraclitus quidam eſſe videbatur, qui a veteribus σκοτεινὸς appellatus eſt, Bynkershoek *ad L. Lecta. c. 1.* De patria ejus diſputant Patavium, Tyrus, Græcia & Roma. Conf. Bertrandus *in vita Pauli* & Pignorius *Symbol. Epiſtolic. L. I. epiſt. 41.* Juliam Corneliam Paullam, quam γυναῖκα ἐυγενεστάτην, feminam illuſtriſſimam vocat Herodianus *Hiſt. V. 6.* & cujus numos expoſuit Vaillant *de numiſm. Imp. p. 137. & 269.* noſtri filiam putat Celeb. Heineccius *in Hiſtoria juris p. 280.* Fuit autem Paulla uxor Elagabali Imperatoris. Vitam cæterum Paulli quoque compluribus erroribus liberavit Ant. Schultingius *in juriſprudentia Ante-Juſtinianea.*

*** Quod ex vulgata colligunt Pandectarum editione, in qua *in L. 52. §. 20. D. de furtis*, ſic legitur: *Quod & Herennio Modeſtino, Proconſuli, me de Dalmatia conſulenti, reſcripſi*, cum Florentinus Codex vice Pro-

primis

primis doctus, pollensque in utraque ſcribendi facultate, librumque de excuſationibus græce conſcripſit. Vixit ad Gordiani tempora, a quo non contemnendæ auctoritatis J. C. appellatur. Maximinus vero junior eum ſibi juris peritum, & magiſtrum adhibuit, ut refert Capitolinus. *a*)

CIII. DE ALIIS GENERATIM.

Atque hunc poſtremam juriſprudentiæ vocem appellare licebit: quo ſublato hujus doctrinæ oracula conticuere, ac ſuperſtitibus rivis, juris exaruere fontes. Hermogenianus enim, qui ſub Conſtantino claruiſſe fertur, de quo Menagius quærit *in amœnitatibus juris civilis*, *b*) aliique obſcurioris nominis, nihil prodidere novi: ſed vetera tantum retractarunt, aut explicarunt, remiſſoque priſco illo, & graviſſimo inſtituto reſpondendi, tantum docendo juri civili ſcholas aperuerunt. Fuerunt ſane plurimi, aut Modeſtini, aut Ulpiani æquales, iidemque Papiniani diſcipuli; ſed minus celebres: quorum cognitio repeti poteſt ex eorum libris, qui peculiares tractationes de Juriſconſultorum hiſtoria conſcripſerunt. Nos etenim, omiſſis iis, quæ tantum curioſitatem explere poſſint, ea ſuggerenda duximus, quæ initia juris illuſtrare, atque utilitatem, opemque præbere poſſint laborentibus. Sane interruptam nunc narrationem opportune repetemus, & Juriſconſultorum hiſtoriam perſequemur, poſtquam expedierimus Juſtinianeam juris civilis collectionem: ad quam ut accedamus, aperienda ſunt fundamenta ejus poteſtatis, qua uſi Principes, juſſa ſua partem fecerunt juris civilis. Quæ ut a ſuis naturalibus initiis deduceamus, plura evolvenda ſunt de Principum Imperio, ejusque vires expendendæ, progreſſioque veſtiganda: ut noſſe poſſimus, quibus ex initiis in libera Civitate orta fuerit ea poteſtas & quousque pervenerit. Quoniam vero nihil certi exploratique comprehendere poſſumus, niſi quod hauriamus de fonte naturæ; ideo tantiſper a matre veritatis philoſophia facem illam arripiam, qua per tenebricoſum iter & opinionibus obſeſſum libere percurram ad ea primordia, unde veritas protrahatur in lucem. Qui enim adhuc ſcriptis ſuis imperii fundamenta jecerunt e Juriſconſultis recentioribus, non tam abſtruſas naturæ notiones, quam auctoritates, & opiniones pro certis firmisque principiis tradiderunt: & quæ conſequentia eſſe debuiſſent, pro antecedentibus acceperunt: ut non aliam firmitatem ea, quæ proponunt, habeant, niſi ſtudioſorum fidem atque conſenſum; ne dicam inquirendi negligentiam.

CIV. DE ROMANO IMPERATORE.

Humanæ naturæ vitium, dum innaſcitur anima corpori, e parentum culpa ſuſceptum, ad omnem effunditur poſteritatem. Eodem vitio elata cupiditas noſtras omnes corripit facultates, e quarum regimine pellit excluditque rationem: qua depreſſa cupiditas impotenter dominatur, ſuumque jus viribus metitur: ut eousque imperium extendat, quo ad vires cujusque perveniunt. Cum enim cupiditate,

conſuli exhibeat ſtudioſo meo. De Dalmatia autem conſulere dicitur, pro e Dalmatia.

d) *L. 52. §. ſi quis. ff. de furt.*

a) *In Maximin. junior.*

b) *Cap. 11.*

piditate, non ratione decernimus, tantum exultant jura corporis, quæ illi dominium rerum addicunt, qui vim ad capiundum, & retinendum idoneam habet a natura tributam. Unde, ſecluſa ratione, quæ rerum inæqualitatem inter homines pro imparibus meritis ad communem utilitatem inducit, exurgit appetitio naturæ, quæ conſtituit juris æqualitatem, namque dirimit, atque diſtinguit potentia ſingulorum: ut cum omnia pateant omnibus, ea tamen cujusque ſint propria, quæ ſuæ cuique vires attraxerunt. At quoniam æqualitas, dum omnes omnia ſibi arripiunt, bellum excitat, & mutuas cædes: hinc metus inteſtinæ diſcordiæ, atque pericula externæ potentiæ, revocarunt velut ab exilio rationem; quæ veram aperuit utilitatem, docuitque homines magis ad ſecuritatem, quam ad magnitudinem virium expendere jura ſua. Quamobrem proprias cupiditates, & vires communi voluntati, & publicæ potentiæ ad univerſorum tranquillitatem intentæ ſummiſerunt, fœderaque percuſſerunt, inieruntque pacta, quorum in fidem, atque tutelam, inſtituta ſocietate vitæ, ſe ſuaque omnia tradiderunt, eique ſocietati regendæ præfecerunt Imperium, ſive vim ſummam undique contractam, animis omnium atque corporibus dominantem. Itaque ſervitute ſecuritatem emerunt, & parere legibus duriter, quam propriis cupiditatibus obſequi cum periculo, maluerunt. Duabus igitur facultatibus hominum conditio regitur, naturali ſcilicet, & civili. Prior ſtatum corruptum * hominum, liberum, & ſolitarium comitatur. Poſterior vero eorundem ſocietatem, vitæque communionem conſequitur, quam Civitatem appellamus. Etenim facultatibus naturalibus facultati civili ſubjectis, Civitas coaleſcit. Cum vero iſtæ diſſiliunt, ſeque homo refert ad naturalis potentiæ ſtatum, diſcordia erumpit, civitasque diſſolvitur. Quia ſublato ſtatu inæqualitatis rerum, atque pacis: homines redeunt ad juris æqualitatem, cujus obtinendæ cauſa bellum inter eos exoritur. Civilis autem facultas, quæ naſcitur a multitudine, minime tamen poteſt ſeorſum a perſona publica reſidere, neque in ſingulos diſſipari: hac enim ratione jus quisque repeteret ſuum: ſed in perſonam aliquam transfundenda eſt, quæ multitudinem ipſam referat, qualis eſt cœtus plurium, vel paucorum, vel communis ab uno adminiſtrata voluntas, ex qua exiſtit Princeps, in quem pro cujusque civitatis legibus, vel poteſtas univerſa multitudinis, vel portio transfertur illius. An autem poteſtas omnis popularis, an tantum portio tranſierit in Romanum Imperatorem, e veteribus monumentis explorabimus. Nam quæ poteſtas aliunde acceſſit, quam ex populi voluntate, non e civili facultate, ſocietatisque jure manavit; ſed a facultate naturali, & militari vi a Principe expli-

* Ferri poteſt ſuperior Philoſophia Auctoris noſtri, etſi eam a perditæ famæ Philoſopho, Thoma Hobbeſio, mutuatus videatur, eademque valde diſpliceat Auctori *conſiderationum ad tres libros de origine juris*. Conſiderat enim mutuam vim tanquam rem facti, id magis intuens quod fit, quam quod fieri debeat. Nec tamen ſola ſecuritas omnium civitatum finis eſt. Quasdam etiam *αὐτάρκεια* ſeu ſtudium ſufficientiæ inſtituit, quod docet naturalis indigentia noſtra. Statum autem naturalem minus apte dein corruptum vocat. Affluit is deliciis ſuis perinde ut civilis, quanquam ut nihil eſt ex omni parte beatum, ſuis quoque premitur incommodis. Et gentes quidem etiam in ſtatu naturali felices eſſe, experientia docet.

cata:

cata: per quam vim exolvebat ſeſe jure illo, cui tuendo fuerat aſſumtus, quoque alios in civili ſtatu continebat. Quamvis autem Princeps injuſte fines civilis facultatis exceſſerit; fideinque poſtpoſuerit publici fœderis, privataque uteretur naturæ facultate, quam in commune depoſuiſſe oportebat; juſtum tamen erat * cives obtemperáre Principi: cum alia ratio tranquillitatis publicæ nulla pateret. Nam ſi Principis vim majori vi coërcere voluiſſent, hortarique ſingulos ad repetendam e Principis manu ſuam cujusque facultatem; res rediiſſet ad corruptum naturæ ſtatum, omnium peſſimum: nempe ad internecionem, atque diſcordiam, quo revolvimur, quoties obſiſtimus facultati publice traditæ: cui diſſolvendæ, ſine rerum perturbatione, minime ſufficimus. Sed jam ipſius Imperii Romani ortum, atque ſtatum contemplemur, & explicemus. Libertatem inditam ferociæ animorum, quam, pulſis Regibus, repetierant Romani, non negligentia, neque voluntate; ſed nimio potius ejus retinendæ, ac dilatandæ ſtudio amiſerunt. Etenim plebeji metuentes potentiam patriciorum, quos inſidiari publicæ libertati ſuſpicabantur, variis contentionibus, majorum omnium magiſtratuum communionem impetrarunt. Unde muneribus, & honoribus communicatis, Patres, quamvis conſilio, & auctoritate anteirent; numero tamen, & viribus vincebantur: attritaque potentia Senatus, victoque conſilio meliorum publica res populari temeritate agitabatur. Multitudo vero cœca, & præceps majora ſemper impetrando, adeo inſoleſcebat, ut cum plus in dies libidini ſuæ permitteret, ad infinitam tenderet libertatem. Quamobrem diſſoluta priſca illa temperie civitatis, majorum inſtituta ſenſim dilabebantur, & plebs inconſulta in poteſtatem decidit callidiorum, & potentiorum, qui ejus cupiditati aſtu, audaciaque ſua velificabantur. Et quoniam ſtudia plebis pro varia utilitate, atque ingeniorum diverſitate dividebantur; multitudo diſceſſit in factiones: quarum ſingulæ ſuos ſibi Duces, & Principes conſtituentes, in certamen venerunt; & victrix factio ſemetipſam, cum partibus reliquis profligatis, atque devictis, in poteſtatem deduxit illius, cujus conſilio, atque Imperio vicerat: qui deinceps plebem in fraudem jam inductam poſtea militari metu continuit. Itaque plebs contrariæ factionis opprimendæ ſtudio ab eo fuit oppreſſa, per quem alios opprimere conabatur. Quia vero militiam Romanam Romani Spiritus per-

* Imo pactorum fides, cui & in quam ſe ſuaque omnia tradere homines ſolere dixerat, parum profuit Romanis, ſi principi etiam fines imperii excedenti obtemperare, cives oportebat. Repugnat id nativæ indoli pactorum, qua alteri reſilire a fide data licet, ſi eandem ab altero non ſervari intelligat. Armis vero naturalique vi renunciare princeps intelligitur, quam primum cum populo paciſcitur. Utrum autem ratio tranquillitatis patiatur principi reſiſti, non juris ſed utilitatis quæſtio eſt, etſi ſæpe contigerit, ut publicæ quietis intuitu cives a jure ſuo receſſerint. Itaque dicendum, populo quidem Romano integrum fuiſſe, principem leges conventionis migrantem in ordinem cogere, ſed remiſiſſe eum de jure ſuo videri, poſtquam ex ſilentio ejus derelictio colligi potuit, tacitoque populi conſenſu vis probata convaleſcere, & juris præſidiis muniri cœpit. Idem conveniens eſt iis, quæ paulo poſt ab auctore dicuntur. Agnoſcit enim plebem Romanam aſtu ab imperatoribus deluſam, in poteſtatem eorum conceſſiſſe. Ut enim expreſſo conſenſu purgari vitium per legem regiam potuit, ſic idem contingere potuiſſe videtur conſenſu tacito.

Digitized by Google

meabant, ac ſimul cum Romano nomine adhuc opinio veteris Reipublicæ vivebat in animis: neque militia, neque populus parere poterat uni, niſi falſa libertatis opinione duceretur. Unde manſit ſub Principe mendax imago libertatis in exteriori Senatus majeſtate, ac priſcis, ſplendidisque magiſtratuum nominibus impreſſa. Trifariam autem res Romana ſub Imperatore diſpertiebatur: in Senatum, militiam, & plebem. His præerat Princeps, qui tum ſecurus erat, & firmior, cum auctoritatem Senatus, militum vim, & plebis poteſtatem æquabiliter dirimeret, atque libraret. Porro quia Romani abominabantur extraordinaria imperia, juſtaque rerum poteſtas magiſtratibus continebatur; Princeps, ut offenſionem ferocis populi declinaret, & legitima imperia videretur exercere, præcipiebat ſibi magiſtratus majores: quo auſpicato agere, & more majorum, juſſaque ſua populo, auctoritate legitima, comprobaret. Unde imperia Principum, non certæ perſonæ juſſa; ſed plurium magiſtratuum auctoritates reputabantur.

CV. DE VARIIS MUNERIBUS IMPERATORIS.

Erat itaque Romanus Imperator plurium, atque ſummorum complexio magiſtratuum, cumulusque variarum poteſtatum in militiæ Principem, in cujus unius perſona veteris Reipublicæ vis, atque majeſtas per cumulatas magiſtratuum poteſtates exprimebatur. Etenim, per ſpeciem conſtituendæ Reipublicæ bellis quaſſatæ, ac diſſolutæ civilibus, Triumviri, Octavius, Antonius, Lepidus, potiti ſunt rerum: atque initio Triumviratum ad quinquennium ſuſceperunt, nullo invidioſo nomine novæ dignitatis aſſumto. Deinde in aliud quinquennium imperium ſibi prorogarunt. Tandem, oppreſſo Lepido, Antonioque devicto, ſumma Reipublicæ ad Octavium devenit. Is autem, ut invidiæ pericula vitaret, ſibi ad decennium ſuſcipiebat imperium, denis annis tota vita prorogatum: ne aut abſtuliſſe libertatem populo videretur, aut eidem ſpem unquam adimeret recipiendæ priſtinæ poteſtatis; quam non abjeciſſe, ſed ad tempus depoſuiſſe in unius manu ſibi videbatur. Et quamvis Dictatorem egiſſet Octavius; nunquam tamen formidabile jam Dictatoris nomen admiſit: ut appellatione ſublata, odium removeret, contentus Imperatoris nomine longe mitiori; quo re bene geſta Duces a militibus non ſolum in libera Republica; ſed etiam ſub Principibus, ob honorificentiam appellabantur: unde ad victoriarum numerum legimus ſemel, bis, ter, quater, quinquies Imperatores appellatos. Quo effecit, ut militaris potius honoris, ac felicitatis nomen, quam poteſtatis præferre videretur. Præterea, ut Octavius, jam nationum omnium, ſubacta patria, victor ſecerneretur a ceteris mortalibus; quia Romuli nomen reſpuerat, ne Regiæ memoriæ ſubiret invidiam, Auguſtus appellari maluit, conſecrato jam religione vocabulo, rebusque ſacris, ac divinis uſitato: ut ſe Deorum quodammodo nomine muniret. Cæſaris autem nomine ſuſcepto, hæreditatem, ac ſucceſſionem prætulit illius: quod poſtea nomen ad alios una cum Imperio tranſivit. Tribus igitur iſtis appellationibus Imperatoris nempe, Auguſti, & Cæſaris, rei militaris arbitrium, ſplendor dignitatis, & ſucceſſio ſignificabatur.

CVI.

Digitized by Google

CVI. DE PONTIFICATU MAXIMO IMPERATORIS.

Sequuntur aliæ appellationes ea jura continentes, quibus retenta ſpecie veteris Reipublicæ, populi ac Senatus poteſtatem, & Sacrorum arbitrium Princeps ad ſe trahebat. Igitur cum ſuperſtitionis vim, atque potentiam in ſubigendis animis intelligeret; ſuſcepto Pontificatu Maximo, poteſtatem arripuit Sacrorum: ut omnis a Principe religio proficiſceretur, ejuſdemque Imperium a Diis arceſſeretur. Ideo & in collegio Augurum eſſe voluit: quippe norat, quantopere auſpicium reſponſa multitudinis animos permoverent. Extat Veſpaſiani nummus hac inſcriptione:

IMP. CAES. VESP. AUG. P. M. AUGUR TRIB. POT.

CVII. DE TRIBUNITIA POTESTATE.

Præter poteſtatem Divinam, ſepſit etiam ſe Princeps auctoritate plebis, adſcita ſibi poteſtate tribunitia; non vero tribuni munere, quo fungi non poterat, niſi plebejus: Princeps autem ſemper inter patricios cenſebatur: ideo relicta perſona tribunorum, quæ cohærere patricio non poterat, retinuit poteſtatem: per quam non modo intercedendi cum ceteris tribunis jus obtinuit, ſed & ſe præſtitit Sacroſanctum. Ut, quisquis eum attigiſſet, publicam violaret majeſtatem: ideoque indicta cauſa poſſet occidi: quo facto ignaræ plebis captavit gratiam: quaſi ſuſcepto munere plebejo, ſuam Princeps plebi dignitatem impertiiſſet. Eam poteſtatem Auguſtus perpetuam accepit, adſcito ad quinquennium ſemel, atque iterum ſibi collega. *a*) Cum Imperatores alii temporariam deinceps habuerint, poſt exitum renovandam.

CVIII. DE CENSURA IMPERATORIS.

Inter magiſtratus Romanos maxime præcellebat cenſura: quippe quæ moribus immineret, atque in facta civium, & vitam animadverteret. *b*) Hanc Julius Cæſar ſibi delatam, præfecturam morum appellare maluit, ſive ut vetuſtum nominis odium effugeret, ſive quia Cenſoris nomen Pompejus detrectaverat. Eandem morum præfecturam ſibi adjunxit Auguſtus: ut ſicuti tribunatum plebis gerebat, nec tribunus plebis dicebatur; ita ſublata formidine cenſorii nominis, cenſuram exerceret. Quamobrem ſexto conſulatu præfecturam morum accepit, *c*) egitque cenſum ter, ſine honore cenſuræ. *d*) Antiquum Cenſoris munus non eſt veritus palam aſſumere *e*) Claudius, & Domitianus, qui Cenſor appellatur in Faſtis Capitolinis. *f*)

a) Sueton. *in Aug. cap.* 27. *Faſti conſulares.*

b) Cic. *lib.* 9. *epiſt.* 15. Dion. *lib.* 43. Sueton. *in Jul. cap.* 76.

c) *Faſti conſulares.*

d) Sueton. *in Aug. cap.* 27.

e) Sueton. *in Claud. cap.* 16.

f) Sueton. *in Domit. cap.* 14.

CIX. DE CONSULATIBUS IMPERATORIS. *

Extollebant vero maxime potentiam ſuam Imperatores frequentia Conſulatuum, quos vel cum aliquo ex familia Cæſarum, vel cum præclaræ nobilitatis, aut ſummæ auctoritatis viro gerebant. Conſulatus enim etiam, devicta Republica, quamvis fractis ejus magiſtratus viribus, vertex dignitatum fuit, & honorum faſtigium. Unde Principes, qui gloriæ avidiores erant, honoremque tantum ſubjectis ſuis invidebant, conſulatum gerebant ſoli, aliquando etiam perpetuum: uti de Vitellio vetus inſcriptio teſtatur: *a*)

A. VITELLIUS L. F. IMPERATOR COS. PERP.

CX. DE PROCONSULARI IMPERIO.

Proconſulare vero Imperium, quod frenum erat provinciarum, ſemel arreptum, nunquam dimiſerunt Imperatores. Quanquam enim in provincias Proconſules mittebantur, & Proprætores, & Præſides; Princeps tamen Proconſulare imperium obtinebat in provincias univerſas, quod illi adminiſtrabant in ſingulis earum. Eaque imago erat poteſtatis illius militaris, quæ conſulibus ad bellum proficiſcentibus lege curiata tribuebatur; *b*) quam longe pleniorem impetravit Cn. Pompejus, cujus imperio circum oras maritimas Romanæ omnes provinciæ olim ſuberant. Imperatores igitur ſtatim extra pomœrium exeuntes proconſulare imperium explicabant: quo velut in perpetuo conſulatu provinciarum omnium adminiſtratio, & rei militaris arbitrium, & vitæ necisque poteſtas comprehendebatur.

CXI. DE REFERENDI JURE.

Quoniam vero libera Republica Senatum habere, ad eumque referre, ſive illum conſulere non licebat, niſi magiſtratibus majoribus, jus hoc, tanquam uni ex illis magiſtratibus, conceſſum etiam fuit Imperatoribus. Atque initio quidem admodum parce: Auguſto enim tantum licuit una de re interrogare Senatum: quod relationem facere dicebatur. Extenſum deinde fuit hoc jus, ut de pluribus rebus relationem facere liceret: nempe uti binæ, ternæ, vel quaternæ, atque etiam quinæ, relationes fieri poſſent: quod jus dicebatur ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis. *c*)

* De variis muneribus Imperatoris plenius auctor egit in libro ſingulari *de Romano Imperio*, cujus caput ſeptimum ad Pontificatum maximum, caput octavum ad Tribuniciam poteſtatem, caput nonum ad cenſuram, caput decimum ad Proconſulatum, caput undecimum ad jus referendi, caput decimum tertium ad ſenatoriam Imperatoris dignitatem, caput duodecimum ad patris patriæ appellationem pertinet, omiſſa mentione conſulatus imperatorum, de quo hoc loco agitur. Easdem imperatorias dignitates plenius illuſtrarunt Ezechiel Spanhemius, *de uſu & præſtantia numiſmatum*, & Auguſtinus Campianus, Anteceſſor Taurinenſis, *de officio & poteſtate magiſtratuum Romanorum*.

a) *Apud* Gruterum.

b) Cic. *in Rullum*.

c) Dion. *lib.* 53. Vopiſc. *in Probo*, & *in Aurelian.* Capitolin. *in Pertinac.* & *in Marc. Ant.*

CXII.

Digitized by Google

CXII. DE SENATORIA IMPERATORIS DIGNITATE.

Cum hiſce muneribus dignitatem ſenatoriam iis adjunctam Princeps induebat: *a*) & quamvis eſſet e plebe, inter patricios recipiebatur.

CXIII. DE PATRIS PATRIÆ APPELLATIONE.

Summorum munerum iſtorum invidiam Principes gratioſo apud plebem Patris patriæ nomine levabant. Qui honos M. Tullio primum ob oppreſſam Catilinæ conjurationem delatus, deinde tranſiit ad Auguſtum, & poſteriores Imperatores: qui ejus appellationis honore, aliquorum opinione *b*) jus etiam nanciſcebantur in populum, quale parentes habent in liberos. Hæc autem non omnia ſimul Principi, ſed intervallis aliquot proferebantur. Etenim de Pertinace, atque Severo id memorabile ducitur, quod uno die haſce dignitates acceperint: cum Adrianus Patris Patriæ nomen ſemel atque iterum oblatum diſtulerit, & Tiberius prorſus recuſarit: quod nominis dignitas ab eo majora poſceret, quam ſe confideret præſtiturum.

CXIV. DE LEGE REGIA.

Hæc autem ex pluribus magiſtratibus collecta poteſtas, Principi tradita, Senatus populique decreto, ut mea fert opinio, confirmabatur. Cujus decreti fragmentum eſſe arbitror illud Capitolinum, quod legis Regiæ nomine producitur. Ea enim, ni fallor, erat recenſio, & enumeratio ſingularum facultatum, ex ſuſceptis magiſtratibus in Principem immigrantium: quæ publico populi monumento conſecrabantur. Quod Auguſto primum tributum, translatitium deinde fuiſſe arbitror: atque ad ſequentes Principes deſcendiſſe. Ideo legimus in hac tabula, Veſpaſiano eadem tributa fuiſſe, quæ D. Auguſto Tiberio, & Claudio. Quamobrem nec falſi damnaverim fragmentum hoc, quod non ſatis prudenter aliqui fecerunt: cum dictione, ſcriptura, & notarum lineamentis convincantur erroris ſui: ut duo noſtrorum temporum clariſſima Romanæ antiquitatis lumina obſervarunt, Blanchinus, & Fabrettus, quorum teſtimonium ad hujus libri extremum adjicienus: Neque hoc decreto exutum perpetuo fuiſſe poteſtate ſua populum, atque Senatum exiſtimaverim; ut aſſentandi ſtudio Vlpianus, aut Tribonianus, uter eorum fuerit, *

a) *L. 8. Cod. de Dignit.* Capit. *in Macrin.*

b) Dion. *lib. 53.*

* De lege regia quoque plenius noſter egit in libro *de Romano Imperio c. 23. ſeqq.* Sed non ideo minus notabilis hæc de ea tractatio eſt, in primis propter *litteras* Fabretti, in fine operis ſubjectas, quibus is ſuum & Franciſci Blanchini judicium de veteri ejus fragmento exhibet, idque a νοθείας ſuſpicione liberat. Poteſt vero & huic fragmento ſuus haberi honos, & Ulpianus mendacii vel adulationis abſolvi, ſi dicamus, poteſtatem principum, pedetentim dein auctam, Antonini jam Caracallæ ævo eo excreviſſe, ut jus omne populi complecteretur, qui dudum oblitus veteris Regum odii, neque legis regiæ nomen amplius faſtidierit. Quæ ſententia Jo. Fr. Gronovii fuit, quam hodie quoque plerique ſequuntur. Alia ratione Ger. Noodtius *Obſ. I 3.* hunc nodum ſolvebat, & verba Ulpiani: *populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat*, interpretabatur de facultate condendi juris in reſcriptis, decre-

interpretatur, contra omnium temporum, atque rerum geſtarum teſtimonia: quibus populo, atque Senatui jus magiſtratuum, & comitiorum aſſeritur. Ipſe namque ordo dignitatum, atque munerum, quibus Princeps muniebatur, docet, nulla fixa, certaque, ac perpetua lege; ſed ſuſcipiendorum auctoritate magiſtratuum Principi ſummam poteſtatem eſſe patefactam, eamque futuri teſtimonii gratia in monumentum hoc, quod legis Regiæ nomen ab adulatoribus tulit, cum ſuis gradibus fuiſſe deſcriptam. Cur enim nominatim, ac ſeorſim ſingula munera Imperatori deferebantur, ſi vis earum ipſa Imperatoris perſona ex legis poteſtate continebatur? Quorſum in populo, vel in Senatu comitia diu permanſiſſent, ſi, extincta prorſus imagine veteris Reipublicæ, Principis voce omnia populi ſuffragia, & Patrum conſulta comprehendebantur? Si, inquam, e Principis tantum voluntate leges exibant, quid opus erat, vocare Senatum ad legem ei ſuadendam, & ad Senatusconſultum a Senatoribus, poſt orationem a Principe habitam, exprimendum? At, inquiunt, Princeps fertur eſſe ſolutus legibus. Quaſi vero, qui ſolutus eſt ipſe legibus, jure ſuo retexere poſſit veteres, & imperare novas: aut per univerſarum legum veniam, continuo populus infinitam poteſtatem conceſſerit. Quid ſi anguſtius accipiendum eſt, quod dicitur *Principem eſſe ſolutum legibus*, ex integerrimorum interpretum ſententia? Quod enim Ulpianus *a*) ait, abſciſſum eſt ex ejus libris ad legem Juliam, & Papiam, quæ ob earum præſtantiam *leges* absque adjectione alia dicebantur. Ex quo colligitur, ex legibus tantum conjugalibus, non autem ex aliis legibus, Ulpiani ſententia, Principem eſſe ſolutum. Sed fac id ſignificare latius; fines certe legum civilium non egredietur; neque Principem naturalis juſtitiæ vinculis exolvet; nec parum ei tribuetur, ſi ſolemnitatibus legum, & juris civilis ritibus eximatur: quod a gravioribus traditur interpretibus; quorum nemo fert, ut Princeps, quia ſolutus eſt legibus, eas poſſit voluntati ſuæ ſubjicere, ac publicam exagitare pacem, cui tuendæ fuit aſſumtus. Atque ita ex Dionyſio Halicarnaſſæo explicatur a Cujacio *b*) *lex imperii*, quæ in libris Codicis memoratur. Etenim Imperatores imperium accipientes minime jurabant in leges; *c*) ideo cum novam perſonam induerent, eamque legibus non obligarent, ſoluti legibus dicebantur. Ita igitur Principes legibus exolvebantur; ut ne tamen legibus antecellerent. Ideo vox illa maxime celebratur: *d*) *Majus Imperio eſt ſummittere legibus Principatum.* Hinc ea, quæ inter Principem, & privatum gererentur, niſi legibus congruerent, irrita ducebantur. Unde nihil in Principem ex imperfecto teſtamento tranſibat: *e*) legum enim venia Principum perſonam haud egrediebatur; neque porrigebatur ad privatum, ex cujus teſtamento Princeps inſtitu-

tis & edictis. Verum hæc facile in ſententiam Gronovii reſolvuntur. Idem Noodtius quoque *ad Pand. L. 1. tit. 3. p. 13.* id tantum ab Ulpiano dici *in L. 31. D. de legibus* contendit, principem lege Julia & Papia ſolutum eſſe, idque plenius illuſtrat *Diſſ. de jure ſummi imperii* & *Lib. 1. Obſ. c. 3. & 4.* quæ ſententia & Gravinæ verior videtur in ſqq.

a) *In L. Princeps ff. de legibus.*

b) Cujac. *enarr. in L. 3. Cod. de teſtam. & quemad.*

c) Plin. *in Paneg.* Cujac. *in lib. 6. C. enarr. ad L. 3. C. de teſtam. & quemad.*

d) *L. digna vox. Cod. de leg.*

e) *L. ex imperf. 23. ff. de legat. 3.*

ſtitu-

ſtitueretur, nihilque a privato transferri poterat in Principem, neglectis ſolennitatibus juris, quia libertas Principis alteri prodeſſe non poterat: non enim extenditur, quod contra juris regulam recipitur. Tandem quantumcunque illo veteri fragmento in Principem tranſierit ſupra ſuſceptorum magiſtratuum poteſtatem; jura tamen populi extincta fuiſſe, nusquam apparet, ut ambitioſe magis Juriſconſultus, *a*) quisquis ille fuerit, interpretatur, quam vere. Quis vero credat, regium nomen adeo exoſum populo Romano, a populo potius, quam ab Aulicorum recentioris ætatis Juriſconſultorum aſſentatione huic legi fuiſſe tributum? Sed jam rationes explicemus, quibus acceptam rite poteſtatem principes ad communem uſum adducebant: ut eodem tempore oſtendamus, quid conſtitutiones Principum fuerint, & pragmaticæ ſanctiones, quid reſcripta, quidve decreta, quæ nomina crebro in libris juris occurrunt.

CXV. DE ORATIONIBUS PRINCIPUM.

Igitur Principes poteſtatem ſuam præcipue orationibus in Senatu habitis evolvebant: quibus aut hortabantur, aut admonebant, aut increpabant Senatum, aut ſuam ſententiam in ſuſcepta deliberatione proponebant ad S. C. condendum: quod nunquam a ſententia Principis diſcrepabat: hinc promiſcue Senatusconſulta, * & Orationes Principis accipiuntur, ut notat Briſſonius. *b*) Has autem orationes eruditiores Principes, quales fere usque ad Vitellium fuere, per ſeſe recitabant: *c*) rudiores vero per quæſtores.

CXVI. DE QUÆSTORIBUS.

Quæſtores dicti a quærenda, vel conquirenda pecunia publica, & in rationes redigenda: quod munus fuit Quæſtorum ærarii, ad quos ærarii cuſtodia pertinebat: dictique ſunt quæſtores urbani, origine antiquiſſima: quam vel ab ipſo Romulo, & Numa; vel certe a Tullo Hoſtilio deducere licet. Sub Imperatoribus autem fuerunt Quæſtores, quos candidatos appellabant, quod is primus eſſet aditus ad honores, indeque ad præturam aſcenderetur. Hique loco Principis, cujus in intima conſilia vocabantur, in Senatu aderant, *d*) ſi princeps vel refugeret laborem, *e*) vel adeſſe nequiret. *f*) Iidemque libellos, epiſtolas, & orationes Principis in Senatu legebant, & reſcripta dictabant.

CXVII. DE MAGISTRO OFFICIORUM.

Huic aderat comes Magiſter officiorum, cui concredita erat morum diſcipli- na,

a) *L. 1. ff. de conſt. Princ.*

* Quod σχῆμα πολιτικὸν valde profuit dilatandis Imperii finibus mendaci ſpecie libertatis priſtinæ. Exempla talium Senatus conſultorum vel orationum recenſet Noſter infra *c. 118.* & plenius Chriſtianus Otto a Bœkelen *in diſſertatione de orationibus principum in Senatu Romano, quæ eſt inter opuſcula ejus junctim edita Lugduni Batavorum 1678. in 12.*

b) *Antiquit. l. 1. cap. 16.*

c) Aurel. Victor. *in Vitell.*

d) *L. 1. ff. de offic. quæſt.*

e) *L. ult. C. de diverſ. reſcript.*

f) Briſſ. *antiquit. lib. 1. c. 17.*

na, qua palatium Principis regebatur: unde non mandabatur, niſi philoſopho, vel Juriſconſulto. *a*)

CXVIII. DE MAJORI, ET MINORI LATERCULO.

Curam autem Quæſtor gerebat minoris laterculi, ſive codicis, * in quo minora officia deſcribebantur, nempe tribunatus, & præfecturæ omnes, quas Quæſtor, auctoritate Principis, diſtribuebat. *b*) Majus laterculum codex erat, *c*) qui majora officia, majoresque dignitates continebat. Nero autem non modò quæſtoribus, verum etiam conſulibus orationes ſuas recitandas mandabat: *d*) cujuſmodi orationes libelli quoque dicebantur. Exemplum earum habemus in æs inciſum, qualis eſt illa Claudii oratio de ſupplendo Senatu ex nationibus exteris, *pagina 502. inſcriptionum.* Eædem orationes ad S. C. condendum directæ, condito S. C. vim legis habebant: ut inde, tanquam ex mente S. C. ubi eſſet obſcurum, explicaretur: quod faciunt frequenter Juriſperiti. Ex hoc genere illa eſt Auguſti oratio, qua ſuaſit legem Papiam, aliaque Divi Marci de prohibendis nuptiis inter Senatoris filium, & libertinam, in quam Paullus librum ſcripſit ſingularem. *e*) Item alia ejuſdem de feriis, & quibus de rebus Prætor adiri poſſit diebus feriatis, vel non: *f*) & illa de tranſactione alimentorum, ne aliter, quam Prætoris auctoritate *g*) rata eſſet. Itemque illa Severi de prædiis ruſticis, & ſuburbanis minime diſtrahendis a tutoribus, aut curatoribus, niſi ex præcepto parentum in teſtamento, *h*) vel codicillis: aliaque Antonini de donationibus inter virum, & uxorem. *i*) His orationibus Princeps viam poteſtati ſuæ adeo patefecit, ut ejus voluntas prope tranſierit in legem, ejuſque juſſus ita expoſitus neceſſitatem attulerit parendi, tanquam ex S. C. Quæ Principis juſſa ſunt conſtitutiones appellata, eaque ad hæc tria ſumma genera referuntur: *k*) Edicta nempe, decreta, reſcripta: quæ alii ſubtilius diſtinguunt in pragmaticas juſſiones, edicta, mandata, decreta, epiſtolas, reſcripta, interpretationes, interlocutiones, beneficia, &, quæ generali etiam conſtitutionum nomine veniunt, orationes.

CXIX. DE PRAGMATICIS JUSSIONIBUS.

Pragmaticæ juſſiones erant imperia Principis, quæ petente aliquo collegio, vel ſocietate, vel urbe, vel provincia, de conſilii ſententia manabant: *l*) quæ ſi quid juberent, juſſiones dicebantur, ſi quid vetarent, ſanctiones.

a) Guther. *de offic. Dom. Aug. c. 20. lib. 2.*

* Qui ſic dictus a forma, quo laterem, ſive lapidem coctum imitabatur, quo exemplo quadratum quodvis ad aliquam exſurgens latitudinem laterculum dicebatur. Eodem exemplo rei militaris ſcriptoribus agmen quadratum (*Bataillon quarré*) laterculum dicitur. Modeſtinus *in L. 32. D. Ex quibus cauſis majores*, hunc codicem commentarium principis appellat.

b) *L. 1. C. de offic. quæſt.*
c) *L. 2. C. eodem.* Tac. *l. 16. ann.*
d) Guther. *de offic. dom. Aug. l. 2. c. 18.*
e) *L. oratione. ff. de rit. nupt.*
f) *L. 1. ff. de feriis.*
g) *L. cum ii ff. de tranſact.*
h) *L. 1. ff. de reb. eorum.*
i) Briſſon. *antiq. l. 1. c. 6.*
k) *Enarrator. ad* Cuj. *ff. de Conſt. Pr. in par.*
l) *L. 2.* Baſilic. *to. 5. cap. 27.*

CXX. DE EDICTIS PRINCIPUM.

Edictum erat Principis voluntas nullo rogante, vel impellente; ſed ſponte ſua publicæ, vel certæ rei gratia promulgata. *a*) Si quid enim conſilii ſui Principes aperire populo volebant, id edicto mandabant, more majorum. *b*) Etenim vigente Republica idem a Marco Antonio, & aliis, qui populum vellent admonere, factum novimus. Si quid vero Principes edicto comprehenderent, quod ad omnes pertineret, vertebatur in legem: quæ lex vocabatur edictalis, qua omnes populi, & provinciæ tenebantur.

CXXI. DE MANDATIS PRINCIPUM.

Mandata Principum ſunt monita, & præcepta, quæ Rectoribus provinciarum, aliisque magiſtratibus Reipublicæ, vel provinciæ recte adminiſtrandæ, civilique diſciplinæ regendæ palam, vel arcano literis dabantur: *c*) Quæ ſi publice darentur, commonitoria; ſi clam, ſecreta vocabantur. *d*) Mandatorum vero nullæ vires erant ſine ſcripto, niſi de mandatis privatorum ageretur: quæ ſine ſcripto etiam valuiſſe docet Cujacius. *e*)

CXXII. DE DECRETIS PRINCIPUM.

Decreta Principum erant ſententiæ, quas Imperator in cauſarum cognitionibus cum ſuo conſilio, & ſibi adſidentibus juriſperitis proferebat. Horum ſex libros Paullus reliquit, in quos Antonini, & Severi ſententias contulit: quæ pronunciatæ ſunt Paullo, Papiniano, Meſſio, & Triphonino adſidentibus: *f*) diſſentiente plerumque Paullo.

CXXIII. DE EPISTOLIS PRINCIPUM.

Epiſtolæ Principum ſi quid continerent, quod in publicam rem, civilemque diſciplinam tenderet, in leges etiam referebantur: qualis illa eſt Antonini, qua mandata de repudiandis provincialium donis explicantur, ne xeniola comprehendant. *g*)

CXXIV. DE RESCRIPTIS PRINCIPUM, ET LIBELLIS.

Reſcripta ſunt reſponſa Principum ad ea, de quibus, vel a præſentibus quibusque ſupplici libello rogabantur, vel per literas conſulebantur ab abſentibus magiſtratibus: quibus reſponſis Princeps oſtendebat, quid ſibi ea de re fieri placeret. His pleraque pars contexta eſt librorum Codicis Juſtinianei. Ex iisdem exempla, & regulæ ducebantur ad ſimilia definienda. Etenim ad Principem privatis vix patebat aditus, niſi per libellos deſideria ſingulorum, & negotia continentes. Majeſtas enim Principis, graviſſimæque occupationes eum privatis denegabant: quam-

a) Theophil. *tit. Inſtit. de jur. nat. gent. & civ.*
b) *Sæpe* Cic. *in Philipp.*
c) *L. 1. Cod. de mand. Princ.*
d) *L. 1. l. 2. Cod. de mand. Princ.*
e) *L. obſerv. 27. c. 39.*
f) Cujac. *obſ. 2. c. 26.*
g) *L. ſolent. §. non vero. ff. de offic. proconſ.*

Digitized by Google

obrem non modo ſub Tiberio, & Auguſto; *a*) ſed etiam ſub ipſo Julio Cæſare conſuetum fuit, Principem alloqui per libellos: quibus legendis Julius Cæſar inter ſpectacula occupabatur. Qui mos eo viſus eſt commodior, quod ſpatium Principibus daret ad cogitandum: *b*) ne plus minusve loquerentur ex tempore. Porro ex ſententia, & reſponſis Juriſconſultorum, ſæpe Principes ad oblatos libellos de negotiis forenſibus reſpondebant: *c*) unde illud Alexandri Severi, *ſecundum reſponſum Domitii Ulpiani amici mei.* Si qua vero ambiguitas in veteribus legibus, aut conſtitutionibus inveniretur, eam diſſolvebat, dubiamque legem, & conſtitutionem declarabat, aut Imperator ipſe, aut ex illius auctoritate Juriſconſultus. *d*) Unde pro legibus accipiuntur * Principum interpretationes, ac definitiones.

Sed hæc latius patebunt ex libro de Romano imperio, quem his adjungemus, ut ſit velut originum quartus: ex quo, velut e capite, fluat jus omne Romanorum publicum, quod poſt Reip. converſionem, & deſuetudinem legum a nobis omiſſarum in jus imperatorium ceſſit.

CXXV. DE PRÆFECTIS PRÆTORIO.

Paucis hiſce ſatis explicatam arbitror Imperatorum Romanorum poteſtatem in legibus interpretandis, condendiſque: nunc Præfecti prætorio vim, imperiumque prodemus. Qui magiſtratus extra ordinem, vetereſque numerum ab Imperatoribus inſtitutus, adeo anteivit ceteros, ut proximus eſſet a Principe gradus, & apex omnium magiſtratuum: complectebatur enim omnes Imperii Romani Provincias, juſſuque ſuo Principem referebat, ſummum imperium exercendo, edictaque generalia proponendo, quæ ἐπαρχικὰ dicuntur a nomine ipſius magiſtratus, qui græce appellatur ἔπαρχος. Is quamvis dignitate Conſuli cederet, poteſtate tamen longe præcellebat. *e*) Siquidem Conſul merum imperium gladio tantum, non relegatione poterat exercere: Præfectus vero prætorio genus omne animadverſionis habebat, cunctiſque præerat generibus judiciorum. Etenim ad exemplum Tribuni Celerum, qui Priſco Regum ævo cuſtodes erant regii corporis, eumque Tribunum habebant ducem; itemque ad ſimilitudinem magiſtri equitum; qui vicariam Dictatoris poteſtatem gerebat; Auguſtus ex Mæcenatis conſilio, ut maximam auctoritatem magiſtratuum, non ex populi voluntate, ſed e propria facultate

a) Tacit. *l. 4. annal.* Sueton. *in Aug. cap.* 84.

b) Tacit. *l. 1. annal.*

c) *L. 4. Cod. de contrab. & commit. ſtip.*

d) *L. 11. ff. de legib. L. ult. Cod. eodem.*

* Imo plena earum vi carebant, ut obſervat Franc. Duarenus *Comment. ad Tit. de condict. indeb. c. 6.* Quare iis neglectis quoque, JCti de jure ſollicitі ſunt; quemadmodum Marcianus *in L. 6. §. ult. D. de Rer. diviſ.* cenotaphium locum religioſum eſſe ait, quamvis Divi Fratres contra reſcripſiſſent, teſte Ulpiano *in L. D. & L. 6. §. ult. D. de Religioſ.* Schulringius *pro reſcriptis Impp. Rom* §. 4. Bynkershoek *Obſ. l. 5.* Hoc, & præcedentia capita novem, in compendio ſiſtit auctor *in libro de Romano imperio*, unde eſt, quod quæ mox de latiori tractatione ibi facienda dicit, præcipue ad dignitates Imperatorias referenda ſunt.

e) *Vide* Cujac. *in parat. ff. & C. de offic. præfect. præt.*

trahe-

traheret: hanc extulit Præfecti prætorio poteſtatem, quam contulit in ducem cohortium prætorianarum ex equeſtri ordine, quas Princeps ad ſui corporis cuſtodiam adhibebat: *a*) & prætorianæ dicebantur, quod in prætorio, ſive aula Principum * verſarentur. *b*) Duos igitur creavit, qui ſummo imperio prætorianis militibus præeſſent, quos præfectos prætorio appellavit: ut quorum fidei mandata erat vita Principis, iis etiam poteſtas ejuſdem tutius concrederetur. Quamobrem Præfectus prætorio publicæ diſciplinæ fuit emendator. Ideo ſecundus dicebatur a Principe, & imperium ſecundum, itemque imperium ſine purpura vocabatur, nominibusque aliis haud diſſimilibus. *c*) Cui ſane prævalidæ poteſtati exprimendæ gladius ei ſolenniter tradebatur: ut omnium vitæ necisque poteſtas ei tradita intelligeretur. *d*) Nota eſt vox illa Trajani, cum Præfectum ſuum cingulo donaret: *Accipe*, inquit, *hunc enſem: & ſiquidem recte, & pro Republica imperavero pro me, ſin ſecus in me utere. e*) Unde ſimul cum iis commune aliquando tribunal Imperatores habebant, eosque parentes cariſſimos, & amantiſſimos ſalutabant; propriam in illis poteſtatem, ad documentum populorum honorantes. *f*) Eorum igitur erat poſt Principem ſumma Imperii adminiſtratio, ab iisque mandata, juſſaque Principis ceteris magiſtratibus, ſive urbanis, ſive provincialibus diſtribuebantur. Eorum erat deligere Judices, & removere; delicta provincialium Judicum punire; *g*) atque in Senatores Conſtantinopoli ex Conſtantini lege jurisdictionem exercere; *h*) cauſas a præſidibus, & rectoribus provinciarum ad ſeſe per appellationem adductas ſupremo loco cognoſcere. Nam progredientibus temporibus poteſtas hæc eo adſcendit, ut a Præfecti prætorio ſententia non licuerit appellare. *i*) Minus decorum enim viſum fuit tantæ poteſtatis judicia, cujus in fide Princeps omnem Imperii ſui majeſtatem depoſuerat, ad alterius examen adducere. Quamobrem, appellatione interdicta, Princeps tantum permiſit, ut cum ille magiſtratu abiret, per libellum poſtulari poſſet a Principe intra biennium ſententiæ retractatio. *k*) At ex Juſtiniani *Novella 119. cap. 5.* libellus pro retractatione offertur ipſi

a) Suet. Plin.

* Sequitur ſententiam veterum, qua Prætorium aula Principis vel ſaltem pars ejus erat, quare ἔπαρχοι αὐλῆς dicitur Plutarcho, Herodiano & Zoſimo. Eam ſententiam validiſſime oppugnavit Perizonius *in diſſertationibus de Prætorio*, Prætorium non de loco ſed de cohortibus accipiens Prætorianis, quæ ad ſalutem Cæſarum tuendam extra urbem ad portam Viminalem locatæ fuerint, & in urbe per vices ſtationum, tum præcipue ad palatium excubuerint. Prætorium ſuper Præfectum ſuum ruens fultum iverat Ulricus Huberus, ſed prævaluit ſententia Perizonii, ut apparet ex iis quæ habent Gerardus Noodt, & Ant. Schultingius *ad tit. Pandectarum, de offic. Præfecti Prætor.* Erat autem in Prætorio Auditorium *L. 40. D. de Reb. cred.* in quo cauſam dixit Paulus Apoſtolus, ut apparet *ex epiſtola ejus ad Philemonem I. 13.*

b) Faber *ſemeſt. c. 1. lib. 1.* Dion. *lib. 55.*

c) Eunap. *lib. de vit. phil.* Aurel. Vict. *in Veſpaſ.* Socrat. *ſecundo hiſt. c. 12.*

d) Plin. *in panegyr.*

e) Surius *tom. quart. in vita S. Laurent.*

f) *Novell. 6. & 7.* Theodoſ. & Valent. *inſcr. 430.* Caſſiodor. *3. var. 20.*

g) Cujac. *paralit. Cod. de off. præfecti præt. orien.*

h) *L. 2. §. 2. Cod. de his, qui veniam ætat.*

i) *L. 1. §. his cunab. ff. de off. præf. præt. L. 19. C. de appell.*

k) *L. unic. C. de ſent. præf. præt. ubi* Cuj.

Præfecto prætorio * intra decem dies a prolata ſententia: dandis a victore fidejuſſoribus pro reſtitutione, ſi ſententia revocetur. Sin decem dies abſque ſupplicatione præterierint, ſine fidejuſſoribus executio procedet: ſupereritque parti alteri. Imperatoris auxilium intra biennium implorandum. *a*) Cum ad hoc munus olim nemo, niſi ex equeſtri ordine *b*) vocari poſſet, ita ut hæc poteſtas pugnaret cum dignitate Senatoria, quam Princeps conferebat ei, quem Præfectura ſpoliare cupiebat: primus e Senatoribus eam ſuſcepit Titus Veſpaſiani filius: qui ut eam acciperet, ante ad equeſtrem ordinem tranſiiſſe dicitur: *c*) deinde Arretinus Clemens Senatorii & ipſe ordinis: poſtremo nonniſi e Senatu aſſumi oportuit, cum in Senatores animadverteret. *d*) Ante Conſtantinum uni tantum, aut alteri ea poteſtas ferme tribuebatur exereenda in comitatu, ſive in Aula Principis. Conſtantinus eam, utpote ipſis Principibus formidabilem, ut extenuaret, diſtinxit in quatuor Præfectos: *e*) Unum Orientis; alterum Illyrici; tertium Italiæ; quartum Galliarum; quibus Juſtinianus adjecit quintum, nempe Africæ.

CXXVI. DE ASSESSORIBUS.

Adſidebant autem Præfecto prætorio, ſicut & aliis magiſtratibus, juriſperiti, quorum ex conſilio ille judicabat: quod munus tanto erat in pretio, ut & ipſi Principes magiſtratibus adſederint aliquando. *f*) Adſeſſoresque hi conſiliarii erant, negotiorumque participes, comitesque magiſtratuum: quibus ſalaria conſtituit Alexander Severus. *g*)

CXXVII. DE MAGISTRIS SCRINIORUM.

Inter alia munera, quæ Juriſconſultis mandari ſolerent, præcipua erant munera Magiſtri ſcriniorum, ſive capſarum; in quibus acta Principis ad jus pertinentia condebantur. *h*) Quorum quatuor erant genera, nempe ſcrinia memoriæ; ſcrinia epiſtolarum; ſcrinia libellorum; ſcrinia diſpoſitionum. *i*) Scriniis memoriæ qui præerat, magiſter memoriæ dicebatur, isque dictabat Principi adnotationes, ſive reſcripta ſubnotata Principis manu, quibus delicta condonabantur. *k*) Scrinia epiſtolarum, ſive reſcriptorum, continebant reſponſa Principum ad epiſtolas magiſtratuum ordinum, aut Senatorum quæſtionem aliquam juris proponentium. Quas epiſtolas Principis nomine ſcribebat magiſter epiſtolarum, qui & orationes

* Quæ de retractatione ſententiæ intra decem dies Præfecto Prætorio offerenda dicuntur, vulgo non ſolent obſervari, etſi inde origo *leuterationis* peti poſſit, quam Doctores Saxones alias moribus ſuis acceptam ferunt.

a) *Auth. quæ ſupplicatio C. de precibus Imp. offer.*

b) Dion. *lib. 55. hiſtor.*

c) Plin. *in præfat. hiſt. ad Tit. ipſum.*

d) Lamprid. *in Alex.*

e) Guth. *de off. Dom. Aug. pag. 337.* Roſin. *lib. 2.*

f) Suet. *in Tib. & in Claud. cap. 12.*

g) Cujac. *paralit. C. de annonis, & capitat. adminiſtr. &c.*

h) *L. omnium. 19. & L. ult. Cod. de teſt. L. 3. Cod. de agent. in reb.*

i) Guther. *de offic. Dom. Aug. c. 3. 4. 5. 6. 7. lib. 3.*

k) *L. 5. Cod. ad l. Corn. de Sicariis, L. ult. Cod. de diverſ. reſcript.*

Prin-

Digitized by Google

Principum componebat; isque ſub ſe habebat ſcribas ab epiſtolis cum Græcis, tum Latinis. Præterea legationes Civitatum, aliorumque poſtulata, & preces audiebat, ut referret ad Principem. Scrinia libellorum complectebantur libellos ſupplices Principi oblatos, quos magiſter libellorum eidem recitandos accipiebat, ut quod ille juſſiſſet, poſtea reſcriberet, dicebaturque libellos agere. *a*) Qui ſuberant magiſtro libellorum in hoc munere libellantes appellabantur. Scrinia diſpoſitionum comprehendebant diſpoſitiones Principum, ſive conſtitutiones, pragmaticas ſanctiones, edicta, promotiones ad honores, mandata, conſuetudines, privilegia, beneficia ex liberalitate Principis, & quidquid denique ex illius voluntate, nulla juris neceſſitate cogente, manaret. Quibus qui præerat magiſter diſpoſitionum, ſive potius comes diſpoſitionum vocabatur. Negat enim Cujacius *b*) inveniri magiſtri nomen in diſpoſitionibus, diſſentiente Guthero. *c*) Qui vero ſimilia negotia pro his quatuor magiſtris, aut abſentibus, aut valetudine impeditis ſuſciperent ac tractarent apud Principem, proximi Sacrorum Scriniorum dicebantur: propterea quod hæc munera prope attingerent, proximumque a magiſtris ſcriniorum locum tenerent. *d*)

CXXVIII. DE FISCI ADVOCATIS.

Erant & Fiſci Advocati, qui etiam ex Juriſconſultorum ordine ſumebantur, veſtituque inſigniori diſtinguebantur a ceteris: iisque defenſio, & rerum fiſcalium cura mandabatur.

CXXIX. DE DIGESTIONE JURIS CIVILIS SUB JUSTINIANO.

Ex his patet, qui fuerit civilis doctrinæ ſtatus ſub Principibus uſque ad Juſtinianum, & quæ munera profeſſoribus patuiſſent illius. Verum faciem juriſprudentiæ ſub Juſtiniano mutavit. Nam cum antea veteres leges, & edicta Prætorum, & Juriſconſultorum libri omnes verſarentur in manibus; Juſtiniani tempore, ne juventus tanta librorum ſtrue, ac lectionis varietate opprimeretur; abſciſſa, rejectaque ſunt obſoleta jura; totumque jus civile compoſitum, ſelectis ex Juriſconſultorum libris, quæ tum eſſent in uſu, quo in poſterum jus brevius eſſet, & expeditius. Cujus emendationis opus, ac ratio ex ſequentibus palam fiet.

CXXX. DE JUSTINIANO.

Juſtinianus propter contraria ſcriptorum ſtudia, & imperium cum Theodora muliere Scenica, quam uxorem duxerat, communicatum, Princeps fuit ancipitis famæ. Utrobique tamen cum in erroribus, tum in virtutibus maximi nominis. In extollenda pariter veritate Religionis, & in promovendis erroribus, ad extremum vitæ ſuſceptis, acerrimus. Ad reparandas item, & ſimul ad evertendas pretio leges, paratiſſimus: ut intelligas, præclara illius facinora non e virtutis

a) *L. reſcriptum in princ. ff. de diſtract. pignor. L. præcipimus §. noſtr. Cod. de appell. L. ult. Cod. ubi Senator.* Guth. *de offic. Dom. Aug. lib. 1. c. 26.*

b) *Ad L. 1. C. de prox. ſacr. ſcrin.*

c) *De offic. Dom. Aug. lib. 3. c. 7.*

d) *Tit. Cod. de prox. ſacr. ſcrin.*

Digitized by Google

ſtudio, ſed e popularis gloriæ cupiditate proceſſiſſe, quam ſæpe ſuperabat alia cupiditas, nempe avaritia; eaque ſimulatas virtutes retegebat. Evectus ad imperium fuit a Juſtino Thrace avunculo, quatuor quam mortem oppeteret menſibus, anno DXXVII. cum triennio ante * ab eodem Cæſar fuiſſet appellatus. Imperio ſuſcepto, curas vertit ad bellum adverſus Perſas, Vandalos, Gothos, oblatis ſibi ducibus maxime ſtrenuis, Beliſario ſcilicet, atque Narſete: quorum virtute cuncta ſibi proſpere ceſſerunt. Siquidem Perſas coërcuit, Vandalos ex Africa ejecit; Hunnos Thraciam vaſtantes extrema clade affecit, ſubegit Gothos; Italiamque a Totila varia, & improba laceratam dominatione, recepit.

CXXXI. DE CODICE JUSTINIANEO.

Principem ſi non optimum, at certe vigilantiſſimum tot bellorum curæ a pacis artibus minime avocabant. Siquidem dum imperium ab hoſtibus liberaret; leges etiam ab obſcuritate ſtuduit eripere, ipſo initio Imperii ſui, ſcilicet anno ſecundo, a Chriſto nato DXXVIII. atque ad eas componendas, inque faciliorem, & breviorem ordinem digerendas, miro ardore, ſe contulit. Prima cura fuit, ſuperiorum Imperatorum colligere conſtitutiones, quas antea vagas, atque confuſas, privato ſtudio, nullaque auctoritate publica, in peculiarem Codicem conjecerat Gregorius anno Chriſti CCLXXII. initio ducto ab Adriano usque ad Valerianum, & Gallienum. Unde Gregorianus Codex fuit appellatus. Hunc excepit Hermogenianus Codex, cujus auctor Hermogenianus, qui ſequentium Imperatorum, uſque ad Conſtantium conſtitutiones collegit. Poſtremus procedit Codex Theodoſianus: in quem Theodoſii junioris juſſu conſtitutiones Imperatorum, uſque ad Imperium ipſius Theodoſii congeſtæ fuerunt. Cui magnam auctoritatem tribuerat Alaricus Gothorum Rex, & poſtea tribuit Carolus Magnus. *a*) Nunc autem qualiscunque temporis injuria ſupereſt, non tam ad jubendum, quam ad Juſtinianeum Codicem explicandum habet auctoritatem. *b*) Ex his Codicibus, aliisque conſtitutionibus poſtea exortis, Juſtinianus Codicem confecit ſuum, editque anno Imperii ſui tertio, quæ prima Codicis editio, præceſſit omnes alios juris libros, quos nobis reliquit.

* Imo eodem plane tempore, quo ad imperium evectus eſt, Calendis, puta, Aprilibus A. DXXVII. Qui enim vivo prædeceſſore Majeſtatis Auguſtæ heredes appellantur, Cæſares dicuntur. Id autem Juſtiniano dictis demum Calendis contigit, ut conſtat ex Procopii *Arc. Hiſt. p. 45.* a quibus annos quoque imperii ſui computari vult Juſtinianus *in Nov. 47. c. 1. §. 1.* In reprehendendo eo modicus eſt Gravina, utique ſi comparetur aliis ejus obtrectatoribus, qui immaniter debachari ſolent in memoriam Principis Maximi. Indulgendum præterea aliquid ſtudio aulæ Romanæ, cui ſemper invifus Juſtinianus fuit propter ſuſceptas partes hæreſis Eutychianæ, & male habitum Papam Vigilium. Neque tamen Juſtiniano Gravina invidet gloriam rerum feliciſſime geſtarum, qua pleroſque ante & poſt ſe principes vicit, ſed exprobrat avaritiam, reprehendit mutationes legum, contemnit uxorem, mulierem ſcenicam, in quibus omnibus jure vituperari poterat Juſtinianus.

a) *In ejus capitular. Prod. Juſtinian. p. 337.*
b) *L. 1. Cod. de Juſt. Cod. confirm.*

CXXXII.

Digitized by Google

CXXXII. DE DIGESTIS.

Cum autem veterum Juriſconſultorum volumina eum ad numerum, & molem adſcendiſſent, ut adoleſcentium ſtudium, & induſtriam exuperarent, jamque duo millia librorum juventuti pervolvenda traderentur, & treceenties decem millia verſuum, *a*) ſive ſententiarum, * ut Gothofredus junior exponit; quorum lectio propter ſummam dictorum auctoritatem, negligenda non erat; Juſtinianus, ut juventuti hoc onus allevaret; ſtudiaque a rebus aliquando ſupervacuis, & obſoletis, in iis libris occurrentibus, ad ſola neceſſaria traduceret; anno. imperii ſui quarto, Triboniano, qui doctrina, & gratia Imperatori erat eximius, mandavit, ut ſimul cum aliis inſignioribus juriſperitis, quos ipſemet in Codice recenſet, ex veterum Juriſconſultorum libris caperet ea tantum, quæ uſum haberent; & ex variorum ſententiis atque particulis pertexeret ſeriem, ex variis quidem deductam auctoribus; at ordine tamen, atque ſenſu cohærentem ſibi, maximeque convenientem, quaſi una mens eſſet, unaque vox, idemque ſonus. Huic autem labori Juſtinianus decennium præfinivit: Tribonianus vero ſibi potius ex celeritate gloriam, quam poſteris utilitatem ex operis maturitate pariturus; decennium ad quadriennium ** contraxit: volumenque extulit, quod ex varietate rerum in eo comprehenſarum pandectas; & propter ordinem perductum ad exemplum edictorum a Juliano Juriſconſulto digeſtorum, digeſta nuncupavit. In quæ, pleriſque operibus vetuſtiorum Juriſconſultorum excluſis, ea contulit, quæ proximiora erant ætati, moribusque ſuis: ſatis poſteritati conſultum autumans, ſi veteris, ac mediæ juriſprudentiæ notitiam colligere poſſet e ſeminibus inter opera ſparſis Juriſconſultorum recentium, qui omnes ſub Imperatoribus floruerunt. Unde ſubductis primævæ juriſprudentiæ capitibus, extinctaque originum luce, eam juri civili nubem offudit; ut vix veterum Hiſtoricorum, Poëtarum, & Oratorum lectione, atque eruditorum interpretum induſtria, & acumine diluatur.

a) *L. 2. §. omnia igitur 1. l. 1. §. 1. C. de vet. jur. enucl.*

* Alii lineas malunt. Vide Schultingii *Enarrat. Pand. in Proleg. §. 4.* Cujus generis verſuum centum pene quinquaginta millia Pandectis contineri Juſtinianus ait *in Conſt. de conf. Dig. ad Sen. & omnes pop.* Et ſatis credimus Antonio Contio, *Lect. Subciſ. l. I. c. 8.* ſubductis calculis ſancte affirmanti, poſſe & hodie totidem lineis Pandectas contineri, ſi quis eis 1695 paginas deſtinet, ſingulas paginas in duas columnas dividat & in ſingulis columnis 40 lineas ſcribat. Verba Suetonii *in Auguſto cap. 87. Notavi in chirographo ejus illa præcipue, non dividit verba, nec ab extrema parte verſuum abundantes literas in alterum transfert, ſed ibidem ſtatim ſubjicit circumducitque;* nihil aliud indicant, quam Auguſtum, aliter ac reliqui ſolebant, & nunc ſolent homines, literas vocum prolixiorum, quæ in verſum cogi non poterant, non in ſequenti linea repetiiſſe, ſed ſubſcripſiſſe more Poëtarum. Dicuntur autem verſus non a vertendo ſtilo, hunc enim non vertebant niſi deleturi, ſed quia, in primis ſi in cera ſcribatur, ſulcum imitatur, quo ad finem perducto, jumentum vertitur.

** Imo triennium. Pandectas enim Imperator componi juſſit XVIII. Cal. Januarii, ſeu die 14. Decembris DXXX., eædemque promulgatæ ſunt XVII. Cal. Januarii, ſeu die 15. Decembris DXXXIII. Quodſi quis cogitet, adfuiſſe Triboniano collegas ſ. decim, quorum ſinguli, ut ipſe, enucleationi Pandectarum per triennium vacaverint, facile intelliget, ſiſti ætatem annorum L., quæ nemini juſto brevior videbitur.

CXXXIII.

CXXXIII. DE INSTITUTIONIBUS.

Antequam autem Digeſta Juſtinianus emitteret, libros inſtitutionum quatuor componendos curavit, magnam partem ex veteribus Caji, & Ulpiani, Marcianique inſtitutionibus; ut juventus ab his, veluti a ſimplicioribus elementis juriſprudentiam auſpicaretur. Quibus libris vix aliquid ſuperſuit elegantius aut ſelectius; ſi quis e contextu veterum, mixturam diſcuſſerit recentioris ætatis. Has autem inſtitutiones Juſtinianus edidit, & confirmavit anno Imperii ſui ſeptimo, uno menſe * ante editionem, atque confirmationem Digeſtorum: quibus una cum inſtitutionibus publicam tribuit auctoritatem, ut quidquid ibi continetur, pro voce Principis habeatur. Igitur Digeſta fuerunt ante inſtitutiones abſoluta, ſed confirmata, & edita poſterius.

CXXXIV. DE L. DECISIONIBUS.

Verum quia de quinquaginta juris controverſiis variæ veterum Juriſconſultorum, diſcrepantesque ſententiæ prodierant; ne ſuper his mentes Judicum, incerto jure, jactarentur, eas diſſenſiones compoſuit Juſtinianus quinquaginta conſtitutionibus ** ſingularum controverſiarum definitiones continentibus, quas Codici ſuo inſertas, per titulos diſtribuit: eodemque tempore priorem Codicis editionem emendavit, novamque protulit auctiorem, & emendatiorem, quam ſolam publica auctoritate munivit, abrogata priori. *a*) Quam poſteriorem editionem, ut a priori diſtingueret, Codicem repetitæ prælectionis appellavit: quorum librorum, ac temporum ordo ita deſcribitur a Gothofredo juniore in manuali juris:

A. D. DXXVIII. Juſtiniano A. II. Coſſ.
DXXIX. Decio V. C. Coſ.
DXXX. Lampadio, & Oreſte Coſſ.
Codicem fieri mandavit Juſtinianus.
Idib. Feb.
Codex editus idib. April.
Deciſionum 50. initium ab hoc anno.
Digeſta componi mandat Decembri menſe.

* Editæ enim ſunt Inſtitutiones XI. Cal. Dec. ſeu die 21. Novembris An. DXXXIII, cum Pandectæ promulgatæ ſint XVII. Cal. Januarii, ſeu die 15 Decembris. Pandectas tamen & Inſtitutiones ex eodem ſimul die, tertio ſcilicet Januarii, ſeu 29. Dec. valere voluit Imperator, §. *pen. de confirm. Dig. ad Sen. & omnes populos*, §. *pen. C. de confirm. Dig. ad magn. Sen.* Præter Inſtitutiones Caji, Ulpiani & Marciani hauſta ſunt quædam ex Calliſtrati & Florentini *inſtitutionibus*, tum quoque *ex Caji aureis, ſeu libris rerum quotidianarum.*

** In ea literarum luce, vix operæ pretium eſſet, monere, *abſolutiſſimum Commentarium in has L. deciſiones* deberi Emundo Merillio, *eundemque cum præcipuis reliquis ejus opuſculis editum eſſe Neapoli 1720. in 4to;* niſi Auctor *Conſiderationum ad libros tres de origine juris*, Gravinæ ſuccenſens, quod nullos commentarios in L. deciſiones commendaverit, Merillium prætermiſiſſet, habita ſola ratione Strauchii, & Deorum Semonum, Lingleſii & Baſſi.

a) *Cod. de vet. jur. enucl. L.* 1. & 2.

DXXXI.

DXXXI. Poſt Coſ. Lamp. Or. I.
DXXXII. Poſt Coſ. Lamp. Or. II.
DXXXIII. Juſtiniano III. Coſ.
Inſtitutiones eduntur menſe Novembri.
Digeſta eduntur menſe Decembri.
DXXXIV. Juſtiniano, & Paullo Coſſ.
Codex repetitæ prælectionis editur menſe Novembri, abrogato priori.

Secundas autem editiones, veteres vocabant repetitas prælectiones: quo nomine Ulpianus retractatos ſuos libros ad Sabinum appellavit: prælectiones vero dicebantur lectiones, quibus præceptores præibant diſcipulis. *a*) Tributus eſt autem Codex in libros duodecim, imitatione XII. Tab.

CXXXV. DE NOVELLIS CONSTITUTIONIBUS, SIVE AUTHENTICIS.

Poſt editum Codicem reliquo Imperii tempore varias conſtitutiones edidit novum jus afferentes, quas vel ob id, vel quod poſt abſolutum corpus juris proceſſerant, Novellas appellarunt. Eæque ſparſæ prius, utpote oblata occaſione conditæ, in unum volumen coierunt anno Chriſti DLXVI. & Imperii Juſtinianei XXXIX. qui vitæ ſuæ fuit extremus: quarum quæ apud nos juris habent auctoritatem, ſunt nonaginta octo * expoſitæ ab Accurſio, & aliis interpretibus, eorumque auctoritate receptæ: cum Julianus vetus Juriſconſultus, qui eas poſt Juſtiniani mortem in compendium contulit, ediderit centum viginti quinque: Haloander vero centum ſexaginta quinque: quibus acceſſerunt tres repertæ a Cujacio. *b*) Hæ novellæ primo græce prodierunt, deinde verſæ fuerunt latine ab Anonymo, & evulgatæ imperante Juſtino ſecundo. ** Hujus enim verſionis mentio eſt apud

a) Cujac. *paratit. C. de vet. jur. enucl.*

* Sunt qui omnes receptas exiſtiment, eo quod non Accurſii ſomnia receperimus, ſed Novellas ipſas tanquam partem juris Juſtinianei. Quod in Germania verius videtur. Hiſtoriam ejus litis diligenter expoſuit Celeb. Brunquel. *Hiſt. Juris p. 277.*

b) *In comm. ad novell. 166.* Duck *de auct. Jur. civil. lib. 1. cap. 4. n. 15.*

** Imo ab ipſo Juſtiniano, ut conſtat ex Paulo Diacono *Hiſt. Longob. I. 25.* quod ſe facturum ſpoponderat Juſtinianus *in Conſt. Cordi nobis §. 4. D de Emend. Cod.* Nota *nova verſio Novellarum*, quæ Juriſconſulto Eximio, Jo. Friederico Hombergk zu Vach debetur, & *Marpurgi prodiit 1717. in 4to.* Si qua diſcrepet verſio Novellarum vulgata Latina a lectione Græca, lectionem Græcam prævalere crediderim, quod & auctori videtur, quando verſionem cum Græco textu in foro retineri, ait. Sic in *Novella 117. διοικεῖν* legitur, quod ad ſolam diſpoſitionem inter vivos pertinet, & quamvis id in vulgata reddatur, *Quo volunt modo diſponere*, tamen filiofamilias nunquam permittimus teſtari de peculio adventitio. Sic porro *in Nov. 134. cap. ult.* Juſtinianus Imperator bona capitis damnatorum deſcendentibus quidem ſine gradus addicit diſcrimine, ut, deficientibus iis, aſcendentibus eadem concedit ad gradum usque tertium. Quo jure utimur, etſi male interpres vulgatus ſucceſſionem in utroque ordine ſuccedentium ad tertium gradum reſtrinxerit. In *Nov. 99.* quoque verba *περὶ ἀλληλεγγύων* male verti dicuntur de correis, verti-

Gregorium Pontificem. *a*) Prodierunt & aliæ verſiones, nempe Haloandri, Agilæi, & Scrimgeri: quibus, ut elegantia major acceſſerit, legis tamen defuit auctoritas: quæ tributa tantum fuit Anonymo illi, qui, præceptum Juſtiniani *b*) ſecutus, eas vertit κατὰ πόδας, hoc eſt, verbum verbo, eodem ordine ſervato, reddidit; *c*) proptereaque vocatum hoc volumen fuit Authenticum: quia id unum cum ſua verſione legis auctoritatem haberet; vel quod eſſet integrum: cum verſio Juliani, de qua mox, brevior fuerit, & contractior. Quamobrem & nos una cum Græco textu hanc Anonymi verſionem retinemus in foro: quamvis, ut liberius loquar, abſonam, & confragoſam, quæ Grææ linguæ verbis reſpondet, non loquendi generibus. Cujus tamen operis eruditionem, & antiquitatem haud parvi fecit Cujacius. *d*)

CXXXVI. DE NOVELLIS JULIANI.

Hanc autem verſionem, adſperſa etiam aliqua elegantia, in epitomen coëgit Julianus anteceſſor, ſive publicus legum interpres Conſtantinopolitanus, qui ſub Juſtino ſecundo, Tiberio ſecundo, & Mauricio floruit. Verum, quia verſio non eſſet κατὰ πόδας, publicaque auctoritate careret, grave nomen Authenticorum priori illi, ac locupletiori ceſſit: iſta vero verſio nomen retinuit auctoris ſui, appellanturque Juliani novellæ. Porro Anonymi verſio illa diu in barbariæ tenebris latuit: unde ad nos Lotharii II. temporibus, perturbata pervenit, plurimiſque lacunis hians, diminuto etiam numero novellarum. Hinc Irnerius, Juriſconſultorum Lotharii tempore maximus, aut quiſquis fuerit alius Græcæ linguæ minime peritiſſimus, lacunas illas explevit. Burguntio vero, ſive interpres alius, neglecto prorſus veteri novellarum numero, ex antiqua ſerie jam perturbata anno Chriſti MCXL. novam pertexuit in novem collationes tributam: in quas, ſuppreſſo priori ordine, ſuperſtites novellas digeſſit. Dictæ ſunt autem collationes, quaſi collatæ ad alias, atque oppoſitæ ad declarandas, vel abrogandas ſuperiores leges Codicis: & propterea extremo Codici adjectæ. Quod volumen in uſu poſitum, ſpretis aliis editionibus, authenticum fuit appellatum: publicam enim ab Imperatoribus auctoritatem accepit. Aliæ vero Juſtiniani Novellæ, quæ opera eruditorum poſtea emerſerunt: item novellæ Leonis, aut aliorum Imperatorum, non corpus juris auxerunt; ſed tantum eruditionem, & recepti juris intelligentiam.

CXXXVII. DE TRIBONIANO, ET SOCIIS.

Commodum nunc de compoſitore juris Triboniano diſſeremus: ne in variis judiciis, quæ de hoc apud auctores inveniuntur, ſtudioſus aut hæreat, aut labatur. Hic ſi talis fuiſſet, qualis traditur a Suida; minime dignus erat, cui Juſtinianus

que debere de fidejuſſoribus; ſed opportune Cujacius *Obſ. l. XXVI. c. 26.* idemque & Celeb. Hombergk *ad laudatam Novellam 99.* monuerunt, ea voce apud Græcos recentiores omnino correos promittendi deſignari.

a) *Canon. de perſon. 11. qu. 1. & c. 2. de teſtibus. Vid.* Anton. Contium *in novell. præf.*
b) *L. 1. & 2. Cod. de vet. jur. enucl.*
c) Alciat. *parerg. lib. 2. c. 46.*
d) *Lib. Obſ. IV. cap. 38. & VIII. cap. ult.*

tantæ

Digitized by Google

tantæ fidei opus concrederet, qualis emendatio fuit, atque digeſtio juris civilis. Nam præter avaritiam, & mercimonium quodammodo legum, nullum eſt crimen, cujus a Suida non poſtuletur. Homini enim in tanta dignitate conſtituto religionem detrahit, & pietatem omnem, atque honeſtatem. Eum præterea facit aſſentatorem improbum, & fallaciarum artificem callidiſſimum, cujus aſtu ſcribit Juſtinianum ſibi perſuaſiſſe nunquam interiturum; ſed ſimul cum corpore, atque animo in Cœlum advolaturum. Teſtimonium ſane non tam Triboniano pudendum, quam ipſi Suidæ: qui auctoritate redarguitur Procopii ſe longe majoris fidei. Etenim Procopius, etſi ab hac fœda Tribonianum aſſentatione non excuſat in arcana hiſtoria; in ceteris tamen libris haud levia de illo virtutis argumenta reliquit. Refert enim, Tribonianum ingenio fuiſſe miti, atque humano, & lucri quidem cupidum, ſed honeſti, atque ad leges figendas refigendasque, non tam precio, quam inconſtantia rerum humanarum adductum fuiſſe. Ego ſane illum, perinde ac vulgo ſolent homines, neque vitiorum crediderim, neque virtutum ſummam attigiſſe: & ſi non ſemper, at aliquando certe in mutatione juris veteris, & novi creatione precio, aut potentiæ fidem addixiſſe. Neque tamen conceſſerim Hotomanno, qui hominem totis libellis concidit, Tribonianum quidquid antiqui juris attigerit, veluti veneno, aut tabe aliqua corrupiſſe. Quam multa enim eorum, quæ nova protulit Juſtinianus, utpote commodiora temporibus; expeditiora ſunt veteribus legibus, atque ſimpliciora? Quis vero tulerit inclementiam eorum, qui quodcunque in libris juris, vel in hiſtoria, vel in verbis fuerit erratum, uni Triboniano adſcribunt: quaſi ſcriptores omnes, omnesque Juriſconſulti, ab omni errore, præter humanam conditionem fuerint immunes, totam vero humanitatis labem exhauſerit Tribonianus? Erravit nimirum ille: quid ni? imo & ſæpiuſcule: quippe implicitus tantis commentariorum involucris: e quibus neſcio quisnam accuſatorum melius, tam brevi tempore ſe felicius explicaſſet. Erravit ille, fateor: ſed neque in omnibus, neque unus. At fuit poſteris noxius, propter intercepta veterum Juriſconſultorum ſcripta. Quaſi tot alia Græcæ, ac Latinæ ſapientiæ volumina ſuperſint; aut receptos e tanto naufragio libros, ulli præterquam ſorti debeamus. Imo ſi jus temporibus illis barbaris petendum fuiſſet e toto illo commentariorum pelago, ſocordia hominum potius in tenebris jacuiſſet. Quis ſcit igitur, an Juriſprudentiæ veſtigium ullum retineremus; niſi has nobis Tribonianus particulas excerpſiſſet? * Unius Maximi Cujacii teſtimonio contra omnes hoſtes, Tribonianus intrepide dimicaverit. *Et omnes* (ait ille) *a*) *conſtitutiones Juſtiniani ſunt eruditiſſimæ: utpote conditæ a maximo Juriſconſulto Triboniano, qui fuit alter Papinianus, ſtudioſiſſimus juris: ſine quo periiſſent omnes libri veterum Juriſconſultorum, quorum ille copia ſolus abundabat ætate Juſtiniani.* Et in Ep. præfixa Paratitlis Cod. ait: *Qui earum vim tenet* (nempe Con-

* Tribonianum data opera excuſat Antonius Schultingius in oratione, qua disquirit, culpandusne ſit Tribonianus, quod Juriſconſultorum, qui ſtante libera Republica Romana claruere, ſcripta ſuppreſſerit: ac poſteriorum, qui ſub Imperatoribus floruere, Reſponſa in Pandectas retulerit. Subjecta eſt ea *juriſprudentiæ* ejus *Ante-Juſtinianeæ*.

a) *In C. comm. de legat.*

Digitized by Google

ſtitutionum Imperialium) *hunc ego facile ſim habiturus pro doctiſſimo J. C. ac pene pari Triboniano ipſi. Quo ego tandem cognito pondere earum Conſtitutionum, quas ſuo Imperatori eum perſuaſiſſe certo certius eſt, mihi gaudeo, quod cognoverim, eam ætatem non tuliſſe excellentiorem in jure civili, quod utique & ſine illius ope, curaque intercidiſſet.* Neque tamen illum omnibus in locis abſque nota dimittit: nam cum ſæpe alibi; tum præſertim in obſervationibus, illius incuriam reprehendit: unde *lib. obſ. 5. c. 33. Tribonianus* (ait) *ut erat in eo opere non tam diligens, & accuratus, quam ſe imprudenter profitetur, quod uno in loco mutabat, non mutabat in alio.* Unde non inficior, multa in Triboniani collectione vitia irrepſiſſe; neque prorſus fidem habuerim Juſtiniano, aut potius Triboniano ipſi audacter prædicanti, nullam jam eſſe in tanta ſcribentium varietate dictorum repugnantiam, nullam ſuperfluitatem: cum ejus aſſertio ipſa Digeſtorum, & Codicis lectione coarguatur. Eam enim ſæpe diſcordiam animadvertimus; ut qui fateri nolit, cogatur ſeſe diu, & fruſtra torquere: aliaque vitia qui negaverit, næ ille palam oſtendet oſcitantiam in legendo ſuam. Ea tamen talia non ſunt, ut homini de poſteritate optime merito, tam præclari, magnique operis laudem eripiant. Quamobrem ſicuti Cujacii æquitatem admiramur; ita inſolentia ſtomachamur illorum, qui nunquam tantopere ſibi plaudunt, quam ſi quid Triboniano exprobrandum invenerint. Quorum auctoritas, quæ certe, & magna eſt, & eſſe debet; ne juvenes in fraudem inducat, eos hoc loco monere volumus, ut æqui ſint rerum æſtimatores, atque in doctis viris virtutem potius, & ingenium, quam reprehendendi vitia æmulentur. Sed jam de Triboniano reliqua perſequamur. Is e Pamphylia fuit, Macedoniani filius, ab Juſtiniano Magiſter officiorum, Aſſeſſor, & Quæſtor creatus, atque etiam ad Conſulatum evectus. Apud ſeditioſos, quorum factio Veneti, Praſinique vocabantur, ea invidia flagrabat, ut concitato tumultu, ipſe, ac Joannes Præfecti utrique prætorio ad necem depoſcerentur. Quorum furorem ut compeſceret Juſtinianus, utroſque magiſtratu movit: poſtea vero Tribonianum reſtituit, deferveſcente jam ira factionum, invidiaque reſtincta. Hinc illius apud Juſtinianum auctoritas quanta fuerit eluceſcit. Cum autem quæſtura, & conſulatu perfunctus fuiſſet; ideo *Ex quæſtor* appellatur, & *Ex Conſul.* * Socios in componendo corpore juris habuit viros doctiſſimos, *a*) & illuſtres ejus ætatis Theophilum, Dorotheum, Conſtantinos, Anatolium, Cratinum, Stephanum,

* De Novellis Juliani conferendi ſcriptores Hiſtoriæ Juris. De Triboniano autem, perinde ut de Juſtiniano in utramque partem diſputatur. Alii in eo ſuſpiciunt ſummam ſcientiam Juris, fidem ſingularem, ingenium haud mediocre. Aliis contra juris omnis imperitiſſimus fuiſſe videtur, fidei porro ſubleſtæ, ingenii plane nullius, fungus magis quam homo. Sic modum utrinque migrari videas. Evenit enim tam defenſoribus quam reprehenſoribus Triboniani, quod Comicis accidere videmus, ut ſpreta mediocritate vitæ humanæ res valde ultra verum intendant, ut amorem inſolitorum expleant, quo natura ducimur. Mediam viam noſter init, qui, quemadmodum non immerito ſuſpicatur, fuiſſe aliquid virtutis in homine ſummos dignitatis gradus adepto, reſediſſeque aliquid ſcientiæ in conditore juris, quod cultiſſima pars Europæ recepit; ita in ipſo quoque agnoſcit veſtigia humanæ imbecillitatis.

a) *L. 2. Cod. de vet. jur. enucl.*

Men-

Digitized by Google

Mennam, Proſdocium, Eutholmium, Timotheum, Leonidem, Leontium, Platonem, Jacobum, Joannem.

CXXXVIII. DE BASILICORUM LIBRIS.

Hoc ordine, hiſce auctoribus conſtitutum fuit jus civile Juſtinianeum, ſed infelici ſucceſſu. Nomen enim in Græcia Imperatorum aliorum ambitione; in Italia vero uſum, injuria barbarorum, amiſit. Erant ſane jam ante Juſtinianum, ex toto terrarum Orbe, tres ampliſſimæ Civitates delectæ, ubi juriſprudentiæ ſcholæ patebant, Berytus *a*) nempe Phœniciæ Metropolis, Conſtantinopolis, & Roma: interdictis ubique locorum ſcholis aliis: quodque miremur in tanta noſtrorum temporum copia docentium, & ſterilitate doctrinæ: binos tantum quæque Civitas habebat præceptores. *b*) Cum igitur Juſtinianeum jus tribus hiſce celeberrimis in gymnaſiis conſederit: recedente paulatim uſu linguæ latinæ, *c*) Pandectæ in Græcam linguam translatæ fuerunt per Thalelæum, qui ob ſcientiæ præſtantiam dictus fuit legum ocellus, *νομικῆς ὀφθαλμός*. Converſus fuit & Codex: Inſtitutiones vero translatæ per Theophilum, alium, ut arbitror ab eo, * qui condendo juri operam navavit, ex quibus, & ex poſterioribus Imperatorum conſtitutionibus poſt Juſtinianum, jus in Oriente reddebatur, uſque ad annum Chriſti DCCCLXVII. nempe uſque ad Baſilium Macedonem Imperatorem: qui ut Juſtiniani nomine depreſſo, ſuum attolleret, excluſa prorſus latina, & Juſtinianea juris editione, novum corpus e græcis digeſtorum codicis, & novellarum verſionibus, idemque brevius, atque contractius extulit; perduxitque uſque ad quadraginta libros abſolutum poſtea libris ſexaginta a Leone filio: qui eos libros *βασιλικῶν*, nempe imperatoriarum legum appellavit. Eosdemque in aliam formam Conſtantinus Porphyrogeneta mutavit. Is enim, & hiſtoricos univerſos in unum corpus trium locorum communium collegerat; ideoque noluit diligentiam ſuam deeſſe juriſprudentiæ, quæ ſociam habet hiſtoriam, & adjutricem. Suppreſſis autem Juſtiniani libris, Baſilicorum auctoritas in Oriente uſque ad finem Græci permanſit Imperii, nempe ad annum MCCCCLII. interiitque illius uſus cum Conſtantio Palæologo, qui per Turcas fuit Imperio ſpoliatus. Interea vero dum Baſilicorum vigebat auctoritas, omnis in iis Græcorum Juriſconſultorum cura verſabatur, nempe Balſamonis, Stephani, Nicæi, Thalelæi, Euſtachii, atque aliorum, quorum reliquias conſervamus: qui vel paratitlis conficiendis, colligendiſque argumentis

a) *L. 1. Cod. de Metrop. Beryti.*

b) *C. de ſtud. liberal. Urb. Rom. & Conſtant.*

c) Suar. *in notit. Baſilic.* Cujac. *obſerv. c. 31. lib. 17. & cap. 10. lib. 6. & cap. 33. lib. 13.*

* Imo eundem. Etenim Juſtinianum principem ſæpe & dominum ſuum vocat, & Thalelæo laudatur, qui Juſtiniani tempore floruit. A Conſtantino autem Porphyrogeneta ea publicata ſunt Baſilica, quibus hodie utimur, quod minus perſpicue retulit Gravina. Diſtinctio librorum juriſprudentiæ, quam deinceps ſuppeditat, quo ſuccinctior eo gratior erit Juris ſtudioſis. In horum numero Baſilica præcipua ſunt, ad quæ decurrere ſolemus, quoties lux deficit lectioni latinæ, & ex quibus complura juris Romani capita reſtituit Cujacius.

titulorum, & legum uberiorum, iiſque pro ſua ſerie diſtinguendis; vel concinnanda epitome rerum omnium; vel ſententiis dilatandis; vel ſimilibus, ac diſſimilibus colligendis; vel interponendis in contextu brevibus interpretatiunculis, aut iiſdem ad marginem attexendis vacarunt. Quamobrem plures juris collectiones, & epitomæ partim ipſorum Imperatorum juſſu, partim privato labore, conſilioque prodierunt: quas paucis indicabimus: ne cum varios titulos præferant, ſtudioſis errorem objiciant. *a*) Ac primo diſtinguendus eſt Codex ipſe Baſilicus, ſive Prochiron magnum a parvis, quod *πρόχειρον νομικὸν*, ſive promtuarium juris, & *ἐκλογὴ τῶν νόμων*, hoc eſt legum ſelectio appellatur; utpote compoſitus ex uſitatioribus Juſtinianeorum librorum legibus: quem codicem diximus auctorem habuiſſe Baſilium; incrementum accepiſſe a Leone, formam vero emendatiorem, atque novam a Conſtantino. Idemque dictus fuit *τὸ πλάτος τῶν νόμων* & *τὸ πλατός*. Poſt hunc iidem Imperatores inſtitutionum inſtar edidere *πρόχειρον μικρὸν*, ſive promtuarium parvum ex magno contractum: quod etiam ecloga, & Synopſis conjunctim, ſive ſelectio compendiaria dicitur: item & *ἐκλογὴ καὶ ἐπιδιόρθωσις*, ſive ſelectio correcta: quæ primo ipſum Baſilium; deinde Conſtantinum, & Alexandrum auctores agnoſcit ſuos. Tertium Procheirum appellatur index *νομικῶν κατὰ τὸ στοιχεῖον*, ſive jus per elementa literarum, aut jus alphabeticum. Eſt enim ſelectio major per alphabeti ſeriem digeſta, quæ continet majorum Baſilicorum leges & titulos ad literarum ordinem relatos. Qui Codex repertus Tarenti fuit a Joanne Sambuco viro Pannonio: ea enim Civitas diutius Græco Imperio paruit, retinuitque græcos mores, & inſtituta. Quartum Procheiron, Tarenti quoque repertum, dicitur *μικρὸν κατὰ στοιχεῖον*, ſive Alphabeticum parvum, quod diſtinguitur a Procheiro alphabetico magno, de quo ſupra diximus. Quintum Procheiron opus eſt Michaëlis Attaliatæ judicis, & proconſulis, editum tempore Michaëlis Ducæ titulis XCV. anno MLXXVII. quod *πραγματικήν*, vel *πόνημα*, ſive opus juris appellavit. Sextum Procheiron condidit Michaël Pſellus, qui compendiarium jus verſibus clauſit. Septimum Procheiron eſt Conſtantini Harmenopuli, contractum ex Baſilicorum Codice, nuncupatum Ἑξάβιβλον. Ex quibus atque ex Græcorum Juriſconſultorum ſuperſtitibus notis, & interpretatiunculis, Cujacius multos juris civilis locos reſtituit, explicavit & illuſtravit: ita ut illius eruditio Græcorum luminibus adſperſa germanam Romanorum juriſprudentiam, caligine temporum intermortuam, ſuſcitarit.

CXXXIX. DE FATO JURISPRUDENTIÆ JUSTINIANEÆ IN ITALIA.

Atque is in Græcia, & in Oriente Juſtinianei juris progreſſus fuit & exitus. In Italia vero, & in Occidente, multis poſt ſeculis, floruit: latebatque interea in Ravennæ ditione, atque in Illyricis finibus: ubi quod Græco Imperatori parerent, jus ex Juſtinianeis libris reddebatur. A regionibus vero ceteris, quas ſtatim ab ex-

a) Prodrom. Juſtin. *p. 3. §. 5. ſect. 2. & 3. cum auctoribus ibi adductis.*

pulſis

pulſis Gothis, Longobardorum colluvies occupaverat, Romanum jus diu exulavit: tandemque ab ipſa Ravenna exceſſit: poſtquam ab Imperio Romano per Aiſtulphum Longobardorum Regem fuit avulſa, circa annum DCCLII. Itaque Italia majeſtate ſimul, & legibus exuta ſuis, jugum Imperii, legumque ſubiit barbararum, dominaque rerum humanarum ſenſu priſtinæ libertatis, veterisque magnitudinis per longum, ac vile ſervitium privata, pro Romani ſplendore, atque humanitate juris, belluinas, atque ferinas, immanesque Longobardorum leges accepit. Et quas regiones jus Atticum in Romanos mores traductum, & ex priſca omnium ſeculorum ſapientia conflatum diu rexerat; poſtea usque ad Lotharii tempora occuparunt Viſigothicæ, Longobardicæ, Francicæ, ac Burgundionum pudendæ leges, ſive potius barbarici ingenii libidines: quæ continentur in Codice inſcripto *Corpus legum antiquarum*, appellatum vero a Rothari Rege, qui primus eas collegerat, *edictum:* ex quo jus Longobardicæ dominationis tempore reddebatur: Cum ex Romano jure non aliud ſuperfuerit, quam id, quod moribus adhæſerat Italorum, quodque ipſum civile commercium, uſitataque contrahendi ratio retinuerat. Ex libris autem juris ſupererant ad uſum etiam judiciorum tantum fragmenta quædam; non e Juſtinianeis decerpta codicibus, quorum lucem, præter Ravennam, ut diximus, Italia publice nunquam adſpexerat; verum e Codice Theodoſiano, cui Anianus Alarici Gothorum Regis, qui Codicem illum confirmaverat, juſſu ſuas breves interpretationes adjunxit: & e Gregoriano, Hermogeniano, ac regulis Ulpiani, Cajique inſtitutionibus, Paullique ſententiis. Tantaque Italiam, ac tam diuturna barbaries inundavit, ut jus Romanorum, etſi magno ſtudio, deletis Longobardis, a Carolo Magno quæſitum: tamen exemplariorum inopia, longaque oblivione populorum, usque ad ſeculum duodecimum, nempe ad Lotharii tempora in tenebris delituerit. Igitur, ut fatum omne Juſtinianeorum librorum oculis legentium ſubjiciamus, vixere illi quidem in Græcia a Juſtiniano usque ad Leonem, nempe ab anno Chriſti DXXXVI. ad CMX. per annos ſcilicet CCCLXXIV. In Italia vero (ſi Ravennam excipias) reſiſtente ab initio barbarie Gothorum, nunquam floruerunt: * vixque tandem emerſerunt anno MCXXX.

CXL. DE INSTAURATIONE JURIS JUSTINIANEI SUB LOTHARIO.

Eo tempore, injuſtis perturbatisque comitiis, lacerarat Eccleſiam falſus Pon-

* Imo veriſimile eſt, poſt recuperatam a Juſtiniano, victis Gothis, Italiam, jus Juſtinianeum quoque in Italia promulgatum fuiſſe. Longobardi Romanis ſua lege vivere permiſerunt, Paulus Diaconus *de geſtis Longob. L. II. c. 5.* Et in ipſis eorum legibus legum Romanarum non vilis dicitur auctoritas, *II. F. I.* Eundem morem nec devictæ genti Carolus M. invidit, in cujus conſtitutionibus, quæ legibus ſubjiciuntur Longobardicis frequens mentio juris Romani. Multo magis igitur Romæ tum viguit jus Romanum & in Exarchatu, nec deinceps unquam in honore eſſe deſiit. Præcipua tamen Codicis & Novellarum auctoritas, primum quod in iis jus noviſſimum, tum, quod libri utriusque capita complura clero faverent; quare tam ſero Pandectæ detectæ & quidem occaſione litis Grammaticæ.

tifex

Digitized by Google

tifex Petrus Leonis, Anacletus Secundus nuncupatus ab ſua factione: Cujus Dux erat Rogerius Apuliæ, ac Siciliæ comes, Regis nomine a falſo Pontifice donatus. Adverſus Anacletum creatus rite, ac ſolenniter fuerat Innocentius Secundus, cui favebat Imperator Lotharius Saxo, ſumma virtute, atque prudentia Princeps. *a*) Quo bellum gerente adverſus Rogerium, Amalphi, Urbe Salerno proxima (quam perperam aliqui locant in Apulia, Melphiam cum Amalphi confundentes) inopinato reperti fuerunt Digeſtorum libri: quos Piſani, qui claſſe Lotharium contra Rogerium adjuverant, præmio bene navatæ operæ * ſibi exorarunt. Piſis vero, poſt longam obſidionem a Caponio militiæ Duce ſtrenuo expugnatis, translati fuere Florentiam: *b*) ubi pro Auguſta Mediceæ domus magnificentia, in Muſeo magni Ducis conſervantur. Hinc promiſcua Piſanarum, & Florentinarum apud ſcriptores Pandectarum appellatio. Iisdem temporibus repertum Ravennæ fuit conſtitutionum Imperialium volumen, quod Codex appellatur: indeque ceteros libros juris, imo & Digeſtorum aliud exemplar in lucem aliqui rediiſſe putant: nec mirum, cum ea Urbs longo tempore Romanis legibus vixerit, & Orientali Romanorum Imperio diu obtemperarit. Novellæ vero conſtitutiones etiam antea per Italiam vagabantur: utque mea fert opinio, multi juris civilis libri, poſtquam inceſſit homines cupido recipiendi Romani juris, agniti potius fuere, quam reperti; nam & aliquot ante Lotharium annis, jus civile Juſtiniani commemoravit Ivo Carnotenſis, *c*) & libros Pandectarum: cum antea ſi occurrerent, forſan ſocordia, & oblivione prætermitterentur.

CXLI. DE PANDECTIS FLORENTINIS.

Legum autem Romanarum oraculis poſt diuturnum ſilentium ſuſcitatis, Italia jam pridem oblita ſui, reſpexit tandem ipſa ſeſe, inque ſuis legibus vetuſtam Imperii majeſtatem recognovit: recepitque per eas in toto ſubjecto ſibi olim terrarum Orbe, ſi non Imperium, ac ſaltem nominis auctoritatem, quæque vires dominationis amiſerat, ratione in poſterum imperavit. Noſtris enim legibus omnes populi ſubmiſere faſces; quique ab Imperio deſciverant Romanorum, eorundem ſapi-

a) Sigon. *de Regn. Ital. l. 4.*

* Quod caſu magis contigiſſe exiſtimat V. A. Henricus Brencmannus *in Hiſtoria Pandectarum L. 1. c. 6.* & *diſſ. poſteriori de Amalphi a Piſanis direpta.* Imo quicquid de Pandectis Amalphi repertis dicitur, non immerito dubium videtur Celeb. Heineccio *in Hiſtoria Juris*, vel ideo inter cætera, quia rem, quam vulgo contigiſſe ferunt Anno MCXXXVII., nemo antiquior literis tradiderit, quam Raynerius de Grancis, ſcriptor Piſanus ſeculi XIV. Aſſervantur autem Pandectæ Florentinæ, non, ut auctor tradit in muſeo magni Ducis Florentiæ, ſed in publico urbis palatio. Mabillon *de re diplom. L. V. tab. 7. p. 356.* Jure vero miretur quiſquam, Florentinas Pandectas tanto ſemper in honore habitas, & ſollicite adeo cuſtoditas fuiſſe, cum exemplar contra Codicis Ravennatenſe ſic negligeretur, ut hodie vix memoria ejus ſuperſit. Idem de Codicibus reliquarum partium juris civilis dicendum, niſi quod ante paucos annos Herbipoli repertus eſt Codex Theodoſianus manuſcriptus, quem Pandectis Florentinis comparare imo præferre non dubitarunt admiratores ejus.

b) Polit. *l. 10. ep. 4.*

c) *Epiſt. 134. & 99.*

Digitized by Google

ſapientiæ perpetuo paruerunt. Porro Codicem hunc Florentiam translatum *a*) Politianus cenſuit ipſius Triboniani ætate prodiiſſe: ita ut omnium exemplariorum auctoritatem ipſius judicio vincat; a quo diſſenſit Alciatus, *b*) propter mendas, quæ hoc etiam in Codice inſunt. Antiquiſſimum tamen fuiſſe non ambigitur; *c*) & ad ejus fidem in re ancipiti omnes interpretes noſtri recurrerunt; omniaque alia exempla ex hoc uno fluxiſſe creduntur.

CXLII. DE INSTAURATIONE STUDIORUM JURIS.

Itaque, recepto Romanorum jure univerſo, & poſt longum exilium in patriam reſtituto; ſtudia Italorum ad interpretationem, atque uſum illius continuo exarſere; ob eamque cauſam publica Imperatoris auctoritas expetebatur, qua ſublatis Longobardorum legibus, deletisque veſtigiis priſtinæ ſervitutis, Italia per uſum Romani juris majeſtatem priſtinam recuperaret. Hoc juriſprudentiæ officium præſtitit idem Lotharius, quo imperante revixerat. Is enim publico edicto * in omnes Imperii regiones emiſſo juſſit, ut Romanorum jus in ſcholas publicas, inque omnia tribunalia reciperetur: ex eoque in poſterum cauſæ judicarentur, deletis barbaris legibus, profligatisque cruentis moribus, Italico nomine prorſus indignis. Itaque hoc edicto Romano juri faſces reddidit ab hoſtibus ereptos; eique publicam auctoritatem, lucemque reſtituit.

CXLIII. DE BONONIENSI SCHOLA, ET DE IRNERIO.

Primam autem, atque celebriorem ſcholam juris civilis Imperator aperuit Bononiæ; ubi ſedes bonarum artium, & publicum cujusque doctrinæ docendæ munus, vel a Theodoſio minore, *d*) ut Bononienſes contendunt: vel, ut alii putant, ab ipſo Lothario fuerat conſtitutum. Hujus tam egregii facinoris Imperatori optimo auctor fuit, atque ſuaſor Juriſconſultorum ea tempeſtate maximus Irnerius, vel, ut alii ſcribunt, Vernerius; qui Mediolanenſis ne, an Germanus fuerit, ambigitur. Is non ſuis modo, ſed & Mathildis precibus eximia tum auctoritate mulieris id impetravit, teſte Abbate Uſpergenſi: *e*) quem etſi erroris arguat Sigonius, *f*) quod eo tempore Mathildis jam e vivis exceſſerat; tamen alia

a) *Lib. 10. epiſt. 4.*

b) *Diſpunct. 3. c. 12.*

c) Bart. *L. ſi credit. §. ult. ff. de diſtract. pign.* Alex. *in L. ſi filii famil. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim.*

* Quod adhuc fruſtra inter veteres tabulas ſuas Bononſenſes quæſiverunt, & cujus memoriam vulgi iiſdemque falſis rumoribus deberi, dudum oſtendit Conringius *de orig. jur. Germ. c. 21. ſqq.* Juris autem Romani laus eo major, quod non principis juſſu, ſed ſenſim per mores hominum ſerpens ſua ſola præſtantia invaluit. Origo fabulæ a numero ſtudioſorum repetenda, qui jam Lotharii temporibus Bononiæ ingens erat. Eadem circiter tempora jus Romanum impenſius cultum bilem jam moverat S. Bernhardo. *Quotidie enim*, inquit *L. II. ad Eugenium. perſtrepunt in tuo palatio leges; ſed Juſtiniani, non domini; Rectius etiam? Iſtud tu videris. Nam lex domini immaculata, convertens animas, eæ autem non tam leges ſunt, quam lites & cavillationes.*

d) Pancir. *de clar. leg. interpr. lib. 2. cap. 31. in fin.*

e) *In Chronico.*

f) *Lib. 11. de Regn. Ital. in fin.*

potuit eſſe Mathildis * e tribus, quas ejuſdem nominis circiter iis temporibus floruiſſe Baronius *a*) e veteribus monumentis comprobavit. Patebant adhuc iis temporibus Conſtantinopoli cum ceterarum artium ſcholæ; tum juris præcipue civilis, quod ſuppreſſis latinis Juſtiniani, e græcis Baſilicorum codicibus promebatur. *b*) Inde Irnerius cum græcam linguam addidiciſſet, juris quoque ſcientiam ſecum in Italiam advexiſſe creditur: *c*) cum neque ex ſe edere in tantis doctrinarum tenebris; neque aliunde arripere tantum juriſprudentiæ lumen potuerit, quantum ille in componendo, & redintegrando, illuſtrandoque diſſoluto illo, & caliginoſo legum corpore profudit; ut merito lucerna juris appellaretur. Qui enim ante ipſum, etiam in Bononienſi ſchola, interpretationem fuerat aggreſſus Pepo, probatu dignum extulit nihil. Quamobrem uni Irnerio Juſtinianeum jus integritatem ſuam, & juriſprudentia vitam acceptam refert. Is enim e variis codicibus, ut credere eſt, undique coactis, & ſimul collatis, atque pluribus ex fragmentis judicio, & acumine ſuo commiſſis, ſparſa juris membra collegit: quemque nunc habemus voluminum ordinem in regiones, ætatesque omnes, additis obſcuriorum locorum interpretationibus, implorataque Imperatoris auctoritate tranſmiſit. Studioſorum autem laborem levavit laudabili ſane opera, redactis nempe in epitomen ſalebroſis, atque garrulis Juſtiniani Novellis: quarum ſummas perſpicuas ſimul, atque breves per Codicis titulos diſpertivit, attexuitque legibus iis, quæ novellis aut abrogabantur, aut detractione, vel adjectione mutabantur: quas Authenticas vulgus appellat. Unde per Irnerium una ſerie, eademque lectione, Codicis & Novellarum ſenſum licet arripere. Cavendum tamen ab erroribus, quos in iis deprehenderunt eruditi: qui non paucas earum authenticarum, aut male novellis reſpondentes, aut non ad ſuos titulos relatas, obſervarunt. Quorum errorum ſeriem pertexit Jacobus Viſſembachius: eamque adſuit *diſſertationi ſuæ de mutuo.* Sunt qui ſero novellas Irnerio innotuiſſe tradunt: adduntque, illum, dum cauſas oraret, novellarum auctoritate confutatum, negaſſe germanum eas eſſe Imperatoris partum, ſed nebulonis alicujus commentum, quod vim ſibi legis adrogaret. Ipſe vero Irnerius, cum Ravennæ artes liberales doceret, Bononiam vocatus, jus civile ſuſcepit explicandum publice: ac privatim domi mercede ab auditoribus accepta, paucis ante annis, quam jus civile Imperatoris edicto publicaretur: ut ſuſpicantur Bononienſes Cives in epiſtola ad Neuhuſium ſcripta: quam mecum inter alia ſelectiora, & rariora opuſcula, quorum bibliothecam ſuam habet refertiſſimam, humaniſſime commu-

* Quam excuſationem admittit Henricus Brencmannus *Hiſt. Pand. p. 40.* Germanum autem, non Mediolanenſem fuiſſe Irnerium, Brencmanno conſentiunt Petrus Baylius & Cornelius van Bynkershoek *de auctoritate & auctoribus Authenticarum.* Idem ſuadere videtur nomen viri, quod eſt Wernher, idque purum putum Germanicum. Locus Cironii de Irnerio, jus civile Conſtantinopoli docto, notabilis. Authenticas vero & Irnerio, & aliis, ante & poſt eum JCtis, deberi, evincit Bynkershoekius laudato loco. Civium Bononienſium epiſtolam ad Neuhuſium inter rariora opuſcula a Gravina relatam, exhibet Conringius *de origine juris Germanici.*

a) *Ann. 1074.*

b) Abbas Uſperg. *fol. 291.* Decian. *in Apolog. adverſ. Alciat.*

c) Ciron. *l. 5. obſ. jur. canon.*

nica-

nicavit *Marcellus Severolus*. Eo pacto Irnerius lucem, quam interpretationibus ſuis attulit juriſprudentiæ, per diſcipulos ad omnem tranſmiſit poſteritatem.

CXLIV. DE VARIIS IRNERIANÆ SCHOLÆ SECTIS.

Ejus e ſchola celebriores interpretes profluxerunt uſque ad Accurſium: a quo plenior juris cœpit explicatio uſque ad Bartolum: a quo latiora commentaria inundarunt, non modo in leges, ſed etiam in ipſas Accurſii, & veterum explicationes longe verecundiores textui circumdatas, quas græco vocabulo Gloſſas vocamus: quod per eas, veluti per linguas legum ſententiæ alioquin obſcuræ pandantur. Bartoli profuſa commentandi libido poſteriores inceſſit interpretes uſque ad Alciatum: qui novis luminibus ex græca, & Romana antiquitate, abſtruſaque linguæ latinæ notitia, & ope artis criticæ ſecum reviviſcentis, priſcam & germanam juriſprudentiæ faciem diſcluſit: barbariæ vero ſquallorem prorſus omnem detraxit Cujacius, qui memorabile in ævum Alciati cœptum abſolvit, ea interpretationis felicitate, eaque elegantia, & veritate majori, ut unus Cujacius dignus ſit, cui, etſi tempore, atque auſu non primo, tota juriſprudentiæ reſtitutio, propter præſtantiam ejus ſupra ceteros interpretes, adſcribatur. Hinc a nobis ſincera omnis, & erudita interpretatio Cujaciana juriſprudentia nuncupatur: exemplo veterum, qui ob nominis celebritatem, Pythagoreos appellarunt eos etiam philoſophos, qui ante Pythagoram in Italia floruerunt. Igitur diſtinctionis, & memoriæ gratia, in quatuor gradus noſtratem juriſprudentiam tribuemus. Primam facimus Irnerianam: ſecundam ponimus Accurſianam: tertiam conſtituimus Bartolinam: poſtremam, quam, uti germanam vetuſtatis mentem, omnibus anteponimus, Cujacianam. Ab Irnerio autem uſque ad Alciatum, a qua juriſprudentia Cujaciana duxit initium, hyems quodammodo juriſprudentiæ fuit: adhuc enim barbarie premebatur, carebatque pura illa luce veteris eruditionis, ſinuoſiſque ſubtilitatibus, ex Arabicæ philoſophiæ ſcholis, a Bartolo maxime, ad ſtudium juris traductis implicabatur: opeque deſtituta cognata ſibi latinitatis, & eruditionis, aptoque miniſterio privata, evolvere ſeſe neſciebat: unde rigebat illa, tanquam hyeme cohorruiſſet. Quare, cum verus Romanæ Reipublicæ, juriſque Romani ſenſus ſub Alciato primum, & ſub Cujacio maxime refloruerit: ideo Cujacianam doctrinam ver juriſprudentiæ appellamus. Quamobrem ab hyeme ad ver convolaturi, obibimus prius Irnerianæ, Accurſianæ, atque Bartolinæ juriſprudentiæ ſeriem, celebriores cujusque auctores indicantes: deinde ad Cujacianæ juriſprudentiæ interpretes progrediemur.

CXLV. DE MARTINO.

Prodeat autem ante omnes ex Irnerii ſchola Martinus Cremonenſis, ex Bononienſi Goſiorum, nobilique familia: *a*) quam temporum factiones patria ejecerunt. Is cum plures in jure quæſtiones moviſſet, atque in opinando liberior, ſeque nimium audiret; * adverſarium habuit, ex eadem Irnerii ſchola, Bulgarum.

a) Cynus *l. 1. §. taceat. in fin. C. de rei uxor. action.*

* Solus enim ſæpe in opinionibus erat, licet totus mundus contrarium teneret, ut

Ita ut ipſorum contentiones inter utriusque diſcipulos opinionum, & animorum diſſidia parerent. Itaque ſtudioſorum turba, Proculianorum, & Sabinianorum inſtar, in duas factiones diſceſſerunt. Quarum altera Bulgarum ſequebatur, altera Martinum; a quo ex Goſia familia dicti ſunt Goſiani: quos contraria factio auctoritate, ac numero ſuperavit: etſi Martinus Frederico Ænobarbo haud liberaliter aſſentatus ſuarum ſententiarum non paucas publica Imperatoris auctoritate fundarit: *a*) nec mirum Martino tam ſecundum fuiſſe Fredericum; cum, ut Imperatoris gratiam ſibi Martinus pareret, *b*) in maxima contentione illorum temporum inter populos, & Principem de juribus Imperii, Martinus veritus non fuerit ſententia ſua rerum omnium dominium, & proprietatem Imperatori adjudicare. * Quo meruit, ut ipſius agnati a Cæſare ** inter Principes referrentur. *c*) Hac autem pudenda ſane ambitione, arbitror Martinum apud æquales, & poſteros invidia flagrantem, adeo paucis opiniones probaſſe ſuas; ut ejus diſcipuli ab Accurſio, per deridiculum Goſiani appellentur: & Jaſon pronunciare non dubitaverit, nihil veri a Martino afferri ſolere. *d*) Anceps fama eſt, illum ab Azone clavibus auditorii percuſſum exanimem concidiſſe, fremente Azone, quod eſſet a Martino in diſputatione ſuperatus. Floruit Martinus ſeculo duodecimo anno ætatis ſuæ LXXVIII.

refert Gloſſa *regularum Cancellariæ*. Aſſentationis autem præmium a Friederico I. equum tulit, ut eſt apud Ottonem & Acerbum Morenam *de rebus Laudenſibus in collectione Leibnitii T. I. p.* 818. quamvis noſter fide Panciroli non a Friederico, ſed ab Henrico, neque Martino, ſed Azoni, equum eadem de cauſa tributum, referat.

a) Odof. *L. rem non novam, in fin. Cod. de judic.* Iſern. *conſt. ſi dubit.* Roland. a Val. *conſ. 46. num. 14. lib. 3.*

b) Gloſſ. & Odofr. *L. bene a Zenon. C. de quadrien. præſcript.*

* Aucta dein adulatio a Bartolo & Baldo, quorum ille *ad L. 24. D. de capt. & poſtlim. rev. Et forte*, inquit, *ſi quis diceret, dominum Imperatorem non eſſe Dominum & Monarcham totius orbis, eſſet hæreticus, quia diceret contra determinationem eccleſiæ.* Baldus vero *in Proœm. Dig. imperatorem dominum appellat univerſæ ditionis, quæ aſcendentem deſcendentemque & utrumque latus adſpicientem Solem reſpicit.* Fuit tamen is mos jam veteribus quodammodo in uſu, ut apparet *ex L. 9. D. de Rege Rhodia de jactu.* Ultra adhuc pergunt Reges in Siam, qui cœli terræque imperium ſibi adſcribunt & Soldani Babylonienſes & Ægyptii, qui Diis ſe imperare ajunt, ut obſervat Ill. van Bynkershoek ad laudatam legem *cap. 6.* Idem vidiſſe ſe teſtatur in Archivis Curiæ Feudalis Hollandicæ edictum hujuſmodi Sultani, in quo inter reliquos titulos bis etiam inferni imperium enumeretur, datum, ut habebat ſubſcriptio, anno mundi 6015. ætatis ſuæ 91. Nazareni autem, filii Joſeph, ex gente David, cognati ſui 1415.

** Qui etiam notiſſima *Authentica habita C. ne filius pro patre*, profeſſores & ſtudioſos juris eximiis privilegiis ornavit, id agens, ut excitato juris civilis ſtudio exemplo veteris Imperii majeſtas imperatoria aſſereretur, primo, contra Status Germaniæ, libertatis ſtudioſos, tum quoque contra Pontificem Romanum, Imperium in Imperio molientem. Quam Authenticam lepido commentario illuſtravit Vir acris & amœni ingenii Rebuffus.

c) Cyn. *L. 1. §. taceat. C. de rei uxor. action.*

d) Alciat. *parerg. l. 9. cap. ult.*

CXLVI.

Digitized by Google

CXLVI. DE BULGARO.

Offert ſe huic ex adverſo Bulgarus æqualis ejus, & æmulus, quem plerique faciunt Bononienſem. Is apud populos, non ſolum doctrina, ſed & gratia valuit: atque ob pronunciationis leporem, os aureum * appellabatur. Landi huic ſucceſſus reſpondit. Cum enim is Bononiæ doceret ſimul, & judicaret in appellationum cauſis ſupra libras viginti quinque, juſſu Frederici Ænobarbi, qui eum una cum ceteris ad jura Imperii definienda vocaverat; ſententiæ ab ipſo latæ, ſive in explicando, ſive in reddendo jure, tanto plauſu, atque conſenſu populorum attollebantur, ut per omnem Italiam pro legibus acciperentur. Hinc in omnium ore Bulgari conſuetudines: eo quod interpretationes ipſius in re dubia cederent in communes mores. Hanc auctoritatem ſuarum ſententiarum apud populos, ipſe damnoſo ſibi exemplo munivit: jacturaque rei familiaris interpretationes proprias, præter morem: ſancivit. Docuerat enim ille, contradicente Martino, dotem, veluti peculium Patris profectitium, uxore, ſuperſtitibus liberis, mortua, debere ad Patrem, qui dotaverat, redire: Martinus contra mulieris patrimonium ajebat eſſe dotem, prætereaque in ipſius mulieris poſteritate permanſuram. Sors tulit, ut Bulgari uxor moreretur. Unde Martinus a Bulgari ſocero conſultus reſpondit, ſe quidem, cum in contraria ſententia eſſet, dotem non fuiſſe redditurum; Bulgarum vero, cum aliter ſentiret, ſua ſe doctrina implicuiſſe, propriaque ſententia damnaſſe, ideoque reddere cogendum. At Bulgarus doctrinæ ſuæ fidem patrimonio anteponens, oblata ſponte dote, ſui æmuli judicium antevenit. Sortem hic habuit quanto in prole ſuſcipienda ſecundam; tanto adverſam in retinenda, amiſſis omnibus liberis, ** quos ſuſtulerat: unde animo æger pronunciavit vulgatum illud:

Ordine mutato ſuccedis, Bulgare, nato.

CXLVII. DE HUGOLINO.

Eadem ætate ſcholam Bononiæ juris civilis habuit Hugolinus a Porta Ravennate, clarus ob adjectos Authenticorum volumini feudorum libros Bononiam a Frederico miſſos, ut juri civili infererentur. Quos cum alii per plures Codicis titulos diſpertiiſſent; Hugolinus eos ſeorſum collectos authenticorum collationibus atte-

* Quo nomine eum Irnerius ipſe moribundus donavit. Cum enim ad hunc extrema agentem acceſſiſſent diſcipuli, & dixiſſent, *Domine, quem vultis poſt mortem noſtrum Doctorem nobis conſtituere*, reſpondiſſe fertur Irnerius:

Bulgarus os aureum, e. q. ſ.

Sententia autem Bulgari de dote Juri Romano conſentanea eſt per *L. 4. & 5. §. 11. D. de jur. dot. L. 5. D. de divortiis. L. 59. D.* & *L. 4. C. Sol. matrim.* in primis *per L. 6. D. de jur. dot.* In foro tamen Martini paſſim ſententia prævalet ſpecie æquitatis.

** Inſtaurando tamen generi ſtuduit, ſecundaſque iniit nuptias, ſed ducta muliere pro virgine, cum poſtridie legem interpretaretur, cujus initium eſt, *Rem non novam neque inſolitam aggredimur*, auditoribus riſui fuit. Pancirolus *L. II. c. 15.* Eſt ea lex *14. C. de judiciis.* Duarenus tamen *de ſacroſanctis eccleſiæ miniſteriis L. IV. c. 8.* verba gloſſæ ad d. l. non de corrupta, ſed de vidua interpretatur.

xuit: eoſdemque ita compoſitos, decimam collationem appellavit. *a*) Deceſſitque anno MCLXVIII.

CXLVIII. DE ROGERIO, ET OTHONE, ET PLACENTINO.

Claruit etiam eo tempore Rogerius, qui epitomen, * ſummam appellatam, ſcribendam ſuſcepit, non ultra viginti chartarum, ut cum ſcriptoribus illis loquar, ſpatium excurrentem. Item & Otho: qui judiciorum ſummarium reliquit. Ex Italia vero in Galliam repullulantem ſcientiam juris retulit ſecum Placentinus Gallus a Martino inſtitutus, qui Agathopoli, nunc Montepeſſulanum, in Gallia Narbonenſi, publice jus explicavit, ediditque pinguiorem epitomen, æmulatione Rogerii, quem hac laude ſuperavit.

CXLIX. DE PYLEO.

Nec memoratu indignus eſt Pyleus ex pago Mutinenſi, qui exorſam a Placentino poſtremorum Codicis librorum abſolvit epitomen. Is Bononiæ jus expoſuit, poſteaque Mutinam precibus, pretioque a Mutinenſibus abductus fuit, ac denique civitate donatus, ut apud eos publice doceret. Idem, cum in judicio defenderet machinarios, a quibus projectu lapidum quidam e prætereuntibus ictus fuerat, & antea monitus, ut ſibi caveret, cujus moniti teſtes nulli aderant: machinarios in jus duxit. Quos ubi Prætor interrogaſſet, ac tacentes vidiſſet, admiratus, ad Pyleum converſus eſt, ſilentiique cauſam rogavit: tum Pyleus, quia muti ſunt, inquit. Ad hæc accuſator mendacium exprobrans, exclamavit: imo audivi eos vociferantes, ac tranſeuntibus dicentes, *cavete*. Tum Pyleus: *Ergo abſolvantur*, inquit, *præmonens enim de damno non tenetur*, *b*) Itaque impetravit, ut eis a Prætore noxa remitteretur. Uxoris teſtamentum, quo hæredem inſtituit eum, de quo fuerat interrogata, defendit, non ſine multis oppoſitoribus. ** Librum ſcripſit de ordine judiciorum, & aliqua in feudorum libris annotavit. Ab hoc, quod ſingulis Saturni diebus in utramque partem diſputationes haberentur, ortum eſt ſabbatinarum quæſtionum nomen ab ipſo conſcriptarum. Ex qua exercitatione proceſſere Brocardica, ſive enunciata illa, quæ uſum habent ancipitem, *** & in utramque partem flectunt, peculiari libro ab eo comprehenſa.

a) Odofr. *in auth. caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Alvarot. *in proœm. feud. colum. 4. quæſt. 3.*

* Quod primum ut hodie loquimur, juris compendium fuit. Obſcura tamen ejus fama Summula Azonis, de qua *in capite 151.*

b) Bald. *in prax. de utriusque jur. reg. de cavill.*

** Aſſenſerat enim interroganti affirmatione ſimplici; cum in teſtamento nuncupativo nomen heredis voce teſtatoris nuncupari debeat, *L. 29. C. de teſtamentis.*

*** Imo Brocardica regulæ ſunt omni exceptione majores, non quidem juris civilis, ſed proprie juris Canonici. Dicuntur enim quaſi Burcardica, quia Burcardo debentur, Wormatienſi epiſcopo, *cujus magnum canonum volumen*, *editum Coloniæ A. 1548. Pariſiis 1550.* tantæ auctoritatis fuit, ut ſuo adhuc tempore Sigebertus Gemblacenſis *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 141. omnium conciliorum decreta ex eo auctorizari* ſcribat.

CL.

CL. DE ALBERICO, ET JOANNE.

Inter Bulgari diſcipulos ponitur Albericus a Porta Ravennate doctrina potius, quam moribus, magiſtro ſimilis: quippe temulentus, & helluo, egregieque impudens: cum non veritus ſit, propter turpe lucrum, fidem ſuæ abrogare doctrinæ. Etenim de reſtitutione dotis poſt mortem, ſuperſtitibus liberis; idem quod Bulgarus magiſter & ſenſerat, & docuerat: verum cum idem ſibi, ac Bulgaro contigiſſet, dotem rogatus a ſocero, redditurum negavit, propriiſque ſcriptis redargutus, reſpondit mutaſſe ſententiam. Longe vero ceteris Bulgari auditoribus celebritate nominis præſtitit Joannes Boſſianus Cremonenſis, qui novellarum libros in epitomen redegit, arboremque actionum * primus invenit, obiitque anno MCXCVII.

CLI. DE AZONE, EJUSQUE SCHOLA.

Splendorem huic addidit ejus diſcipulus Azo Bononienſis, a Baldo haud præcipitis judicii viro, fons legum appellatus: cujus epitome, quam ſummam vocant, tanto fuit in pretio, ut merito alias ante ſe omnes obruerit. Hinc traditur Mediolani, & Cremonæ nulli patuiſſe aditum ad juriſconſulti munus, qui ea epitome careret. Azonis celebritas ex omnibus Italiæ regionibus auditores excibat. Ita ut Bononiam adtraxerit juvenum fere decem millia. Ex quibus cum Longobardi, & Etruſci ſecum acerrime diſſiderent, ab eo tumultu res ad cædem prope devenit: ut & Urbs univerſa perturbaretur. Habebant eo tempore Doctores in auditores ſuos, qui deliquerant, animadverſionem & juriſdictionem in cauſis civilibus: verum, retenta hac poſtrema, priorem amiſerant, propter condonandi facilitatem, quam poſtea animadverſionem recuperatam rurſus amiſerunt, nec eam in poſterum receperunt. Henrico Cæſari, qui medius inter eum, & Lotharium Juriſconſultum Azonis æmulum equo per Urbem incedebat, interroganti, cujus nam eſſet merum imperium? Lotharius Cæſaris ſolius eſſe reſpondit: Azo vero intrepide, non Cæſaris tantum, ſed & Præſidum Provinciarum. Gratior tamen Principi fuit improbitas, & aſſentatio Lotharii, qui equo a Cæſare donatus cauſam præbuit Azoni, ut cum eodem de argumento diſſereret, inque ſua ſententia permaneret, ambiguo illo luderet: quod ſcilicet ipſe æquum dixiſſet, equum vero abduxiſſet Lotharius. Cum nondum Azo admodum in jure Pontificio profeciſſet; contenderetque in foro contra Boarinum Mantuanum, mortuo ante litem conteſtatam delegante, delegati juriſdictionem extingui; neque ad id probandum ei certus ex jure locus occurreret: amico ſuggerente, citavit caput *relatum de officio delegati:* at adverſarius confeſtim oppoſuit proxime ſequens caput *gratum* eodem titulo; quo traditur, juriſdictionem excitari a ſola citatione, indeque perpetuam permanere. Hac redargutione Azo perculſus amicos reſpexit, & pudibundus dixit:

Gratum, & relatum me habet vituperatum.

* Sive ſchema, quo actionum delineabatur diverſitas; perinde ut conſanguinitatis & affinitatis arbore propinquorum & affinium ſiſtuntur gradus, qui & ſcalorum & rotarum imagine a veteribus repræſentabantur.

Ad

Ad gymnaſii cuſtodiam famulo eſt uſus, Tarentino Galloprefſus nomine, qui coloris nigredine, ſtaturæque brevitate, & oris corporisque deformitate, juvenili petulantiæ jucundum ludibrium fuit, precimnque ſcurrilitatis ab adoleſcentibus duo millia florenorum, ut vocant, ſervitii ſui tempore collegit. Mortuus eſt * Azo anno MCC. tanto mœrore omnium, ut univerſa lugere Academia videretur: ac, veluti prolatis funeris cauſa rebus, non niſi poſt anniverſarium Divorum omnium feſtum interpretatio juris eſt inchoata. Hinc aperte mendacii redarguitur, quisquis fabulam illam excogitavit ab Alciato *a*) evulgatam, de ignominioſa morte Azonis, ob Martini necem: cui commento fidem prorſus abrogat honorificum Azoni monumentum extructum; &, cum vetuſtate collaberetur, publico juſſu reſtitutum anno MCCCCXVI. Ejus autem ſumma talis eſt, tantique acuminis, & ſoliditatis; ut, quamvis barbaris temporibus nata, ea tamen in hac eruditionis luce, ſine damno, ac fraude noſtra carere non poſſimus.

CLII. DE LOTHARIO CREMONENSI.

Ipſius æmulus Lotharius Cremonenſis non tam ſtudiis, quam armis claruit. Ope Cæſarea, vir talis, Piſanus Archiepiſcopus creatur. Nec erubeſcebat contra Eccleſiam ſententiam ferre: docebat enim Sacros viros, nempe Eccleſiaſticos, poſſe foro ſuo cedere: cumque factis etiam iniquis Eccleſiam Romanam læderet, juraque judicatus Calaritani uſurparet, *b*) ab Innocentio III. vehemenner objurgabatur.

CLIII. DE BALDUINO BONONIENSI.

Jacobus Balduini, Bononienſis, auditor & ipſe Azonis, & Decurio creatus a Civitate ſua, peſſime de utroque meruit, indignusque prorſus fuit juſtitiæ ſacerdotio: nam, & magiſtrum inſimulavit falſæ doctrinæ per calumniam, quam in illius caput magiſter reflexit, & cauſam ſuſcepit adverſus patriam. Cumque ſceleris in patriam argueretur, reſpondit, eo ſe facto germanum Bononiæ civem præſtitiſſe: hominem effron'em, & inclita virtutibus patria prorſus indignum! A Genuenſibus Prætor creatus, cum patricium laqueo damnaſſet contra ejus Reipublicæ leges, cauſam præbuit Genuenſibus edicendi, ne ullus in poſterum legum doctor ad jus dicendum vocaretur.

CLIV. DE ROFREDO BENEVENTANO.

Rofredus quoque Beneventanus Azonem habuit magiſtrum, idemque Bono-

* Rem autem miram de eo narrat Sigonius *Hiſt. Bonon. L. IV. exeunte*, Azonem nimirum, ut Sigonio Odofredus retulerit, ægrotare ſolitum non fuiſſe, niſi tempore vacationum. Appellabatur autem a diſcipulis ſuis honoris cauſa, Dominus Azo, iidemque Azonem etiam intelligebant, quando omiſſo nomine Dominum appellabant. Cardinalis Hoſtienſis *in c. 1. pr. X. de teſtam. n. 2. As, id eſt duodecim unciæ. As ergo quandoque ponitur pro obolo, propter quod verbum venit Bononiam ſtudium civile, ſicut audivi a domino meo, (Azone.)*

a) *L. 9. parerg. cap. ult.*

b) *Cap. ſi diligent. de foro compet. & de præſcript.*

Digitized by Google

niæ libros Juris explicavit, pluraque ſcripta reliquit, inter quæ diſputatas ſaturni diebus quæſtiones, quas ſabbatinas, ut diximus, appellarunt; formulasque compoſuit, quibus rei convenirentur in foro: quarum magnus erat uſus, antequam aliæ locupletiores prodirent. Hunc judicem adhibuit in cauſis Fridericus II. Imperator.

CLV. DE ACCURSIO, ET EJUS SCHOLA.

Quæ autem ſumma laus eſt Azonis, ab ejus diſciplina profectus eſt Franciſcus Accurſius Florentinus: cujus labor, & induſtria ſuperiorum omnium ab Irnerio juriſconſultorum laudem perſtrinxit, & obruit, cunctaque ſcripta merſit aliorum. Is enim ea animi alacritate ad juriſprudentiam acceſſit: ut ætate provecta juveniles ſpiritus gerens, juvenilia ſtudia minime refugerit. Fertur enim, prope quadragenarium ad juriſprudentiam ſe contuliſſe; conductisque ſuperiorum interpretum expoſitionibus, Irnerii, ſcilicet, Bulgari, Martini, Placentini, Pylei, Joannis, & aliorum in ſolitudinem ſeſe abduxiſſe: ubi illorum, & ſuis interpretationibus, particulas omnes juris civilis obiit, ut inde, tanquam ex tripode, forenſium cauſarum definitiones, & judiciorum oracula peterentur. Ideoque Accurſius a Cino Advocatorum Idolum appellatur. Nemo enim ante ipſum exortus erat, qui ſcientiam juris brevius, uberiusque ſuppeditaſſet. Sententia enim legum tum in univerſum, tum particulatim expoſita; ſimilia loca ex univerſo juris corpore colligit, & contraria mire componit, adductis aliorum, ac modo adprobatis, modo rejectis opinionibus, quæſtionibusque plurimis, utiliſſimisque ad locum excitatis, ac definitis. In ſenſibus autem veſtigandis adeo fuit acutus, & ſolers; perſpicuus autem in verbis, & ſobrius; felixque in abditis ſententiis eruendis; ut, niſi temporum barbaries antiquitatis ei lucem, & ſermonis elegantiam ademiſſet; nullam fortaſſe laboris partem reliquiſſet eruditis recentioribus. Quo magis mihi ſtomachum faceſſit eorum inſolentia ne dicam, an immanitas? qui, cum ejus lectione legum ſenſus levi labore adipiſcantur; ubi tamen aliquid nubeculæ ab eo relinquitur eorum eruditione diluendum, feroces victoria, ſtatim perſtrepunt, & cachinnos tollunt: nec verentur viro de illis, ac de poſteritate optime merito, temporum caliginem vitio vertere; ſibi vero laudi ducere naſcendi ſortem. Quæ autem inhumanitas eſt; ei, qui facem prætulit in tantis tenebris juris civilis, qua ſine face vel eruditiſſimi novorum Juriſconſultorum oberraſſent; vitia illa nolle condonare, in quæ decidit, non propter juris civilis inſcitiam; ſed ob imperitiam hiſtoriarum, & latinæ proprietatis, ſibi ab ætate illa denegatæ: cum tamen, iis etiam præſidiis ſpoliatus, ingenii acie non raro collineet: ut non tam ejus errores exagitare, quam paucitatem illorum in tam crebris peccandi periculis, lubricisque locis admirari debeamus. Quo magis Cujacii modeſtiam, & probitatem commendo: qui cum in Accurſii nomen incidit, non modo parcit a conſuetis eruditorum injuriis, in quibus Duarenus potiſſimum eſt intemperans; verum etiam hominem honorifice appellat, optimum ſcilicet Accurſium. Cujus auctoritatem non modo præ Bartolo tanti fecit, ut ſomnia duxerit, & deliria, quidquid ei Bartolus contradicit; verum etiam Accurſium, teſte *a*) Mornacio: Latinis, & Græcis omnibus interpretibus antepoſuit.

a) *Ad l. 2. §. hoc autem C. de vet. jur. enucleand.*

Digitized by Google

Nec mirum: quid enim Græcorum exilitas, eorumque lineolæ, ad Accurſii abundantiam, acumen, curioſitatem, & diligentiam? Ob quam in ſuo ipſe nomine ludens, haud abſurde dixit ſe *a*) Accurſium appellatum, quod in jure civili vacillantibus, atque laborantibus opportune accurrat. Religio mihi fuerit omittere Cujacii de eo judicium his ab eo expreſſum verbis: *Neque δικαιομάστιγας b*) *hujuſmodi Juriſprudentibus comparaverim: & Accurſium longe magis corona donaverim, a quo quidquid aberrat Bartolus, vanæ fictiones, & ægri ſomnia videntur.* In ſententiarum diſcrepantia Bulgari cauſam contra Martinum amplectitur: ut Azonis diſcipulum poſſis agnoſcere. Cum Bononiæ ſumma celebritate docuiſſet, filios reliquit Franciſcum & Cervotum, non bonorum modo hæredes; ſed etiam doctrinæ: qui & in docendi munere patri ſucceſſerunt: &, quod mirere magis, fama eſt, etiam reliquiſſe filiam, quæ jus civile publice docuerit. *c*) Ipſe vero Accurſius anno MCCXXIX. ætatis vero ſuæ LXXVIII. ſupremum obiit diem. *

CLVI. DE JACOBO ARDIZONO, ET ODOFREDO.

Edidit & Azonis ſchola Jacobum Ardizonum Veronenſem, qui præclarum doctrinæ ſuæ monumentum reliquit feudorum ſummam: quam diu latentem, e ſua tandem bibliotheca extulit Daniel Scarameus Juriſconſultus Aſtenſis anno MDXVIII. Emiſit eadem Azonis ſchola Odofredum Bononienſem, vel ut alii credunt Beneventanum, ad ambiguas quaſque cauſas a Gregorio Montelongo Gregorii Pontificis legato adhibitum, dum Bononiæ doceret: cujus in interpretando facilitatem, atque utilitatem ex ejus uberrimis in Pandectas, & Codicem commentariis noſcere licebit. Vita exceſſit anno MCCLXV. Ceteros obſcurioris nominis commemorare non eſt ex noſtro, aut legentium uſu: ſatisque habebimus adoleſcentibus oſtendere clariores uſque ad Bartolum, a quo aliam juriſconſultorum ſeriem exordiemur.

a) *In l. facta. §. ſi in danda. ff. ad Trebell.*

b) *Obſervat. l. 12. c. 16.*

c) Alberic. *in L. qui filium in f. ff. ubi pupill. educar. deb.* Tiraquell. *L. connub. gloſſ. 1. p. 2.*

* Hodie quoque qui ex fontibus bibere, quam ex lacunis malunt, ſi quid dubii incidat, cui tollendo Baſilica non ſufficiant, ad gloſſas Accurſii decurrunt. De ætate Accurſii, qua ſe contulerit ad juris civilis ſtudium, diſſentiunt interpretes. Quidam id annos natum XXVIII. feciſſe ajunt; ſecundam Gravinam vero prope quadragenarius erat, cum Pancirolus a quadragenario plane jus civile apud Azonem auditum referat. Verum ideo minime negat Pancirolus: Accurſium id antea ab aliis didiciſſe. Barbariem ejus non tantam fuiſſe, quanta vulgo fuiſſe fertur, contendit Albericus Gentilis, *de juris interpretibus*, qui illud: *Græcum eſt, non poteſt legi, Accurſii eſſe*, conſtanter negat. Refertur tamen Accurſius inter Semi-juriſconſultos ab ipſo Cujacio *Obſ. IV. 3.* & multos ejus errores notat Antonius Nebriſſenſis *in Lexico juris civilis.* Filio ejus Cervoto Accurſio contigit, ut hebes & exigui ingenii eſſet, unde paſſim ſententiæ ejus rejici ſolent modo ut exſangues & frigidæ, modo ut abſurdæ & ineptæ, adeo, ut opiniones inſipidas Cervotianas appellent.

CLVII.

Digitized by Google

CLVII. DE DINO.

Atque mihi excitanda eſt in primis Dini ex Florentino pago memoria: cujus tanta in diſputando ſublimitas fuit; ut Dini diſputatio in proverbium abierit; tantaque auctoritate claruit, ut ad ſextum decretalium librum componendum a Bonifacio VIII. fuerit adhibitus, una cum Ricardo Petronio Senenſi: qui honos Dino magno ſtetit. Cum enim Ricardum ſocium operis a Pontifice in Cardinalium numerum lectum vidiſſet, ſe vero præteritum; etſi aliis præmiis cumulatus, tamen angore animi vitam amiſit. Etſi non deſint, qui occulto veneno ſublatum tradant. Obiit Bononiæ, ubi docuerat, anno MCCCIII.

CLVIII. DE BARTOLOMÆO A CAPUA.

Sub idem tempus non doctrina modo civili, quam Neapoli in Gymnaſio inſtituto a Friderico II. Cæſare, ſumma gloria docuit; ſed ampliſſimis etiam honoribus floruit Bartolomæus a Capua Neapolitanus, patriæ, ac poſteritatis ſuæ nobiliſſimæ perenne decus. Cujus patrocinio Robertus adverſus *a*) Carolum, Regni ſucceſſionem ſibi aſſerentem, cauſam obtinuit: tandem anno MCCCX. Bartolomæus felicem vitæ honorumque curſum abſolvit.

CLIX. DE PETRO DE BELLA PERTICA, ET JACOBO DE ARENA, ET OLDRADO.

Nec mihi reticendi ſunt Petrus de Bella Pertica Burgundus, aliis Sequanus, aliis Aurelianenſis: qui haud minus octies infortiatum, quod vocant, Toloſæ, & aliquo etiam tempore Bononiæ explicavit: atque haud imperite ſcripſit in plures juris locos anno MCCC. Et Jacobus de Arena Bononiæ, vel Toloſæ, vel, ut alii putant, Patavii profeſſus, anno MCCC. cujus opiniones ex legum mente petitas *b*) Bartolus arbitrabatur. Et Oldradus de Ponte ex Laude Pompeja, ob diſputandi acumen, Pater legum nuncupatus: cujus reſponſa non pauca imperant adhuc in foro: etſi dum viveret, adeo callide verſaretur in cauſis, ut haud raro prævaricator haberetur: quo nomine fuit a Summo Pontifice objurgatus. Etenim Oldradus Romæ docuit, ubi & in collegium lectus Advocatorum, ut vocant, Conſiſtorialium, a Joanne XXII. Pontifice ad graviora Reipublicæ negotia explicanda frequenter vocabatur. Præ ceteris vero illuſtre patrocinium coram Roberto Apuliæ Rege Thomæ defuncti Principis filio natu maximo præſtitit: cui Sancti Severini Comitatum impetravit. Demum doctior, quam honeſtior reputatus, gravi Pontificis reprehenſione perculſus, in morbum incidit, obiitque anno MCCCXCV. Avenione.

CLX. DE JACOBO DE BELVISO, ET BUTRIGARIO.

Neque omiſerim Jacobum de Belviſo Aquenſem, qui Bononiæ docuit eadem ætate, atque etiam Neapoli, ubi Feudorum libros octies explicavit. Quocum conjungere placet Jacobum Butrigarium Bononienſem, qui gloriæ ſuæ, quam doctiſ-

a) Affl. *c. 1. de ſucceſſ. Feudor. num. 28.* *b*) Bart. *in tractat. banditor. n. 11.*

Digitized by Google

ſime ſcribendo comparavit, magnum habuit incrementum Bartolum ejus diſcipulum. Docuit Jacobus Bononiæ anno MCCCXXX. de quo illud fertur haud illepidum: quod interpretatus legem, quæ communes nummos ad numeri, non materiæ rationem dividendos præcipit: ubi anum cum caniſtro ficuum prætereuntem vidiſſet, pactusque ab ea eſſet dimidium; ſingulas ſcindere ficus velle ſimulavit, ut e ſingulis dimidium ſibi auferret. Cum vero anus clamaret, ſe numerum ficuum vendidiſſe, non medietatem ſingularum: Jacobus ad auditores, qui ſecum erant, converſus: En, inquit, quam belle anus hæc explicatæ dudum legis uſum oſtendit!

CLXI. DE CINO PISTORIENSI.

Sed jam ad Cinum veniamus Piſtorienſem, cui pluribus e ſapientiæ generibus gloria parta eſt. De ſummo enim Juriſconſulto, & elegantiſſimo ſimul Poëta certant inter ſe juriſprudentia, & Poëſis, utri earum ſit adjudicandus. Verſibus ejus, quos etruſce ſcripſit, nihil venuſtius: interpretationibus vero illius in jure civili nihil ſanius, nihil preſſius. * Floruit etiam gloria diſcipulorum: quorum habuit in juriſprudentia Bartolum; in humanioribus autem literis ſocios Petrarcham, & Bocacium, & Cavalcantium, quibuscum conjunctiſſime vixit. Quorum quoque conjunctionem pictor, dum egregium factum deſcriberet Utini in Divi Nicolai Sacello, expreſſit in tabula: in qua Cinum, Petrarcham, & Bocacium, & Guidum Cavalcantium effinxit: ubi Cinus Judicis Aſſeſſorem refert; Petrarcha ſcribam; Bocacius ruſticum; Guidus vero Cavalcantius Hebræum, quibus imaginibus hiſtoria proditur illius temporis haud illepida: cujus non eſt hic referendæ locus. Morum quoque Cinus honeſtate, & lenitate commendabatur: magis profecto laudandus, niſi arrogantius in jus Pontificium invectus fuiſſet. Nollem huc temeritatis, hominem alioqui modeſtum, eſſe provectum. Adoleſcens adhuc aſſeſſoris munus apud Ludovicum Allobrogem Romanum Senatorem exercuit, & jus civile Bononiæ primum, deinde Peruſii docuit: ubi Bartolus in ejus ſeſe diſciplinam tradidit. Demum anno MCCCXXXVI. Cinus exceſſit e vita.

* Imo aliquando etiam nugatur. Cape exemplum adductum ab Ill. van Bynkershoek *ad L. Lecta c. 12. Hac reſponſione data per Dominum, ſurrexerunt ex adverſo quidam alii Baccalaurei de Schola domini Papiniani vel alii Advocati Prætoriani fori; & dixerunt: Nos dicimus contrarium, & audiatis; Dominus Paulus ſalva ſua reverentia, dixit duo falſa.* Quibus dein reſpondentem inducit Paulum, *Falſum dicitis vos, ſalva veſtra reverentia, non ego.* Aliud ex Julio Claro, *recept. ſent. L. V.* refertur a Baylio *in vita Cyni.* Cyni mortem ſuis carminibus Franciſcus Petrarcha deploravit, & accenſetur Cynus illuſtribus Italiæ poëtis a Creſcimbenio *in Iſtoria della volgar Poeſia p. 87.* Solebant autem ejus temporis JCti barbariem in ſcriptis juridicis ſæpe ſtudio affectare, ne, ſi elegantiam ſectarentur, Grammatici magis quam JCti eſſe viderentur. Exemplum *ex Conſilio LXXXIII.* Franciſci Aretini, literarum alias & Latinarum & Græcarum laude florentiſſimi, idem appoſuit Baylius *in vita Aretini. Sunt etiam,* inquit Aretinus, *multi teſtes, qui viderunt, aquam bene ire ad molendinum, & ipſum bene molere, & ſtecbariam lignaminis bene in puncto.*

CLXII.

CLXII. DE ALBERICO DE ROSATA.

Eodem ſeculo floruit Albericus de Roſata Bergomenſis, quo genere obſcurior, eo doctrina illuſtrior: qua meruit, ut a Joanne Novarienſi Epiſcopo, & Luchino Vicecomite Mediolanenſium Principe, ad Benedictum XII. Pontificem legatus mitteretur: cum in Patria, atque etiam Romæ cauſarum patrocinio diu vacaſſet. Denique, ubi ſe abduxiſſet a negotiis, præter interpretationes vocabulorum, etiam utriusque juris commentarios edidit: quo opere ſtudioſorum laborem plurimum levavit, ante quam eruditiores, & ſinceriores noſtrorum temporum explicationes ab eruditioribus Juriſconſultis prodirent. Fertur idem in Dantis Aligerii Poëma fuiſſe commentatum: ut conſuetam Juriſconſultorum ſui temporis doctrinam ſuperaſſe appareat. Demum anno MCCCLIV. migravit e vita.

CLXIII. DE ALIIS TURMATIM.

Prætereo nunc ejuſdem claſſis Juriſconſultos alios, nempe Rolandrum Placiolum, Andream Ciaffi, & Franciſcum Tigrini Piſanos; Ricardum de Malumbris Cremonenſem, Bartolomæum Butrigarium Bononienſem, ejusque cives Lambertinum, & Franciſcum Ramponi; Nicolaum Mattarellum Mutinenſem, Gulielmum a Cuneo, & Beltrandum de Monte Faventino, Joannem Fabrum Burdegalenſem, Raimerium Forolivienſem; Taddæum Pepulum Bononienſem; Signorinum Homodeum Mediolanenſem, & alios uſque ad Bartolum Cini diſcipulum, novæque claſſis Juriſconſultorum Principem.

CLXIV. DE BARTOLO.

Hic, ſi tam ſublimi e loco ſimilitudinem ducere licet, Servium Sulpicium imitatus, præ ceteris ante ſe interpretibus, dialecticorum regulis, & philoſophorum acumine juriſprudentiam inſtruxit: haud pari tamen judicio, contrarioque ſucceſſu. Nam Servius dialectica ſobrie, atque frugaliter uſus, ex ea tantum ordinem, partitionem, atque perſpicuitatem, rationemque definiendi, & ex notis ignota colligendi traduxit ad juriſprudentiam, quam & eloquentia, ſive lepore puræ, atque concinnæ dictionis, mirabiliter excoluit, effugitque dialecticorum exilitatem, & ſyrtes illas orationis: Bartolus vero, cum in ea tempora incidiſſet, in quibus omnis dicendi cogitandique ratio a ſcholarum barbarie petebatur; non modo ſpinas dialecticorum non abjecit; ſed eas conſulto ſparſit in juriſprudentiam, in eamque Arabum doctrinam effudit: quæ jampridem Europæ ſcholas veterum ſcientiarum, atque artium elegantia exutas, fœde pervagabatur. His copiis Bartolus eſt uſus immodice, tamque crebris, ac tenuibus gaudet diſtinctionibus; ut non dividat rem, ſed frangat atque comminuat: cujus deinde fruſtula, nimia ingenii jactatione, veluti vento diſſipantur: ut non mirum, ſi ſcripta illius nubila, & confragoſa negotium legentibus adeo faceſſunt, ut aliquibus videatur theutonice locutus. *a*) Quæ vitia non hominis fuere, ſed ætatis: quæ relictis puris Peripateticorum fontibus, pro iis Arabum fæcem exhauriebat. Quid minus enim Peripateti-

a) Alex. *l. miles §. decem in fin. ff. de re judic.*

cum: quam inconcinna mens, & oratio: cum, teſte Cicerone, peripatetica ſchola, in ingenii, & orationis regimine, cultuque unice verſaretur? Ætatis igitur illius ſcientiis excellens Bartolus, quo plus ingenio pollebat; eo majores ſibi aliquando, aliisque tendebat ambages. Unde ſcholam juriſprudentiæ inſtituit acutam illam quidem, & forenſibus cavillationibus percommodam; flexuoſam tamen, & ob inanem ſæpe ſubtilitatem anxiam ſane, & importunam, unde Bartolinæ ſcholæ interpretes plerumque ingenio plurimum indulgentes, exili qualibet ex affinitate diſcrepantia longe inter ſe non raro comparant, atque committunt: Contra vero ſæpe ob leve quodlibet diſcrimen ſimillima quæque diſtrahunt, & a rebus aliquando alieniſſimis vaticinando, & ariolando argumenta ducunt, inque ſententiis ferendis haud ſemper ſolent auctoritatum, atque teſtimoniorum habere delectum. Hinc non raro ſtomachum Cujacio movent, ut ſæpe in illos excandeſcat, pluribus quidem in locis, præcipue in librum quintum reſponſorum Papiniani: *a*) *Vim*, inquit, *hujus reſponſi, & poteſtatem non bene percipiunt interpretes. Inani ſermone imprudentia utuntur. Sunt verboſi, & prolixi, more ſuo, ut ſolent in re futuli eſſe multi; in difficili muti; in anguſtia diffuſi.* Sed hæc mihi tanti non ſunt: ut ſi errores damnem; Bartoli tamen, & ſuorum doctrinam, ingeniumque longe magis non admirer, quam cæti quidam illorum laudatores: qui, ut probent ſimplicioribus Bartoli ſe triviſſe libros, quos nunquam ſumſere in manus, pro illorum erroribus fama tantum, & inconſulta credulitate ducti, ratione prorſus nulla, ſed ore tantum, ac fronte dimicant, quaſi pro aris, & focis. Nec minus tamen eruditioribus interpretibus indignor: qui cum a Bartolo, ſcholaque illius multa didicerint; ubi tamen aliquod ejus peccatum animadvertunt, deſiſtere neſciunt a conviciis: inter quos præter Budæum, Duarenum, aliosque plures, Goveanus præcipue non erubeſcit Bartolum peſſimum juris interpretem appellare, miraturque illum ab iis laudari, quos ipſe Goveanus laudat. *b*) Quis vero tulerit illos, qui cum prorſus juriſprudentiam ignoraverint, ac tantum eruditioni vacaverint, & humanioribus literis; hoc ſeſe tamen veteris juriſprudentiæ vindices profitentur: quod ſciant & ipſi quoque Bartolo, ejusque diſcipulis maledicere. Quales, præter ceteros, ſunt Laurentius Valla, & Ludovicus Vives, qui barbariem quidem Bartoli omnium expoſitam oculis animadverterunt; doctrinæ vero illius, neque receſſus introſpicere, neque pondus expendere voluerunt: ignari prorſus, quanta Bartolus cum ſuis commoda juriſprudentiæ attulerint, tot ſolutis quæſtionibus quotidie in foro emergentibus: quibus dirimendis veterum ſcripta minime ſufficerent, niſi ea Bartolus, & Bartolini Juriſconſulti ratiocinando, ſimiliaque colligendo ad quotidianum uſum, & etiam ad non expreſſa produxiſſent: ita ut reddiderint quodammodo amiſſa jam, excluſaque e corpore juris veterum reſponſa conſultorum. Qua opera, & judices difficultatibus liberarunt, & reos a judicum fraudibus eripuerunt. Præſtat enim parere mortuo, quam viventi: ac tutius judices obtemperant auctoritati ſapientum, quæ affectionibus eſt expers: quam propriis animi ſenſibus, qui ſtudio perſonarum, & cauſarum, vel odio, aut gratia non raro in fraudem inducuntur. *c*) Quam his interpretibus laudem Alciatus, pro ſua ingenuitate,

a) *L. filio ff. de injuſt. rupto.*
b) *pag. 261.*
c) *L. apud Labeonem. ff. de verb. ſign.*

quam-

quamvis primus ab eorum via deflexerit, minime denegavit. Quamobrem neque Bartolum cum ſuis omni errore abſolverim, ut vulgus pragmaticorum ſolet; neque maximi ingenii, ſummique beneficii laudem eis detraxerim; neque imitabor eruditos illos, qui cum ipſi raro meliora præſtent; aliorum benefacta ob quodlibet peccatum obliviſcuntur. Natus eſt Bartolus in Umbria ex oppido, quod olim Setinum appellabatur, nunc Saxoferratum anno MCCCXIII. Patrem habuit Franciſcum Bonaccurſium: falſo enim ab aliquibus incerto patre natus traditur. Fefellit eos, quod prima literarum elementa Bartolus addidicerit a Petro Minorita, qui Venetiis pie vacabat expoſitis infantibus inſtituendis. Hic error apud aliquos hanc temere Bartolo notam impegit. Annum nondum XIII. egreſſus ad jus civile ſe ſub Cino præceptore, poſteaque ſub Jacobo Butrigario, & Reinero contulit, ſuique magnam expectationem acutis diſputationibus in ſcholis excitavit. Cum Tuderti aſſediſſet, deinde Piſis, ubi capitalibus cauſis præfuit, fertur in villam ſecedere coactus, propter invidiam, quam ſubierat, ob reum præcipiti ſententia damnatum: Proptereaque a judicando ſeſe, ad docendum tranſtuliſſe Piſas primum; deinde Peruſium, ibique & Civitate donatum. Eo in munere propter auditorum frequentiam, & admirationem ingenii, laboriſque aſſiduitatem, primas facile tulit. Mane enim, ac veſpere docendo, atque in die tredecim circiter capita juris civilis exponendo: ſingulis annis dimidiam Pandectarum partem emetiebatur. A Peruſinis publici negotii cauſa legatus ad Carolum Romanorum Imperatorem, non minus communem rem, quam privatam optime geſſit. Speciem enim tantam doctrinæ Imperatori præbuit, & virtutis; ut inter illius aſſeſſores, ſive Conſiliarios * lectus, ab eo, præter inſignia gentilitia ſibi, ſuæque familiæ

* Unde etiam confectioni Aureæ Bullæ adhibitus dicitur Thulemario *de octoviratu cap. VI. §. 15.* Sed hoc dubium, & a multis negatur primum ob imperitiam Status regni Germanici in homine Italo, tum, quod anno ante mortuus eſt Bartolus, quam aurea Bulla ederetur. Carolo IV. autem a conſiliis fuiſſe Bartolum, teſtatur gloſſa *ad conſtitutionem Henrici VII. Qui ſint rebelles*, quæ eſt inter extravagantes feudorem. De vera lectione *L. Si creditor*, Bartolus non cum Franciſco Tigrini diſputavit, ſed cum Franciſco, Accurſii filio, ut ipſe teſtatur *ad L. 3. C. de condict. ob cauſ. dat. n. 4.* qui Accurſius non ille gloſſator eſt, ſed veriſimiliter Anteceſſor Regienſis. V. Pancirolus *de claris leg. interp. II. 42.* Legem ipſam illuſtrant Strekius *in obſervationibus Anti-Criticis c. 14.* & Jacobus Gothofredus *animadv. jur. civ. c. 14.* In epitaphio ſuo apud Franciſcanos Peruſiæ anno Chriſti 1355. ætatis 46. diem obiiſſe dicitur. Adſcribuntur hi verſus:

Hic eſt Bartolus ille juris ingens
Lux & commodus explicator: hic eſt
Quem mors ante diem abſtulit maligna.
Heu mors invida & ævo iniqua noſtro!
Quæ leges iterum jacere cogis.

Sed hoc epitaphium ſeculo cultiori decimo demum ſexto poſitum videtur. Quare inde argumentum nullum duci poteſt contra Pancirolum, qui de ætate Bartoli dubitatum innuit, & ſarcophago Bartoli marmoreo nihil amplius inſcriptum memorat, quam OSSA BARTOLI. Diſciplinæ forenſis princeps librum etiam emiſit inſcriptum, *Proceſſus Satanæ contra D. virginem coram judice Jeſu.* Latinitatis, qua uſus eſt Bartolus, circumfertur memorabile exemplum, *Ruſticus quidam falconem comitis Guidonis cepit cum ſonaleis, & jectis, & ipſum captum poſuit ſub banco, dando ei beccare panem, & rapas.*

impe-

impetrata, Leonis nempe aurei, cum duplici cauda in campo crocei coloris; obtinuerit etiam, ut ſibi, ſuisque liberis liceret veniam ætatis ſcholæ ſuæ auditoribus concedere, ac ſpurios reddere legitimos, & natalibus reſtituere. Cum Franciſco Tigrini, qui eum ætate anteibat, non raro diſputavit, atque aliquando tam acerrime inter ſe conflixerunt: ut controverſiæ dirimendæ gratia Piſas miſerint inſpectum Pandectarum codicem, quo vera lectio inde referretur legis: *Si creditor, D. de diſtractione pignorum:* Cum Bartolus *nullam eſſe venditionem:* Alter vero *nullam eſſe conventionem* legendum contenderet. Quam controverſiam inter Bartolum, & Baldum exortam eſſe, aliqui perperam tradiderunt. Non tamen ſimultates adeo graves ob ingenii gloriam inter Bartolum, & Tigrinum interceſſerunt; ut amicitiam prorſus diſtraxerint. Non enim deſunt, qui retulerint, Bartolum acerrimo quamvis ingenio; tamen propter labilem fluxamque memoriam, legibus, & auctoritatibus a Tigrino acceptis cogitata ſua comprobaſſe. Plura etiam ejuſdem Tigrini, & egregie ſcripta Bartolus, ordine mutato, ſuppreſſoque auctoris nomine, in ſuos contuliſſe commentarios, traditur. Laudem ſcriptis ſuis eo eſt majorem aſſecutus, quod rem in univerſum explicatam, poſtea trahit ad uſum, lectoresque de ſchola traducit ad forum: ita ut ſcientiam cum utilitate mire conjunxerit. Adeo vero diſcendi cupiditate rapiebatur, ut ederet, ac biberet ad pondus: quo ingenii æquabilitatem, ac mentis ad ſtudia firmitatem conſervaret. Unde nihil eorum Bartolum latuit, quæ ſua ferebat ætas. Nam præter juriſprudentiam, Hebraicis etiam literis, & Geometriæ operam dedit: de qua lucem ad jus civile illuſtrandum elicuit, in opuſculo de fluminibus, quam Tiberiadem appellavit. Vir frugi fuit, & integer: & quia honeſtis artibus lucrum quærebat, haud ſibi magnas peperit facultates. Filios ex Pellina uxore ſuſcepit duos, filias quatuor. Demum anno MCCCLV. abſceſſit e vivis, annos natus circiter XLIII. Eo majori apud poſteros gloria, quod plurium ſeculorum labores ævo tam brevi concluſit. Neque viro de jure civili optime merenti fuit ingrata poſteritas. Haud ſcio enim an plus antiquitas tribuerit Papiniano, quam noſtrates Bartolo: cujus omnibus fere tribunalibus auctoritas imperat; præcipue apud Hiſpanos: apud quos ea ſententia vincit, a qua Bartolus ſtetit. Imo ubi deeſt lex, illius vice Bartolus conſulitur. Hinc crebra, & vulgata illa de Bartolo, frementibus eruditis, nempe, *Speculum, & Lucerna juris; virtus juris; Dux univerſorum; robur veritatis; Auriga optimus; Apollo Pythius; Apollinis oraculum; ac modo Pater, modo Magiſter, modo lumen humani juris appellatur.*

CLXV. DE BALDO, ET FRATRIBUS.

Hujus gloriæ non parum acceſſit ex Baldo diſcipulo: quo abſente Bartolus videbatur ſibi carere auditoribus, ideoque ſine Baldo Bartoli ſchola conglaciabat. Etenim tantum ille huic uni diſcipulo tribuebat, ut Baldo adhuc puero ſæpe aliquid objiciente; *a*) Bartolus ad reſpondendum tempus petere non erubeſceret. Hinc diſcipulus tandem evaſit æmulus, & etiam in certamine, ac quinque horarum diſputatione victor. Quæ tamen æmulatio, ut mea fert opinio, ingenii potius

a) Caſtrenſ. *in L. ſi inſtit. 17. §. de Teſtamento ult. ff. de inoff. teſtam.*

Baldo,

Baldo, quam virtutis laudem promeretur. Quid enim inhumanius, quam carpere ubique occaſione data magiſtrum, ut ſolet Baldus? Diſcordia tamen ingenia dum viverent, poſt mortem concors hominum admiratio comitatur: hoc enim eſt commune in omni foro judicium, ut ibi conſediſſe veritas exiſtimetur, quo concors utriusque ſententia convenerit. *a*) Hujus tamen petulantiæ graviſſimas pœnas Baldus dedit. Ex frequentibus enim rixis cum præceptore, orta eſt fabula, & commentum illud putidum, quod forenſes nebulones imbiberunt, de Baldo publice flagellis cæſo, propter corruptos omnes Pandectarum, qui Peruſii erant, codices * in lege *Si Creditor*, *D. de diſtractione pignorum:* ut adulteratæ lectionis teſtimonio Bartolum confutaret: cum eam contentionem, uti diximus, non cum Baldo Bartolus habuerit, ſed cum Franciſco Tigrini; ut optimis relationibus oſtendit Lancellottus, *b*) ſelectioris notæ Juriſconſultus. Natus eſt Baldus Peruſii ex Franciſco Ubaldo medico, egregiæ prolis parente feliciſſimo: ſiquidem, præter Baldum, genuit etiam Angelum, & Petrum Juriſconſultos ſcriptis non incelebres, & Baldo fratre minime indignos. Annum iniens Baldus decimum ſeptimum admirationi fuit omnibus, ſubtili explicatione legis *centum Capuæ*, *D. de eo quod certo loco.* Docuit primo in Patria, ubi Petrum Belfortem Cardinalem in jure civili erudiendum, atque ad maxima negotia inſtituendum accepit. Deinde Ticinum ad idem munus ampliſſimis ſtipendiis arceſſitus: ubi cum ſe auditoribus nominis ejus celebritate ſuſpenſis oſtendit: quia ſtatura puſillus erat, continuo exclamatum eſt, *minuit præſentia famam:* Ipſe vero minime deterritus, confeſtim excepit: *Augebit cetera virtus.* Cum ibi Philippus Caſſolus, qui ſatis glorioſe *Doctorum Doctor* appellabatur, more veterum Sophiſtarum, prodiiſſet in medium, quæſtionibusque omnibus de ultimis voluntatibus ex tempore ſe reſponſurum obtuliſſet; Baldus, ut hominis petulantiam reprimeret, rogavit ubi cautum eſſet in jure, ut ſubſtitutio vulgaris in legato facta non comprehendat, niſi caſum, quo noluerit, vel potuerit. Hærenti Philippo Baldus ei oſtendit legem *Pater Severinam*, *D. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Ad quem locum hanc enarrationem Caſtrenſis attexuit. Ingenio autem Baldus tam prompto fuit, ut vel legem, quæ de

a) Tiraq. *de retract. convent.* §. 4. *gloſſ.* 6. *num.* 12.

* Damnatum ſed nihilominus dein abſolutum narrat Joannes Neviſanus. *L. IV. n.* 25. *ſylvæ ſuæ nuptialis* apud Baylium *in vita Baldi*, ipſo intercedente Bartolo, utenteque argumento *L. ad beſtias* 31. *D. de pœnis*, in qua artificio damnatorum aliquid datur. Sed Pancirolus rem totam figmentis annumerat, & ex eodem genere eſt alloquium Bartoli ad Baldum quadragenarium ſcholam ejus intrantem: *Tarde veniſti Balde*, & hujus reſponſum, *Citius recedam*, vel *ſero venis Balde, eris advocatus in alio ſeculo.* Adoleſcens enim quindecim annos natus Bartolo tam argute contradixit, ut ille tempus ad reſpondendum petierit, quod tamen ſemel, non ſæpe factum, Pancirolus teſtatur. Si vera eſſent, quæ Neviſanus narrat, ex duplici capite damnanda Baldi memoria eſſet. Non enim ingratus tantum videretur in Bartolum, quem ubivis in ſcriptis ſuis inſectatur ut præceptorem, ſed etiam immemor patrocinii, quo formidini flagellorum ereptus fuerat. Bartolus autem eo majori animi magnitudine uſus videretur, quod defenſionem ejus ſuſcepiſſet, qui codices in necem ipſius corrupiſſet.

b) *In vita Bartoli.*

muſcis, & veſpis loqueretur, petentibus obtulerit. Interrogatus ab Epiſcopo Ticinenſi, cur leges tam facile, ac toties mutarentur: ille retulit, legislatores, medicorum inſtar, pro temporibus remedia parare: id enim eſſe juſtum, quod temporibus conveniret; & propterea, quæ in pace vetantur, in bello licere. Ticinenſium ſtatuta ſolus publico juſſu condidit: omniumque conſenſu cautum eſt, ut nemo ſine Baldo auſpice doctoratus, ut vocant, lauream caperet. Opum fuit haut minus, quam doctrinæ cupidus. Quas adeo magnas tum e ſchola, tum etiam e foro collegit: ut ex ſolis ſubſtitutionum litibus quindecim millia contraxerit aureorum, ſive ſcutorum, *a*) ut vocant, præter ea, quæ ex criminum cauſis, & ex contractibus adjecit. Mentis ejus magis acumen laudatur, quam conſtantia: ſæpe enim ingenii æſtu a veritate, atque etiam ſemetipſo abreptus, ſibi repugnat: ut Baldo ſubtilitas; Bartolo vero ſententiarum veritas, & judicii firmitas tribuatur. Etenim illius ingenium rapidum; hujus frugale: Ille argutior; hic ſanior. Ille ad diſputandum; hic ad judicandum utilior. Forenſis enim exercitatio Baldum quo magis exacuit; ita longius aliquando avexit a vero. Ita ut in Baldo ambitionem, & avaritiam olfacias; in Bartolo vero ſolius juſtitiæ cultum admireris. Unde Baldus opulentiſſimus, Bartolus inops. Ambitio vero Baldi, cupidoque gloriæ ſtudiis poſterorum plurimum contulit: vix enim ullus eſt divini, aut humani juris locus ingenio illius non exploratus: neque pars ulla juris, aut civilis, Pontificii, aut feudalis illi non experta. Vultu fuit hilari, colloquioque grato. In pauperes erat adeo munificus, ut eis turmatim convocatis, jus & carnes bovillas ſæpe objiceret. Mortem tamen obiit viro graviſſimo indignam. Dum enim rabido catello, quem in deliciis habebat, abblandiretur, imprudens labii morſu venenum hauſit: quo in venas manante, lucem tremebundus reliquit Kalendis Majis anno MCCCCIV. Zenobio Tipherni Epiſcopo, & Franciſco filiis, utriuſque Juriſconſultis, ſuperſtitibus.

CLXVI. DE PAULLO CASTRENSI.

Proximum Baldo locum damus Paullo Caſtrenſi e Faliſcis, quem aliqui anteponunt ipſi Baldo, cui Paullus diſcipulus fuit, & amanuenſis: quippe pauperrimus, & genere tam obſcuro; ut ne familiæ quidem nomen prætulerit, humilique ſervitio victum, & doctrinam ſibi paraverit. Nam ſimul cum Baldi liberis aſſidebat in ſchola, domumque reverſus magiſtri verba, ne ſibi exciderent, ſtatim ſcriptis mandabat. *b*) Anxit vero illi, ut ſæpe aliis, ſcientiam egeſtas. Cum enim pecunia careret ad emendos commentarios, coactus eſt omne tempus in ipſarum lectione legum ponere: cujus aſſiduitate ſtudii, ad priſcæ, ac germanæ ſapientiæ integritatem aſſuefecit ingenium. Hinc ſcripta illius, præ aliis, veterem diſciplinæ candorem, ac veritatem arripuerunt: quem nobis fructum ingens voluminum in diem increbreſcentium, ac mentis libertatem irretientium ſtrues intercipit. Avenione de prorogatione juriſdictionis Paullus adeo diſputavit egregie; ut ea fama excitatus Cardinalis Zabarella Florentinus Archiepiſcopus, vicariam Paullo aſ-

a) Cuman. *ex Alex. in rubric. ff. de vulgar. & pupill.*

b) *Caſtrenſ. L. 1. §. aditio in fin. ff. de edendo & in L. 2. §. ult.*

ſeſſori

feſſori ſuo poteſtatem exercendam tradiderit Florentiæ: ubi cum jus doceret, Senatum compoſuit, & ſtatuta. Inde Senas primo, deinde Bononiam ad idem ſe munus, ac poſtremo Patavium contulit, ibidemque annis confectus mortem oppetiit anno MCCCCXX. omnium æſtimatione ipſius Bartoli loco dignus.

CLXVII. DE ALEXANDRO TARTAGNO.

Is Alexandro Tartagno Imolenſi doctrinam juris tradidit. *a*) Paullum enim audiſſe Alexander dicitur, præter Joannem Imolenſem, & Joannem ab Anania, Ludovicum Romanum, & Caſparem Arengherium in Bononienſi ſchola doctorem. Doctrinæ illius fama undique percurrens, urbes plurimas ad cupiditatem hominis excivit. Igitur Ferrariæ primum, deinde Patavii docuit, ubi Bartolomæum Cœpollam acerrimum doctrinæ, ac dignitatis competitorem conſtantiſſime toleravit. Illinc Ticinum, ac poſtremo Bononiam ad jus civile docendum conceſſit: ubi æmulum expertus eſt Andream Barbatium, minorem quidem doctrina; memoria vero, quæ maxime ad plauſum popularem valet, longe præſtantiorem. Cui tamen facultati Alexander ſuccurrebat aſſidua ſcriptione, quam adeo neceſſariam ſtudioſis exiſtimabat; ut interrogatus, quomodo adoleſcens proficere poſſet, reſponderit: ſi vapularet, quotiescunque ſine calamo adminiſtro libros evolvere deprehenderetur. Scientiæ magis, quam lucri fuit appetens, ideoque in ore ſemper habebat iſtud, *legibus vacavi, ut ſcirem, non ut eas venderem.* Vir præterea gravis erat, & cavillationum oſor, ingenioque recto, ac ſimplici: ut merito veritatis pater appellaretur: & quamvis modeſtia eſſet inſignis, ea tamen haud potuit abs ſe deflectere imminentem ſemper doctrinæ maledicentiam. Nec enim deerant, qui Sophiſtam eum vocarent, & ingenio verſatili: quod leges pretio figeret, atque refigeret. Obiit anno MCCCCLXXXVII. annos natus tres & quinquaginta: quorum triginta docendo tranſegit.

CLXVIII. DE JASONE MAYNO.

Hæredem is doctrinæ reliquit Jaſonem Maynum auditorem ſuum, quo non ullus felicius, e turpiſſimis moribus, & natalibus ad ſplendorem, & dignitatem, per ſtudia literarum emerſit. Suſceptus eſt enim e concubina, dum pater ejus Andreonus Maynus Mediolanenſis Piſauri exularet. Jaſon autem ad literas addiſcendas miſſus, quod injuſtis eſſet natalibus, ideoque negligentius, atque aſperius tractaretur, perdite ac diſſolute vivendo alea, & luxuria peſſum ſe, ſuaque omnia dedit: ut paſſus fuerit etiam venum ire legum libros, in pretioſis membranis deſcriptos. Cumque ob ſummam inopiam ſorderet omnibus, inſperato ad meliorem frugem venit: ut non juriſprudentiæ modo, ſed & humanioribus literis vacaverit, delibata etiam poëtice: dignusque fuerit, qui a Ludovico Sfortia legatus ad Alexandrum VI. Pontificem, una cum aliis mitteretur: inter quos ipſe orandi munus obivit. Quas etiam partes egit in Maximiliani nuptiis: unde Palatina, & equeſtri dignitate, Cæſarisque patriciatu decoratus in Patriam ſe recepit. Ubi cum

a) Hieron. Prævidell. *de peſte part. ult. cap. 21.*

Digitized by Google

Ludovicus Sfortia Mediolanenſium Dux crearetur, aliam orationem ſummo plauſu recitavit: eaque meruit, ut in Senatores, patriciosque referretur. Juris autem profeſſionem ad tantam exiſtimationem dignitatemque perduxit, ut primus ad docendum pretio mille aureorum, ſive ducatorum, ut vocant, conduceretur: unusque meruerit, ſummum Galliarum Regem, Ludovicum nempe XII. una cum quinque Cardinalibus, qui eum affectabantur, auditorem habere. Quibus Ticini gymnaſium ingredientibus, Jaſon præibat juſſu ipſius Regis: qui eo in loco præceptorem Regi antecellere dicebat. Ibi Jaſon ampliſſima diſputatione docuit, equeſtrem dignitatem ob militarem virtutem a Principe acceptam tranſire ad liberos. Propter hanc autem ingenii gloriam Caſtello fuit ab Rege donatus. Quod ſibi a Præfecto Regiæ Domus poſtea ereptum, ne Regiarum quidem literarum auctoritate unquam recipere potuit: nuncius enim ab eo ad res repetendas cum literis miſſus, calcibus humi proſtratus fuit, ſparſis ad terram, & conculcatis literis. Cum Franciſco Curtio graves inimicitias Jaſon ſuſcepit: ſed cum Philippo Decio longe graviores: cum quo ſæpe ventum eſt ad manus: ut & lapidibus invicem ſe petierint. Ejus interpretandi ratio perſpicuitate, atque ordine, itemque ubertate plurimum pollet. Auxere Jaſonis commentarios etiam Bartholomæi Soccini, & Caroli Ruini labores: quos magno ſtudio, & mercede conquiſitos ſibi veritus non eſt Jaſon adſcribere. Opibus tandem, & honoribus cumulatus, obiit anno MDXIX. ætatis vero ſuæ octogeſimo quarto, cum jam, ut fertur, ſenio deſipuiſſet. Atque is mihi ſit, pro inſtituto opere, Bartolinæ juriſprudentiæ poſtremus: tum quod omnes recenſere peculiaris eſſet operis ab aliis egregie præſtiti; tum quod Alciati judicio, hiſce auctoribus forenſis doctrina, & hoc juriſprudentiæ genus abſolvitur: quemadmodum ille hoc eleganti epigrammate docuit:

In jure primas comparatus ceteris
Partes habebit Bartolus.
Deciſiones ob frequentes, actio
Baldum forenſis ſuſtinet.
Non negligenda maxime eſt tyronibus
Caſtrenſis explanatio.
Opinionum tutius Symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Jaſon, atque lucis nomine
Videndus eſt properantibus.
His ſi quis alios addidit interpretes,
Onerat quam honorat is magis.

CLXIX. DE SALICETO, FULGOSIO, CUMANO, CASTILIONEO, COEPOLLA, RUINO, RIMINALDIS, CURTIIS, DECIIS, NICOLAO SPINELLO.

Ac mihi, ſi ex tanta ingenioſorum interpretum turba, quam ſilentio præterimus, alterius ordinis deſcribendi negotium daretur; fidenter legerim Bartholomæum Salicetum Bononienſem, factionibus, & exilio clarum; Raphaëlem Fulgoſium Placentinum, cujus ingenium in Conſtantienſi Concilio eluxit, ejusque ſocium,

Digitized by Google

ſocium, & æqualem Raphaëlem alterum Cumanum, ſeu Comenſem, atque utriuſque iſtorum præceptorem Chriſtophorum Caſtilioneum Mediolanenſem Baldi auditorem, & antagoniſtam: per quem ſubtilior juriſprudentia reſilire & ſincerior juris ratio imperare auctoritati cœpit. Cujus ingenioſa ſane ſcripta, & judicii ſelectioris, diviſiſſe inter ſe Raphaëles duo, ac ſuppreſſo magiſtri nomine ſibi adſcripſiſſe feruntur. Adderem his Bartholomæum Cœpollam legum captatorem vaferrimum, & Bartholomæum Soccinum Senenſem ſummi acuminis juriſconſultum, & latinis, græcisque florentem literis; quicum & Marianum, ex eadem familia, conjunxerim: & denique Ruinum, Riminaldos, Curtios, Decios, & quem tum ob antiquitatem, tum ob doctrinæ, ac generis nobilitatem, piaculum eſſet præterire Nicolaum Spinellum Neapolitanum, qui ſua in patria, & Patavii, ſumma celebritate, docuit, anno MCCCL. ubi & Fulgoſium habuit auditorem. Ille vero ad ſumma Neapolitani Regni negotia per Joannam Reginam adhibitus, ab eademque ad Urbanum II. legatus, ingentibus perſunctus honoribus, obiit anno MCCCXXC. ſuperſtitibus liberis Luca natu majori, & Belforte Catanenſi Epiſcopo: per quem collegium bonarum artium, quod Spinellorum dicitur, Patavii fuit inſtitutum. Atque hi omnes ab Irnerio uſque ad Alciatum explicandi ratione uſi ſunt utili quidem illa, & peracuta; ſed non ubique vera: nam ubi non tam ingenii vires proficiunt, quam lectio veterum, & morum temporumque cognitio, notitiaque ſermonis abſtruſior; hærent ipſi miſere, ac ſæpe labuntur: etſi aliquando audaci conjectura freti; divinatione potius, quam arte rem conſequantur. Stylo præterea utuntur illorum temporum inquinato, & barbaro; a cujus tamen lectione, ob rationum acumen, & rerum ubertatem, viri maturioris judicii minime abhorrent: imo vanitatem rident eorum, qui non tam eruditione propria, quam ineruditorum interpretum contemtu, atque faſtidio ſe profitentur eruditos.

CLXX. DE ALCIATO, ET SANCTIORI JURISPRUDENTIA, SIVE DE CUJACIANA SCHOLA.

Verum ſub idem tempus, quo in Italiam, indeque in Europam univerſam ſtudia bonarum artium, & priſca elegantia divinitus remeabant; dum præcinente Valla, Politianus, Parrhaſius, Bembus, Eraſmus, aliique complures vetuſta ſecula tenebris obducta recludunt; dum inde artes omnes priſtinum nitorem recipiunt; juriſprudentia quoque Alciati manu ex humo ſublata, oculos ad primordia ſua reflectens, vetera ornamenta, nativamque dignitatem a priſcis repetiit auctoribus. Cumque Alciati diſcipuli ex Gallia, & Italia univerſa conſpirarent; eorum præſidio juriſprudentia ſe in primæva eruditione, atque elegantia collocavit. Quæque in Irnerii, Accurſii, & Bartoli ſcholis vires exeruerat, retenta rubigine: cultu eruditorum, & induſtria literarum elegantiorum exuit barbariem, & nativam explicuit venuſtatem; tum præſertim, cum ad nos expugnata Conſtantinopoli, Baſilicorum libri, Græcique pervenere legum interpretes: apud quos latina juris eruditio cum Imperii Romani reliquiis manſerat incorruptior. Romana enim antiquitas, cujus lumen ab Italia dominatio barbarorum excluſerat, in Græcis juriſprudentiæ ſcholis, uſque ad recens Conſtantinopolis excidium vixit, uſu atque aſſiduitate Juris civilis. Quam deinde antiquitatem Græcorum eruditiſſimi, a vi

hoſtium ad nos confugientes, in maternum Italiæ ſinum retulerunt, ſimul cum libris Baſilicorum illinc abductis, atque deinde in Galliam translatis: ubi poſtquam eos Cujacius diu triviſſet, vimque illorum expreſſiſſet, publicam tandem reſpexere lucem. Suſtulerant ſane ante Alciatum animos Caſtilioneus, ejusque diſcipuli Cumanus, atque Fulgoſius: qui explicando jure, non raro a vulgarium interpretum via deflectebant. Verum occupatis auctoritate animis, eorum opiniones, etſi antiquitati proximiores, tamen propter ſuſpicionem novitatis, continuo rejiciebantur, antequam eſſent expenſæ: donec Alciatus, ſtudio vetuſtatis, teſtimoniisque ſincerioribus, & eruditionis fide, vulgaribus interpretibus non raro redargutis; auditores ſuos ad novum genus interpretandi traduxit. Natus eſt Alciatus Mediolani, patre opulento, nulloque matris parturientis dolore. Cum puer Ticini Jaſonem, Bononiæ vero Carolum Ruinum audiſſet, græcas, & latinas literas juri civili adjungendo, annum vix attingens XXII. frementibus barbaris; doctioribus vero novum juriſprudentiæ nitorem admirantibus, diſpunctionum libros edidit, & paradoxorum. Docuit primo Ticini, deinde ab oblatratoribus, ob quos ſtomachabatur, in fugam actus, conceſſit in Galliam: atque initio Avenione, poſtea Biturigibus jus explicavit, ea auditorum frequentia, eaque felicitate, ut a munificentiſſimo Regum, Franciſco Primo, annuam MCC. ſcutatorum, quæ vocant, mercedem acceperit, & a Regis filio natu maximo, numiſma CCCC. ſcutatorum poteſtate: quod urbis Cives ei Principi obtulerant in futuræ dominationis obſequium. Sed eadem gloria, qua in Gallia florebat, Alciatum extra Galliam traxit. Etenim Franciſcus Maria Mediolanenſium Dux hominis ſibi ſubjecti virtutem optans habere præſentem, interminata publicatione bonorum, niſi pareret, pari quo in Gallia fruebatur ſtipendio conſtituto, Alciatum ad Ticinenſe gymnaſium revocavit: unde bellorum fluctibus una cum literarum ſtudiis bis ejectus, primo eadem mercede Bononiæ; poſtea Ferrariæ, ſtipendio ampliori, docuit, aureorum ſcilicet ſcutatorum ex præſenti æſtimatione MCCCL. Per id tempus, cum Paulus III. Pontifex Urbes Eccleſiæ peragraret, ceptus Alcitati doctrina, hominem ad Eccleſiaſticos honores capeſſendos hortabatur. Ille vero docendi munus dignitatibus anteponens, in ſolo ſe Protonotariatu continuit. Adeo autem ſummi Principes erga illum certabant honoribus; ut reverſus Ticinum Mediolani a Cæſare Senatoriam, & Palatinam dignitatem; a Philippo vero Rege Ticinum adeunte aurei torquis honorem retulerit. In cauſarum reſponſis veterum gravitatem tenuit ſimul, & modum: longeque parcius auditorum objectionibus reſpondebat. Pomœridianas horas non raro in Poëtarum, & hiſtoriarum lectione; ſæpe vero in alea, præſertim æſtate, collocabat. Gula tandem, & cibo abundantiori mortem ſibi arceſſivit immaturam, anno MDL. ætatis vero ſuæ LVIII. Cui defuncto, præter ſcripta celeberrima, non parum adjecit gloriæ Franciſci gentilis ſui ab ipſo in jure civili, & in elegantioribus artibus inſtituti, virtus, & virtuti tributa Cardinalatus dignitas: poſtquam docendi munus ab Andrea ſibi traditum, laudabiliter exercuiſſet, & e ſua diſciplina emiſiſſet Cardinalem Borromæum, a quo Romam fuit evocatus. *

* Reprehenditur a Baylio inconſtantia Alciati, qua Ticino Avenionem, Avenione Bituriges, Biturigibus iterum Ticinum, Ticino Bononiam, Bononia Ferrariam, Ferra-

CLXXI. DE ÆMILIO FERRETTO.

Præter Alciatum cultioris juriſprudentiæ diluculum, ejuſdem doctrinæ ſplendorem in Galliam attulit Æmilius Ferrettus Etruſcus Ravenna oriundus, ex pervetuſta familia: cujus nulla fere vitæ pars honoribus præmiisque vacavit. Poſtquam enim Piſis Philippum Decium, & Camillum Petruccium Senenſem audivit, Cardinali Salviato Florentino primum, poſtea vero Leoni X. fuit a ſecretis. Quo munere ſponte abdicato, ad bellum profectus, dum e Lautreci exercitu inſelici clade profligato rediret, ab Hiſpanis capitur, ac ſexcentis aureis redemtus a fratre, Valentiam ad jus civile docendum conceſſit: unde a Franciſco I. accitus, & inter Pariſienſes Senatores lectus, plures, atque honorificas obiit Regis juſſu legationes, ad Venetos nempe, ad Florentinos, & ad Cæſarem. * Quibus egregie geſtis, in Galliam redux, Avenione jus civile docuit, uſque ad annum MDLII. qui ſuæ fuit ætatis ſexageſimus tertius, & extremus. Tantaque populorum gratia, & amore docuit; ut cum ſucceſſor ejus Cravetta defuncti famam orationis initio carperet, ſtrepitu atque tumultu, non modo ſchola, ſed etiam Urbe fuerit expulſus.

CLXXII. DE GOVEANO.

Ex hujus conſultiſſimi ſimul, & eloquentiſſimi hominis diſciplina ortus eſt nobis Antonius Goveanus: qui Ferrettum in fine libri *de jure accreſcendi* parentem ſuum alterum appellat. Natus eſt Goveanus in Luſitania, educatus in Gallia, omnibusque bonis artibus excultus: ut unus Ariſtotelis patrocinium viriliter ſuſceperit adverſus Petrum Ramum, publice bellum indicentem ſcholæ Peripateticæ, noſtris his temporibus jam delabentis; allato in forum Græco ejus philoſophi exemplari. Ingenium habuit varium & velox, * ut rerum ab eo tum in philoſophia, tum

ria tertio Ticinum commigraverit, totiesque domicilium mutaverit docendi cauſſa, exſtinctus intra ætatis annum ſexageſimum. Verum Ticini primum Alciatus ab obtrectatoribus ſolum vertere coactus, eodemque dein a Duce Sfortzia Biturigibus ſub interminatione publicationis bonorum revocatus eſt, indeque bis bellorum fluctibus ejectus primo Bononiæ, tum Ferrariæ conſederat. Idem Alciatus plerisque etiam Collegis ſuis inviſus erat. Sed premebat eum invidia hominum innutritorum barbariei Bartoli, qui primum ferre nequibant genus dicendi cultius, ſimulque Alciato ingentem numerum ſtudioſorum, qui eum ſequebantur, & eximia rei familiaris incrementa invidebant. Philippus Rex torquem Alciato offerens, tum adhuc princeps juventutis erat. Poſtea enim A. 1556. demum Regno ex abdicatione Caroli patris admotus fuit.

* Quem & in Africam eſt ſecutus, cum Carolus expeditionem illic parans inſtructa claſſe, Carthaginem navigaret. Catharinus Pobellus *in vita Ferretti, inter vitas Clariſſ. JCtorum, editas a Budero. Opera Ferretti Francofurti* junctim *edidit* Zacharias Palthenius *A. 1598. 4.* Qua tamen collectione non continetur liber ejus inſcriptus *Everriculum Bartoli* in quo refellebat, quæ in Bartoli ſcriptis minus ei toleranda videbantur.

** Adeo ut etiam Atheiſmi accuſaretur, quam criminationem diſerta oratione diluit. Eundem etiam Calvinus in tractatu *de ſcandalis Agrippæ*, Villanovano, Doleto & Rabbelæſio aggregat, qui quantum ad animæ vitam attinet, nihil a canibus & por-

in humanioribus literis, tum in Jure civili agitatarum finem ante initium animadverteres. Neque ullum fuit involucrum, unde non ſe celeriter, ac feliciter expediret. Hinc brevi ſpatio, quo juri civili vacavit, acuta, & ſolida protulit multa: dum paucis annis in pluribus Galliæ gymnaſiis, Cadurci nempe, Valentiæ, Toloſæ, Gratianopoli magna celebritate doceret. A quo cum ille ſe munere contuliſſet in aulam apud Allobrogum Ducem, cujus in conſilium lectus fuerat, & magiſter libellorum creatus, Taurinis deceſſiſſe fertur, nondum ſexagenarius. Ad cujus laudem id eſſet ſatis, quod tam exiguis, paucisque libellis meruerit, ut ab Antonio Fabro cum Cujacio conferretur. Qua in contentione Faber diligentiam, copiam, laborem Cujacio: Goveano vero acumen, atque ingenii præſtantiam attribuit. Verum quod omnium ante ſe interpretum laudem, & ſpem poſterorum exuperat, Cujacius ipſe principem inter Juriſconſultos locum ſibi uni debitum, Goveano concedere non dubitavit, hiſce ſane honorificentiſſimis verbis, utque mea fert opinio, in ipſum Cujacium tantummodo congruentibus: a) *Antonius*, inquit, *Goveanus, cui ex omnibus quotquot ſunt, aut fuerunt Juſtinianei juris interpretibus ſi quæramus quis unus excellat, palma deferenda eſt.* Sed vereor candide ne, an odio aliorum hunc adeo extollat Cujacius; an potius ambitione quadam, ut nimirum intelligamus interpretes omnes ſub jugum abs ſe miſſos, qui Goveanum, omnium, ſuo judicio, victorem communi ceterorum judicio vicit. Quamvis enim ingenio præcelluerit Goveanus, tamen ſcriptorum paucitate nemo latiorem locum Cujacio reliquit, in quo exultaret. Hinc non mirum, ſi eum ſibi Cujacius præferat, qui ſecum rarius concurrit. Nobis certe, ut præ ceteris acutus, & in explicando perbrevis, & expeditus Goveanus; ita & in reprehenſione veterum, quibus vel invitus multum ipſe debet, ingratus videtur, & immoderatior.

CLXXIII. DE BUDÆO.

Proprio vero marte in jure civili Budæus profecit, emendator magis librorum juris, quam interpres: nec tam legum, quam eruditionis earum doctor. Non alium enim ſe præſtat in ſuis ad Pandectas annotationibus: ubi neſcio cur homo graviſſimus adeo ſibi indulgeat, & blandiatur in Accurſianis interpretibus reprehendendis, a quibus ſcientia vincitur; quamvis eruditione pro temporum conditione vincantur. Natus eſt Budæus Lutetiæ illuſtri loco. Is prima adoleſcentia in venationibus, otioque traducta, reliquum vitæ adeo ſtudiis literarum occupavit, ut neque labori, neque ſumtui pepercerit; ſæpeque morbum incurrerit, & vitæ periculum. Ab Laſcare, qui tum erat in Gallia, ſelectiorem græcæ linguæ notitiam accepit, ea progreſſus celeritate, ut exemplo Apollonii; qui Cicerone græce orante

cis putaverit ſe differre. Eodem colſineat epigramma *in Scaligeranis:*

Antoni Goveane, tua hæc Marana propago,
In Cælo & cellis non putat eſſe Deum.

Oppoſitum diſticho, quo conſiliario cuidam illuſerat:

Dum tonat, in cellas propero pede Vallius imas
Confugit, in cellis non putat eſſe Deum.

Vide Baylium *in visa Andreæ Goveani*. Opera Goveani *junctim edita Lugduni 1564. f.* & *ibidem 1599. in f. & 8.*

a) *Tit. 0. in frag. Ulp. ver. nec intereſt.*

græcam

græcam eloquentiam ad Romanos translatam lugebat; etiam Laſcares eam ſibi a Gallis ereptam quereretur. Cujus linguæ ſacrarium eruditiſſimis commentariis Budæus poſteritati reſeravit. Nec minori utilitate pandit rem nummariam eruditiſſimis de aſſe libris: quorum cauſa diu de inventionis laude certavit cum Leonardo Portio Italo: qui eodem tempore idem argumentum tractarat egregie. Quæ diſſenſio, utpote hominum humaniſſimorum, per Laſcarem interpretem facile in concordiam, imo & in mutuam benevolentiam eſt redacta. Gallis regibus in graviſſimis legationibus laudabilem operam præſtitit: ſed poſt reditum, cum in exoptatam ſolitudinem, ſtudiorumque ſuorum portum ſe recepiſſet; Franciſci I. benevolentia fuit in aulam revocatus, atque ab eodem Regiæ Bibliothecæ præfectus, & magiſter libellorum creatus, ingenti, ac nova ſignificatione honoris. Miſit enim ei demum libellorum faſciculum: quo ejus muneris poſſeſſio tradita intelligeretur. Tandem cum eſſet in comitatu Regio, ad oram maritimam, æſtuoſi aëris inclementia, non ſine omnium lacrymis, vitam reliquit, uxore ſuperſtite, atque undecim liberis; virilis quidem ſexus ſeptem; & muliebris quatuor, ſeptuageſimo ætatis anno; a Chriſto vero nato MDXL. Sed aliquantiſper in Hiſpaniam concedamus, paullo poſt in Galliam redituri.

CLXXIV. DE ANTONIO AUGUSTINO.

Hiſpania vetus Romanæ fortunæ ſocia, ſicuti civium virtute, ac fide militiam Romanorum diu munivit; ita & recentioribus temporibus eorundem fulſit leges per Antonium Auguſtinum: qui ſuis emendationum * libris a civili, & pontificio jure labes abſterſit, commentariisque rerum antiquarum Romæ veteris imaginem poſteris aperuit.

Natus eſt Auguſtinus illuſtribus majoribus Cæſareæ Auguſtæ Celtiberorum, humanasque literas Compluti didicit, & juris civilis primordia Salmanticæ. Uberiorem vero juris doctrinam accepit Bononiæ a ſummo Juriſconſulto Joanne Paullo Pariſio Conſentino, & Alciato; Patavii a Mariano Soccino. Unde Florentiam profectus, Pandectas Piſanas luſtraturus, Romam ſe contulit: ubi primo, Hiſpanorum nomine, lectus in Collegium Duodecemvirorum litibus judicandis, quos Rotæ auditores vocant; poſteaque Bononiam legatus, ut Regiis Philippi Regis Hiſpaniarum, & Mariæ Angliæ nuptiis intereſſet; indeque Romam reverſus, & Alliſanus Epiſcopus creatus; rurſus, juſſu Pontificis, proſpero ſucceſſu, ad Ferdinandum Cæſarem legationem ſuſcepit. Inde Sicilienſi cenſura, juſſu Regio, perfun-

* Omiſſa mentio *dialogorum* Antonii Auguſtini *de emendatione Gratiani, qui Terraconæ primum editi 1587. 4to. dein Pariſiis cum notis Baluzii, & tandem Duisburgi, cum notis ejuſdem & Maſtrichti typis repetiti fuerunt*, dignique ſunt, qui in theſauro juris Canonici familiam ducunt, ut in theſauro Juris Civilis Ottoniano reliquis opuſculis præmittitur ejuſdem Auguſtini liber *de nominibus Pandectarum*, qui inſano olim pretio vendebatur. De ipſo quoque Auguſtino, ut merebatur viri dignitas, & eruditio late diſſeruit Celeb. Otto *in Præf. T. I. Th. Juris p. 6. & T. IV. p. 24.* Ex cujus dictis apparet, ſatis bene de Auguſtino rationes ſubductas habuiſſe noſtrum, cum vitam ejus literis tradendam ſuſciperet.

ctus, Alliſanam Eccleſiam cum Ilerdenſi mutavit. Conferens vero ſe ad Tridentinam Synodum, nihil hortando, & diſputando prætermiſit, quo dilapſam Eccleſiæ diſciplinam ad veterem ſeveritatem revocaret. Tandem ad Tarraconenſem translatus Eccleſiam, ingenti fama, imparique meritis præmio, migravit e vita. Siquidem viro egregio, & de divinis literis ac Sacra Republica optime merito, purpura defuit.

CLXXV. DE BITURICENSI SCHOLA.

Sed jam regrediamur in Galliam, ac Bituricenſium Academiam, veteris Berythi æmulam, reviſamus: ubi Alciatus perpetuum antiquæ juriſprudentiæ domicilium locavit. Eo enim viri doctiſſimi ex univerſis regionibus ad jus civile docendum confluxerunt, ut Romanum forum in Galliam videretur eſſe translatum. Nam præter eos, quos recenſebimus, docuerunt eo in gymnaſio Contius, Boërius, Ruſſardus, Raguellus, Balduinus, Ægidius, Hortenſius, Emundus Merillius, Pinſonius, Broëus, & Joannes, atque Jacobus Mercerus: ita ut Cujacius *a*) nullam adhuc ſcholam dixerit ſimilem * inveniri Bituricenſi Academiæ, in eaque omnes jus docere caſte, pure, cordate, ſine fuco, ſine fallaciis.

CLXXVI. DE ENGUINARIO BARONE.

Poſt Alciatum præclaram illius inſtitutionem tenuit Enguinarius Baro: cujus major viventis, quam mortui fuit auctoritas, oppoſitionibus potius aliorum, quam propriis ſcriptis, alioqui eruditis, memoriæ commendata. Cum eo non modo Goveanus vehementer; ſed & Duarenus in controverſiis de juriſdictione, & imperio acerbiſſime dimicavit: quorum poſtea iræ deferbuerunt: ita ut, Barone mortuo ** anno MDL. Duarenus laudes illius tumulo inſcripſerit.

CLXXVII. DE DUARENO.

Natus vero Duarenus ex illuſtri familia, Alciato præceptori operam dedit Avarici Biturigum: ubi in docendi munere Baroni ſucceſſit, ibique auditores habuit Budæi liberos: quibus patris eruditionem, quam ab ore, & ſcriptis illius imbiberat, grato animo retribuit. *b*) Memoria, dicitur, fuiſſe parum firma: ita ut aliquando

* Neque deinceps habuit, aut habitura eſt temere. Floruerunt vero Academiæ Biturienſis Doctores præcipue eruditionis laude, quemadmodum ſchola Bononienſis omnia ad uſum forenſem referebat. Utriſque idem propoſitus erat finis, nimirum, exemplo & experientia Romanorum, populi potentiſſimi & ſapientiſſimi juvare commoda ſocietatis civilis, etiam inter gentes hodiernas. Sed præſtitiſſet, ſcholam Cujacianam floruiſſe ante Bononienſem. Errores enim, qui ſemel invaluerunt, rariſſime eradicantur, videasque in ſumma litterarum luce homines forenſes ſæpiſſime adhuc in denſiſſimis tenebris verſari.

** Fertur autem mœrore exſtinctus, quem ei injecerat collega, Franciſcus Balduinus, vindictæ ſtudio, quod renitente Barone Biturigibus Profeſſor creatus erat. *Opera Eguinarii Baronis junctim edita Pariſ. apud Fr. Morell. 1598. tribus tomis in folio.*

a) *Ad Margarit. Valeſ.*

b) *Epiſt. Bud. apud Duaren.*

coge-

cogeretur orationes recitare de ſcripto. * Cujacio adhuc juveni vehementer obtrectabat: ita ut inter utriuſque diſcipulos partium ſtudio concitatos tumultus orirentur: qui nonniſi Cujacii diſceſſu quieverunt. Obiit Duarenus anno MDLIX. ætatis vero ſuæ L. Vir ingenio fuit, & dictione facili: nemoque melius orationis lenocinium juri civili adplicuit. ** Ab Accurſianis, & Bartolinis interpretibus, quos in foro triverat, quosque nova inſtituta docendi ratione ubique mordet, haud pauca tamen ſumſit, quæ adſperſa ſermonis elegantia, in novam vertebat faciem. Solebat enim ex abſtruſioribus & prolixioribus eorum commentariis legere optima. Quod ne videatur a me de viro doctiſſimo confictum, teſtimonium producam ex præfatione ſecundæ partis operum ejus, a gentili ſuo conſcripta. Is ait: Duarenum ſæpe in ore habuiſſe illud Lucretii:

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

CLXXVIII. DE HUGONE DONELLO.

Moriens Duarenus haud imparem doctrinæ, atque ſimultatum ſuarum hæredem reliquit Hugonem Donellum diſcipulum, quem eleganti oratione in præceptorum collegium cooptavit. Is magiſtri rationem in docendo jure complexus eſt, & indictum olim Cujacio bellum redintegravit. Verum cum in Calvinianorum partes, abjecta veteri, veraque religione, tranſiiſſet; mutato cultu divino, coactus eſt etiam ſolum vertere. Variaque fortuna jactatus, & in Germaniam profectus, docuit Heidelbergæ: unde ad idem munus Leodium *** conceſſit: indeque, quod

* Imo nunquam ſtudioſis, niſi ex ſcripto prælegeret, quod damno homini fuit apud imperitos, cum in Germania peregrinaretur, & ad prælegendum invitatus, quod commentariis ſuis deſtitueretur, ſuggeſtum conſcendere nollet. Sammarth. *Elog. L. 1. p. 78.* Qua in re dubium, utrum prudentiam ejus magis mirere, an imperite judicantium inquitatem. Cum enim quæ antea emiſiſſet, librorum apparatu inſtructus edidiſſet, nunc libris deſtitutus timebat, ne prælectiones extemporaneæ illis elaboratis minus reſponderent. Deſiit hodie is mos profeſſores peregrinos ad lectiones publicas provocandi, quia contigit, ut cum promtior & doctior videretur profeſſor peregrinus, quam indigenæ, indigenis ſtudioſi ſubducerentur.

** Docendi quoque methodo reliquis palmam præripit. Quo pertinet illud diſertiſſimi Burmanni:

Et ſuperans omnes Duarenus in arte docendi.

Annum tamen integrum conſumpſit in definitione judicii explicanda cum aliquot diviſionibus, ut ipſe refert *Tit. de judic. 153.* Orationis tamen lenociniis Duareno, ut reliquis omnibus præſtat Hotomanus, cujus ſtilus vena Ciceronis fluebat. *Opera* Duareni *junctim edita cura Ciſneri. Francof. 1592. II. Vol. in fol.*

*** Imo Leidam, ſeu Lugdunum Batavorum, in cujus Bibliotheca Academica adhuc cuſtoditur in effigie os illud probum & generoſum Donelli recens defuncti. Leida autem triennio ante mortem Altorfium in Franconiam conceſſerat. Biturigibus vero eo tempore profugit, quo Catholici magna crudelitate & publica clade in Reformatos ſæviebant, quæ ſtrages quia Pariſiis potiſſimum data fuit, nuptiæ Pariſinæ appellatur. Erat autem tempore fugæ veſte indutus Germanica, eaque a Germanis adoleſcentibus ſicariis ſuis ereptus eſt. Cum vero Biturigibus Lugdunum & inde Genevam per-

Britannorum factioni res novas molientium ſtuderet, patefactis inſidiis, coactus eſt in Franconiam confugere: ubi ceſſit e vita anno MDXCI. ætatis ſuæ LXIV. Commentarios juris civilis reliquit uberrimos, & acutiſſimos: quibus juriſprudentiam in commodiorem ordinem redigere ſtuduit. Cui operi utinam extremam manum addere potuiſſet; neque tamen minus quales nunc ſunt juventuti conferunt, propter ſoliditatem rerum, & rectam ſeriem. Puer vero adeo literas averſabatur, ut ad eas non ante ſe flexerit, quam illum pater pudore, ac metu afficeret: qui arceſſito ad ſe, coram puero, paſtore ſuario, pacta mercede, filium ei ſe traditurum ſimulavit: quo Donellus intelligeret, qualis vita ſibi, niſi ſtuderet literis proponeretur. Fallacia hæc puerilis animum illius vertit, ac tantum ingenium poſteritati, & literis dedit.

CLXXIX. DE FRANCISCO HOTTOMANNO.

Protulit & Gallia Franciſcum Hottomannum ex illuſtri, & veteri familia, quæ ſub Ludovico VI. * e Germania, occaſione militiæ, migravit in Galliam: ubi claris affinitatibus & continuatis honoribus floruit. Franciſci tamen hujus ingenio fuit longe ſplendidior. Is enim Juriſconſultus fuit, & orator eximius. Jus civile didicit in Aurelianenſi ſchola: indeque Lutetiam Pariſiorum ad Senatoriam Patris dignitatem vocatus, forenſium jurgiorum ſtomacho, ad ſua vetuſti juris, & bonarum artium ſtudia, invito parente, ſeceſſit. Qui tamen parens hanc nato culpam condonaſſet; niſi paullo poſt ab avita, veraque religione ad Calvini doctrinam ſeceſſiſſet, ſeque Lugdunum, libertatis cauſa, contuliſſet, relictis patriis laribus, abjectaque proxima ſpe honorum, & opulenti conjugii. Quo facinore pater exulceratus alimentorum etiam ſpem filio præcidit. Qua nunciata re, Franciſcus minime exanimatus, illa Epicuri voce continuo exclamavit: *Habeamus aquam; habeamus polentam: Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciemus.* Itaque ſuis e ſtudiis non ſolum laudem, ſed & vitæ ſubſidium ducere decrevit. Unde primo Lauſannam, poſtea vero Argentoratum vocatus a Germaniæ primoribus, qui honores ei certatim offerebant: ea facundia docuit, ut nobiliſſimos quosque ad ſe audiendum e remotiſſimis regionibus contraheret. A quo docendi munere ſuperſedit tantiſper, quoad in Navarrena Regia, inque variis legationibus honorifice ſuſce-

geret, captus eſt in eo itinere, & quamvis, quis eſſet, ignoraretur, tamen pro Hugonotto agnitus & objurgatus eſt, quod in ſermonibus ſuis (tanta tum erat licentia ſeculi) nunquam auditus fuiſſet dejerare. Scipio Gentilis *in vita Donelli, adjecta Donelli opuſculis poſtumis, impreſſis Hanoviæ 1603. 8.* unde eam Buderus inſeruit *collectioni* ſuæ *vitarum Clariſſimorum JCtorum*, qui Grotii, Reidani, Stradæ, Huberi & Thuani loca adjecit de cauſis exilii, quo Donellus Leidæ ſolum vertere coactus eſt. *Compendium commentariorum* ejus *de Jure Civili* Oſwaldus Hilliger edidit, quemadmodum Arnoldus Vinnius, excitatus exemplo ejus, *nova methodo partitiones Juris Civilis* edidit, qui ipſe quoque crebris Cujacii inſectationibus delectatur.

* Imo Ludovico XI. ut ſuſpicatur Baylius. Satis accurate autem noſter de Hotomano differit, uſus, ut in fine teſtatur, *vita ejus*, a Petro Nevelato Doſchio edita & quam ſuæ *vitarum collectioni* etiam inſeruit Leikherus.

ptis,

Digitized by Google

ptis, regiis Galliarum adminiſtratoribus paruit. Ab his vero, ut potuit celerius, homo quietis, quam honorum cupidior, expeditus, retulit ſe ad ſtudiorum tranquillitatem. Deinde, rogatu Epiſcopi Valentini, Valentiam concedens, eo dilapſa jam bonarum artium ſtudia, voce atque inſtitutione ſua retraxit. Inde ſemel, atque iterum ad Bituricenſem academiam explicaturus jus civile ſimul cum auditorum turba ſibi maxime benevola reductus; ac poſtea civilium bellorum naufragiis rejectus, redeundi propoſitum in poſterum omnino dimiſit, illud ſæpe prædicans: *Fruſtra Neptunum accuſat, iterum qui naufragium facit.* Etenim everſus bonis omnibus, & amiſſa illuſtri bibliotheca, ex inſigni illa Calviniſtarum clade vix vitam ſalvam retulit. Igitur patria profugus, etſi a pluribus Germaniæ Principibus ad ſuas cujusque academias repoſceretur; tamen Baſileam Rauracorum, cum omni ſe familia, contulit: ubi eum annum quintum, & ſexageſimum agentem aqua intercus extinxit, anno MDXC. relictis filiis duobus, Joanne, & Daniele, ac filiabus quatuor. Vir fuit univerſæ antiquitatis tum Sacræ, tum profanæ oppido peritiſſimus; & non minus ingenio, quam oratione felix, & candidus; cui ad veram virtutem nihil defuiſſet, niſi bonitatem, quam a natura traxerat, mutata religione pervertiſſet. Non modo in Accurſianis, & Bartolinis interpretibus reprehendendis; ſed in ipſo Triboniano, quem & Antitriboniano * peculiari libello concidit, perpetuo exagitando; collectam tota vita opinionem verecundiæ, atque modeſtiæ prorſus amiſit. Ordinem præterea librorum juris antiquitate munitum in ſermonibus, atque ſcriptis carpebat, præquam decet Juriſconſultum; aliamque ordinis rationem comminiſcebatur. Itaque in illum videntur mihi a Cujacio hæc oblique jacta: *a*) *cohærent*, inquit, *digeſtaque ſunt omnia arte mirabili, nec tam ingenio Triboniani, quam Juliani, Hermogeniani, & veterum prudentum, quorum ille veſtigia ſecutus eſt. Et qui aliam deſiderant, vel comminiſcuntur artem: næ quam illi ſunt imperitiſſimi! Nam neque quid ars ſit ſciunt; neque artem digeſtorum, aut principia certa juris ulla perceperunt unquam, ſuaves tandem ad ridendi materiam.* Hæc de aliquibus, ac de iſto fortaſſe potiſſimum * Cujacius: quem unum Hottomannus, miſſo Balduino, aliisque antiquioribus æmulis, dignum habuit, cum quo manus conſereret, & quem aliquando clam, aliquando palam oppugnaret, ſuppreſſo nomine, ſed illius expreſſa ſententia: ut in locis aliquot obſervationum obſervationibus *b*) Cujacii oppoſitis, & in libris amicabilium reſponſionum. Animadverti etiam, Hottomannum obſervationum 12. cap. 30. & illuſtrium quæſtionum 34. non obſcure adverſari Cujacio,

* Qui non inſertus eſt *collectioni operum*, quam Jacobus Lectius edidit *Genevæ 1563. III. Vol. in fol.* Sed primum *Hamburgi editus eſt 1647.* Ex eo hodie quoque ſapiunt obtrectatores Triboniani.

** Imo hæc verba Cujacii non magis ad Hotomanum quam ad Donellum pertinere videntur, qui in commentariis ſuis, methodum diverſiſſimam ab ea librorum juris veteris ſequebatur. Præcipuas controverſias, quæ, inter Hotomanum & Cujacium agitatæ fuerunt, libro ſingulari exhibuit Marcus Lyclama. *Franequeræ 1609.* Nec ſoli autem Hotomano litem cum Cujacio fuiſſe, docent ſcripta hujus eriſtica cum Antonio Roberto & Guilielmo Fornerio.

a) *In paratit. D. tit. mandati.*

b) *L. 19. c. 31. Vid.* Boſchii *vitam Hottoman.*

illiusque obſervationi decimæ ſextæ libri primi. Sed ea non tam contentio fuit, quam ira, quæ brevi deflagravit. Cujacium enim abs ſe oppugnatum tanti tamen fecit Hottomannus: ut filium admonuerit, ne pſalmos Davidis, & Cujacii paratitla ſibi unquam excidere pateretur. Quo magis Hottomanni candorem admiror, & judicium: cum ne ſui ipſius quidem amore a vero ſenſu fuerit abreptus. Quam animi æquitatem haud minus candide *a*) Cujacius ei rependit: Hottomannum enim appellat *virum ingenii probi, & recti:* haud parvi momenti laude a tam parco laudatore.

CLXXX. DE JACOBO CUJACIO.

Sed jam de ipſo Cujacio dicendum: qui ſi antea natus eſſet, omnium interpretum vice fuiſſet. Neque enim aliquid ignorare per illum, neque ſine illo diſcere quidquam licet. Docet nimirum unus omnia, & ſemper ſua. * Quæ ratio nos movit, ut eruditam Juriſprudentiam, quamvis ad ortum ab Alciato revocatam, tamen Cujacianam appellemus. Adeo enim Cujacius eruendo, & illuminando veteri juri aliorum induſtriam, & judicium ſuperavit; ut quidquid eſt optimum, ei ſit adſcribendum; ipſeque appellandus redivivæ Juriſprudentiæ pater. Natus ** Cujacius Toloſæ, puer adhuc propriis viribus, nullo docente, connixus eſt ad græcam, & latinam eruditionem, atque Arnoldum Ferrerium in Patria jus civile docentem audivit: a nemine vero melius, quam a ſua ipſius Minerva edoctus. Quem tamen mortuum omnis poſteritas magiſtrum agnoſcet, proh nefas, viventem ſui repudiavere cives, & Cujacio in honorum contentione prætulere Forcatulum, *** homini ſimiam! Atque initio quidem ignorantia magiſtratuum; poſtea vero communis admiratio, quæ invidiam æqualium illi peperit, procul diſtulit ab eo doctrinæ præmia, quæ poſt variam jactationem fuit aſſecutus. Patria ſiquidem repulſa ſtomachatus, & Michaëlis Hoſpitalis juſſu collega datus Duareno, & Donello in Balduini, qui in Germaniam abſceſſerat, locum; ad Bituriges migravit, hoc miſſo libello **** repudii ad cives ſuos poſt ſero reſipiſcentes, eumque fruſtra repetentes:

S. P. Q. Toloſano Jacobus Cujacius S. P. D.
Fruſtra abſentem requiritis, quem præſentem neglexiſtis.

a) Cujac. *ad tit. Ulp.* 22. *verbis quib. ſcieris poteriſque.*

* Inveniuntur tamen complures Cujacii emendationes in variis veterum Codicum lectionibus: quædam etiam ab aliis occupatæ erant ante Cujacium, ut obſervat Cornelius van Bynkershoek *in Præf. T. II. Obſ. p.* 2. qui tamen id a Cujacio ignoratum fuiſſe putat, & ſola ingenii felicitate, ad optima quævis conſpirante, detecta.

** Patre Cujacius fullone uſus dicitur Teiſſerio, eoque non admodum pecunioſo, unde literas ſine magiſtro didicit.

*** Quæ de contentione Cujacii cum Forcatulo vulgo circumferuntur, ea fabulis annumerat Auctor *Bibliotheca Gallicæ, (de la bibliotheque Françoiſe,) T. I. p.* 275. Idem etiam de Suſanna, filia Cujacii, multa lectu digna retulit.

**** Imitatus Lacones, gentem aſperam & rudem, eandemque brevitatis ſtudioſiſſimam. Ab his cum Samii apud Herodotum *L. III. p.* 114. auxilium peterent, responderunt Lacedæmonii, Priorum quidem ſe jam

Verum

Verum Duareno, & Donello antiquis ejus ſcholæ poſſeſſoribus ob novitatem, & doctrinæ præſtantiam inviſus, ipſo quodammodo in portu navem fregit. Illi enim viribus in unum collatis, factionisque ſuæ diſcipulis novum in præceptorem concitatis, inſidiarum, & juvenilis petulantiæ metu Cujacium recedere, ac retro flectere curſum coëgerunt, non ſine magna Michaëlis Hoſpitalis indignatione: qui, hac improbitate audita, Donellum ea de re acerbiſſimis literis objurgavit, compreſſoque tumultu, Cujacium ad Bituriges honorificentiſſime remiſit: ubi eo majori gloria docuit; quo magis ab adverſariorum odio exacuebatur; ut dicere ſoleret, ſe quidquid in jure civili profeciſſet, acceptum ferre obtrectatori ſuo Duareno. Docuit etiam Toloſæ, credo, antequam repulſam acciperet, Dujonæ Cadurcorum, Valentiæ Canacum ad Rhodanum, & Auguſtæ Taurinorum, ingentibus acceptis a Margarita, Emanuelis Philiberti uxore præmiis; ibique, atque etiam in Galliis inter Senatores lectus, ut dignitate, ubi liceret, uteretur. Bononiam vero vocatus a Gregorio XIII. neſcio qua Italiæ infelicitate, recuſavit ad antiquum bonarum artium domicilium venire: quo eum veterum ſaltem Juriſconſultorum celebritas, eorumque memoria religione quadam antiquitatis conſecrata, pertrahere debuiſſet. Porro Cujacii fama in remotiſſimas regiones tam late, ac rapide vagabatur, ut incredibilem auditorum turbam ſedibus patriis motos ad eum conduxerit. Unaque hæc omnium ejus laudum inſtar erit, quod & Joſephum Scaligerum habuerit auditorem: qui gloriatur in jure civili doctorem habuiſſe Cujacium, nunquam abs ſe ſine peculiari laude commemoratum. Etenim, præter alia loca, invenimus in Scaligerianis Cujacium a Joſepho margaritam Juriſconſultorum vocari: quem ſibi tantum ſcripſiſſe tradit, & doctis: ipſum vero Scaligerum, relicta patria, exceptum a Cujacio Valentiæ, qui eum (ut verba ipſa referam) *in illa navi nauſeantem bonorum ſtudiorum guſtu refecit*. Quam ob cauſam ei ab Deo bona omnia precatur *optimo, & incomparabili viro, a quo fuiſſet bona ſpe ſuſtentatus*. Idem Scaliger ſcribit: *quidquid Alciatus inchoaſſet, abſolviſſe Cujacium, & Juriſprudentiam per ſuam ipſius vim explicaſſe*. Eundem refert ſuper tapeto pronum, librisque circumfuſum legere conſueviſſe. Poſt ſubjicit, Cujacium *Theoriam Juris Romani veteris calluiſſe optime*: uſus vero forenſis non tantum fuiſſe ignarum, ſed cupidum quoque dediſcendi, ſi quid imbibiſſet: ne a Romano jure diſtraheretur. Ejuſdem autem probitatem hoc argumento comprobat, quod haud exiguam auri ſummam in alendis diſcipulis amiſit, dum a Patria pecuniam expectarent. Eodem Scaligero teſte, Cujacius ad jus omnia referebat: & cum ab imperito aliquo Grammaticus appellaretur, ſubridens excipiebat: *Dolet huic ſcilicet ſe non eſſe talem*. In legibus tamen XII. Tabularum, Scaliger tradit, abs ſe multa Cujacium didiciſſe, his verbis: *Nullus eſt, qui de legibus XII. Tabul. quidquam docere me poſſit, ne* Cujacius *quidem: qui non inficiabitur, me illi multa indicaſſe, quæ hactenus eum latuerant.*

oblitos eſſe, poſteriora vero non intelligere. Quare cum deinceps panarium Samii attuliſſent, & id ſolum adjeciſſent, Panario deeſſe panem, Spartani ſic ſupervacuam fuiſſe orationem, regeſſerunt. Aliud exemplum epiſtolæ Laconicæ apud Plutarchum *in Alcibiade p. 207.* Cujacii tamen epiſtola ſuppoſititia videri poterit, ſi vera ſunt, quæ in nota proxima de contentione Forcatuli cum Cujacio ex auctore Gallo retulimus.

erant.

Google

erant. Sibique multæ laudi ducit, quod a Cujacio laudetur, homo alioqui non modeſtiſſimus. Non ante Cujacius ad docendum accedebat, quam ſeptenis, aut octonis horis commentaretur; & ubi difficilem locum inveniret, haud pudebat virum, ſolius veritatis cupidum, tempus ad meditandum ſumere. Veterem eruditionem tanti faciebat, ut ea ſe diceret in jure civili tanquam hamo piſcari. Cum animum laxaret, & intervalla ſtudiorum frequentibus conviviis una cum diſcipulis occuparet, nullam interea juris mentionem inferri patiebatur. Belli Civilis tempore, cum putaretur, Henricianis partibus favere, crederetur que de tradendo Henrico per inſidias Biturigum urbe occulta conſilia inire, ſeditione populari pene fuit oppreſſus, vir alioqui Religionis Romanæ tenaciſſimus, impatiensque adeo rerum novarum, ut de rebus ad religionem pertinentibus rogatus, quæſtionem ad Eccleſiæ judicium * remitteret, his verbis: *Nihil hoc ad edictum Prætoris.* Præterea erat adeo a factionibus alienus, ingenioque tam placidus, ut militarium tumultuum, & frequentium ſeditionum tædio, vitæ naturalem abruperit curſum, quem pro corporis firmitate, atque integra valetudine longius produxiſſet: niſi defeciſſet angore animi, ſuſcepto e luctuoſa eorum temporum in Gallia literarum, & bonarum artium facie: quæ nobis Cujacium abſtulit octavo & ſexageſimo ætatis ſuæ anno, a Chriſto autem nato MDXC. quarto Kalendas octobris, relicta ex ſecunda uxore filia Suſanna: cui mandavit, ut bibliothecam in hæreditate repertam ſparſim venderet, quo libris in plurium diſſipatis manus, nullus eſſet, qui abs ſe adnotata colligeret, atque vulgaret: ne ex rebus propere ſcriptis, maleque a collectore intellectis, ſtudioſi in errorem inducerentur. Ante vero uxorem duxerat Magdalenam Roriam, ex qua ſuſceperat Jacobum filium jam puberem, & ad Reipublicæ literariæ ſpem a genitore ſumma cura educatum. Cum talis fuerit Cujacius, auditoribus tamen ſcriptis profuit potius, quam voce: quæ non admodum ſonora erat, nec ſatis explicita. In dictando præterea varius fuit, & anceps, & perturbatus, ** oratione modo citata, modo remiſſa; nec raro interrupta: ut pronunciantem auditores neque ſtylo, neque auribus commode conſequerentur. Cum enim alte, atque acutum excogitaret nimia intentione animus, a pronunciationis legibus abſtrahebatur. Quamobrem cogebantur diſcipuli, eo dictante, ſæpe ſtylum vertere, atque interdum convenire ſimul, ut ſcriptis collatis ſententias colligerent integras.

* Quod tamen aliis callide magis religionem Proteſtantium diſſimulantis, quam rem ad eccleſiæ judicium remittentis videtur. Denatus eſt Cujacius anno ætatis ſeptuageſimo. Anno enim Chriſti 1520. natum eſſe, ex teſtamento ejus conſtat. Filia ejus, Suſanna, tempore mortis ejus trimula erat, aut certe ætate non multo major, progenita ex ſecunda Cujacii uxore, Gabriele Hervea. Illa famam Patris impudica vita dehoneſtavit, quam in rem ſic luſit Merillius:

Viderat, immenſos Cujaci nata labores
Æternum patri promeruiſſe decus.
Ingenio haud poterat tam magnum æquare parentem
Filia, quod potuit, corpore fecit opus.

** Imo ferunt, Cujacium penitus dictare ſolitum non fuiſſe, ſed tam diſtincte locutum, ut diſcipuli ejus ſermonem ipſius vel ſic ſcribendo aſſecuti ſint. Sed multa in his ingruens hominis ætas, multa commutata auditorum voluntas convertere poteſt. Quare neutrius dicti auctoribus fides detrahenda.

Roma-

Romanarum legum ſanctimoniam non modo ſuis interpretationibus pene divinis, verum etiam incorruptis moribus præſtitit. Præter Duarenum, Donellum, Hottomannum, obtrectatorem habuit & Joannem Robertum Aurelianenſem: quem noſter lepide vexavit, eumque tum exulceravit maxime, cum literis tranſpoſitis nomen illius vertit in hæc verba:

Sero in Orbe natus.

Denique, ut ſors eſt noſtra, qui vix Cujacio præceptore digni ſumus, infenſos habuit minus doctos omnes: quos tamen haud eadem patientia tulit, qua nos fæcem hanc literatorum decem jam annos totos ope divina toleramus. Neque enim ille ſilebat, neque abſtinebat ab injuriis iis, quarum nomine ab Hottomanno reprehenditur, qualia ſunt *ſcutica dignus, ſtultus, mendax, cæcus, caliginoſus, os durum, & ſimilia*, quibus ſuos Cujacius hoſtes inceſſebat, non propter conſtantiam hominis noſtra minorem: ſed forte quia illi, non calumniis, ut iſti, & conviciis de trivio arreptis occentabant: ſed ingenio potiſſimum certabant, & literis, ut non prorſus docto adverſario eſſent indigni: diſſimiles certe ſannionibus noſtris, minime idoneis ad eruditi ullius hominis iram. Sed hos mittamus livore, otio, & alienis opibus in bonorum contumeliam abundantiores, qui ſcelerum ſtupore haud intelligunt, *injuriam, unde exorta eſt, ad eum plerumque reverti.* Fertur etiam in doctos viros Cujacius iracundius, etſi non provocatus: quale eſt ſuum illud de Connano judicium: *Connanus,* inquit, *doctiſſimus quidem vir, ſed non juris. Corrumpit judicium, & tempus perdit, qui illud in illius commentariis ponit.* Nimis profecto aſpere, nimis præciſe. Mortui Cujacii funus honore nullo caruit. Corpus enim nobilium diſcipulorum humeris fuit elatum, hominiſque virtus funebri oratione a Claudio Mareſcallo Senatore, ac Regio Conſiliario collaudata. Poſteritas vero de Cujacio neque tacuit adhuc, neque tacebit, donec Romanæ loquentur leges: de quibus tam bene promeruit, quam qui juriſprudentiam ab ſe lateritiam acceptam, auream reddidit: ut de eo Jacobus Gothofredus, vir judicio acerrimus, pronunciavit. De illo etiam Antonius Oiſelius ſcripſit hanc merito laudem:

ὀφθαλμὸς νομικῶν βεβίωκεν καὶ κορυφαῖον.

Non alia vero laus præſtantior, aut Cujacio dignior illa Pithoei: a quo nuncupatur *interpres Romani juris a ſummis conditoribus primus, & ultimus:* qua ſane inſcriptione nulla veracior.

CLXXXI. DE BARNABA BRISSONIO.

Vixit eodem ævo Barnabas Briſſonius, qui cauſas diu, ſummaque gloria patrocinatus, famaque doctrinæ ad Henrici III. notitiam adductus, a cauſis privatis ad fiſci patrocinium ab Rege fuit vocatus; deinde Regii conſilii adſeſſor, & Pariſienſis Præſes denique creatus: ſuſcepitque, juſſu Regis, multas, & honorificas legationes; dicebat enim Rex: nullum in orbe Chriſtiano Principem eſſe, cui Briſſonius alter adeſſet. Mirum autem fuit in hoc viro, ut neque eruditæ juriſprudentiæ ſtudio a forenſi labore; neque hoc ab illa diſtraheretur. In forenſibus enim vacationibus ad ſeveriora ſtudia juris antiqui, tanquam ad laborum levamen confugiebat; quodque aliis curarum ſumma fuiſſet, id erat homini laborioſiſſimo diver-

S ticu-

Digitized by Google

ticulum. Quo interea tempore, omnes Juriſprudentiæ receſſus penetrans, Romanum forum propriis obrutum ruinis pandebat, ſimulque mores veteres ad memoriam hominum revocabat, collectis, explicatisque, non vocabulis modo priſci juris, ſed formulis etiam verborum ſolennibus per varios auctorum locos latentibus: quibus diſtinguendis, non minus quam exponendis opus fuit acumine, ſolertiaque incredibili. Adeo enim intertextæ ſunt ſcriptis veterum, & confuſæ, ut vix lynceus internoſceret, atque diſcerneret. Illis autem expromtis, veteres mores patent, & ratio cum publica, tum privata Romanorum: quæ, velut cortice, formularum continetur involucris: quibus prophana, & Sacra; publica, & privata negotia expediebantur. Utinam vero ſola literarum gloria contentus fuiſſet, nec ſe ambitiône in popularem flammam calamitoſis illis Galliæ temporibus conjeciſſet! Pariſinis enim tumultuantibus adverſus Regem, cum ipſe collegarum exemplo, abſceſſu ſuo, vim declinare potuiſſet; populari tamen auræ confiſus, manere decrevit in urbe: ſperabat enim ſeditionem illam præſentia, & auctoritate ſua repreſſum iri. A qua ſententia nullis amicorum admonitionibus deduci potuit. Quamobrem lapſus in manus inimicorum, inque teterrimum carcerem conjectus, vitæ miſerabilem nactus eſt exitum: traditusque carnifici, extremas contumelias ab inſolentiſſimis, & efferatis hoſtibus toleravit. Carnifex vero initio ad tantum facinus exhorreſcebat, clariſſimique Præſulis dignitatem adeo reverebatur; ut membris expaveſceret, brachiaque illius, dum necem tentarent, inſolito torpore corriperentur. Tandem, urgentibus inimicis, victaque metu reverentia, vi ſubactus carnifex celeberrimo viro de infelici trabe ſuſpenſo, gulam laqueo fregit, * abſtulitque poſteris utilitatem eruditiſſimi operis, cui abſolvendo Briſſonius haud quaquam potuit exiguum vitæ ſpatium a belluis illis immanibus exorare.

CLXXXII. DE ALIIS ACERVATIM.

Atque horum ſane laboribus, & ingenio excultum jus civile fuit, eorumque opera Reſpublica Romana convaluit. Præſtiterat vero aliquid & Connanus: neque contemnenda eſt induſtria Balduini, & Revardi, Petri Fabri, & Viglii, & Vulteji, & Pacii, & Coraſii, aliorumque hiſce ſimilium, qui flores potius, quam fructus attulerunt: quod noſtrates pragmatici de univerſo eruditorum juriſconſultorum genere inſulſe admodum, ne dicam ſtulte, pronunciarunt. Omnium enim fructuum origo eſt, qui radices educat.

CLXXXIII. DE MARANO, GOTHOFREDIS, VESEMBEGIO, PEREZIO, PANCIROLO, MORNACIO, VINNIO; GROTIO, ANTONIO FABRO, GREGORIO TOLOSANO.

Ex eruditorum vero turba ſunt mihi ſevocandi, ac nominatim appellandi aliquot, qui proximum a Cujacio, ac majorum gentium Juriſconſultis locum occupant: utpote cum non modo ſplendida, & jucunda, ſed ſolida maxime, atque

* Ominoſe ad ſymbolum ejus, *Nondum effugimus fortunæ laqueos*. Res pluribus refertur a Thuano *L. II Hiſtor. ad A. DXCI. & in vita Briſſonii apud Leikherum*.

utilia

utilia tum in forum, tum in ſcholas adduxerint, ex Cujacianis præcipue libris, tanquam e Juriſprudentiæ latifundio: unde quo magis effoditur, majora ſummittuntur. Hi vero ſunt in primis Maranus Cujacii diſcipulus, lucidiſſimus auctor, Gothofredus ſenior, qui perpetuis notis ex eruditorum penu depromtis, jus civile ambiit; cujus doctrinæ varietatem potius laudaverim, quam acumen; Veſembegius, præter forenſem profeſſionem eruditus; Antonius Perez in Inſtitutionibus aptus, & commodus, & in Codice uber, ac facilis; Guido Pancirolus Italicæ gloriæ in hac meritoria noſtratium Juriſprudentia vindex; Mornacius frugaliſſimus interpres; Arnaldus Vinnius vir lectiſſimus, cujus commentariis Inſtitutionum omnium ante ſe opera vincitur, cujusque in notis earundem brevitas mire cum perſpicuitate conſpirat; Grotius etiam occurrit, fax Juris gentium, nec minor naturalis, quam civilis honeſtatis interpres, atque præceptor; Gothofredus junior abſtruſa eruditione, ſelectaque ſcientia juris, judiciique integritate ſecundus certe a Cujacio Juriſconſultus; & Gregorius Toloſanus ſcriptor expeditiſſimus. Tandem in Antonio Fabro conſiſtam interpretum audaciſſimo, & pragmaticorum hoſte vehementiſſimo: qui aliis quidem in operibus acumen magis, quam veritatem præſtitit: in Codice vero ſuo uſum rerum, & ingenii ſui jam maturi reddidit nobis utilitatem: ut meliora ſint illius, quæ minus acuta.

CLXXXIV. DE QUATUOR SCHOLIS POST RENOVATAM JURISPRUDENTIAM JUDICIUM.

Nunc quatuor harum diſcrimina, & inſtituta Scholarum ex rebus adhuc expoſitis ad ſtudioſorum utilitatem breviter notabimus, atque diſtinguemus. Et ſane Irneriana Schola, renatis recenter legibus, tanta religione parebat; ut non modo in adminiſtratione rerum civilium; ſed etiam in docendi ratione, atque ordine Juſtiniani præcepto ſubjiceretur. Et quia Juſtinianus omnia commentaria, omnesque interpretationes a finibus juris civilis edicto ſuo ejecerat, retentis tantummodo paratitlis, quæ alii brevia titulorum argumenta interpretantur, *a*) alii breves unius tituli ex alio repletiones; permiſſisque interpretationibus *κατὰ πόδας*, ſive quæ veſtigiis inſiſtunt; Ideo Irneriani Juriſconſulti nihil ſibi amplius in jure interpretando permiſerunt, præter breves titulorum aut legum ſummas, & verborum expoſitiones, quibus obſcuriorem legum ſenſum recludebant. Unde Azo, qui aliorum ſummas, & ſuas uno eodemque opere collegit, viſus eſt excurriſſe liberius. Ejus libertatem imitata eſt Accurſiana Schola, duce Accurſio, Azonis diſcipulo, qui veterum Irnerianorum notas, & ſuas legibus adplicando ſingulis, ſuperiorum interpretationum modum exceſſit. Verum hi mediam inter Bartolinos, & Irnerianos viam inierunt, ut uberiores quidem Irnerianis eſſent, modeſtiores vero Bartolinis. Bartolus enim cum ſua familia, quia e Schola ſæpe diſcurrunt in forum, & alas utrobique tendunt, adeo nonnunquam in altum evehuntur, & in quæſtionum pelagus abducuntur; ut ipſius aliquando litoris conſpectum amittant, unde ſolverunt. Quamobrem Bartolini Juriſconſulti a veterum definitionum explicatione,

a) *Vid.* Goth. Jun. *in C. Theod. in princ. &* Menag. *amœn. jur. cap.* 15.

ad nova ipſi ſe definienda vertebant, condendoque magis, quam interpretando juri civili vacabant. Ut non tam interpretes, quam (fas mihi ſit laude iſta hoc loco uti) compares quodammodo veterum juris auctorum evaſerint. Itaque tantum in bono, & æquo; juſto, & injuſto tradendo, ac definiendo valuerunt; quantum in hiſtoria, veteribusque vocabulis, & moribus caligarunt. Quod noſtrum de Bartolina Schola judicium ne videatur ab Italici, nativique ſoli amore profectum; auctorem proferam peregrinum, & ſummi ordinis juriſconſultum Hugonem Grotium: quicum hac mihi de re convenire ſummopere gaudeo. Hæc autem ille in prolegomenis: a) *Secunda claſſis* (nempe Accurſiani, & Bartolini, quos ille confundit) *hiſtoriæ veteris incurioſa omnes regum, populorumque controverſias definire voluit ex legibus Romanis, aſſumtis interdum canonibus. Sed his quoque temporum ſuorum infelicitas, impedimento ſæpe fuit, quo minus leges illas intelligerent: ſolertes alioqui ad indagandam æqui bonique naturam. Quo factum, ut ſæpe optimi ſint condendi juris auctores, etiam tum, cum conditi juris mali ſunt interpretes.* Cujaciana tandem Schola merito exiſtimabitur tranquilla, & ſerena Jurisprudentiæ dies: cujus luce, diſſlatis barbariæ nubibus, patuit ſincerus Romani juris adſpectus. Hujus autem Scholæ primores miniſtri tantum ſunt Jurisprudentiæ veteris: nova enim, & forenſia negotia vix attingunt. Quamobrem hoc a ſuperioribus differunt, quod illi jus vetus perperam ab eis aliquando tractatum, prudenter tamen, & utiliter ad nova negotia perducunt; Hi vero cum interpretis munus obeant optime; aliud, aut contemnant, aut raptim attrectant, ut hanc illis laudem ultro remiſerint.

CLXXXV. CONCLUSIO DE INTERPRETUM USU.

Quapropter ſua ſtudia recte inſtituturus primordia, & elementa juris e Cujaciana Schola petat: ut nihil initio imbibat niſi ſincerum, & incorruptum, ac vere Romanum: quæ cum in ſanguinem verterit, tum poterit certis, & obſcurioribus in locis ad intelligendi facilitatem Accurſium adhibere. Quo in labore, cum ſe probe exercuerit, expenderitque vires ſuas, Bartolinis utatur interpretibus: ut ad patrocinia cauſarum, ſcientia munitus accedat, & uſu. Ex hoc enim ſtudio ei facile ad ſubortas quæſtiones, & quotidiana negotia rationes, & auctoritates, exemplaque abunde offerentur. Quibus ubi deſtituatur, commodam opem poſcet *a tractatibus, conſiliis, deciſionibus, reſolutionibus*, & ſimilibus forenſium diſquiſitionum acervis: quibus legum ſtudioſus maxime juvabitur, ſi eos non pro magiſtris, ſed pro nomenclatoribus, & indicibus memoriæ adminiculo adhibuerit: recentioribusque utatur tantum, ut famulis veterum interpretum, eorumque præconibus. Is enim e forenſibus conſarcinatoribus in hac nundinali Jurisprudentia præſtat ceteris, qui plus attulerit alieni: Conſulendique ſunt recentiores, non ad judicium, cujus ipſimet magnopere indigent; ſed ad laborum levamen: ut ſcilicet per flexuoſam, & ſalebroſam hanc viam, novorum ductu, celerius conſequamur antiquos. Eo enim nunc exceſſit in jure civili copia, molesque ſcriptorum, ut is

a) *De jur. bell. & pac.*

eſſe

Digitized by Google

eſſe cœperit utilior, qui magis legendi neceſſitatem imminuerit. Quam ob cauſam & nos primordia juris antiqui diſtracta in tot ſelectiorum juriſconſultorum volumina, quorum jam numerum ſtudioſi reformidant, tribus contraximus libellis, & in faciliorem digreſſimus ordinem: ut ad temporis compendium, ubertatem etiam, & utilitatem longiorum operum adjungeremus. Supereſt, ut, quod promiſimus, Raphaëlis Fabretti, & Franciſci Blanchini de lege Regia judicium hic adſcribamus:

J. VINCENTIUS GRAVINA

RAPHAELI FABRETTO

S.

Cum juris civilis origines, quas jam pridem nobis explicandas eſſe ſuſceptas non ignoras, nunc prope abſolverimus; nefas viſum eſt de lege regia definire quidquam, antequam te conſuleremus Romanæ antiquitatis oraculum: quamobrem in ædes me Carpinianas contuleram, ut te convenirem. Non enim tibi latet, quam variæ ſint eruditorum ſententiæ de fragmento illo Capitolino: germanum ne ſit, an potius confictum; quod ab aliquo, nec prorſus temere, contenditur. Quid tu ea de re cenſeas cognoſcere plurimum intereſt noſtra. Cum te namque uno mihi tuto videbor opinari, homine pari eruditione, atque virtute; qui facile patieris, ut nos periculo ſcribamus tuo: quippe qui non ſit veritus in nova, & eleganti tua inſcriptionum collectione oblatratores noſtros præclaro, & graviſſimo de me teſtimonio ultro laceſſere; quaſi te pudeat virum priſca probitate, in bonorum cenſum ab illis maledicentia ſua non eſſe deſcriptum. Nos vero (vide quem hominem beneficio tuo demerueris!) quamvis illi noxiam tibi remiſerint; ubi nodus tamen aliquis erit in hac lege ſolvendus, moleſtia noſtra eorum vicem te ulciſcemur; & rogando, atque conſulendo curabimus, ne nos impune defenderis. Amici tui periculum in hujus legis judicio vides, minuere videbor majeſtatem, ſi temere fragmentum rejecero; arguar vero lege Cornelia de falſis, ſi falſam tabulam aſſeruero. Omnes igitur opes meæ ſunt in eruditione, atque humanitate tua, quas, ſi unquam alias, in hoc maxime diſcrimine mihi velim adſuturas. Noſti enim, quam vigiles, & gratuitos habeam delatores, ſi quid offendero; cum adhuc tam male meus mihi candor ceſſerit, & innocentia. Vale. Ex ædibus Carpinianis.

XII. Kal. April. MDCXCIX.

RAPHAEL FABRETTUS

J. VINCENTIO GRAVINÆ

S. P. D.

Ego quidem receptis a primariis literatorum monumentis bellum indicere non ſoleo: & propterea legem illam Regiam (quam vocas) apud Gruterum pag. CCXLII. nunquam in dubium revocavi, quin eſſet bona fide conſcripta, atque ex

formula vetuſtatem ſimul, ac dignitatem Romani Senatus ſapienter rogata. Dubium vero quod apud aliquos innatum eſſe memoras, Franciſcus Blanchinus noſter (ingenium viri bene noſti) examinandum ex Tabulæ inſpectione ſuſcepit, & ſinceram eſſe ſerio pronunciavit, cui meus calculus libenter accedit. Præterea quatenus unius, alteriusque diſſenſus ad rem in controverſiam adducendam ſufficeret, legem hic Barbarius *de Off. Præt. locum habere putarem, ex qua communis tot majorum gentium literatorum error (ita vocare liceat) jus facere diceretur. Aude igitur meo periculo, poſtquam meum judicium de hac re ſequi placet. Ego enim in te tuendo, atque obſervando periculum quodcumque ſubire paratus ſum, ubi illud imminere certo ſcirem; nedum ob hanc, quam puto inanem diſceptationem, juvante nobis tum ſtylo, qui puram putam genuinamque vetuſtatem redolet, tum magnificentia inſcriptionis in materia, quæ omnem fictionis ſuſpicionem excludit. Vale. Ex noſtro Muſeo.*

X. Kal. April. MDCXCIX.

J. VIN-

J. VINCENTII GRAVINÆ

ORIGINUM
JURIS CIVILIS

LIB. II.

QUI EST

DE

JURE NATURALI, GENTIUM,

ET

XII. TABULARUM,

AD

CLEMENTEM XI.

PONT. MAX.

Digitized by Google

SI veteribus in monumentis, tuo juſſu erutis, atque meliori auſpicio reſtituendis, animi tui magnificentiam, CLEMENS OPTIME, ſumma cum admiratione contemplantur omnes; multo magis frontem contrahent eruditiores, dum intra ſe volvent utilitatem, quæ in omne genus hominum inſtauratione ſtudiorum a te laudabiliter ſuſcepta manaverit: Etenim quanto æternitas mortalitati, anima corpori, divina humanis antecellunt; tanto anteire ceteris operibus tuis oportet ea, quæ quotidie conferuntur in incrementum Religionis, & literarum; quæ utpote immortales, neque incendiis, aut direptionibus, aut naturæ, temporiſque injuriis perituræ immortalitatem propriam Principis beneficentiæ circumfundentes, & patronum, vindicemque ſuum gloriæ perennitate remunerantes, memoriam, & exempla illius tranſmittunt ad imitationem poſteritatis; ut virtus, quæ unius interitu occideret, in omne ævum, inque gentes univerſas literarum ope multiplicetur. Cumque tantopere gaudeas priſcis Romanorum ſignis, atque marmoribus inventis, quæ antiquam animorum, & Imperii magnitudinem produnt; miremur ſi majori munificentia tibi excipiendas cenſueris veteres Leges, quæ illorum ſapientiam ad nos referunt, atque juſtitiam, civileſque virtutes exemplo ſuo profuturas univerſis, ac perpetuo reſpublicas, & regna ſumma cum populorum felicitate conſervaturas! Hanc nos vetuſtiſſimam Romanorum prudentiam, & æquitatem in XII. tabul. legibus adhuc viventem, hoc ſecundo libro ſtatuimus ante oculos ſtudioſorum; quo ſane opere, velut imaginem animi tui adumbraſſe videbimur. Et quia libro primo, quatuor circiter abhinc annis edito, Romani juris originem, & progreſſum exterioribus ab initiis, nempe a monumentis hiſtoriarum; & memoriis temporum deduximus: nunc hujus initio, fontes recludemus uberiores, & non Romani ſolum, ſed univerſi gentium juris originem inteſtinis ex cauſis protrahemus, ex ipſa ſcilicet honeſtate naturæ. Quam honeſtatem, non opinione, ſed veritate conſtare oſtendemus, ut qui ab illa deſciverint, & illicita imperaverint, quidvis potius populis tuliſſe putemus quam Leges: quas, ut Cicero ait, neque ingeniis hominum excogitatas, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, apparebit; ſed alterum quoddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientiam. Quamobrem principem illam, & ultimam Legem, e ſapientiſſimorum ſententia definit mentem omnia ratione cogentis, & imperantis Dei. Quibus comprobatis, palam erroris coarguentur Phyſici illi, qui legem inter ea, quæ neque vera, neque falſa conſtituuntur, a natura rejecerunt. Quod, te favente, aggredimur, CLEMENS JUSTISSIME, cujus e vita merito poſteritas exemplum ducet Legum divinarum.

Cum igitur acres, ac diuturnæ de naturali lege contentiones inter Philoſophos jam diu excitatæ fuerint, & etiam in dies in hac ætatis noſtræ illuſtri concertatione ingeniorum excitentur, & ferveant; aliis ipſam appetitionem pro lege naturæ ponentibus; aliis eam rationi ſubjugantibus: certe nihil in hac opinionum, & animorum fluctuatione Chriſtiano homine felicius eſt, atque tranquillius in orbe terrarum, qui divino numine hos evolat laqueos, ipſaque voce veritatis ex infinita errantium turba detrahitur. Iis vero nihil profecto miſerius, nihil perturbatius, qui vel falſa, vel nulla religione imbuti, aut in fallaci Philoſophiæ genere verſati, partim a corrupta divinitatis notione juſti, atque injuſti regulam petunt, caducas

 affe-

affectiones Deo adplicantes, ejuſque juſtitiam ex humana lege definientes; partim ſua ſibi vitia pro naturæ legibus habent, fas nefasque propriis cupiditatibus æſtimantes, ac bonum, & æquum humanis libidinibus expendentes. Quos, abjecta duce animorum ratione, quæ ſingulorum cupiditates, juſti, atque injuſti notione moderatur, aſſiduis oportet jactari moleſtiis, cum, excluſa curatione, morborum radicem uti propriæ naturæ portionem amplexentur. Atque hi cum numinis auctoritate minime impellantur, ſcientia pertrahendi ſunt ad primævi juris cognitionem, & naturalibus rationibus eo perducendi: ut quos ratio eos verterit ad juſtitiam, eadem expeditius deferat ad religionem: ſi ſemel imbiberint, nihil eſſe aliud jus naturale, quam adumbrata quædam in hominibus divinæ lineamenta legis, etſi non perfectam, at inchoatam tamen, affectamque ab ipſomet animorum exordio religionem. Quo longius ab eorum opinione recedimus, qui ex inſtitutione Chriſtianorum ſtudium pellunt, excluduntque moralis Philoſophiæ, veluti ſupervacuum, & profanum, ac minime dignum, quod in hac præceptorum divinitate ſe offerat. Quaſi aliquid religioni detrahatur, ſi Philoſophia etiam eandem ad cauſam advocetur. Ut enim ea ſapientiæ decreta, quæ noſtros excedunt ſenſus, ab auctoritate ſolius religionis arceſſamus: morum tamen regulas, quarum cognitio etiam humanæ facultati patet, cur ſegregemus a conſideratione naturæ, quæ, ſemotis erroribus conſuetudinis, ipſa per ſe tendit ad honeſtatem? Attollitur enim religione honeſtas altius; at minime aufertur a conſpectu naturæ: quæ philoſophorum adjuta ſtudiis, expedit nobis iter: ita ut propius adſpiremus ad chriſtianam virtutem, ſi naturalibus etiam rationibus enitamur. Ac ſicuti homines longe de re communi generoſius, quam de alterius dominatione decertant; quia intelligunt incluſam eſſe in patriæ ſalute libertatem; ita multo alacrius contra vitia pro virtute pugnaverint, ſi a Philoſophia didicerint, nihil aliud eſſe virtutes, niſi productionem, uſumque propriæ rationis, atque humanæ incrementa naturæ. Præterea ſponte ſuſcepta libentius, quam imperata geruntur: cum libertatis ex illis, ex his vero ſervitutis oriatur opinio. Pro libero autem agit quisquis rationi paret: & pro ſervo quisquis obtemperat auctoritati. Percellit enim tanquam vox Imperantis, animosque ſiſtit auctoritas; at ratio ingreſſa mentes, & interius leniter illabens, flectit paullatim ſenſus; vertitque jucunde voluntates: ut quo plures in comitatu ſuo rationes adduxerit auctoritas; eo longius ab illius dominatu videatur abeſſe violentia. Tandem quid importunius, obſecro, quam euntes ultro malle machinis tollere, ac raptim abſtrahere tenentes viam? quos alioqui propter chriſtianæ pietatis cum naturali honeſtate convenientiam ſatis religio incitaverit, ſublato ſigno, quo fuerit intendendum. Neque me quisquam veterum Patrum vocibus abſterruerit: quorum ceteroqui auctoritatem, ac numen maxime pro eo ac debeo, vereor, veneror que. Nam ſi aliquando videantur illi contra ſtudia philoſophorum exardeſcere; non tamen doctrinam adoriuntur univerſam, ſed illius mores ætatis; in qua philoſophi vel falſa cum vera religione commutata, propter veterem tamen conſuetudinem adeo primis illis repetebantur, atque revocabantur ſtudiis, ut aliquando auferrentur longius; vel ſemotis a rerum gubernatione, atque cura numinibus, morum regimen, artemque vitæ non ab auctoritate divina; ſed ab humana tantum ratione, atque a philoſophia ducebant. Ceterum qui divinis præceptis naturales rationes intexuiſſet, ac moralem

phi-

philoſophorum doctrinam, expunctis erroribus, in Chriſtianorum ſcholas advocaſſet, tantum abeſt ut reprehenderent; ut etiam exemplo ipſi ſuo excitarent, atque præirent. Quid enim refertius philoſophorum ſenſibus, quam veterum ſcripta, & monumenta Patrum? Quid morali Græcorum philoſophia præ illis abundantius? Quis eis impenſius religionis noſtræ cum naturali honeſtate conſenſum deducit, atque declarat? Hinc non modo chriſtiana inſtitutio philoſophiæ præceptis mirifice augetur: verum etiam inſita illa noſtræ doctrinæ ſeveritas, quam initio animi reformidant, adjumento rationis veluti quadam naturæ illecebra ita deamulcetur; ut qui e noſtratibus a ſtudiis fluxere philoſophorum, longe ſint humaniores; atque ad lenitudinem proniores iis, qui nulla doctrinæ jucunditate, nullaque rationis perſuaſione, ſed ſola formidine, atque auctoritate retinentur: Qui plerumque, ut in optimum quodque inſtitutum vitia facile penetrant, ſimulato divinitatis amore, humanitatem adeo deponunt; ut mutantes, & ſeligentes potius vitia, quam reſecantes, non tam ſtudio ſuæ, atque alienæ ſalutis; quam ardore nocendi, atque vexandi auſteritatem vitæ profiteantur. Itaque ſicuti Jurisprudentiæ maxime conducibile; ita neque a religione alienum fore duco; ſi juris fundamenta in ipſa hominis mente locavero, & cum divino jure naturalem juſtitiæ rationem compoſuero: ut qui chriſtianis inſtitutis adverſantur, intelligant etiam cum natura ſe dimidicare. *

I. DE BONI MALIQUE NATURA, SIVE DE JUSTITIA ET INJUSTITIA NATURALI.

Quoniam vero confuſa quædam aliquando, nec ſatis diſtincta legis naturalis notio, tum e juriſconſultorum, tum e philoſophorum profertur ſcholis, quæ non homines modo, ſed & bruta etiam amplectitur, ac pluribus ex partibus obnititur humanæ rationi, quæ vitanda, & expetenda non fuga, & appetitione naturali, ſed boni, & mali definitione diſcernit; Hinc multi legem naturalem a ſola humana ratione, tanquam ab radice ſua efferunt, rectumque animi judicium, inconſultis naturæ affectionibus, adeo anteponunt, ut ſenſus, honeſtati contrarios, vitium exiſtiment naturæ univerſæ, quodammodo ægrotantis,

* Dedicat hoc capite Gravina originum juris civilis librum ſecundum Clementi XI., Pontifici Maximo. Differit autem de fonte præceptorum juris naturæ, eaque non inconcinne repeti jubet ex honeſtate naturali, ſecutus Grotium, cujus ſententiam nunc paſſim prævalere videas. Dicetur autem honeſtum, quicquid juvat ſocietatis humanæ commoda, cui, quæ obſunt, ea contra turpia appellabimus. Contendit dein magno animi candore, & inſolita ingeniis Italis libertate, Philoſophiam morum rationalem non obeſſe ſtudio Theologiæ revelatæ, id tamen quod res eſt, minime diſſimulans, naturalem juſtitiæ rationem ad impetrandam ſalutem æternam non ſufficere. Occurritur ſic petulantibus Phyſicorum ingeniis, quibus ætas noſtra abundat, & quibus leges omnes arbitrariæ videntur. Munitur ipſa religio Chriſtiana, etſi alias ſua ſatis excellentia commendabilis, quando oſtenditur, præcepta ejus morum ipſa quoque aptiſſime convenire naturæ humanæ.

Digitized by Google

atque ab inſtitutione ſua turpiter deflectentis. Contra vero alii abſurdum autumant, partem anteferre toti, legemque communem rerum creatarum contrahere ad certæ, ac peculiaris naturæ ſenſum; & ad rationem humanam res ita expendere univerſas, ut quod homunculis conveniat, aut repugnet, id infinitatis totius perfectio, aut vitium habeatur. Unde nullam ponunt boni, malive naturam, eique inhærens jus naturale omnino convellunt, ne honeſtatis lege, per naturam conſtituta, ſuis ipſamet legibus, natura damnetur: quod eveniret, ſi virtus una, & vitium eadem natura conſiſterent: nam lex virtutis a natura veniens damnaret vitium ab eadem natura profectum. Et ſane quis mente ſua, non aliena utens, definitionem illam, qua jus naturale dicitur id, quod natura omnia animalia docuit, eo ſenſu, quo vulgo accipitur, compoſuerit cum præceptis honeſtatis, quæ nos abſtrahunt ab iis corporis voluptatibus, ad quas natura ipſa etiam invehimur? Aut qua ratione definitio altera; quæ jus naturale docet eſſe dictata rectæ rationis, quadraverit in ferinas affectiones, quibus humana etiam natura corripitur, ab omni prorſus ratione deerrantes? Quæ affectiones inter ſe oppoſitæ ab oppoſitis certe principiis oriuntur, & leges hæ diffidentes a naturis fluxere diverſis: ut non mirum, ſi homo duplici natura, mentis, & corporis conditus, duplicibus implicetur legibus e ſua cujusque natura, tanquam proprio de fonte manantibus: quæ ſibi occurrentes, atque inter ſe pugnantes hominem diſtrahunt, atque divellunt: eumque modo a ſenſu corporis ad mentis rationem; ac modò a ratione mentis ad ſenſum corporis perpetuo ſurſum, ac deorſum volvunt.

II. DE DUPLICI NATURÆ LEGE.

Nimirum præter legem univerſam, cujus participat etiam corpus, & mens; quatenus cum corpore conjungitur, ineſt in rationali natura lex ſibi propria, & peculiaris, alteri quæ corpori etiam adhæreſcit, ſæpe repugnans. Quarum alteram promiſcuam legem appellamus, alteram vero legem ſolius mentis. Lex promiſcua tam longe lateque diſcurrit, ut ambitus hujus immenſitatem, omnia continentem, resque ſingulas eodem ambitu comprehenſas, involvat, atque circumeat, ipſumque etiam hauriat hominem, qui communi hac lege irretitur, præter legem peculiarem naturæ illius, quæ in cogitando verſatur: ut merito legem hanc etiam corpus involventem, legem vocemus naturæ communem, aut legem promiſcuam; legem vero ſolius mentis nuncupemus legem naturæ peculiaris, aut legem rationalem, quæ (poſt illatam humanæ naturæ univerſæ, primorum parentum inobedientia, labem) ab lege promiſcua, utpote communiori, atque potentiori adeo premitur, ut numquam non ſuperaretur, niſi virtutum auctor Deus animos noſtros, numine ſuo, attolleret, ac ſuſtineret. Sed ne more ſcholaſticorum voces, notionibus vacuas, anteponamus; ſubjiciendum eſt oculis aliquod natura notum, quod nos legis promiſcuæ nomine comprehendimus. Qua voce nihil ſignificamus aliud, niſi motionem illam ubique pervadentem, omniaque cientem, & agitantem, reſque varias aſſiduo producentem ſimul, & interimentem, ex interituque unius alteram ſuſcitantem: ſine qua otioſa, & inertia, conſtipataque forent univerſa.

III.

III. DE LEGE RERUM UNIVERSARUM, SIVE DE LEGE PROMISCUA.

Hanc Deus Opt. Max. indicit etiam, infuditque corporibus pro vita, & veluti anima rerum ratione carentium, quæ ſicuti a motu ortum ſuum auſpicantur, ita eodem variante vertuntur. Unde ut ordinem Deus, & vitam rebus certam, interitumque tribueret, motum ipſum certis ordinavit legibus: quarum ſeriem, in rerum univerſitatem explicatam, & in ſpecies ſingulas diſtributam, legem dicimus naturæ communem: quia ex harum legum nexu ita res creatæ pendent, ut nihil præter hunc ordinem, neque intereat, neque maneat, neque oriatur: Hoc enim ordine, vel in re minima perturbato, corruerent omnia. Igitur eventus omnes rerum cum univerſarum, tum ſingularum, ita ab hoc ordine prodeunt, itaque ad eumdem remeant; ut certarum rerum corruptio in integritatem cedat univerſitatis hujuſce rerum. Conſecutio eſt enim illius ordinis, ubique imperantis, ubique vigentis; a quo non maxima modo, ſed & minima quælibet eventa devolvuntur. Hinc etſi res vitientur ſingulæ, natura tamen univerſa vitium ſibi contrahit nullum, etenim ipſæ affectiones noxiæ rerum ſingularum emittuntur a lege illa ſumma, per quam e diſſolutis rebus aliæ recreantur, eaque ratione communis omnium natura reparatur. Unde ſi alicubi terra hiſcens urbes hauſerit, & oppida; vitium quidem illis regionibus adfertur; nihil vero naturæ communi detrahitur, quæ ſuis progrediens legibus, dum terras eas diſcludit, e ruentibus illis molibus, vel expleverit inane aliquid; vel montem alicubi, aut inſulam excitaverit. Fera ſi mortifere vulneretur, tale vitium ex vulnere concipit, ut vitam profundat; verum idem vulnus, quod illius abſtulit vitam, vitam producit eorum, qui fera veſcuntur: ut intelligamus naturam lege ſua interitum cuiquam adferre nunquam, quin tribuat alteri lucem: ut unius vitio in alterius utilitatem converſo, cum varietate rerum creatarum univerſitatem perpetuo tueatur. Unde a communi natura procul abſunt vitia, ſingulisque tantum inſident rebus ratione cujusque ſpeciei, quæ diſſolvitur; non vero aliarum, quæ diſſolutione illa gignuntur, aut conſervantur.

IV. DE LEGE PECULIARI HUMANÆ NATURÆ, SIVE DE LEGE RATIONIS.

Num autem quia ſingulæ res inanimes vitia ſuſcipiunt, ideo cum vitio ſimul culpam etiam contrahunt? At quam, obſecro, adſcripſerimus culpam rebus, ratione carentibus, quæ motibus, actibusque ſuis naturæ univerſæ perpetuo parent; eique reddunt, quod acceperunt, neque vim in ſe habent ullam, qua renitantur, & a communi rerum lege proprio niſu deflectant? Longe tamen aliud contingit in homine, qui motus habet voluntarios, & in quem duo confluxere naturæ, a quibus duo itemque eum convenere leges. Oportet enim naturam cogitationis alia prorſus lege gaudere, quam natura corporis: cum enim nulla in parte corpus, & cogitatio conveniat, communem ubique nequeunt habere legem. Hinc homo qua corpore conſtat, fertur lege naturæ promiſcua; qua vero mente conſiſtit, ducitur lege ſola rationis, quæ hominis eſt natura præſtantior. Unde cum lege corporis deflectitur a lege rationis, culpam certe concipit, quia contra propriam pec-

 cat,

cat, & potiorem ſui naturam, cujus lex præcellere debet legi corporis; perinde atque naturæ corporeæ præſtat natura mentis. Quamobrem in hac univerſitate rerum ſolus homo eſt culpæ capax; quia ſolus homo peculiarem accepit naturam ſeorſum a rebus corporeis aliis, ac ſolus legem ſubiit præcipuam, naturæ mentis congruentem, ſejunctamque ab lege communi rerum aliarum: unde ſecum ſolus ipſe dimicat, cum duabus diſcrepantibus inter ſe legibus, horſum illorſum pellatur, ſolus denique culpam incurrit, quando lege corporis abducitur a lege mentis: quæ, utpote hominis propria, debet ei unice imperare, perinde atque lex corporis naturæ corporum dominatur univerſæ. De qua lege tantum eſt homini ad ſe derivandum, quantum cum ſui potiore natura, nempe cum cogitatione concordet. Qualia ſunt nutritio, liberorum ſuſceptio, educatio, juſta, & rationi congruens perfunctio ſenſuum: tantiſper quoad cogitationis natura præſtantior in corpore vigeat. Quo reſpexiſſe videntur Juriſconſulti, cum hæc naturæ officia communia nobis cum ceteris animalibus, e naturali lege repetierunt. Non enim, arbitror, ea pro naturali lege hominis habuerunt; niſi quatenus cum ratione conjunguntur; nam quatenus a communi rerum ceterarum natura proficiſcuntur, leges quidem ſunt naturæ univerſæ, non leges hominum naturæ peculiaris. Atque ita dictorum repugnantia, ſuperius indicata, removebitur: & jus, quod natura omnia animalia docuit, cum lege conveniet rationis: quæ munera corporis nobis communia cum animantibus obeunda præcipit, tantiſper dum animi, corporisque conjunctio conſervetur. Unde quæ officia corporis humani, ratione ſoluta, non cum propria lege humanæ naturæ, ſed cum lege naturæ promiſcua conveniunt: ea ſi ad rationis uſum convertentur, partes erunt juris illius, quod in hominem concorditer a corporis, mentisque lege confluxit: quodque procedit ex conjunctione mentis, & corporis: quæ ſi ſecum ita conſpirent, ut mens imperet, corpus obſequatur, ad præſcriptum naturalis juris opus exigent commune ſuum. Hinc vivere ſecundum naturam, ipſam Stoici dixerunt eſſe virtutem traditam nobis ab lege rationis, qua peculiaris hominum, & rerum univerſa natura conciliantur. Expoſitis autem iis, quæ in animos noſtros veniunt ab lege promiſcua; nunc explicanda ſunt ea, quæ ab ſola rationis lege proficiſcuntur: ita enim intellexerimus, unaque diſtinxerimus, quæ mentem corpori conjunctam, quæve mentem puram ſeorſum a corpore conſequantur. Quod numquam aſſequemur, niſi per cognitionem finis bonorum, & malorum, quo vel ad cupiditatem, vel ad fugam commovemur; eas nobis leges attribuentes, quæ ducunt ad finem, quo natura tendimus: ea vero extra naturam humanam arcentes, quibus ab eo communi fine diſtrahimur. *

V. DE NATURALI BONORUM EXTREMO.

Illum autem communem appellamus finem, quo appetitiones hominum, cupi-

* Elegans eſt hæc Philoſophia Auctoris de duplici lege naturæ, & admodum conveniens definitionibus juris naturæ & gentium, in Jure Civili traditis. Solent eas multi deſpicere, imo albis deridere dentibus, ſed hi vel minus eas intelligunt, vel nimio ducuntur cavillandi ſtudio. Noviſſime his juris civilis definitionibus ſuppetias quoque tulit Illuſtris Præſes, Cornelius van Bynkershoek *Obſ. L. V. cap. 1.*

cupiditateſque feruntur omnes: utpote ad bonorum extremum, atque ſummum expetendorum, unde quæcunque diſconveniunt, noxia nobis evadunt; cuique aſſequendo natæ ſunt in homine leges rationis, atque ab rationis legibus ortæ virtutes. Quamobrem quæ affectiones ab extremo illo nos bonorum avertunt, vitia ducimus, & nuncupamus, ideoque a nobis aliena cenſemus, ita ut virtutum, vitiorumque ratio ab eo bonorum extremo ſit ineunda. Porro quæ ab animi, corporiſque conjunctione procedunt affectiones, & ſenſuum functiones, unum tamquam commune bonum circumeunt, perreptantque voluptatem, cujus adſpectu cientur, inimicamque voluptatis fugiunt, averſanturque moleſtiam: nec tamen ea, quibus ſenſuum voluptates procreantur, ponimus inter virtutes: quia jucundum illud e corpore manans in animum, haudquaquam eſt proprium & ſummum humanæ naturæ bonum: quale illud eſt in ſola ratione ſeorſum a corpore locatum, cui ſubjiciendum eſt bonum ex corpore animoque participans, quæ voluptas appellatur. Ut enim cuncta hominis debent rationi parere, ita & mistum corporis, animique bonum oportet obtemperare incorrupto, puroque bono rationis a corpore ſecretæ, qualis eſt animi tranquillitas. Quam ideo extremum in hac vita bonorum conſtituimus, quia illius tantum cauſa, mens vires omnes exercet, atque facultates experitur ſuas; illudque nacta continuo a curis omnibus conquieſcit. Quidquid enim ſeorſum a religione, cujus finis longe dominantior eſt aliis, naturaliter agunt homines, propoſitam habet voluptatem, ſi corpore ſimul, & animo ſit obeundum; Si vero ſola ratione, tranquillitatem: cujus fons uberrimus eſt cognitio rerum, atque ſcientia, * quæ utpote ſenſibus exſors, atque ad ſolam cogitationem pertinens proprium eſt patrimonium rationis. Sola ſcientia enim adducimur ad cognitionem illius boni, quod nobis offertur a virtutibus, aufertur a vitiis.

* Jure Gravinam reprehendere videtur Auctor *conſiderationum*, quod ſummum hominis bonum in tranquillitate animi, tranquillitatem autem animi in cognitione rerum & ſcientia collocet. Tranquillitatem quidem animi etiam veteres ſectabantur, inprimis Epicurei, etſi Varro apud Auguſtinum *de civit. Dei. Lib. XIX. cap. 1.* referat, ducentas & octoginta octo diverſas veterum Philoſophorum de ſummo bono fuiſſe ſententias. Sed ſi ad hoc extremum bonum, tanquam ad communem finem, appetitiones hominum omnium ducuntur, præſtiterit, in noſmetipſos altius deſcendere, quam opiniones aliorum ſollicite exquirere. Appetit igitur natura homo voluptatem, refugit moleſtiam, ſed animi tranquillitas non ideo voluptate affluit, quia caret dolore & moleſtia. Neque ſolam animi tranquillitatem, ſed æterna gaudia, æternam voluptatem piis in vita poſt mortem beata Deus ſpondet. Fallimur autem quotidie umbra voluptatis, amplectentes res vanas, fluxas & caducas, niſi unionem cum Deo ſummam felicitatem noſtram eſſe opinemur. Hæc voluptatis inexhauſtus fons, hæc ſcaturigo gaudii veri & perennis, hoc germen plenum ſpei ſtabilis & inconcuſſæ: quod & ex paganis Pythagorei & Platonici ſtatuebant, quibus ſummum bonum erat ὁμοίωσις τοῦ Θεοῦ. Voluptate autem appetitiones noſtræ ſatiantur, quæ manant ex voluntate, non ex intellectu, unde eſt, quod ſummum bonum conſiſtere nequit in cognitione ſolius veri, in qua Pythagoras apud Stobæum *Serm. XI.* τὴν ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ quærebat.

VI.

Digitized by Google

VI. DE VIRTUTUM ORIGINE EX LEGE NATURÆ.

Hominem namque ſummus opifex ita concinnavit, ut ſicuti palatus dulcedine, oculus pulchritudine capitur, ita & animus lætetur utendis, obeundisque virtutibus, utpote noſtræ cognatis, convenientibusque naturæ, ſecumque adducentibus perennem, incorruptamque voluptatem. Quam illecebram rebus omnibus ad vitam, atque ad honeſtatem neceſſariis providentia divina perfudit. Nec vitia unquam hærerent animis, niſi mens virtutum ſpecie falleretur, aut extenuatis ejus viribus, corporis traheretur ſenſibus, qui hauriunt etiam e vitiis voluptatem: quam refundentes in mentem, in oblivionem boni præſtantioris, violenter eam adducunt. Voluptates enim a virtutibus ortæ juvant hominis naturam; lædunt vero venientes a vitiis: quoniam componunt, ac temperant virtutes animum, pariuntque, ſedatis affectionibus, omni expertem ægritudine tranquillitatem. At vitia diſtrahendo, ac violenter exagitando excitant e media corporis voluptate perturbationem. Virtus enim non egreditur naturæ fines; vitia vero exundantia exterius ad animum attrahunt morbos, nempe rerum extra ſe poſitarum cupiditates, quæ progrediuntur in immenſum. Atqui natura certam nobis præfinivit menſuram voluptatum: cui ſi quid inſuper acceſſerit, non delectatio, ſed pondus animo accedet. Modus autem voluptatis nobis a natura definitus vulgaribus expletur, atque parabilibus, quibus cupiditas naturalis, & motus corporis facile ſedatur: iisdemque ſatiaretur, ſibique ipſi placaretur etiam animus, niſi opinione majoris bonis boni, ſtultaque admiratione rerum ſuperfluarum, procul a naturalis neceſſitatis finibus, in cœcum rerum inanium pelagus auferretur.

VII. DE MORBIS NATURÆ RATIONALIS, SIVE DE VITIIS.

Hinc incenſus homo divitiarum, atque deliciarum amore, aſſiduo ſenſu laborat egeſtatis: quia præſentia nihil reputat, ſed abſentia, quæ ſunt infinita: ut ea qui appetierit; paupertie quoque infinita prematur: ambitione vero flagrans, ut imperet aliis, adimit ſibi nativam libertatem, tum quia cogitur parere omnibus, quorum ſuffragia captat, antequam imperii potiatur; tum quia potitus cogitur eos aſſidue formidare, quibus eſt ipſe formidini: ut vulgaris animus, proſpera mutatione fortunæ, non finem, ſed novitatem inveniat miſeriarum. Quibus nemo ſe ultro committeret, ſi civilem ingrediens vitam, ante animadverteret modum, & fines, quos ultra citraque neſcit conſiſtere voluptas corporis, animique tranquillitas. Eos autem fines pandit ſola ſcientia, quæ, utpote ſocia rationis, mater eſt etiam virtutum: quia ſola ſcientia oſtendit humanam naturam certis capacem eſſe, finitisque voluptatibus, quas ubi cupiditate tranſilierimus, in infinitatem delabimur deſideriorum: ut quo ulterius appetendo pergimus; eo longius aberremus ab ea meta, ubi natura voluptatem corporis, & animi tranquillitatem hominibus condidit. Qua de conditione oritur temperantia, quæ appetitiones extinguit inanes; & juſtitia, quæ nos abſtinet ab alienis; & fortitudo, quæ perſuaſione veri boni vanos adimit metus; ac denique prudentia caput virtutum aliarum, qua retrahimur ad naturæ fines, ibique perpetuo continemur. Unde virtutes per ſcientiam adipiſcentes, & perturbationes immoderatarum effugientes cupiditatum, ſola emendatione mentis ad verticem felicitatis evadimus, quo vulgus, aut volvendo aſſidue

ſaxum

Digitized by Google

ſaxum per ambitionem, & honorem, aut fugitivas aquas captando per opulentiam, & avaritiam; aut paſcendis jecore ſuo vulturibus per amores, & libidines tota vita miſere, ac fruſtra contendit.

VIII. DE VITA BEATA SAPIENTIS.

Quid autem eo beatius homine, qui contra calumnias benefactorum conſcientia munitur; quid animi ſecuritate adverſa contemnit; qui frugalitate dimicat adverſus fortunam; cujus vires nunquam pervenerint, quo naturæ benignitas locavit neceſſaria vitæ, quibus purgati pectoris tranquillitas continetur? Quid lætius illo, qui cognitione præteritorum futuris occurrit, præſentia moderatur; quique redactis in poteſtatem ſuam cupidinibus pervolat ubique liber ab imperiis potentiorum; quorum in ſervitutem noſtra nos cupiditas tradit: quæ ut honoribus, opibus, & deliciis potiatur, nos mancipat arbitris, atque largitoribus illorum? Cum igitur omnibus expenſis nihil deprehendamus noſtræ magis convenire naturæ, quam virtutes: certe nuſquam verius jus naturale hominis, quam in ipſa honeſtate poſuerimus, quæ ſoboles eſt rationis: quæque ſuis præceptis non ſolum præſtantiorem hominis naturam, nempe animum tuetur; ſed etiam corpus, cui honeſta vivendi norma plurimum confert. Eademque honeſtas philoſophorum fuit voluntaria, & ingenua religio: qua veluti anſa non paucos eorum Apoſtoli ad Chriſtianam adduxere legem, ad quam antea mores, & mentes philoſophia compoſuerat. Qui enim propter caducam felicitatem virtutes colunt naturales, longe procliviores profecto fuerint ad divinas, unde perennis fluit, & nunquam interitura felicitas.

IX. DE JURIBUS HUMANÆ RATIONIS.

Igitur quisque noſtrum jure naturæ propriæ rationi ſubjicitur: jure naturæ paremus virtutibus, tanquam creatis a ratione magiſtratibus, ut jus dicerent actionibus noſtris, atque affectionibus, & ſenſibus præeſſent humanis. Enimvero e ſenſuum variis perceptionibus, varias homo ſuſcipit affectiones, varios appetitus, varias voluntates, adeo ſæpe inter ſe diſcordes, ut in populo illo affectionum crebræ ſeditiones oriantur, videanturque uno tempore intra eundem hominem plures animi oberrare; niſi motus inter ſe diſſidentes revocentur ad rationem, cujus conſtans eſt, firmumque conſilium, cum eadem ſemper boni ſpecie teneatur. Unde ſola ratio peculiarem ſervat cujusque naturam; ſola ratio ſemper hominem præſtat eundem. Senſus vero non ſolum hominem diſtrahunt in plures, verum ipſam etiam evertunt humanitatem. An enim eum ducamus hominem, qui ſenſibus perfungendis extra ſe ſemper occupatus omnino ſui vivit ignarus? An manere hominem cenſeamus eundem, qui ſemet ſingulis momentis amittit perenni mutatione mentis, aſſiduaque renovatione voluntatis? Unde qui a virtutibus deſciverit, earumque juriſdictioni ſubtraxerit affectiones, & imperium ſui ab ratione transtulerit ad ſenſus, perduellis eſt, atque hoſtis humanæ naturæ, cui legitimum rectorem, juſtosque magiſtratus ademit; cujusque compoſitum tranquillumque ſtatum in tumultuoſum vertit, atque turbulentum. Sicuti autem ratio redigit in concordiam affectiones; ita etiam & plures homines inter ſe diſcrepantes placat, atque componit, inducitque caritatem cœleſte ſimul, ac civile vinculum.

U X.

X. DE ORIGINE SOCIETATIS HUMANÆ.

Atque initio quidem animos per mutuum amorem communicat ipſa natura commiſſione corporum, quæ per conjugium diverſorum evadit conjunctio animorum, atque naturale initium humanæ ſocietatis. Commiſſis enim quodammodo ſimul cum corpore mentibus, membrorum, & ſenſuum ſimilitudo, generationis ope, tranſmittitur ad prolem, quæ imbibit educatione mores parentum. Unde quia ratio eadem ex unius viri mente ad mulierem, & ad ſobolem imitatione permanat; ea communicatione familiaris conflatur, atque domeſtica ſocietas, in qua, naturalis occupationis jure, patrisfamilias naturale, ac familiare fundatur imperium. Vir enim, utpote corpore, ac ratione potentior, occupat fœminam, jure utriusque naturæ, mentis nimirum, & corporis: multoque juſtius occupat fœtum, qui ſua ipſius portio eſt, & maternorum ab ſe occupatorum viſcerum: ut ipſa natura filios tradat in patris poteſtatem; falſoque docuerit Obeſius, eos in matris naturali jure, non in patris naſci poteſtate: utpote cum concipiendo prima eos occuparit. Illud enim homo acutus minime cogitavit, * fœminam ipſam jam fuiſſe jure naturæ ante occupatam præſtantia corporis mentisque virilis: ut quidquid occupatæ cohæret, eodem jure in poteſtatem deducatur occupantis. Præterea cum vir fœminam conſilio præſtet, ætas autem infirma conſilio egeat alieno; ſequitur, ut proles ſubjicienda ſit conſilio præſtantiori, nempe virili; quod libro tertio diſtinctius explicabimus. Occupatio autem primæva eſt, ac naturalis adquiſitio, qua dominium nobis aſſeruimus prædiorum, aliarumque comprehenſibilium, & finitarum rerum, quæ communia cum eſſent, poſtea propria occupantium evaſerunt; quaque utilitatem quotidie capimus incomprehenſibilium, & infinitarum; quæ cum neque diviſionem recipiant, neque menſuram; perpetuo communia omnibus permanſerunt, nec propria fiunt ſingulorum, niſi quoad corpore adprehenduntur: qualia ſunt hæc: aër, aqua profluens, mare, ac propter maris uſum ad humuna commercia omnibus neceſſarium, litora, ſine quibus mare clauderetur: quia nemo ſe in altum capeſſeret, niſi ad litora tutum receptum a ventis, atque tempeſtatibus haberet.

XI. DE JURE GENTIUM, ET ORIGINE COMMERCIORUM.

Hactenus autem in jure, imperioque naturæ verſamur, quæ mutuo deſiderio conjugia conciliavit, & imbecilliorem ſexum validiori ſubjecit, & matrem cum liberis continet ſub imperio parentis. Ideoque recte conjugiorum ratio, & liberorum educatio a Juriſconſultis ad primævum jus naturæ relata invenitur, & ad imperium familiare: quod aliud certe non eſt, niſi recta parentis ratio cum muliere,

* Imo, ſi id cogitaſſet, non minus a ſcopo aberraſſet, quam cum matri ſoli poteſtatem in liberos tribueret. Neque enim ad occupationem matris marito ſufficit ſola præſtantia corporis mentisque virilis, neque ſola mater dici poteſt fœtum occupaſſe, qui ſine accedenie mariti opera non concipitur. Sed ſunt hæc dulcia & Hobbeſii & Gravinæ ſomnia, gratique utrique errores, quibus neuter, ſiipereſſet vel liberari dignaretur.

Digitized by Google

ac liberis communicata. Nam ratio illa, quæ non uni familiæ, ſed pluribus regendis eſt inſtituta, cumque pluribus gentibus communicata, peculiari vocabulo jus gentium appellatur; cujus nunc ortum, atque progreſſionem detegemus. Igitur naturali jure quot familiæ, totidem exiſtunt imperia; ſingulæ autem familiæ initio ſeorſum in agris ab ſe occupatis habitabant; regionibus inter ſe, locisque disjunctæ, ac diſſipatæ; quales Theſeus invenit Athenienſes, quos ille primus ex agris coëgit in civitatem. Sed quoniam non omnes rebus omnibus regiones abundant; ſæpeque quod regio una dat, altera negat; opus fuit mortalibus permutare bona ſua: ut quod uni ſupererat, alteri viciſſim, cui deerat, adderetur; qua communicatione mutua commodorum, egeſtas omnium explebatur, & regionum exæquabatur diſparitas.

XII. DE PERMUTATIONE, CONTRACTUUM OMNIUM ELEMENTO.

Hinc omnium contractuum antiquiſſima permutatio, quæ in venditionis nomen apud veteres tranſibat, ſi qua gens unica merce, quæ ibi communior eſſet, alibi rarior, merces alias ab exteris repararet, quod fortaſſe meditabantur Sabiniani, & Caſſiani, cum docuerunt, venditionem etiam eſſe ſine nummis. *a*) Alioquin falſo * venditio a Juriſconſultis referretur ad jus gentium, quorum vetuſtiores, utpote rudes, nondum norant nummorum uſum: quapropter neceſſe habuerunt, mercem aliquam in commune aliarum precium vertere; ut non mirum, ſi vendere, ac permutare promiſcue acceptum apud Homerum, aliosque veterum inveniamus. Hinc illud Odyſ. *b*) quo Sabiniani adverſus Proculianos contendebant, *τὴν ποτὲ Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν.* *Quam* (ancillam) *Laërtes emerat poſſeſſionibus ſuis.* Qua ſane animadverſione noſtra facile vetus hæc, atque vehemens Sabinianorum, & Proculianorum diſſenſio dirimetur. Neque enim permutationem quamlibet pro venditione habuerim, neque contenderim, nunquam venditionem ſine pretio conſtitiſſe; ſed potius exiſtimarim, aut initio commerciorum communem aliquam alicujus populi mercem, pro pretio rerum aliarum eſſe conſtitutam; aut ubi uſus peteret, inter certos homines ita ſæpe conveniſſe, ut pro mutua utilitate modo una, modo alia ſpecies in aliarum pretium cederet: inter quos cum unus diſtrahendæ rei ſuæ; alius ejuſdem comparandæ animum haberet; ille venditoris loco erat, iſte vero emtoris; itaque ſine nummis facile venditio a permutatione diſtinguebatur, quam, arbitror, mentem fuiſſe Sabinianorum: con-

a) *L. 1. ff. de contrab. emt. L. 1. C. de rer. permut. L. precii C. de reſcind. vendit.*

* Quin, etiamſi non unica ſit, modo iis, quorum res emimus, gratior ſit, quam id, quod præſtant, & pro re fungibili haberi queat. Sic enim pecuniam numeratam proxime imitabitur. Quod *in L. 1. §. 1. D. de contrab. empt.* Sabini familia etiam in toga pro tunica data obtinere exiſtimabat, & ferri poteſt, ſi plures togas inter ſe ſimiles emtor habeat, quæ pecuniæ vice fungi poſſint; cum contra permutatio dicenda ſit, ſi ſingulæ viciſſim ſpecies præbeantur, veluti ſi qui unam togam habet, eam det alteri pro tunica, quam is ſolam habebat. Conf. Branch. *Obſ. c. XI.*

b) *Lib. 1. circa finem.*

tra quos tamen, Imperatorum auctoritate, Proculianorum ſententia vicit. Hinc Romani, qui re pecuaria erant abundantiores, pretii loco, pecudes tradebant venditoribus; ideoque patrimonium peculii nomine continetur: poſtea rudi ære appenſo uti cœperunt: donec a Græcis nummos percutere, atque in publico ſigno pretii auctoritatem, & notam, communemque rerum æſtimationem ponere didicerunt. Pecuniarum enim nota ſignificat pondus earum, ut contrahentes ponderandi onere liberentur per impreſſam in nummo publicam fidem. Argentum vero, & aurum, propterea quod eſſent ad uſum expeditiora, inventa fuerunt pro communi materia permutationis. Eſt enim nummus commune permutationis elementum, communiſque terminus, ad quam omnis permutatio trahitur. Nam ubi res cum rebus aliis permutata devenit ad pecuniam, ibi omnis continuo commutatio conſiſtit. Nec modo antiquiſſima, ſed & mater, & ſemen permutatio eſt contractuum fere univerſorum. Nam præter permutationem rei cum re, quæ peculiari permutationis nomine venit, in aliis itidem contractibus fere omnibus ſive nominatis, ſive innominatis, permutatio continetur. Etenim in reliquis innominatis, vel opera cum opera, vel opera cum re, vel res cum opera permutatur: qualia ſunt pacta illa *facio*, *ut facias: facio*, *ut des: do*, *ut facias*. In contractibus autem nominatis vel permutatur pecunia cum re, unde venditio; vel pecunia cum pecunia, unde græco vocabulo collybus, vulgo cambium, vel quantitas cum ejuſdem generis quantitate, unde mutuum; * vel uſus rei cum pecunia, & mercede, unde locatio; vel uſus rei cum gratia utentis, unde commodatum; vel ipſa res, aut cum gratia tantum, aut cum præcedentibus meritis accipientis, unde donatio, ſive gratuita, ſive remuneratoria: ut contractus fere omnes facile ad unam permutationem revocentur: quia commercia inter homines peperit, vel inopia rerum, quarum erat apud alios copia; vel egeſtas operis alieni: unde rerum, & operum diverſorum commutatione communibus neceſſitatibus fuit occurrendum. Frequentia vero commerciorum, atque permutationum, ſenſim inter homines benevolentiam peperit, qua conciliati cœperunt propriam quiſque cum aliena diligentia operaque, commune ad lucrum damnumve, mercium communicatione conjungere, unde ſocietates negotiorum: quibus exercendis, ubi alterius fidei periculum feciſſent, res aut ſocio, aut amico facile credebant in inſidiarum, rapinarumque periculo, unde depoſitum: aut eidem, ſi mors immineret, ita donabant, ut danti, ſi mortem effugeret, redderentur, unde donationes cauſa mortis: atque

* Quod genus nemo permutationem dixerit. Finito enim contractu redditur ſimilis quantitas, adeoque idem, non aliud, quam quod datum erat. Idem dicendum de omnibus contractibus unilateralibus, niſi, quæ ſunt voluntatis, iis confundere velimus, quæ neceſſitatis habentur. Depoſitum enim jure civili quoque gratuitum eſt, etſi vice cuſtodiæ mercedem præſtari lex gratitudinis jubeat. Mutuo & depoſito ſimilia reliqua negotia, in quibus benignitas vertitur, veluti donatio, heredis inſtitutio, legatum, fideicommiſſum, niſi quod in poſterioribus reciproca præſtatio defuncto ne quidem reddi poteſt, adeoque a permutatione longiſſime recedit, cum ſine mutuis præſtationibus permutatio non intelligatur. Annumeretur ergo & hoc, per nos licet, luſibus ingenii, quibus Auctor interdum in philoſophando delectatur.

ad

ad eorum exemplum teſtamenta; quæ ſi ſolvantur ſolennitatibus juris civilis, & ad ſimplicitatem juris gentium redigantur, non alio diſtant a donationibus cauſa mortis: niſi quod hic inſit ſpes aliqua vitæ; ibi vero tantum conſideratio mortis intervenit; cum tamen iidem effectus utrinque procedant: ut & id etiam habeant commune, quod teſtamenta quoque recidant in permutationem; nam ſicuti donando, ita teſtando rem cum ſuperſtitis gratia, ejuſdemque manes erga noſtros pietate commutamus. Vix enim ullam inter homines beneficentiam undique gratuitam invenerimus.

XIII. DE JURE PACIS.

Igitur, progredientibus commerciis, plurimiſque familiis in eadem jura coëuntibus, communemque commodorum, & incommodorum ſibi ducentibus regulam, quæ ſibi pariter mala defenderet, bona contribueret; unam omnes eandemque illa ex inſtitutione conflatam ſuſcepere mentem: quæ ſicuti certas ante familias regebat ſeparatim; ita plures earum deinceps conjunctim adminiſtravit. Unde recte a Platone lex appellatur diſtributio mentis. Eaque mens ratio eſt communis commodi, & norma univerſæ utilitatis, publicæque tutela ſalutis, commerciorum altrix, præſes atque cuſtos humanarum ſocietatum, quam juſtitiam appellamus. Cujus cognatam humanæ naturæ notitiam in ſublimioribus ingeniis ex ſe promicantem, in humilioribus exuſcitarunt quotidiana exempla utilitatum, quas capiebant, qui ad ejus præcepta vitam inſtituerant. Quos mutua inter ſe pace gaudere, atque animorum conjunctione cavere inſidias, injuriaſque feliciter propulſare videbant. Quæ notities quocunque incideret, oblata ſpe paris utilitatis, atque quietis, ad eandem vivendi rationem animos accendebat. Ita ut ſenſim juſtitia ex animis, vel ſua ſponte, vel aliorum imitatione coorta in univerſum genus manarit humanum. Unde quidquid non certis tantum familiis, certiſve ſocietatibus, ſed gentibus conveniret univerſis, jus gentium fuit appellatum: quo nimirum gentibus omnibus commodum, utilitaſque procuditur. Cujus exordia juris ſibi adferebant Athenienſes, quos primos ferunt hanc ex animis notitiam exculpſiſſe, juſque gentium finitimis traditum dimiſiſſe ad mortales ceteros una cum rei agrariæ legibus; ut corporis, animique opes una omnibus regio procrearit. Hinc Lucretius;

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam, legeſque rogarunt.

Verum Ægyptii hanc ſibi contra vindicant laudem, & quovis pignore contendunt, Oſirim ſuum cum uxore Iſide terras peragrantem, agrorum cultum, & commune jus mortalibus aperuiſſe.

XIV. DE JURE BELLI.

At ſi qua gens communionem juris, & fœdus humanæ ſocietatis laceraret, ac frangeret: quieteque viventibus inſidiaretur; tum ea tanquam hoſtis humanitatis juſto bello a finitimis petebatur. Nam ſicuti domina humanæ naturæ mens affectiones jure ſuo coërcet ab ſe diſcordes; ita & gentium ratio, cui noſtrum omnium

regimen mens humana mandavit, meritò armis coërcuerit eos, qui ferinis moribus, aut nondum exutis, aut improbe repetitis communem hominum ſollicitant pacem, naturalemque ſtatum humanæ rationis evertunt. Atque ut horum furor non modo ad belli gerendi tempus; verum etiam impoſterum, ac ſi fieri queat, perpetuo comprimatur; invenit ratio ſervitutem, qua victi a victoribus multentur: ut victores captorum vitæ propter propriam utilitatem facilius parcerent; victi vero ſi mortem effugerent, amiſſionem libertatis a bellis pertimeſcerent: itaque a mutuis injuriis temperarent; communisque pax non mortis tantum, ſed etiam ignominioſæ vitæ formidine muniretur. Unde quamvis rationis lex, quæ mater eſt juris gentium, nihil magis abhorreat, quam violentiam, nihilque majori ſtudio promoveat, quam libertatem; tamen Juriſconſulti bella & ſervitutes ad jus gentium retulerunt; quia ſine hoc ſatellitio, nequit ratio contra feritatem ſtatum aliter tueri ſuum; nec licet ſine brevi temporis violentia pacem retinere diuturnam; aut perpetuam libertatem ſine pauxorum ſervitute conſervare. Qua de ratione omnia belli, pacisque jura profluxerunt. Et quoniam omne bellum jure gentium temporarium eſt, perpetuæque pacis cauſa movetur; ab eodem jure deſcendit ſanctitas, immunitasque Legatorum, quos nefas eſt verbo, aut re violare: cum ſint interpretes humanæ ſocietatis, & inſtrumenta pariundæ pacis, ad quam per eorum perſonam reditus patet: ut qui ſuis injuriis ea inſtrumenta diſſolverit, hoſtem ſe præbeat humanitatis; cum homines a naturali ſtatu rationis, qui pace coaleſcit, ad feritatem, quæ bellis exultat, quantum in ſe eſt, perpetuo traducat. Eadem de cauſa etiam in bello, ipſoque ardore pugnæ, cum ratio muta videtur, & exanimis: ne tamen omnis ad pacem via præcludatur, fœdera inter homines data utrimque, acceptaque fide ſervantur: certæque leges uti ſponſores, ac vades futuræ pacis, militum regunt iras, & micantibus gladiis præſunt: adeo ut nihil videatur inhumanius voce illius, qui leges inter arma ſilere pronunciavit. Etenim ut ex ante probatis patet, in hominis animo ferinum, & rationabile ſecum aſſidue certant; ferinum vero natura oportet rationabili parere. Unde jus eſt homini ferinum, ſi rebellaverit, undecunque pellere ſive ab animo ſuo, ſive uxoris, ſive liberorum, ſive totius familiæ, ſive univerſæ ſocietatis; ubi plures familiæ in ejuſdem juris communionem convenerunt.

XV. DE CIVILI POTESTATE.

Hinc pœnæ inventæ, & multæ, quæ militia domeſtica ſunt, & arma pacis ad ſubigendam, ac perdomandam ſui populi feritatem comparata. Cumque ille ſit ſtatus naturalis hominis, qui ex rationis inſtituitur norma; ſtatus autem ferinus, utpote rationi contrarius, naturæ adverſetur humanæ; certe nihil tam eſt hominis, quam producere quoad quisque poteſt rationabilem vitam, & non a ſua tantum, ſed ab aliena etiam ſocietate avellere feritatem, * a qua mala, & pericula in populos imminent humaniores. Quamobrem recte inſtituta ſocietas juſtam ſemper habet

* Sic noſtro efferre viſum eſt bellum Grotii punitivum, quod pleriſque diſplicet, quia pœna inferiori a ſuperiore infligitur, gentes autem inter ſe pares ſunt. Videntur autem hi ſola nominis ratione moveri; rem enim, credimus, non dedigna-

Digitized by Google

habet belli cauſam adverſus ferinos alterius mores: ut ſicuti feritatem populi ſui capitalibus animadverſionibus, quæ ſunt bella domeſtica, perdomat; ita juſtis præliis, quæ armatæ ſunt animadverſiones, & armata judicia vindicet immanitatem finitimorum: *a*) tum ut populo ſuo pacem pariat firmiorem, quod docet & Iſocrates; tum ut ſtrenuam navet operam rationi, cujus recte inſtitutas ſocietates, & ad muniendam eam, & ad propagandam oportet eſſe miniſtras: cum ab ipſa ratione, quæ naturæ dominatur humanæ, dominium acceperint barbarorum: qui ſapientibus eodem jure ſubjiciuntur, quo ſubeſt feritas rationi, cui veluti medico ægrotum, ſalubre fuerit parere feritatem.

XVI. DE JUSTITIA ROMANORUM.

Hinc Romanorum unice, atque undequaque juſtiſſimum fuit imperium, quippe fundatum in vertice rationis humanæ: hoc eſt in Atticis legibus ex uberiori Græcæ ſapientiæ fonte manantibus: & propaganda humanitate in univerſum terrarum orbem utiliſſime dilatatum. Humanitatis enim hoſtes tantum Romani ducebant ſuos: unde, præter provocantes, non alios bello urgebant, quam fœdifragos, quibus victis, ut ait Salluſtius, nihil eripiebant præter injuriæ licentiam; *b*) nec ſervitute premebant, niſi qui rationis legibus repugnarent; & civili vitæ immanem vivendi ritum anteponerent. Græcos vero, cultoſque alios populos propriis vivere ſinebant legibus, nec ſervitium, ſed armorum ab iis, & conſiliorum ſocietatem ſibi poſcebant: ut imperio proferendo, viribus, & opibus eorum ad univerſalem juris gentium communionem, extenſionemque rationabilis vitæ, atque ad humani generis emendationem uterentur. Ut qui pudori ducunt imperio paruiſſe Romanorum, afferant ſibi ultro barbariem, * atque opinionem ab ſe deprecentur humanitatis.

XVII. DE JURE SAPIENTIS IN CETEROS.

Quamobrem ſapientes, qui ſuam, & aliorum norunt pacare feritatem, a qua rationem præ ceteris illi habent expeditam, ſuo ſibi conſilio regendos ſuſceperunt eos, qui animum quodammodo in poteſtate non tenent, quique magis alienarum opum,

buntur, ſi bellum hoc vocetur vindicativum. Aſt ſic quoque difficilis ſemper indagationis erit, ſitne populus aggreſſor ferinus, nec ne?

a) Grot. *de jure belli lib. 3. cap. 15. n. 1. & n. 11. & 12.*

b) Grot. *lib. 3. cap. 15. n. 11. & 12.*

* De barbarie gentium reliquarum præter Romanam aliter Romani inde a vetuſtiſſimis temporibus, aliter ipſæ gentes ſentiunt. Romanis, & inter eos Gravinæ, aliquid dari poteſt, ſi cæteros contemnant, primum quia is mos eſt omnium gentium, deſpicere reliquas, tum, quia Romani moribus utique politiſſimis, virtutibusque, quibus humanitas dignoſcitur, præſtare ſe reliquis credebant. Sed hæc barbaries gentium vicinarum Romanis jus nullum tribuere poterat eas ſubigendi, qui ipſi indigniſſime tuliſſent, ſi ab Ægyptiis, Hebræis & Græcis, morum nomine laceſſiti fuiſſent, & Græcos, ante ſe morum nitore florentes ſubegerant. Nam

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio.

opum, quam propriæ tranquillitatis deſiderio capiuntur; & a cupiditatibus, & voluptatibus, quibus indulgent, ſuo, & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur uſu compertum fuit, & ratione prævifum, homines, ſi quiſque ſibi quod cupiebat, auferrent, mutuis cædibus interituros: propterea ſapientia, ſive adulta ratio ſua cuique rerum portione tributa, eos contraxit in civitatem, adegitque ad mutuam commodorum, & incommodorum participationem, exemplo privatarum ſocietatum: nihil eſt enim aliud civitas, quam publica multorum ad communem utilitatem, ac vitæ bonorumque tutamen inſtituta ſocietas: quæ perpetuis publicarum pactionum vinculis, nempe legibus continetur. Quibus firmandis, atque conſtituendis ſuam quiſque voluntatem contribuunt, propriasque in medium conferunt pro communi ſecuritate vires. Atque his e voluntatibus, & viribus in unum confluentibus, publica voluntas conflatur, ſummaque poteſtas: quarum altera dicta lex eſt, ſive communis ratio, vel civilis ſapientia, & publica philoſophia: altera imperium, ſive vis, & poteſtas univerſorum: eaque non ſapientibus, ſua quibus ratio lex eſt, & imperium, ſed iis ſunt poſita coërcendis, ad quorum animos componendos ratio non valet: ut quæ perturbatio propria ratione non reprimitur, poteſtate, & ratione publica, & alia majori perturbatione, mortis nimirum, pœnarumque metu, compeſcatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus ſæpe triſtiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem, & ignem admovemus. *

XVIII. DE ORIGINE IMPERII, ET JURISDICTIONIS.

Hinc ex placida, & inermi, armata prodiit, & imperioſa ſapientia: cujus vi libertas noſtra minime præciditur; quoniam eo poteſtas extitit e confuſis omnium viribus: & lex univerſorum complexa voluntates, rationem ſingulorum, & poteſtatem in ſe conditas perpetuo conſervat. Unde qui lege involvitur non aliena vi, ſed ſua voluntate, ſuaque imperii portione gubernatur. Quocirca omnium intereſt vigere leges, utpote radices publicæ ſalutis, qua unuſquiſque intelligit contineri ſuam. Ubi enim homines convenerunt in civitatem, portio fit ſuæ quiſque reipublicæ, cujus commodum privatorum criminibus reſciſſum, eorundem eſt pœna farciendum: ut exemplo alieni ſupplicii a publica ſalute, quæ ſingulos tuetur, novorum criminum pericula propulſentur. Ideo conditis legibus, & imperio conſtituto, rei adminiſtrandæ ratio quærenda fuit: unde publica poteſtas, vel in multi-

* Militabat Auctor *ſupra c. 8.* in caſtris Zenonis, de ſapientis vita differens beata, ſapientemque omnia recte facere contendebat, etiam cum lenticulam condit. Hic ſub ſignis merere maluit Ariſtotelis, qui ſtultos ſervos, ſapientes Dominos appellare ſolebat. Ex hac enim ſervitute ducit jus ſapientis in cæteros. Sed, ut fieri poteſt, & fieri convenit, ut ſapienti deferatur imperium, ſic ſæpe id uſu deſtituitur, vel, quia non conſtat, quis ſit omnium ſapientiſſimus, vel, quod magis credo, quia pactis civium imperia tribuuntur, non corporis aut animi præſtantia, & in Regnis ſucceſſivis is omnium ſapientiſſimus eſſe creditur, qui omnium optime inſtitutus ſit, quales ſunt Principes juventutis, in Regnis contra electivis is omnium cenſeatur ſapientiſſimus, quem plurium probaverint ſuffragia.

tudine

Digitized by Google

tudine conſtitit, vel ad optimates aſcendit, vel conſedit in principe, vel tributis communi conſenſu partibus per ſingulos ordines permeavit. Quæ poteſtas ad communem utilitatem publica voluntate inſtituta, ſi publicæ ſalutis detrimento, & ſingulorum injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, ipſo jure ad primævum revolvitur ſtatum. Abeſt enim a tyrannide conſenſus univerſorum, ſine quo nullum ratum eſt, & juſtum imperium. Unde quod commodo civium fieri poſſit, licebit ſane rempublicam a prædone repetere: ne cunctorum opes, & ſalus, paucorum aut unius cupiditatibus, vel libidinibus devoveatur. Etenim res eſt ſacroſancta libertas, & divini juris: quippe humanæ a Deo implicata naturæ: ut eam tentare ſcelus ſit, impium circumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicæ utilitatis cauſa, jus eſt principibus, atque potentioribus legum vim armis, & auctoritate reſtituere, ſi juſtam libertatem effuſiori licentia multitudo corruperit.

XIX. DE CONVERSIONE RERUM.

Etenim utcunque ab initio reipublicæ ſtatus optime fundetur; propter humani tamen animi volubilitatem, procedentibus temporibus, vertitur; ut aut per eundum ei ſit, aut forte, vel conſilio alieno ad integritatem priſtinam revertendum. Civilia etenim exemta non ſunt a conditione rerum naturalium, quæ ſecum una res creatas alias perpetua viciſſitudine volvunt: ita ut in earum converſione, velut in tabula volvendarum ætatum, motuum etiam civilium rationem intueamur: cum illa vi divina, quæ ubique penetrat, totum & partes verſentur in orbem, ac motu obeunte circumferantur: ex quo alia intereunt, alia naſcuntur, integra ſemper manente natura: cui nihil perit ſuarum diſſolutione partium, neque novi quidquam novarum ortu rerum accedit: quia res, vel a primordiis ab initio in natura conditis, vel e ruderibus rerum antea diſſolutarum oriuntur. Unde motus circumfluens, & rerum immenſitatem, orbesque minores, divina certaque lege verſans, poſtquam circuitione ſua ſpecies extulerit, & excitarit innumeras, orbesque ſuos abſolverit: remeans tandem eodem ſimiles reducit vultus, omnemque quodammodo replicat rerum ſeriem, atque convertit. Hinc novæ intercidunt formæ, ac veterum imagines reviviſcunt: fluunt enim, & refluunt omnia, quoad finis appetat rebus initio a Deo optimo maximo conſtitutus. Qui autem civilia cum naturalibus compoſuerit, ſentiet, omnia iisdem ire gradibus: etenim hominum animi rebus implicantur externis: & humanæ affectiones, quibus civilia negotia involvuntur, nunquam conquieſcunt: ſed modo adverſis contractæ, modo inflatæ ſecundis, & jactatæ frequenter incertis, res ſibi ſubjectas pari ſecum agitatione, ac motu perpetuo verſant.

XX. DE MOTIBUS CIVILIBUS.

Animus nimirum humanus cupiditate, ac fuga tanquam calcaribus, & frenis impellitur, & coërcetur. Cupiditatem ſpes comitatur, fugam antevenit metus; ut unde animus metu non reflectitur, eo ſpe, atque cupiditate vehatur, ſi quid ibi ſit appetendorum. Porro cupiditas imminet ante partis, quoad certo jure caremus, aut recentem egeſtatis memoriam conſervamus: at cum ea nobis confirma-

 vimus,

vimus, aut egeſtatis memoriam depoſuimus: confeſtim noſtra negligimus, & appetere incipimus aliena. Hinc jacentes in malis, eorum depulſionem in bonis ponimus; ubi e malis emerſerimus, continuo majoris boni deſiderio torquemur. Quo motu civilia, & humana omnia circumferuntur. Qui enim legibus, & hominibus parent, dum externarum injuriarum, aut recentium ſeditionum recordantur, nihil ducunt quiete, ac ſecuritate illa beatius: & qui recens eſt a privato princeps, ſat habet opibus, & honoribus anteire ceteris. Hinc homines vel peſtibus, diluviis, incendiiſque ſuperſtites, vel diſſipati fuga, vel ſeditione, ac fame jactati, ſi a fortiori, & prudentiori cogantur in civitatem, tranquillo ſtatu fruuntur, & æquabili jure; quoniam cupiditas rerum novarum a recenti memoria malorum excluditur. At proles principis illius, neſcia periculorum, erigit animum altius, incipitque ſpectare potentiam, opulentiamque majorem, converſaque ad injurias, & rapinas amittit populi voluntatem, violentiaque ſua multitudinem adeo exulcerat, ut primores civitatis nacti occaſionem publici odii, adnitentibus ceteris, gubernacula civitatis arripiant. Et dum populus ſavet iis, quorum opera libertatem repetiit, imperium a tyrannide devolvitur ad optimates. Quorum filii faſtidio quodam rerum ſecundarum, longaque dominatione tumeſcentes, omniaque ſibi attrahentes, contemnunt populum, & dum inopes a divitibus, imbecilles a validioribus, ac ſimplices ab aſtutioribus premuntur, fit regimen paucorum, quod fuerat optimatum. Unde multitudo præſentibus injuriis exaſperata, & memoria dominationis illius, qui ante optimates regebat, exterrita, regimen ſibi præ ſe ſumit, communique omnium conſilio res moderatur. Deſluente vero memoria malorum, & ſublatis e vita prudentioribus illis, & ſenioribus, poſteri periculorum ignari, ſpreta juris æqualitate, inter ſe de potentia, honoribuſque contendunt, ſuffragia multitudinis largitionibus, doniſque captantes, atque ab avita modeſtia, & ſobrietate ad compotationes, epulaſque traducentes plebem, quæ gulæ, laſciviæque dedita ſuffragium, gratiamque ſuam a meritis transfert ad opes. At cum potentiores illi ſatiandæ plebi ſua patrimonia exhauſerint: poſtremo cum univerſa factione ſua convertuntur ad prædam: unde factionibus, & ſeditionibus reſpublica laceratur: ut alicui ex principibus factionum ſit occumbendum: ex quibus qui ſuperaverit, remotis impedimentis, occupat omnia. Itaque reſpublica, quæ ab uno venerat ad plures, a pluribus denique refertur ad unum, quas viciſſitudines initio libri tertii diſtinctius explicabimus, idque evenit propter ſatietatem præſentium, & abſentium cupiditatem: ac propter oblivionem malorum veterum, atque ignorationem imminentium periculorum. Hinc ſenſim ſtatus quilibet civitatis inclinat; ac ſemper in deterius ruit: unde Horatius:

Aetas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quamvis enim arceatur vis externa, tamen ut ferrum rubigine, lignum blattis, & tineis exeditur: ita reſpublicæ inteſtinis malorum ſeminibus, & cognatis vitiis denique ſubruuntur. Fundatæ ſunt enim in moribus hominum, qui vitium ab origine ſua contraxerunt: ut non mirum, ſi opus quodlibet humanum concipiat morbum auctoris ſui: quod agnoviſſe videntur Perſarum primores apud Herodotum,

dotum, *a*) cum de abolenda monarchia conſultarent; ajunt enim *ἐγγίνεται μὲν γὰρ ἡ (ἀνθρώπῳ) ὕβρις ὑπὸ τῶν παρεόντων ἀγαθῶν, φθόνος δὲ ἀρχῆθεν ἐνεμφύεται ἀνθρώπῳ.*

XXI. DE VARIARUM REGIONUM LEGIBUS, ET EARUM ORIGINE.

Suprema vero poteſtas, ſive in optimatibus, ſive in principe, ſive pro ſua cujusque portione conſiſtat in omnibus, explicatur per magiſtratus, & judices, adhibitis in conſilium Juriſconſultis, qui ſunt legum voces, & juris cuſtodes, atque juſtitiæ ſacerdotes. Hanc autem univerſam rationem publicæ tranquillitatis prudentiſſimi legumlatores, ut populorum natura ferebat, formarunt, atque flexerunt, & ad ſuos cujusque regionis, & temporis mores derivarunt. Hinc quamvis unam omnibus honeſtatis informationem natura dediſſet; vultu tamen, ac ſpecie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diverſæ populorum, & diſcrepantes * ſunt inter ſe leges; quoniam non iisdem ex fontibus ſuam omnes ducunt utilitatem: cumque unum ſit opus univerſorum, ſingularum tamen urbium regimen pro temporum, & morum varietate diſtinguitur. Sane Judæis, quem ſibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipſius divinitatis voce conſtitutum: unde recte Joſephus Judæorum rempublicam *Θεοκρατίαν*, ſive divinum regimen appellavit. Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas deſcendemus, ex humano profluxere conſilio. Omnium autem principem leges dediſſe ferunt *b*) Cererem in majorum Deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab Ægyptiis relatam; quorum ſimulacra Deorum nemini, niſi ſacerdotibus, adeunda, Cambyſes poſt longam ejus ſuperſtitionis deriſionem incendit. *c*) Ea ſacra Erichteus Ægyptius, Athenas, ubi magna erat rei frumentariæ penuria, comparato frumento tranſtulit; *d*) eoque beneficio meruit, ut regnum ei deferretur, ac in Eleuſi ſacrum Cereri ſolenne inſtitueretur. Sunt, qui legum inſtitutionem tribuant Onomacrito, de quo hæc ab Ariſtotele traduntur: *e*) *Πειρῶνται δὲ καὶ τίνες καὶ συνάγειν ὡς Ονομακρίτου μὲν γενομένου πρώτου δεινοῦ περὶ νομοθεσίαν.* Alii primas leges ducunt a Rhadamanto *f*) Lyciæ rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Ilienſibus fuerit inſtitutus: isque ob inſigne ſtudium juſtitiæ, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas æſtimare. Perſis Zoroaſtrum leges tradidiſſe complures exiſtimarunt, ac eum eſſe cenſuerunt antiquiſſimum. Cum autem de illius ætate ſummopere contenderetur, ac a

a) *Lib. 3. pag. 220.*

* Plane, ut & pondera & menſuræ in omnibus fere civitatibus diſcrepant, etſi utroque ubivis genere fraudibus occurratur. Complures Judæorum leges per inſtituta Ægyptiorum, a quibus ſua Græci mutuati ſunt, in urbem Romam manarunt, unde nata occaſio collationis legis Romanæ & Hebraicæ. Conf. Celeb. Fabricius *Bibliographia antiquaria c. 15.*

b) Plin. *hiſt. lib. 7. cap. 56.*

c) Herodot. *lib. 3.*

d) Diod. Sicul. *lib. 1.*

e) *Polit. lib. 2.*

f) Plin. *lib. 7. cap. 56.*

Xanto Lydio ſexcentum annos *a*) a Zoroaſtro ad Xerxem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxiſſe a Zoroaſtro ad excidium Trojæ crederetur; duo ab aliquibus poſiti fuere Zoroaſtri, cum teſtimonia ſcriptorum frequentiora ſint de illo Aſtronomiæ peritiſſimo, quem Perſæ recentiores Hyſtaſpis Darii regis patris æqualem faciunt: a quo Hyſtaſpe Magorum doctrinam enatam eſſe, Darius filius in patris monumento inſcribendum curavit. Ceterum Apulejus Zoroaſtrum conſtituit ſub imperio Cambyſis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Apulejus tradit, doctores habuit Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrum. Ægyptii ab utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo ſcilicet, de quo *b*) Cicero tradit, *Ægyptios non leges modo, ſed & literas accepiſſe*, quem Theut appellabant, quemque poſteriores rerum Ægyptiarum ſcriptores antiquiſſimum faciunt, *c*) & ab eo quem Mœri regi ſucceſſiſſe Marshamus ex Syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes coluit, & confirmavit, librisque quadraginta duobus humana, divinaque omnia comprehendit; tum vel priores reſtituit leges, vel condidit novas. *d*) Atque huic vulgo adſignatur commentitius, ac male ſartus ille Pimander. Porro ante paſtorum colluviem, quæ ſe in Ægyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur, Thebis ſcilicet, Memphi, & Heliopoli, quam a paſtorum dominatione liberatam, Amoſis, qui regum Ægyptiorum primus Heliopoli præfuit, legibus munivit, & tribunal conſtituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum ſingulæ dabant; de quibus unus ceteris, & auctoritate in conſiliis, & gratia apud regem, & dignitatis inſignibus præcellebat: etenim e collo catena ſuſpenſam aurea gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam, *e*) cunctisque judicibus in conſilio leges omnes octo deſcriptæ libris proponebantur. Horum leges, & inſtituta Pythagoras tranſtulit ad Crotoniatas. Hinc e magna Græcia, ubi divinæ ille locavit, ac humanæ fundamenta ſapientiæ, facta ſunt civilis doctrinæ, jurisque divortia, legesque ab ejus diſcipulis ad finitimos populos traductæ fuerunt a Pythagorica ſchola: quorum celeberrimi ſunt duo, Charondas, (quem plerique Thuriis leges tuliſſe volunt,) & Zaleucus, qui Locrorum regimen conſtituit; & ambo ſanxerunt, ut qui leges proponerent novas, capite plecterentur, niſi legibus ſuis univerſorum civium utilitati conſulerent, ac Zaleuco non mortuo tantum, ſed & vivo, atque videnti cives mactarunt victimas, & oraculi juſſu divinos honores habuerunt; ſicuti Scythæ Zamolxi eorum legislatori, Pythagoræ ſervo, qui dominum in Ægypti peregrinatione ſequutus, quos inde abripuit ritus, & inſtituta tranſtulit ad ſuos. Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides, & Zeno Eleatis. His conſimiles legislatores prodierunt Eudoxus, a quo Gnidii, Andromadus Rheginus, a quo Chalcidenſes: qui ſunt in Thracia. Verum legumlatorum omnium celeberrimi, & prudentiſſimi fuere Phoronæus Inachi filius, Græcorum regum antiquiſſimus, a quo exuti feritate, & in urbem coacti, & legibus fuerunt inſtituti, atque educati: Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon. Minos, (Gnoſſium intelligo, non eum, qui Apolloniæ regnavit,

a) Diog. Laërt. *proœm.*
b) *De nat. Deorum lib. 3.*
c) Marsham. *ſecul. 1.*
d) Clemens Alex. *Strom. lib. 6.*
e) Diod. Sicul. *lib. 1. pag. 48.*

unt

ut ex Platone Strabo, & Valerius Max. colligunt,) nono quoque anno Jovis antrum ſubire ſolebat, unde prodiens decreta, & leges in eo ſeceſſu conditas Jovis nomine proponebat: unde Homero ἐννέωρος διὸς μεγάλου ὀαριστὴς dicitur, & Platoni in Minoë: φοιτῆσχι εἰς τὸ ἄντρον τοῦ Διός. Lycurgus in Cretam profectus Minois inſtituta cognovit, & eorum multa in ſuas tranſtulit leges, quas Lacedæmoniis promulgavit, ac ne ſuum ei numen deeſſet, eas Apollini adſignavit. Quas leges utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam inſtitutas, Plato, & Ariſtoteles agreſtes cenſuerunt, & aſperas. Athenæ vero, qua ex urbe omnis fluxit humanitas, & morum, atque ſermonis elegantia, poſt ejectos reges, diuturnis jactatæ ſeditionibus, nec dum firmis radicibus in populari ſtatu conſtitutæ, ac præter paucas, quas tulerant reges, nondum certis legibus illigatæ acceperunt eas a Dracone; qui auctoritate magis, quam legibus, ſuis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam ſeveritatem, ad feritatem deflectebat, ac minime congruebat humanæ imbecillitati naturæ, quam ille voluiſſe videtur extinguere, cum vel minima crimina maximis exæquaret. Quas leges ipſa ſeveritas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus pœnam capitis minarentur, levibus autem erroribus vel ſapientiſſimi ſint obnoxii; nemo tuebatur id, quod omnibus erat æque formidandum: ideo per ſe concidit, quod neque populi, neque ullius magiſtratus auctoritate fulciebatur. Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo æſtimabat, ac ex omni vitio quodlibet maleficium, oblata facultate, putabat erupturum, quæ fuit ratio Stoicorum. Quærenti autem cuidam, cur omnibus delictis capitale ſupplicium ſtatuiſſet, reſpondit: ſe delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxima vero nullam pœnam invenire morte majorem -- *τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήματα θανάτου ἄξια νομίζειν· τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν.* Hinc & otium pœna obſtrinxit exemplo forſan Ægyptiorum, a quibus Solonem hanc tranſtuliſſe leges in ſuas, Herodotus tradit: nempe ut ſinguli ſuum vivendi genus apud magiſtratus profiterentur; cum legem Pollux *de otioſis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solone otii tertio damnatum infamiæ puniri ſcribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent, quod quisque vivendi genus inſtituiſſet, & in eos, quos otioſos offendiſſent, animadverterent. Theophraſtus vero *τὸν τῆς ἀργίας νόμον legem de otioſis* Piſiſtrato adſignat. Ceterum propter earum ſeveritatem, Draconis leges natæ dicebantur a ſanguine. Quas tandem, novis conditis legibus, abrogavit Solon, poſtquam ab Athenienſibus Archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Isque, cum republicam *a*) accepiſſet inteſtino morbo laborantem, & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, & pro tributa ſibi a populo poteſtate magiſtratus, conciones, judicia, curias; numero, tempore, munereque diſtinxit: juraque cum privata, tum publica ſuis legibus definivit, & Senatum Areopagiticum graviſſimum illum, & perveruſtum conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant, atque novem Ar-

a) Plutarch. *in Solon.*

chontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil reliquit, præter examen reorum. *a*) Senatum præterea decretis ante comitia populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum æs alienum ferocientem comprimeret. Utque Ariſtotelis teſtimonio concludam, *Solonem*, ait ille, *Senatum, & magiſtratuum electionem priſtinam minime ſuſtuliſſe; ſed omnibus judicandi poteſtate tributa, populi tenuiſſe voluntatem.* Itaque mixtum regimen inſtituit, quod deinde converſum eſt ad popularem ſtatum. Solon autem ſuas a Draconis legibus non re ſolum, ſed vocabulo quoque diſcrevit: appellatæ namque ſunt Draconis leges *θεσμοὶ*, ſive ſanctiones *b*) vel, ut ab aliis exponitur, inſtituta; Solonis vero *νόμοι*, ſive leges. * Eandem rempublicam poſtea Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam, iis expulſis, & novis additis legibus, compoſuit Cliſthenes, & ſecundum hunc leges aliæ conditæ ſunt Ariſtophane, Diocle, aliisque rogantibus; aliæ a Demetrio Phaleræo, cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suidas Æſchylum & Thaletem. Ex Athenienſium autem legibus in magnam partem manavit jus Romanorum, in quo verſamur: quamvis non tranſlatitio, ſed ſuo proprio, ac peculiari jure Urbs fuerit uſa ſub regibus, a quibus de ſacris, & de publico, privatoque jure latæ ſunt leges: nempe a Romulo, Numa & Servio Tullio. Quorum primus naturæ jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii & parentum jura ſtabilivit; alter jus gentium expreſſit, ac de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura leges aliquot promulgavit, præter ritus, & cæremonias, & ſacrorum religionem, quæ fere omnis ab ejus inſtitutione profluxit; poſtremus majorem ** operam ad jus civile contulit; & de contractibus, ac delictis quinquaginta rogavit leges: *c*) item, & de fœnore, de nexis, & de ære alieno. Quæ omnia in unum volumen contulit Sext. Papyr. unde jus Papyrianum, de quo librum conſcripſiſſe Granium Flaccum, auctor eſt Paullus juriſconſultus. *d*) Quod jus exactis regibus exolevit. Imo lege Terentia fuiſſe abrogatum, Hotomannus *e*) ex Pomponio ſcribit. Joſephus vero Scaliger *** putat, leges regias minime fuiſſe ſublatas, ſed conjectas in tres priores XII. Tab.

a) Suid. *verbo ἄρχων.*

b) Ælian. *var. hiſt. lib. 8. cap. 10.*

* Cererem & Mercurium, qui Ægyptios legibus imbuerant, in Deorum numerum retulerat ſuperſtitio pagana. A Rhadamanto jus derivatur talionis. Zoroaſter legiſlator Perſarum, de quo Thomas Hyde *de rel. vet. Perſarum*, utique diverſus a Zoroaſtro Chaldæorum, cujus nomine ipſum Moſen deſignari putat Huetius *Demonſtr. Evangel. L. II. c. 4.* De Lycurgo, Zaleuco, Charonda, Dracone & Solone uberrime egit Celeb. Otto *Præfat. T. III. Th. jur. p. 8. ſeqq.*

** Quæ diſtributio aliis diſplicet. Vide Celeb. Ottonis *Præf. T. III. p. 14.* ſed tolerari poteſt per ea, quæ ſupra diximus *ad L. I. c. 31.* Romulum autem & Numam & Servium legiſlatoribus Græcorum minime cedere, ſed contra in legibus ferendis prudentia eos vehementer ſuperare, Dionyſius Halicarnaſſenſis auctor eſt, *L. II. c. 27. & 36.*

c) Dion. Halicarn. *lib. 4.*

d) *L. 144. ff. de verb. ſignif.*

e) *Obſ. L. 1. cap. 1.*

*** Ejus conjecturæ de legibus Regiis in tres priores tabulas rejectis repugnat Dionyſius *L. II. c. 28.* ubi legem de jure occidendi liberos in quarta tabula locat, quod & Auctor ipſe refert *infra c. 25.* A Regibus autem hoc jus patri datum eſſe, apparet ex *collatione legum Moſaicarum & Romanarum tit. 4.*

quam conjecturam, auctoritate tuetur Livii. *a*) *Fœdera*, inquit, *& leges (erant autem eæ XII. Tabulæ & quædam regiæ leges,) conquiri, quæ comparerent, juſſerunt.* Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui L. Bruto trib. Celerum ferente, cenſet eas tantum ſublatas, quæ ad regiam dominationem ſtabiliendam pertinebant.

XXII. FRAGMENTA ALIQUOT LEGUM REGIARUM, SIVE JURIS PAPYRIANI.

Sane regias inter leges ab eruditis multa Romanæ diſciplinæ capita collocantur, quæ potius ad mores * pertinent, e regum exemplo ductos, eorumque auctoritate inſtitutos, quam ad leges: veluti rerum agendarum initium ex auſpiciis captum, diſcretio ſenatus a plebe, rejectio inanium fabularum, quæ de Diis vulgo ferebantur, & ſimilia per Balduinum in legum formam redacta, quæ merito prætermittenda cenſemus. Nam ex illis, quæ ad jurisprudentiam ſcitu neceſſaria fuerint, loco ſuo diſpoſuimus; quæ vero ex integro ſunt conficta, relatu indigna reputamus, non minus enim meo judicio profuerit excuſſiſſe falſa, ** quam extuliſſe vera. Quarum igitur legum regiarum, præter eas, quas in XII. Tab. contulimus, certiora veſtigia ſuperſunt, hæc ſunt, quæ modo ſubjiciemus. Primum locum dabimus legi, quæ injurias filiorum erga parentes vindicat, quæque jubet, ut puer, qui parentem, aut nurus, quæ ſocerum verberaſſet, ſacer ſit, ſive devoveatur Diis parentum, ut iis tanquam hoſtia mactari poſſit: cujus legis hæc ſunt verba ex emendatione Scaligeri: *b*)

Sei parentem puer verberit, aſt oloë ploraſſit, *** puer diveis parentum ſacer eſto.

Sei nurus ſacra diveis parentum eſto.

a) *Lib. 6. cap. 1.*

* Mores tamen & leges Regias ſæpe promiſcue appellari, obſervant Pythœus *ad Collat. legum Moſaic. & Rom. tit. IV.* §. 8. Gerardus Noodt *L. I. Probabilium cap. 12.* Otto *in Præf. T. III. Theſ. juris p. 15.* & ipſe Noſter *infra cap. 25.*

** Recentioris enim commentum ſunt octodecim Romuli leges, quas exhibet Balduinus in *ſingulari opuſculo, edito cum commentario ejus ad Inſt. Lugduni 1555. f.* & dein ſeparatim *Baſileæ 1557. 8.* & quas ex columna ſe aurea in Capitolio Romano deſcripſiſſe jactitabat. Fraudem vel ſola ſtili nitiditas refellit, quæ minime ſapit ruditatem ſeculi Romulei. Ab eodem autem Romulo ſanctitatem murorum repetunt, per *L. ult. D. de rerum diviſ.* Plut. *in Romulo p. 30.* Alias ejus leges recenſet Dionyſius Halicarnaſſenſis *L. II. p. 95.* inter quas ea eſt de conventione mulieris in manum mariti, quæ ad Tiberii usque tempus duravit. Tacitus, *Annal. L. IV. c. 6.* & alia de jure vitæ & necis, patri in filium competente, ejuſdemque filium ter venundandi poteſtate. Legi de nuruum ſævitia in ſoceros ferociam raptarum Sabinarum occaſionem dediſſe, conjicit Merula *de legibus cap. II.* §. *41.* Numæ legibus addenda ea, qua cautum, ne quis vino rogum reſpergeret. Plinius *Hiſt. Nat. XIV. 12.* cujus ratio, ut acute colligit Celeb. Heineccius *Hiſt jur. p. 9.* hæc erat, ut cives vitem diligentius putarent.

b) *Apud* Feſtum *in verbo ploraſſit.*

*** Antiquos Romanos literas geminare ſolitos non fuiſſe, adeoque ut in legibus

Sei

Digitized by Google

Sei) veteres ſcribebant pro *ſi* græca diphthongo, ut ſit *i* pinguius.

Verberit) pro *verberet*, ut *edim*, *edis*, *edit* pro *edam*, *edas*, *edat* antique.

Oloë) una *l*, *olli*, *illi*, de quibus antiquis dicendi generibus paſſim libro præſenti.

Hæc autem lex adſcribitur vel Romulo a pluribus, vel Tatio, vel Servio. * Sequens adſcribitur Numæ, quæ vetat hominem fulmine ictum attolli humo, jubetque, ut defoſſa terra ibidem, ubi cecidit, ſine rogo, ſine ullo funere condatur: quo ſpectat Plinius. *a*) Neque ulli ea membra colligere licebat præterquam Aruſpicibus: ut indicat Seneca, *b*) cum neminem, ne regem quidem tutum a fulminibus dicat, atque ideo ſcribat: *Ecquis regum erit tutus*, *cujus non membra Aruſpices colligant?* Legem autem, quæ apud Feſtum *c*) invenitur, ita reſtituit Scaliger:

Sei hominem fulmin Jobis occiſit, em ſupra genua tollito: ** homo ſei fulmine occiſus eſit, ei juſta nulla fieri oporteto.

Fulmin) pro *fulmen*. Sed ego malim cum Lipſio *fulminis*, qui apud veteres rectus erat caſus; olim enim in tertia declinatione eadem erat primi, & ſecundi caſus terminatio in is. Em autem olim pro *eum*, ut fuſius infra.

Jobis) pro *Jovis* ſumta ob affinem ſonum B pro *V*. Alia lex adſcribitur Numæ de homicidiis, quæ recenſetur inter leges XII. Tabul.

Alia lex fuit de mulieribus, quæ miſcentur alienis viris, quas antiqui pellices appellabant, quasque conjugalibus aliorum cubilibus arcebat Numa jubens, ut quæ hoc in ſe probrum admiſiſſet, crinibus demiſſis, quod luctus erat, atque mœſtitiæ ſignum, cæderet Junoni agnum fœminam: etenim *agnus* utrumque olim genus complectebatur. Uſus autem fuit Numa in ea lege tropica locutione, fortaſſe ut actus inhoneſtus, honeſta verborum figura tegeretur; cumque vetare voluerit, fœminam viri alieni concubitum appetere, ſcripſit, *ne aram Junonis tangeret:* ut optime meo judicio Rævardus *d*) interpretatur, per aram enim Juno-

XII. tabularum, ſic & in legibus regiis ploraſit pro plorarit legendum eſſe, e Quinctiliano & Feſto obſervar Branchu *Obſ. c. 10.* quam conſuetudinem Ennius mutaverit, homo ſcilicet Græcus, Græco ſcribendi more uſus.

* Imo lex de nuruum ſævitia in ſoceros Romuli & Tatii eſt; Servii contra Tullii ea de ſævitia liberorum in parentes. Feſtus voce *plorare*. Nec ratio ſuppetit, quare aſſentiamur Scaligero, utramque ad Romulum, Tatium & Servium Tullium referenti.

a) *Lib. 2. cap. 54.*

b) *Lib. 1. de clement.*

c) *In verbo* occiſum.

** Quæ lex ipſa quoque ad religiones pertinuit, quibus Numa populum devinxit. Major enim religio fore videbatur, ſi Jovis fulmine ictus ſacer haberetur. Maluit autem Auctor emendationem Scaligeri, quam ipſum Feſtum ſequi, apud quem negative legitur, ne ſupra genua tollito, quæ lectio præferenda, quia eo loco, quo fulmine quis tactus erat, ibi & ſepeliebatur ſine ullis juſtorum funebrium ſolennibus.

d) *De auct. prudent. cap. 1.*

nis

nis maritalem lectum * ſignificari propius vero apparet. Hæc igitur legis verba traduntur a Feſto: *a*)

Pellex aram Junonis ne tangito: ſi tanget Junoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædito.

Quem ſenſum a Rævardo erutum tribuere huic legi videtur ipſe Feſtus, cum ait: *Antiqui eam proprie pellicem nominabant, quæ uxorem habenti nubebat;* cui generi mulierum etiam pœna conſtituta eſt a Numa hac lege; *b*) nec aliter videtur hanc legem accepiſſe Cujacius. *c*) Habemus & Numæ legem militarem de ſpoliis, quæ ipſemet belli dux hoſtium duci a ſe cæſo detraxerit, quæ *opima ſpolia* ** veteres appellabant, cuiusmodi pauca admodum ex veteri memoria proferuntur. Quam appellationem Varro tribuebat etiam ſpoliis hoſtium duci detractis a manipulari milite, ut Feſtus teſtatur. Statuit autem lex templum, quo inferri debebant opima ſpolia, et ſacrificia, quæ Diis offerri ob eam cauſam oportebat; & præmium, quod victor ex ea cæde merebatur. Itaque prima ſpolia deſtinat Jovi Feretrio, imperatque hoſtias maiores, nempe bovem, qui Jovi Deorum maximo a veteribus immolabatur; & victori ducenta æris attribuit. Secunda ſpolia Marti deſtinat cum ſolitaurilibus, quo verbo ſimul ſignificantur tauri, arietes, verres, cum integro corpore, hoc eſt cum tota lana, non tonſi, non caſtrati: etenim, ut ex Martiale colligit Joſep. Scaliger ad Feſt. in verbo *ſolitaurilia*, verres, aries, taurus, cum admovebantur aræ mola mactati, priusquam corio exucrentur, caſtrabantur. *Sollum* vero Oſca lingua ſignificabat *ſolidum totum. d*) Quoniam autem majora erant taurus; minora aries, *** aut verres; Lex utraque, ſive maiora, ſive minora quis voluerit, immolari permittit. Tertia ſpolia deſtinat Jano Quirino, ſimul cum agno mare, victorique præmium conſtituit centum æris, quæ ſententia com-

* Imo, figura duriori ara Junonis pro lecto diceretur maritali, & aram Junonis nativo & proprio ſenſu accipi nihil vetat. Certe Juno, ut legitimis matrimoniis, ſic nuptiis quoque præerat, unde domiduca, iterduca, patulca dicitur in veteribus inſcriptionibus apud Reineſium *Inſcrips. claſſ. I, 33. 34.* in quibus nuptiis ſolenne ei ſacrificium fiebat, in quo feminæ nubentes, dum in manum mariti venirent, Junoni libabant. Caſtos autem et legitimos eſſe volens civium amplexus, pellices ab hoc ſacrificio arcet Numa, niſi ad ignominiam priſtinæ fœditatis agnum feminam Junoni mactent crinibus demiſſis.

a) *Verbo* pellices.

b) Gell. *l. 4. c. 3. L. 144. ff. de V. S.*

c) *L. 144. ff. eod.*

** Qualia ſunt, quæ M. Claudius Marcellus Conſul de Gallis Inſubribus et Germanis retulit, duce hoſtium Virdomaro ad Claſtidium interfecto. *Faſti Capitolini ad A. DXXXI.*

d) Feſtus *in verbo ſolitaurilia, ubi* Scalig. *&* Jul. *ejus pater, de cauſis linguæ Lat. lib. 4. cap. 89.*

*** Solitaurilium nomine ſacrificium ex ſolido tauro venire, intelligi poteſt. Sed eodem nomine etiam ſacrificium ex ariete & verre deſignari, non eſt captu facile, quamvis id Feſtus quoque affirmet. Quare præſtat ſuovetaurilia cum aliis apud eundem Feſtum a ſue, ove, et tauro repetere, quæ animalia certe ſolenni ſacrificio in cenſu adhibebantur. Gruterus *Inſcript. p. CXXI, 1. HUIUS OPER. PERFECTI CAUSA LUSTRUM MISSUM SUOVETAURILIB. MAIORIBUS.*

prehenditur hiſce antiquæ legis verbis, ab eruditis aliis, & poſtremo a Scaligero reſtitutis: *a*)

Quo jus auſpicio claſſe procincta opeima ſpolia capiuntur, Jovei Feretrio bovem cædito, quei cepit æris ducenta darier oporteto. Secunda ſpolia in Martis aram in campo ſolitaurilia utra voluerit cædito. Tertia ſpolia Jano Quirino, agnum marem cædito, centum quei ceperit ex ære dato.

Sequitur ejusdem regis lex ad ſacrificia pertinens. Et quoniam is voluit, ut crebro, & abunde Diis ſacrificaretur, & ſolennia convivia celebrarentur in eorum honorem; removet a ſacris id, quod gravi ſumtu comparabatur, cujusque rara eſſe poterat oblatio, veluti piſces ſine ſquamis, qui maritimis in regionibus rariores multo ſunt ſquamoſis, quibus capiundis mare latiſſime patet. Ideo vetuit piſces ſine ſquama Diis polluceri, quod Varro explicat *porrigi*, ſive pro libaminibus Divis offerri. Verbum enim erat proprium mercatorum, quando mercium primitias Diis offerebant. Unde *polluctum* dicebatur convivium in Deorum honorem paratum: quod quia extruebatur magnifice; hinc *polluctum*, *pollucte*, *pollucibiliter*, & *pollucibile* verba erant magnificentiæ, & largitatis. *b*) Piſces autem ſquamoſos omnes offerri per legem licuit præter ſcarum, ob raritatem, de qua Horatius *c*) eſt teſtis:

Nec Scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

& alibi: Epod. od. 2. verſ. 50.

Non me lucrina moverint conchilia
Magisve rhombus, aut ſcari,
Si quos eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

Atque is legis ſenſus patet ex Caſſio Hemina, cujus verba extant apud Plinium *d*) ſimul cum lege ipſa ita per Scaligerum reſtituta: *e*)

Piſceis quei ſquamoſei non ſunt, nei polluceto, ſquamoſos omneis præter Scarum polluceto.

Parſimoniæ quoque ſtudio, lege ſua Numa vetuit in funeribus vino rogum reſpergi.

Vino rogum ne reſpergito: de qua inferius. Idem Numa, qui diſciplina ſacrorum, & Deorum cultu munivit rempublicam, agros etiam religione circumdedit; & metu Deorum Terminalium firmiori nempe ſepe cinxit, quorum in cuſtodia fines agrorum eſſe cenſebantur; ideo juſſit, ut qui terminum exaraſſet, ſive tranſtuliſſet, quo fines agrorum conturbarentur, ſacer eſſet Diis Terminalibus, ſive ea conditione eſſet, ut impune ſimul cum ſuis bobus poſſet occidi, tanquam victima Diis cædenda Terminalibus: cujus legis hæc verba retulit Feſtus: *f*)

Quei terminom exaraſſit, ipſus, & boveis ſacrei ſunto.

a) *in* Feſt. *verb.* opima.
b) Voſſ. *etymol. verbo* polluceo.
c) *Serm.* 2. *Sat.* 2. *v.* 22.
d) *Lib.* 32. *cap.* 2.
e) *Ad Feſtum in verb.* pollucere.
f) *Verbo* termino, *ubi* Scal.

Refer-

Refertur etiam ad leges regias illa, de qua meminit Marcellus: *a*) ne mulier, quæ prægnans mortua eſſet, humaretur, antequam eius excinderetur partus.

XXIII. DE LEGIBUS XII. TABUL.

Verum quia inſtituta vetera, & quæ de regio iure ſupererant, regendis, tractandisque negotiis recens in dies emergentibus, minime ſufficiebant; adeo ut res civiles potius arbitrii æquitate quam certis ubique juris præceptis definirentur; opus fuit augendi juris, novarumque legum conſilium inire. Nam creſcente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi, atque injuria, pro natura multitudinis, æſtuante; prudentiores nova morborum ſemina, novis opprimenda remediis cenſuerunt. Propterea, ut libro primo retulimus, miſſi tres legati fuerunt petitum leges, quas partim ex Athenienſibus, & Lacedæmoniis, partim ex Magnæ Græciæ urbibus civili Pythagoreorum philoſophia inſtitutis, atque fundatis retulerunt. Ea tum enim Italiæ pars pro naturali ferocitate ingeniorum, & ob illorum temporum culturam ceteris præſtabat nationibus. Quo iure adducto, condendis inde Romanis legibus creati fuere cum ſumma poteſtate, absque provocatione, decem hi conſulares viri, quorum in nominibus diſcrepant ſcriptores, quosque nos ex Dionyſio, cui magis fidimus, referemus. Fuerunt autem Appius Claudius, T. Genutius, P. Sextius, T. Romilius, C. Julius, T. Veturius, & P. Horatius. Quibus cum acceſſiſſent iidem illi tres, qui legati fuerant, P. Poſthumius, Sex. Sulpitius, A. Manlius, & decem virorum numerum compleſſent, evenit, ut Pomponius ſcriberet, Decemviros fuiſſe in Græciam miſſos: non ut numerum legatorum denarium, ſed ut dignitatem decemviralem tribus hiſce poſtea tributam * ſignificaret. Qui cum inter Decemviros fuiſſent, Decemviri vulgo a poſteris appellabantur: quaſi diceret legatos fuiſſe eos, qui poſtea fuere Decemviri. Quod alii minime animadvertentes, cum Pomponium vereantur, accuſationem vertunt in Tribonianum, cui & legem hanc totam Pomponii ætate certe digniſſimam adſignant, propter aliquos, in quos offendunt locos: quaſi nemo falli queat, aut fallere, niſi Tribonianus; qui morbus eſt familiaris omnium in jure criticorum, minime alioqui reputantium adeo incunabula rerum plena eſſe caliginis, ut tertio quoque verbo, cum eo deventum fuerit, inter ſe pugnent hiſtoriæ. Decemviri autem illi, quamvis Romanæ, ac civilis prudentiæ ſatis compotes; quia tamen e græcis literis, & inſtitutis leges erant eruendæ, adhibuerunt in conſilium Hermodorum Epheſium in Italia tum temporis exulantem, qui Romanis ejus legationis auctor fuerat: quemque plurimum ei negotio contribuiſſe, atque aliquas etiam leges Romanorum condidiſſe, accepimus a Strabone *b*) ** Quo pertinet omen illud He-

a) *L. 2. ff. de mortuo inferendo.*

* Alia conjectura, eaque non minus ingenioſa, tranſpoſitis Pomponii verbis ſectionem quartam *L. 2. ff. de O. J.* interpretatur Ill. van Bynkershoek in *Prætermiſſis ad dictum locum.*

b) *Lib. 14.* Plin. *lib. 4. cap. 5.*

** Cui repugnare videtur Plinius *Hiſt. Nat. L. XXXIV. c. 5.* qui eum magis veriſimiliter legum Græcarum interpretem vocat, niſi Strabo conſequens pro antecedenti poſuit. De Epheſino autem legislatore, cujus mentio in *c. 5. X. de præſcript.* adeundi Otto *in Pr. T. III. Th. jur. p. 4.* & Heineccius in *Hi-*

racliti, qui ad Hermodorum ſcribens, ſpeciem ſibi ait oblatam in ſomnis orbis terrarum univerſi venerabundi, & ad illius leges, Perſarum more compoſitis ad oſculum labiis procumbentis.

ὄναρ ἐδόκυν, τοῖς σοῖς νόμος τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκυμένης διαδήματα προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκλείοντας τὸ σόμα προσκυνεῖν αὐτούς.

His autem tabulis publice propoſitis, facta unicuique objiciendi, & corrigendi poteſtate, poſteaque omnium conſenſu probatis, ut corpus integrum Romani Juris abſolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque S. Cto, captis auſpiciis, accitis Pontificibus, & Auguribus, Comitiis centuriatis, leges univerſi ſciverunt. Quod jus ad omnium notitiam, & utilitatem æneis inciſum tabulis fuit, & in foro, juſſu populi, collocatum. Mos hic incidendarum legum deſcendit a Corybantibus, qui columnis inſculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon *a*) in ligneis incidit tabulis, quas *ἄξονας, καὶ κύρβεις* appellarunt: cum ante tabularum uſum ediſcerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriæ mandarent. Quamvis autem Pomponius XII. tabulas eboreas (quæ lectio eſt Florentini codicis) ſive, ut fortaſſe legendum eſt, roboreas fuiſſe ſcripſerit; tamen id de iis accipiendum eſt tabulis, quæ populo emendandæ, non de iis, quæ in perpetuum obſervandæ propoſitæ fuerunt, quæ erant æreæ; niſi vel Triboniano culpam tribuamus, vel Pomponium adverſus omnium veterum auctoritatem locutum exiſtimemus. Id autem jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem ſane concinnam; tum propter ſummam æquitatem, atque prudentiam, rerumque pondus, & majeſtatem univerſam continere ſapientiam, atque omnium Philoſophorum doctrinam gravitate ſuperare putabatur. Hæ leges ordine vario locantur a recentioribus. Alii enim Otthomannum ſecuti, explicationem earum tribus ſummis capitibus concluſerunt. Ac primo de jure ſacro, deinde de jure publico, poſtremo de jure privato tractarunt. Alii, quos inter egregie Jacobus Gothofredus, antiquitatis veſtigia proſequentes conjectura ſua priſtinum nobis XII. tabul. ordinem reddere ſtuduerunt. Neutram nos harum diviſionem repudiabimus, ſed utraſque ad diverſum ſcribendi conſilium conferemus. Quo enim jus omne hoc priſcum breviter, ac perſpicue ſimul expediamus; ex ordine materiarum, arte, ac ratione progredientes, ad eas revocabimus ſingulas leges, dum illas explicamus, Hottomanni ordinem ſervabimus: ad extremum vero Gothofredi tabulas ex ordine ab eo ad vetus exemplar ex conjectura reſtitutum ſubjiciemus. Germana enim, & vera legum harum fragmenta producere in animum induximus: neglectis iis, quæ potius ex interpretum ingenio, quam ex veterum fide monumentorum extiterunt. Ideo earum, quæ mutilæ ſuperſunt, ſententias adferemus: nec tamen omittemus exponere verba illa vetera, quæ ad nos pervenerunt; quæque Gothofredus, & eruditi interpretes alii diſtinxerunt a commentitiis, quæ adjecta fuerant: ut e veris una, & ſuppoſititiis integer ſenſus earum colligeretur. Nam quas e Ciceronis libris de legibus

ſtoria juris p. 24. Nihil autem obſtat; quo minus XII. tabulæ primum in robore, dein in ebore, tandem in ære propoſitæ fuiſſe credantur.

a) *Vide* Petit. *ad LL. Attic. in princ.*

in

in XII. tabul. retulerunt; non veras arbitramur, ſed a Cicerone confictas, exemplo legum Platonicarum: quamvis multas legum decemviralium ſententias propter æquitatem, quam continebant, ex intima philoſophia ductam Cicero ſuis legibus comprehenderit.

XXIV. DE SCRIPTORIBUS AD HAS LEGES PRISCIS, ET VARIIS HUJUS JURIS APPELLATIONIBUS.

Scripſere autem ad has leges e veteribus Juriſconſultis Sex. Ælius, *a*) & M. Porcius Cato J. C. & Servius Sulpicius, quem XII. tabul. interpretem prodit Feſtus, & Antiſtius Labeo, de cujus commentariis mentio eſt apud Gellium, *b*) & denique Cajus, cujus fragmenta e commentariis ad leges XII. tabularum in lectione Digeſtorum occurrunt. *c*) Pluribus autem appellationibus harum legum præſtantia ſignificatur. Eas enim Cicero *d*) XII. ſimpliciter vocat, & Horatius *tabulas peccare vetantes: e*) & auctor ad Herennium *leges:* & alibi Horatius *f*) *leges ſanctas:* & Arnob. *ſcita decemviralia:* & Prudentius *g*) *bis ſex tabulas:* & Gellius *h*) *legem decemviralem:* & JCtis noſtris, atque Imperatoribus *i*) dicuntur *jus vetus, jus priſcum,* & Feſto *Decemviri,* Ciceroni *majores.* Item JCtis *k*) *veteres, & lex antiqua, jus antiquum, jus civile, jus antiquiſſimum.* Quas appellationes collegimus, ne notæ ignorentur, quibus a veteribus jus XII. tabularum indicatur; quibusque & nos ubi occurret in curſu noſtræ tractationis forſan utemur. Leges autem univerſas ad duo præcipue capita revocabimus: ad privatum ſcilicet jus, & ad publicum, ſub quo & ſacrum continetur. Et ab Hottomanni ordine tantiſper deflectentes, primo privatum, deinde publicum evolvemus. Ac veterem, & ſolennem juris conditorum diviſionem amplectentes, primo juris privati, deinde juris publici ſeriem deducemus.

XXV. DE JURE PATRIO.

A jure autem patrio exordiamur: quod ſummi quodammodo eſt imperii ſimulacrum. Parenti ſane in liberos poteſtatem tribuit ipſa natura. Etenim neceſſitudinis vinculo, & communione ſanguinis filius cum patre, tanquam eventus cum ſuis initiis nectitur. Primordia enim filiorum in parentibus inſunt: quorum filii ſunt veluti ramus, quia parentum ſanguine concipiuntur, ejuſdemque aluntur opibus, & cura educantur. Aetas enim prima, ut Aeſchilus dicebat, alienæ mentis indiget, ut educetur. Quamobrem poteſtas patria, uti rationabilis naturæ dictatum, in mores omnium cultiorum gentium permanavit, conſtituitque inter homines veluti quoddam naturale regnum, quod apud Perſas, & apud majores noſtros

a) *L. 2. §. 38 ff. de orig. juris.*
b) *Lib. 1. cap. 12. lib. 7. cap. 15.*
c) *Veluti L. ſi calvitur cum ſeq. ff. de V. S.*
d) *Lib. 2. de legib.*
e) *2. Epiſt. 1.*
f) *1. Satyr. 2.*
g) *Lib. 2. adverſ. Symmach.*
h) *Lib. 20. c. 1.*
i) *L. 1. ff. de petit. hered. L. unic. C. Theodoſ. de uſu rei judic.*
k) *L. 53. ff. V. S. l. 2. ff. de orig. jur. l. 29. §. 7. ff. de lib. & poſth. §. 9. Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. deferuntur. Novell. 22. cap. 9.*

tranſierat in tyrannidem. Refert enim Ariſtoteles, *a*) Perſas uſos fuiſſe liberis tanquam ſervis. Taliſque liberorum erga patrem amor erat, & obſequium, ut glorarentur, neminem fuiſſe repertum, qui patrem ſponte occidiſſet: ac ſi qui forte tale facinus admiſiſſet, ſpurium, aut ſuppoſititium fuiſſe compertum. *b*) Athenienſibus, etſi non quidlibet permitteretur * in filios, tamen licebat eos abdicare, ſive abalienare a ſe, ac familia ſua, cauſa cognita, & crimine apud judices probato. *c*) Moribus quoque receptum apud eos fuit vendere filios: quod temperavit Solon prohibens, filiam, aut ſororem, niſi in ſtupro deprehenſam venundari. *d*) Arbitrium etiam patris erat exponere infantem filium, quod colligimus ab exemplis comicorum eum morem reſpicientibus. *e*) Et cum alendæ prolis copiam non haberent, eam vendere fas erat etiam ex veteri Thebanorum lege ad alios populos poſt fortaſſe producta. *f*) Veteres etiam Gallos refert Cæſar in uxores, liberosque, vitæ necisque poteſtatem habuiſſe. *g*) Non diſſimilis poteſtas fuit in filios Romanorum, apud quos, cum antea moribus exorientis Romæ, barbaris illis quidem, & atrocibus coaluiſſet, deinde migravit in leges Romuli: proptereaque minime pugnat Ulpianus, ** qui eam adſcribit moribus, cum Papiniano, *h*) atque aliis, qui eandem a legibus deducunt regiis: qua in diſſenſione componenda tantopere laboratur. Non eſt novum enim, ut mores adducantur in leges, quo æternam accipiant firmitatem. Hæc autem regia lex de poteſtate parentum, tranſlata fuit a Decemviris in quartam tabulam, *i*) ut Dionyſius refert, qui omnem hanc poteſtatem in iſta diſpertit, nempe *ut liceat parentibus loris cædere filios, carcere coercere, in agros ad opera ruſtica vinctos amandare, venundare, denique interficere.* Eos vero abdicare, ac negare filios, Romanis minime licebat: *k*) ſed tantum jubere, ut e conſpectu patris abirent, ac diſcedentes a domo paterna, jus in paterna bona minime amittebant; niſi exhæredarentur. His armata juribus patria poteſtas, merito propria Romanorum, & civilis modo juris portio habebatur; cum vix apud alios hunc auctoritatis apicem attigiſſet: apud Romanos enim familiaris quodammodo erat magiſtratus in patre conſtitutus, cum jure gladii; propter quam auctoritatem a jure civili acceptam, patria poteſtas a JCtis propria dicitur civium Romanorum; nec enim eam obtinebat quis, niſi civitatem Romanam impetraret; quam

a) *Lib. ethic.* 8. *cap.* 10.

b) Herodot *lib.* 1. *pag.* 65. Stobæus *ſerm.* 42. Briſſon *de regn. Perſic. lib* 2. *pag.* 198.

* Jure enim vitæ & necis minime utebantur, ut apparet ex Meurſio in *Them. Att. l.* 2. & 3.

c) Demoſth. *in Bootum.* Lucian. *in abdicato.* Petit. *ad leg. Attic. lib.* 1. *tit.* 4. *p.* 158.

d) Plutarch. *in Solon: pag.* 91. Petit. *ibid. pag.* 159.

e) Terent. in *Heauton. act.* 4. *ſc.* 1. & Ariſtoph. *in ranis.* Petit. *ibid. pag.* 144.

f) Ælianus *lib.* 2. *hiſt.* Grot. *de jure bell.* 2. *cap.* 5.

g) *De bello Gallic. lib.* 6. *pag.* 257. *in edit. cum notis varior.*

** Dionyſius Halicarnaſſenſis *II. p.* 96. Romulum patriæ poteſtatis apud Romanos auctorem introducit, et proinde mores apud Ulpianum in *L.* 8. *D. de his, qui ſui vel alieni juris ſunt,* non incommode, de ipſis Romuli legibus accipiuntur, quæ in mores abierant & mores dicebantur, ne inviſo nomine regio uti neceſſe eſſet. Vide dicta ad c. 22.

h) *Apud* Auct. *collat. legum Moſaic.*

i) Dionyſ. *lib.* 2. *pag.* 97.

k) *L.* 9. *Cod. de patria poteſt.*

ſi amit-

Digitized by Google

ſi amitteret, poteſtatem patriam haud quaquam retinebat: quales erant ii, quibus aqua, & igni interdicebatur. Hinc jus patris a Livio *a*) *paterna majeſtas* appellatur. Patri enim licebat in filios idem, quod in ſervos: qui hoc meliori conditione, quam filii erant, quod ſervus una tantum, filius vero nonniſi terna manumiſſione * libertatem nanciſceretur. Liberatus vero filius hoc præſtabat liberatis ſervis, quod hi libertini manebant, filius vero naturalem præferebat ingenuitatem: quæ tanti erat, ut vendendo filio nunquam perimeretur, ſed tegeretur potius: ita ut manumiſſus filius eam, quam in ſe conditam habebat, veluti abruptis vinculis explicaret. Hinc ait Conſtantinus, *non poſſe parentes eripere filiis libertatem.* *b*) Quo igitur aliquando filius e poteſtate patris exiret, lex juſſit, uti terna venditione liber eſſet: nec manumiſſus tertio ab emtore in poteſtatem patris denuo recideret; ut reciderat ſemel & iterum antea manumiſſus. Ne vero filio ſpes libertatis tamdiu protraheretur, ternæque venditiones, & manumiſſiones ei eſſent expectandæ, rationem veteres excogitarunt, qua & legis in ſpeciem conſervaretur auctoritas, & moræ illæ libertatis præciderentur. *c*) Itaque per ſimulatas venditiones ter filius a patre tradebatur emtori, uti ternas poſt venditiones liberaretur: hisque tribus venditionibus ad veritatis imaginem adhibitis, filius tertia denique manumiſſione, aſſequebatur irrevocabilem libertatem. Hic autem actus dicebatur emancipatio; emtor vero pater fiduciarius appellabatur: quia filium ea fiducia naturali a patre accipiebat, ut manumitteret. Filia vero, & nepotes unica venditione, ac manumiſſione ad libertatem perveniebant. *d*) Legem vero fertur tuliſſe Numa, *e*) ne liceret patri vendere filium, cui uxorem ducere permiſiſſet. Abſurdum enim, arbitror, putavit fore, ut mulier nupta, ſe inopinante, atque invita ſervitutem ſubiret, in quam ſuus conjux per venditionem a patre traderetur, curavitque, ne per hanc viam conjugia diſtraherentur, *f*) ſive ut eleganter ait JCtus, *bene concordantia matrimonia jure Patriæ poteſtatis turbentur.* ** Verum hanc paterni juris atrocitatem Romani remittere cœperunt, poſtquam cognitio humaniorum ſtudiorum, cultiorumque nationum uſus rubiginem priſtinam e moribus eorum excuſſit. Raro enim, ac parce admodum deinceps hac ſuprema poteſtate in filios utebantur: ut ad terrorem potius liberorum, quam ad liberam ejus exercitionem ſuperfuiſſe videatur: cum Brutus ad Atticum ſcribat: ***Dominum ne parentem quidem majores noſtri voluerunt***

a) *Lib. quarto.*

* Seneca de *Benef. III. c. 11. Parentum conditionem ſacravimus, quia expediebat liberos tolli: ſollicitandi ad hunc laborem erant incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quum beneficia dantibus dicitur, cui des, elige ipſe tecum. Si deceptus es, quære dignum; adjuva. In liberis tollendis nihil judicio tollentium licet, tota res voti eſt. Itaque ut æquiore animo adirent aleam, danda illis aliqua poteſtas fuit.*

b) *L. 10. C. de patr. poſt.*

c) *Inſtit. quib. mod. jus patr. poteſt. ſol. §. præterea.* Cajus *lib. 1 tit. 6. Inſtit. in §. item per emancip.* Ulp *in fragm. tit. 10. in princ.*

d) Ulpian. *in fragm. tit. 10. in princ.*

e) Dionyſ. *lib. 2.* Plutarch. *in Numa.*

f) *L. 1. §. ult. ff. de lib. exhib.*

** Simul ut ab illecebris vagæ Veneris ad matrimonia legitima pellicerentur juvenes, dein liberi futuri a triſti illa ſeveritate, in quam eos patribus dira lex Romuli tradiderat, cum alias juvenes qui amant, graviter ſibi dari uxorem ferant.

eſſe.

eſſe. Ac Paulli JCti ætate, ne opinione quidem hominum jus vitæ, necisque in filios permanebat, cum ſcribat, *a*) *licet filios exhæredare, quos & occidere licebat.* Unde Adrianus in inſulam deportavit eum, qui filium novercæ adulterum interfecerat, *b*) atque adjecit JCtus, *patriam poteſtatem in pietate debere, non atrocitate conſiſtere.* Unde recentioribus temporibus licebat ſane patri filium caſtigare; ſed ſi majori animadverſione indigeret, illum tradere magiſtratui cogebatur afficiendum ea pœna; qua ipſemet pater cenſuiſſet. *c*) Ceterum Ciceronis etiam ævo ſæviebat in filios patria poteſtas: narrat enim Salluſtius, & Valerius, Fulvium Senatoris filium retractum ex itinere, juſſu patris occiſum, quod adverſus patriam inter Catilinarios conjuraſſet; *d*) nec deſunt apud Senecam, & alios alia recentioris ætatis exempla. *e*) Exercebant enim parentes in filios domeſtica judicia, conſultis plerumque neceſſariis, vel principibus, vel Senatoribus, aut magiſtratibus: ut ante Adrianum, vel ut alii exiſtimant Diocletianum, temperatum quidem jus necandi filios fuerit; funditus vero minime ſublatum, ſed meo judicio jam ceſſaverat ante Diocletianum; cum ante illum etiam venditio filiorum interdicta fuiſſet: ut ex ſuæ conſtitutionis verbis intelligitur. *f*) Verum quia parentes ob inopiam filios exponebant, & commovendæ miſericordiæ prætereuntibus miſere objiciebant; poteſtatem parentibus egenis filios vendendi fecit Conſtantinus, ut emtoris dominio ſubeſſent, donec reddito precio, aliove mancipio, vel a patre, vel ab alio quovis liberarentur. *g*) Sed jam leges ipſas XII. tabularum, quibus patria poteſtas comprehenditur, producamus, quales Jacobus reſtituit Gothofredus.

Endo liberis juſtis, jus vitæ, necis venumdandique poteſtas patri.
Si pater filium ter venumduit, filius a patre libre eſto.

Endo) veteres dicebant pro *in*, & Duit pro *dederit*. *Juſti* autem filii ſunt legitimi, ſive ſuſcepti ex juſtis nuptiis: *juſtum* enim dicitur quidquid a lege habet auctoritatem. *

a) *L. 11. ff. de lib. & poſth.*

b) *L. Divus 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.*

c) *L. 3. Cod. de patr. poteſt.*

d) Salluſt. *in Catil. cap. 39.* Valer. Max. *lib. 5 cap. 8. n. 5.*

e) Senec. *de Clem. lib. 1. c. 14. & 15.* Dion *lib. 57.* Sueton. *in Claud.*

f) *L. 1. C. de patrib. qui fil. diſtrax.*

g) *L. 2. Cod. de patr. qui fil. diſtrax. & C. de infantib. expoſit. ubi* Cujac.

* Suppliciorum a patribus in filios exercitorum catalogum ſiſtit Cornelius van Bynkershoek *de jure occidendi liberos capite 3.*, quo opuſculo hoc jus Trajani, Hadriani & Antonini Pii temporibus evanuiſſe contendit. Occurrebat is ſententiæ Gerardi Noodtii, qua is jus exponendi liberos a Valentino demum, Valente & Gratiano in *L. 2. C. de Infant. expoſ.* ſublatum putabat, quæ lis dein amica Noodtii reſponſione, eique oppoſitis Bynkershoekii curis ſecundis agitata fuit. Locus Tertulliani ad *Nation. I, 15,* qui rem totam conficere dicitur, neutri ſententiæ favet. Ut enim leges, quibus infanticidium prohiberi ait, neutiquam de Conſtitutionibus Valentini, Valentis et Gratiani, ſic nec de Edictis Trajani, Hadriani & Antonini Pii intelligi poſſunt; ſed populi ſcita antea lata deſignari videntur.

XXVI.

XXVI. DE JURE TUTORUM.

Poteſtas hæc minime per mortem patris extinguitur; ſed eo decedente aliquatenus producitur, vel ex teſtamento patris ipſius, vel imperio legis ad tuendum filium ſuperſtitem, qui ſe per ætatem defendere nequeat. Eaque patriæ poteſtatis imago, quæ poſt parentis mortem ſupereſt, tutela nuncupatur. Quæ legibus plurium gentium, ac præcipue Athenienſium inſtituta, migravit etiam in Romanas, ante conditas XII. tabulas. Etenim Ancus Martius Lucium Tarquinium filiis tutorem dedit. Hæc deinde poteſtas redacta in eam XII. tabularum legem fuit, qua teſtandi facultas permittebatur. At ſi nullum patris teſtamentum extitiſſet, vel in eo tutelæ mentio nulla fuiſſet, lex patris vicem ſubibat, & tutelam ad eos agnatos deferebat, qui legitimam ad ſucceſſionem vocarentur. Æquum enim Decemviri cenſuerunt, ut ad quos lucrum ſucceſſionis pervenire poterat, ad eosdem onus tutelæ dirigeretur; ideoque ſucceſſionem cum tutela conjunxerunt: maxime quia major bonorum cuſtodia ſperaretur ab iis, ad quos poſſent aliquando eadem bona tranſire. Quæ cogitatio tanti apud Solonem non fuit, ut objicere vitam pupilli voluerit inſidiis eorum, qui eo mortuo ad illius bona vocabantur: forte quia non eadem, quæ apud Romanos, erat apud Athenienſes morum honeſtas, * ideo removit conſanguineos, & agnatos a cura pupillorum, ob eam ipſam rationem, quia legitimi eſſent ſucceſſores. Hinc Archontibus negotium dabatur inveniendi, cui pupillum regendum darent. *a)* Eodemque conſilio, & Charondas paternis conſanguineis ſucceſſionem tradidit, & bonorum adminiſtrationem; maternis vero pueri educationem, ut omne periculum, ſublata ſpe ſucceſſionis, a vita pupillorum amoveretur, *b)* & bona cautius adminiſtrarentur ab iis, ad quos poſſent aliquando deferri. Plato vero utrosque conjunxit proximos ſcilicet ex parte patris duos; & ex parte matris totidem; ut invicem ſeſe obſervarent, atque ita alteri ab alteris pupillum tutum præſtarent: quibus adjecit unum ex defuncti amicis, qui tanquam arbiter præeſſet omnibus. Atque ita ſecuritatem pupilli cum tutorum ſucceſſione copulavit; Romanorum, quos ignorabat, & Charondæ ſimul prudentiam amplexus. *c)* Quamvis autem Alcibiades tutores habuerit propinquos, nempe Periclem, & Ariphontem, *d)* neſcimus tamen, an ex lege dati fuerint; neque vero arbitror agnatos omnes a tutela remotos, ſed eos tantum, qui proximiores eſſent ad ſucceſſionem: ut neceſſe non ſit aſſentiri Balduino, qui hoc ab exemplo legem hanc Romanorum ad Atticas revocavit. *e)* Et quoniam familiarum conſervandarum cauſa leges XII. tabul. ſecluſis cognatis, ſive conjunctis ex materno latere ad hære-

* Attamen Athenis quoque ut malos peſſimos, ſic bonos optimos eſſe, veteres ajebant. Apud Romanos contra pupillos, quibus amplior res eſſet, animam cuſtodire Juvenalis jubet, ne ab agnatis iisdemque tutoribus veneno, vel aliis malis artibus e medio tollerentur. Adeo verum eſt, eximia & virtutis & ſceleris exempla ubivis gentium deprehendi.

a) Pollux. *lib. 8. Petit. ad leg. Attic. lib. 6. tit. 7.*

b) Diodor. Sicul. *biblioth. l. 12.* Balduin. *c. 38. ad leg. XII. tabul.*

c) lib. 11. de legib.

d) Plutarch. *in Alcibiade.*

e) Balduin. *ad leg. XII. Tab. cap. 38.*

Digitized by Google

ditatem vocabant agnatos, ſive conjunctos ex latere paterno; *a*) ideo agnatis primo loco tutela defertur, deinde gentilibus, ad quos olim poſt agnatos, ut infra demonſtrabimus, legitima hæreditas devolvebatur: *b*) qui autem gentiles fuerint, res poſcit, ut explicemus. Initio condendæ Urbis tantum patricii gentiles habebant, cum ii tantum potuiſſent oſtendere genus ſuum, utpote certo e patre deſcendentes, plebei vero minime, utpote patre incerto, e fugitivis, exulibus terræque filiis raptim, ac temere collecti; Unde tantum eorum filii gentiles habere cœperunt parentum nomine capientes; hinc apud Ciceronem *gentiles a Scævola definiuntur ii, qui eodem inter ſe nomine ſunt, quorum nemo ſervitutem ſervivit, nec capite diminutus ſit.* Hinc apud Livium Decii hæc adverſus patricios, *ſemper iſta audita ſunt eadem, vos ſolos gentem habere.* *c*) Gens igitur, ſive genus nomine ſignificabatur; prænomine vero notabatur homo ille, qui ea de gente oriretur; veluti in hac appellatione *Lucius Cornelius Scipio.* *Cornelius* nomen eſt gentis, ex qua plures familiæ fluxerunt, nempe *Scipio*, *Lentulus*, *Dolabella*, qui quia gentiles erant, & ab una gente Cornelia proficiſcentes; Cornelium omnes nomen gentilitium præferebant. *Lucius* autem nomen erat proprium hominis, hinc agnatorum jus, & gentilitium. Agnatorum jure potiebantur ii, qui eadem de familia proficiſcerentur, veluti Scipiones omnes; jure vero gentilitio gaudebant omnes *Corneliæ* gentis familiæ, nempe *Scipiones*, *Lentuli*, *Dolabellæ*. Unde tutela legitima *Lentulorum* primo ad Lentulos alios veniebat; poſtea vero, deficientibus Lentulis, ad alios ex gente Cornelia, puta vel ad Dolabellas, vel Scipiones, vel alios ex aliis familiis, qui eſſent pupillo proximiores. Sunt igitur gentiles cognomines, ejuſdem nempe nominis tantum, non familiæ: propterea Marcus Tullius in libris de legibus gentilem ſe fert Tullii regis: idemque quos Plato vocat ὁμωνύμες gentiles interpretatur. *d*) De libertorum vero tutela, quamvis nihil XII. Tabul. verbis caveatur; tamen fida earum interpretatio detulit eam ad patronos, qui & ad liberti vocantur legitimam hæreditatem. Tutela igitur poteſtas eſt, quæ ad pupilli bona, & præcipue ad perſonam dirigitur, cui proxima eſt poteſtas alia tenuior, quæ ad bona tantum extenditur. Unde non tutela, ſed curatio dicitur, & patrimonio præficitur, non moribus, qualis eſt cura minorum XXV. annis, quæ de Prætoris edicto proceſſit. Eſt etiam cura alia furioſorum, & prodigorum, quæ de XII. Tabul. legibus proficiſcitur ad exemplum inſtituta juris Attici, ex quo licebat filio, patrem ſenio deſipientem in judicium vocare, ut non modo ab re familiari amoveretur, verum etiam, deſipere convictus, in vincula duceretur. Quod judicium ſumma cum gloria declinavit Sophocles, cum allato ad judices Oedipo Colonæo, quem recens abſolverat, oſtendit non ſe, qui confecta ætate adeo cogitando valeret, ſed filios, qui eum accuſaverant mentis errore jactari. *e*) Prodigi quoque luxurioſe

a) *Inſtit. tit. de S. Cto Tertul. in prin. & de legit. agn. ſucceſſ. §. ceterum L. pronunciatio. 195. ff. de V. S.*

b) Ulp. *apud Collat. leg. Moſaic. tit. ult.*

c) *Vide* Signon. *de antiq. jure civium Rom. lib. 1. c. 7.* *Hæc Scævolæ verba ex Topic. Cic. ita legit* Gothofredus *lib. de XII. Tab. p. 205.* Gentiles ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt minuti.

d) *Vide* Cujac. *l. ſæpe 53. ff. V. S. ſive ad l. 59. Pauli ad edict.*

e) Cic. *de ſenectute.*

viven-

viventes nempe aſoti, Atticis legibus judicio ſubjiciebantur, eoque nomine damnabantur infamia, ut foro, & concionibus averterentur. *a*) At Romæ ante XII. Tabul. utrumque genus hominum furioſi ſcilicet, & prodigi, traditi agnatorum, & gentilium cuſtodiæ, bonorum adminiſtratione privabantur *b*) non tam lege, quam moribus, qui deinde in decemvirales leges conceſſerunt. Hinc in libris juris modo moribus, modo XII. Tabul. legibus hoc adſcribitur: *c*) quia vero tam furioſus, quam prodigus ob inopiam conſilii rem ſuam deterunt atque diffunditant; ſub uno eodemque XII. Tabul. capite ob concinnam earum brevitatem utramque interdictionem comprehenſam cum Jacobo Gothofredo exiſtimamus. *d*) De furioſis autem lex XII. Tabul. nominatim cavit, quia furor; ut ait Cicero, eſt mentis ad omnia cœcitas, ac major quam inſania, quæ inſania minor eſt furore, quia tueri poteſt officiorum mediocritatem, atque communem, & uſitatum vitæ cultum; major vero quam ſtultitia; unde Terentius:

Hic homines prorſus ex ſtultis inſanos facit.

Itaque furioſi, cujus mentis uſus eſt interceptus, contractus nullus jure civili probatur, etſi nondum ſubierit agnatorum, & gentilium tutelam; quo enim omne geſtum a tempore furoris irritetur, furorem probaſſe ſufficiet. *e*) Furor autem omnium oculis æſtimatur. Quamobrem qui eo corripitur, adminiſtrationem amittit ipſo jure, & poteſt ipſius filii, ſi filium habeat ſobrium, curationi ſubjici. *f*) Prodigus contra recte contrahit, antequam ſententia magiſtratus a ſuorum bonorum commercio arceatur. Mentis enim prodigus habet uſum; ſed eo peccat, quod animi rationem appetitioni ſubmittit. Ideo adminiſtrationem non ipſo jure, ſed interdictione magiſtratus amittit. Hinc Julianus ait *g*) *eos, quibus per Prætorem bonis interdictum eſt.* Prætor autem auctoritatem ex legis poteſtate ſumtam, hac formula exercebat: *h*)

Quando tua bona paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.

Qua formula interdicti, agnatorum, aut gentilium curæ tradebantur, unde proverbium in homines ſtultos:

Ad agnatos, & gentiles: i)

Ut autem ad tutelas redeamus: iidem Decemviri, qui pupilli vitam, & bona tutoribus concrediderunt, opem quoque tulerunt pupillis adverſus perfidiam illorum, prodita e legibus actione tutelæ, qua etiam duplum repetitur ejus, quod tutores e

a) Athenæus *Dipnoſoph. lib. 4.* Æſchin. *in Timarch.*

b) Cic. *lib. 3. Tuſcul. quæſt. & lib. 2. de invent. & ad Herenn. Inſt. de Curat. §. furioſ.*

c) *l. 1. ff. de curat. furioſ.* Cujac. *lib. 3. ſent. Paul. tit. 4.*

d) *in notis ad hoc caput XII. tab. §. furioſ. aut prodigus.*

e) *gloſſ. & DD. in l. is qui ff. d. V. O.*

f) *l. his qui in ea ff. de tutel.*

g) *l. Julianus ff. de curat. fur.*

h) Paul. *lib. 3. ſent. tit. 4. ubi* Cujac. *qui ita formulam hanc reſtituit.*

i) Varro *lib. 1. de re ruſt. cap. 2.* Horat. *ſermon. lib. 2. ſat. 3.*

rebus pupilli ſubtraxerint. *a*) Quod judicium turpe a Cicerone vocatur: quia, fraude detecta, minuitur tutorum exiſtimatio. *b*) Apud Athenienſes etiam frequentia erant judicia contra tutorum fraudes, *c*) quas, elapſo quinquennio, vindicare amplius non licebat. Nec tantum diſtractio bonorum revocabatur; ſed & dolus tutoris fraudulenter tutelam gerentis ex legibus decemviralibus coërcebatur *d*) per accuſationem ſuſpecti tutoris: qui toto ejus judicii tempore adeo arcebatur a re pupilli, ut adminiſtratione illius interdicta, neque utiliter cum eo contraheretur. *e*) Quod itidem venit ab Athenienſibus, qui ſuſpectum tutorem etiam judicio ſubjiciebant: & patrimonium illius pupillo tanquam jure quodam tacitæ hypothecæ obligabant: *f*) ut elicitur ex Demoſthene contra Onetorem. *g*) Hæc autem capita ex verbis apud varios auctores diſſipatis inter ceteros egregie concinnavit, & quantum conjectura dedit, candide reſtituit Jacobus Gothofredus, eaque hic noſtro more ſubjungimus:

Si paterfamilias inteſtato moritur, cui impubes ſuus hæres eſcit: agnatus proximior tutelam nancitor. *

Si furioſus, aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec eſcit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniæve ejus poteſtas eſto.

Si tutor dolo malo gerat vituperato: quandoque finita tutela eſcit, duplione luito.

Eſcit) ** veteres dicebant pro *erit*. Lucretius enim ait:

Inter ſummam minimamque quid eſcit?

Et alio loco XII. tabul. vitium eſcit. Scaliger ad Feſtum in *Nec*, vult *eſit*, etſi non improbet *eſcit*. Priſci autem pro *ſum* dicebant *eſum* retenta in ceteris *E*: ut tradit Varro. *b*) Hinc adhuc litera *E* reſidet in aliquibus hujus verbi perſonis, atque temporibus.

a) Gothofr. *tab. 7.*

b) *lib. 1. de oratore, & pro Cæcin. & pro Roſcio Comœd.*

c) Demoſth *orat. contra Aphob. contra Onetorem contra Nauſimach. & Pſeudomartyr.*

d) *l. 1. in princ. ff. de ſuſpect. tutor. vel curat. & Inſt. eod. §. 2.* Cic. *de offic. 3.*

e) *Inſtit. ibid. §. 2.*

f) Scholiaſt. Ariſtoph. *in Veſp.*

g) Marcil *ad leg. XII. tab. cap. 31.*

* Vocem Nancitor in XII. tabulis fuiſſe, ex Feſto apparet in voce *Nancitor*, qui eam interpretatur, nactus erit, pro datus erit. Inde eam legibus XII. tabularum intulit Cujacius *Obſ. X, 11.* quem in confingenda lege ſequitur Gothofredus. Juvant conjecturam verba Caji in *L. 9. D. de legit. tut. Si plures*, inquit, *ſunt agnati, proximus tutelam nanciſcitur.* Simplicius legem Marcilius ſic exhibet, *ſi inteſtatus moritur, cui impubes ſuus exſtabit heres, agnatorum, gentiliumque tutela eſto.* In Pandectis autem non tantum nactus, præteritum verbi nacior, ſed & nanctus a nancior ſæpe occurrit.

** Vocem eſcit extra Poëtas damnat Balthaſar Branchu *Obſc. 10.* Sed forſitan fallitur. Refertur enim hæc vox in ipſis XII. tabularum verbis apud Gellium *XX. 1. Si morbus ævitasve vitium eſcit.*

b) *lib. 8. de ling. lat.*

Nancitor)

Nancitor) *nancior* vetuſtum eſt ex *nancio*, ut ex oratione Gracchi pro ſe; unde Priſcianus hæc verba promſit. *Si nanciam populi deſiderium comprobabo reipublicæ commoda*, & in fœdere latino apud Feſtum:

Pecuniam quis nancitor habeto. Et ſi quid pignoris nancitor ſibi habeto. Ex quo verbo linquitur *nactus ſum*. *Nancior* enim, & *nacio* ſine *N* ſcribi, tradit Priſcianus ex Probo, Capro, Pollione: de quo verbo factum eſt poſtea *nanciſcor*, ut a *paco paciſcor*.

Nec) His XII. tabularum verbis Feſtus probat *nec* pro *non* apud veteres poni, quod eſt frequens apud Plautum. Hinc illa *nec recte loqui*, pro maledicere, & *nefrendes porci:* qui fabas comedere non valent, & *nequeo* pro *non queo*: & *funera ne funera portarentur* apud Catullum. Unde Cicero: *a*) *Senatori, qui nec aderit, aut cauſa, aut culpa eſto.*

Agnatorum gentiliumque) Conjunctio hic vim diſpergendi habet. Paullo teſte: qui ex hoc probat conjunctiones in jure ſæpe poteſtatem habere disjungendi: ſicuti & disjuncta pro conjunctis accipiuntur. Non enim gentiles cum agnatis una vocantur, ſed poſt agnatos. Horum autem capitum ſenſus clarioribus verbis expediamus; *Si paterfamilias inteſtato decedat, cui ſuus hæres extabit impubes, agnatus proximus tutor hujus ſui hæredis eſto.*

Si quis furioſus aut prodigus eſſe incipiet, neque is curatorem habeat, agnatorum, iisque deficientibus gentilium curæ tam ipſe, quam ejus bona committuntor.

Si tutor tutelam dolo malo gerat ſuſpectum eum facere cuivis liceto: ſi quid de rebus pupilli furatus fuerit; cum finita fuerit tutela duplum præſtato.

XXVII. DE JURE PATRONATUS.

Patriæ poteſtati, atque tutelæ, quæ quaſi productio eſt patriæ poteſtatis, proxima eſt auctoritas patronorum. Patroni autem dicuntur quaſi patres, ut a matre matrona. Non enim de libertorum, verum de civium patronis agimus inſtitutis a Romulo, qui ſumma reipublicæ patribus, nempe patriciis tradita, concredidit etiam eis plebem, ut eam tuerentur ab injuriis potentiorum, adverſus quos patrum auxilio jus plebeji ſuum obtinerent; *b*) ipſi vero ſuos patronos officiis, & muneribus colerent, unde dicti *clientes*, quaſi colientes, ſive *colentes*, quod patronos colerent, vel a κλέω *celebro, honoro*, quod patronos honorarent. Quamobrem patronorum erat clientem in judicio defendere, * de jure ſuo admonere, tueri abſentem nihilominus, quam præſentem, eique ubicunque opus foret adeſſe; clientum vero patronos, quos ſibi quisque cooptaſſent, pecunia juvare, vel ad

a) *lib. 3. de legibus.*

b) Gell. *lib. 5. c. 13.* Plutarch. *in Rom.* Dionyſ. *lib. 2. antiq.*

* Quia vero tum advocari a clientibus ſolebant patroni, qui lites eorum ſuſceperant, dicti ſunt Advocati. Quod ſi patronus cauſam ſuſciperet, rem diſcebat, ſin mallet recuſare, tum demum clienti non penitus ingratus erat, ſi blande negaret, non vero præciſe, aut contumaciter, quippe

Pars beneficii eſt, quod petitur ſi belle neges.

Coloniæ quoque, urbes ſociæ, gentes amicæ & devictæ ſuos habebant patronos, de quibus alii aſſatim egerunt.

 elocan-

elocandam filiam, vel ad captivum filium redimendum, vel ad æs alienum luendum, vel ad multam ſolvendam: eidemque omnia officia exhibere. Quæ mutua obligatio tanta neceſſitudine, ac fide adſtringebatur, ut M. Cato locum patrono dederit ſecundum patrem. *a*) Unde nefas erat patrono adverſus clientem, clienti adverſus patronum dicere teſtimonium: ac ſi alter ab altero ſuſceptis inimicitiis, aut inſtitutis adverſus alterum accuſationibus diſtraheretur, proditor habebatur, *b*) execratusque diris, Diisque inferis devotus cujusvis arbitrio dimittebatur occidendus, quos jus redactum fuit in leges XII. tabularum, quarum caput adfert Servius in illud Virgilii *c*)

& fraus innexa clienti.

eoque continetur, ut qui clientem fraudaſſet, vel ut veteres loquebantur *fraudem frauſus eſſet*, *d*) ſive prævaricando, ut interpretantur aliqui; ſive alio modo decipiendo, is ſacer eſſet, ſive Orco victima deſponderetur: ut liceret cuilibet eum infero Jovi mactare *e*) ex his verbis legis:

Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto. *

XXVIII. DE JURE CONJUGUM, ET CONNUBIORUM.

Sed jam ad poteſtatem virorum in uxores, & ad conjunctiones perſonarum, quas adhuc ſeparatim conſideravimus, ſive ad matrimonia progrediamur, de quibus legem Decemviri condiderunt, qua patribus cum plebeis connubia interdicebantur: ne plebei cum patribus per matrimonia unquam convenirent. Quod fuit conſilium, ut puto, Appii Claudii, *f*) cujus in caput vertit acerbitas legis. Appius enim accenſus plebeja virgine, cum omni ſpe connubii careret, fraudibus ante pudicitiam puellæ tentavit; poſtea vi, & injuriis, quibus parens illius Virginius exulceratus, puellam ferro transfixit, ut vita illam ſimul, & ignominia eximeret. De privata vero contumelia orta repente indignatio publica, intolerabile jam Decemvirorum convellit imperium. *g*) Alia etiam ratione vetita erant connubia inter patricios, & plebejos, nimirum ne auſpicia turbarentur; etenim nuptiæ ſine auſpiciis minime celebrabantur: auſpicia vero nulla patres communia cum plebeis habebant. Quod ſane inter eos diſcrimen in crebras, & periculoſas diſcordias erumpebat, donec inſtante finitimorum bello, & tribunis plebis dilectum impedientibus, unus ex eis turbulentiſſimus Camulejus, ſeditioſis concionibus, pervicit,

a) Gell. *loc. citato.*

b) Dionyſ. *lib. 2. &* Ræward. *ad leg. XII. tab. cap. 4.*

c) *lib. 6. Æneid. verſ. 609.*

d) Plaut. *in aſin.* Liv. *lib. 23. cap. 14.*

e) Feſt. *in verb.* ſacer, *ubi* Scalig *&* Macrob. *lib. 3. cap. 3.* Livius *lib. 3.* Dionyſ. Horat. *ibi* inteſtabilis, & ſacer eſto.

* Sacrum Feſto in voce *Sacer mons* dicitur quicquid Diis dicatum. Quare infelices apud Gellium *III. 9.* aurum Tholoſanum attigiſſe, dicebatur, quia quicquid ibi in templis Deorum cuſtoditum fuerat, ſacrum dicebatur. Patronos tamen & clientes Diti, ſeu Plutoni præcipue ſacrari inde colligit Everardus Otto *Præf. T. III. Th. jur.* quia Dionyſius Halicarnaſſenſis auctor eſt, impune occidendos Diis præcipue inferis devoveri ſolitos fuiſſe.

f) Dionyſ. *lib. 10. in fine.*

g) Livius. Dionyſ. *lib. 11.*

ut ea

Digitized by Google

ut ea lex abrogaretur, & ex plebiſcito promiſcuis conjugiorum uſus inter patres plebejosque permitteretur. *a*) Erat & lex, qua uſucapio inſtituebatur uxorum: *b*) nam ſi ea vir annum integrum pro uxore uteretur, in viri manum, ac poteſtatem veniebat: niſi trinoctium intra id tempus ab eo mulier abfuiſſet: etenim tum interrumpebatur uſucapio: quæ interruptio veteribus uſurpatio dicebatur. *c*) Hæc autem proprie dicebatur uxor, quæ non tranſibat in mariti familiam, nec jure XII. tabul. ad illius hæreditatem vocabatur: unde longe differebat a matrefamilias, ſive conjuge illa, quæ non uſu, * ſed ſolennitatibus nuptialibus in poteſtatem, & familiam viri tranſierat, ideoque ad ſucceſſionem etiam illius, tanquam agnata veniebat, de qua in S. Cto Tertulliano. Has excipiunt aliæ leges, ex regiis fere legibus in XII. tabul. a Decemviris adductæ, ut plerique credunt, repugnante Cujacio, *d*) quibus atrocior maritorum in mulieres poteſtas conſtituitur, qualis eſt illa, quæ uxoris probrum, ſive adulterium permittit marito vindicandum, ſive convocatis propinquis, & cognatis ad pœnam ex eorum ſententia more majorum imponendam, ſi vir mulieris flagitium aliquo argumento comperiſſet, ſive ſine conſilio tantum ex arbitrio mariti, cui ad cædem usque uxoris licebat excurrere, ſi cum ipſo adultero eam deprehendiſſet, juſtoque dolori ſuo, atque iræ, in re calida indulſiſſet; de quo ad legem Juliam de adulteriis latius. Quo autem caſtitas facilius ſervaretur, vini uſus fœminis interdicebatur. Fax enim libidinis vinum; neque ad eam quidquam temulentia pronius: utpote quæ corpus agitet, & lucem rationis, qua petulantia coërcetur, obumbret. *e*) Quamobrem longe ante Romulum fœminis vini uſus interdicebatur. Ferunt enim Faunam, Fauni ſororem, eandem & conjugem, quod vinum præter morem regium bibiſſet, a viro dum cæderetur, inter virgas vitam liquiſſe. Criminis autem hujus apud veteres maritus vindex idem conſtituebatur, & judex. Etenim Egnatii Meccennii uxor, quod vinum bibiſſet, occiſa fuit a marito impune: haud ægre id patiente Romulo. *f*) Et matrona quædam, quod e loculis cellæ vinariæ claves abſtuliſſet, fame necata fuit a ſuis. Ac ne quo pacto fœminæ vini potum celarent, Cato ſeverus earum adverſarius, cenſuit mulieres propinquis oſculum ferre, ut fraudem odore proderent. Quamobrem vini potus inter juſtas repudii cauſas numerabatur.

a) Livius *lib. 4. cap. 6.*

b) Gell. *lib. 3. cap. 2.*

c) Sigon. *de jure civ. Roman. lib. 1. cap. 9.* Petrus Faber. Hottoman. Rævard. *ad leg. XII. tabul. cap. 21.*

* Imo finito uſu hæc etiam materfamilias dicebatur. Marcilius *p. 253.* In poteſtatem autem non tranſibat, quæ ſingulis annis trinoctio a marito abfuiſſet, & ſic uſucapionem uſurpaſſet, malens in manu manere patris, vel tutela agnatorum quam in poteſtatem concedere mariti. Uxor autem dicitur tanquam unxor, ab ungendo, quia cum domum primum duceretur, poſtes ædium ſponſi adipe lupino vel ſuillo ungebat, Plinius *Hiſt. Nat. XXVIII. 9.* averruncandæ faſcinationis cauſa, ne poſtquam cingulum ex priſco more *taxim* & taciturnus ſolviſſet maritus, confeſtim ſpe ſua excideret, neque voluptate ex voto perfrui poſſet.

d) *Obſerv. lib. 18. cap. 38.*

e) Dion. *lib. 2.* Cic *4. de rep. apud Nonium.*

f) Plin. *lib. 14. cap. 13. ubi plura id genus exempla.*

XXIX. DE DIVORTIIS.

Porro legibus XII. tabul. fuit & de divortiis cautum, non de forma repudii, quam concepere prudentes e ſententia legis, contra id quod aliqui tradiderunt: *a*) Divortendi vero facultas non e Romuli ſolum legibus; *b*) verum etiam ex Attico jure naſcitur: ut jus divortiorum Decemviri duplici de fonte deduxerint. Apud Athenienſes autem uxori pariter, atque viro libera erat nuptiarum diſſolutio, dummodo Archontem adirent, tum ut ei diſſidii rationem probarent; tum, credo, ut ſi levioribus cauſis diſtraherentur animi, auctoritate, atque conſilio magiſtratus, in gratiam redirent. Memorabile autem eſt illud Alcibiadis, qui uxorem apud Archontem de divortio ſuo agentem, virique injurias, & maritalis thori contemtum conquerentem, e medio foro raptam tranſtulit domum, eamque conjugalibus delenimentis placatam, a ſententia dimovit. *c*) Vir autem *ἀποπέμπειν* dicebatur, quia domum olim deductam, poſtea exigebat: uxor vero *ἀπολείπειν*, quia deſerebat virum, & unde diſceſſerat, remigrabat: hinc *ἀποπομπὴ* & *ἀπόλειψις*. Apud Romanos vero dirimendarum nuptiarum facultatem initio ſolius viri fuiſſe, haud prorſus temere quis exiſtimaverit, qui mos etiam erat Hebræorum. *d*) Mulieres enim apud Romanos uti mancipium habebantur, & longe majorem, quam viri pudicitiam, & fidem præſtare cogebantur. *e*) Verum ut virorum initio tota fuerit libertas in divortiis, jus tamen civile deinde mutavit. Nec enim aut vir uxorem dimittere, aut uxor maritum deſerere poterat, niſi certis ex cauſis, quas partim ex XII. tabul. partim ex moribus collectas, partim recenter conſtitutas enumerat, atque definit Theodoſius, & Valentinianus. *f*) Aliquando vero, ſine cauſa matrimonia diſſolvebantur, ſi conjuges ambo conſentirent; ac tum dicebatur matrimonium dirimi *bona gratia*. *g*) Quod ſuſtulit Juſtinianus, *h*) qui ambobus etiam diſcedere volentibus cauſas adjungendas conſtituit: quas ſive ex veteri, ſive ex novo Juſtiniani jure venientes, exponit Cujacius luculenter. *i*) Quamvis autem antiquiores dimittendæ uxoris poteſtatem haberent; tamen lege pudoris & nuptialium ſacrorum religione, atque auſpiciorum auctoritate, diu ejus facultatis uſu abſtinnerunt, initiumque factum a Sp. Carvilio Ruga, * qui ſterilitatis cauſa uxorem repudiavit. *k*) Deinceps tanta morum diſſolutio nata eſt, ut quotannis prope uxores mutarent virum, atque annos frequentius a maritorum, quam a Conſulum ſerie

a) Goth. *ad tab. 6. in fin. in not.*

b) Plutarch. *in Romulo*. Dionyſ. *lib. 2.*

c) Plutarch. *in Alcibiade.*

d) *Deuter. cap. 24.*

e) Cato *apud* Gell. *lib. 10. c. 23.*

f) *L. conſenſu C. de repud. l. 43. ff. ad l. Jul. de adult.* Cicero *Philippic. 2.*

g) *L. ſi conſtante, C. de repud.*

h) *Novell. 117. cap. 10.*

i) *ad Novell. 22. & 117.*

* Aliud exmplum Sempronii Sophi præſto eſt apud Valer. Max. *L. VI. c. 3.* quo motus Celeb. Otto *Præf. T. IV. Th. jur. p. 10.* Valerium Maximum, Gellium & Tertullianum, primis ſexcentis ab urbe condita annis nullum divortium factum narrantes de divortio intelligit ex cauſa legibus non permiſſa facto. Abſciſſe tamen Gellius, *L. IV. c. 3.* quingentis fere annis poſt Romam conditam, *nullas* rei uxoriæ actiones fuiſſe, ait, quia non deſiderabantur, *nullis* plane tunc matrimoniis divertentibus.

k) Plutarch. *in Romul. in fin.* Valer. *lib. 2. cap. 1.* Gell. *lib. 4. cap. 3.* Dionyſ. *lib. 2.*

nume-

numerarent. * Sed jam reliquias legum nuptialium e doctorum virorum conjectura promamus.

Patribus cum plebeis connubi jus nec eſto.

Mulieris, quæ annum matrimonii ergo apud virum remanſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto.

Si mulieri repudium mittere volet cauſam dicito harumce unam. **

Uſurpandi) hoc eſt uſucapionis interrumpendæ.

Abeſcit) hoc eſt aberit.

Uſus eſto) hoc eſt uſu capta eſto, ſive uxor eſto.

XXX. DE PARTU XI. MENSIUM.

A nuptiis ad partum, ſervato naturæ ordine, progrediamur. Refert enim plurimum cognoſcere liquido, quonam ex concubitu ſit partus conceptus, ne adultera proles, legibus reſiſtentibus, patrimonium occupet alienum. Ideo leges tempus præfinierunt, unde dijudicaretur, an partus marito mortuo natus, ex eo conceptus fuerit; an ex concubitu alieno, cujus turpitudinem mulier ſoluti jam conjugii auctoritate velaverit? Legitimum igitur pariendi tempus Decemviri non ultra decem lunarium *** menſium ſpatium extenderunt: forte quia jus verſatur in iis, quæ plerumque contingunt, ἐπὶ πλεῖϛον, ut Theophraſtus loquitur, *a*) non in iis, quæ ἐκ παραλόγυ, id eſt inopinato eveniunt. Sed ubi hominum exiſtimatio vertitur, inſolitos etiam caſus oportebat reſpexiſſe Decemviros: quos credo

* Quod per profligatos ſexus ſequioris mores Auguſti inprimis temporibus invaluiſſe, ajunt. Apud Plautum certe Syra conqueritur, impune marito adulterium eſſe, uxori non eſſe. Juvenalis contra

Sic fiunt, inquit, *octo mariti*
Quinque per autumnos titulo res digna ſepulchri.

** Propter mores puta uxoris intolerabiles, quales Romulo viſi fuerant, ſi adulterium uxor commiſiſſet, ſi vinum bibiſſet, ſi veneficio circa prolem uſa eſſet, & ſi denique partum alienum pro ſuo ſubjeciſſet. Dionyſius Halicarnaſſ. *L. II. cap. 26.* Plutarchus *in Romulo c. 42.* Quam legem Romuli legibus XII. tabularum illatam putat Celeb. Otto *Pr. T. IV. theſ. jur. p. 10.*

*** Imo ſolarium; utique XXX. dierum. Auctor enim eſt Gellius *III. 16.* Decemviros ſcripſiſſe, in decem menſibus hominem gigni; menſis autem ſpatium pro diebus accipitur XXX. *L. 40. D de reb. cred. L. 101. D. de R. J.* Provide autem Decemviri nativitati partus legitimi præfigunt menſes decem, quia nono menſe plerique naſcuntur, & ſuppoſita prole hereditates per ſtupra captari poſſent, ſi liberalitas decemvirorum ultra XXX. dies pergeret. Qui vero decimo demum menſe partum legitimum naſci ajunt, utique negant, idem initio undecimi contingere poſſe, nec jus vetus mutavit Juſtinianus in *Nov. 39.* partum in fine menſis undecimi editum negans legitimum eſſe. Minime enim idoneo inde argumento colligitur, legitimum eum eſſe initio ejusdem menſis.

a) *L 3. ff. de legibus.*

feſellit vulgaris eo quoque tempore medicorum opinio ubique pervagata, cujus multi auctorem faciunt Hippocratem, qui mihi potius in contrariam videtur opinionem abire: nam in libro *περὶ ὀκταμήνυ* conjungit *a*) partum undecim cum partu decem menſium: atque oſtendit, oportere ſæpe mulierem undecimum menſem attingere, ut ad ultimum circuitum perveniat: & ejusdem Hippocratis Gellius hæc verba producit, *γίνεται δὲ ἐν τύτοις, καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλυ κατά μέζ΄, καὶ εἴπομεν δὲ καὶ πλείω πλειόνων, καὶ ἐλάσσω ἰλασσόνων. b*) Hinc orta eſt & alia definitio ad pariendi tempus collata: cum enim decem menſium ſpatio partus maturitas conſtituatur; lugendi conjugis tempus fuit eodem fere ſpatio concluſum: ut ante decimum exactum menſem nubere alteri non licuerit. *c*) Unde Ovidius in faſtis:

Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis;
Poſt totidem menſes in funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Hinc vulgaris illa de poſthumis inſtituendis apud veteres formula: *Qui poſt mortem meam in decem menſibus proximis natus erit.* Verum experiendo compertum eſt, breve admodum leges conſtituiſſe tempus ad naturæ licentiam: quæ ab opinione noſtra ſæpe, ab ordine vero ſuo nunquam aberrans ultra cognitionis noſtræ fines non raro vagatur. Quamobrem Ariſtoteles, & Diocles philoſophus, & M. Varro ad undecimum usque menſem pariendi tempus produxerunt: & Adrianus conſultis philoſophis fœminam pudicam, quæ XI. menſe pepererat, ab ignominia eripuit, ac legitimum talem partum eſſe decrevit. *d*) Cui ſententiæ comprobandæ noſtris temporibus perutilem diſſertationem, ſolidioris philoſophiæ luce perfuſam, & poſtea Romani fori auctoritate munitam, conſcripſit interpres naturæ ſolertiſſimus Joannes Maria Lanciſius. Lucius autem Papyrius Prætor tempus hoc longius traxit: bonorum enim poſſeſſionem dedit ei, quem decimo tertio menſe mater ediderat, Plinio teſte. *e*) Quo loco, quem corruptiſſimum putat Cujacius, *f*) in veteribus codicibus refert legi *pro XIII. X. menſibus*: quo ſenſu nihil Plinius diverſum attuliſſet a vulgari opinione: cum tamen oſtendat ibi, velle ſe aliquid præter communem naſcendi formam literis tradere. Frigeſcet igitur Plinii locus, niſi ex vulgaribus codicibus XIII. menſes legamus fuiſſe a Prætore toleratos; quam ejus indulgentiam erga mulierem, & prolem non prorſus temere ſuſpectam habuit Balduinus. Decretum autem illud Adriani, haud ſcio an in morem, & in diſciplinam ceſſerit Juriſconſultorum: qui quæſtionem hanc e ſola XII. tabularum auctoritate definierunt; unde Paullus *g*) * *Septimo menſe natus matri*

a) *n. 5. & 6.*
b) Gell *lib 3. cap. 16.*
c) Hottom. *ad leg. XII. tab. pag. 422. l. 2. C. de ſecund. nupt.*
d) Gell. *lib. 3. c. 6.*
e) *lib. 7. cap. 5.*
f) *Novell. 39.*
g) *ſent. lib. 4. tit. 9.*
* Incipit partus juſtus naſci initio menſis ſeptimi, id eſt centeſimo octogeſimo ſecundo die, ut auctoritate Hippocratis docet Ulpianus in *L. 3. §. 12. D. de ſuis &*

prodeſt.

prodeſt. Ratio enim Pythagoræi numeri hoc videtur admittere, ut aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur, a quibus diſceſſit Juſtinianus. *a*) Niſi decretum Adriani de undecimo menſe non exacto, ſed incœpto accipiamus, atque ita nullam diſcrepantiam inter Adrianum, & Jurisconſultos, & jus deinde receptum inveniremus: neque novi quidquam Gellius protuliſſet: Siquidem non negaverint hi, ſub initium undecimi menſis partum eſſe legitimum, ut notat Cujacius eodem Paulli loco.

Si quis ei in X. menſibus proximis poſtumus natus eſcit juſtus eſto.

Juſtus) hoc eſt legitimus, ut *juſtæ nuptiæ, liberi juſti*, & alia complura.

XXXI. DE PARTU MONSTROSO.

Aliquando partus non ſunt integri, ſed monſtroſi. Atque hi, vetuſtiſſima Romuli lege a Decemviris in XII. tabulas relata, ſi deformitate ſint inſignes, necandi ſtatim ſunt a parentibus. *b*) Cujus etiam legis Cicero meminit *lib. 3. de leg.* ubi pro *legatus* legerim *necatus.* * Hinc illud Ennii apud Nonium in *auſcultare: mihi auſculta nate, pueros necari jube*, atque illud Tibulli: *c*)

Prodigia indomitis merſa ſub æquoribus.

An autem partus monſtroſus eſſet, id Romulus non parentibus proprio in ſuos amore corruptis, ſed quinque viris e vicinia judicandum tradidit. Non continuo enim partus monſtroſus reputatur, quod aliquid ab humana figura diſcrepet, veluti ſi officia humanorum membrorum ampliaverit, *d*) uti ſunt ſedigiti, qui ſenos digitos habent in manu. Monſtrum vero eſt, quod contra formam humani generis, converſo more, procreatur. Quod monſtrum fuit appellatum, quia monſtret mala futura, ſitque triſte omen: ut *oſtentum* ab *oſtendo*, *portentum* a *portendo: e*) niſi, ut Stilo putat apud Feſtum, venerit a *monendo*, quaſi *moneſtrum:* unde poſtea monſtrum *E* litera excluſa. Hoc autem diſcrimen Cornelius Fronto inter monſtrum, & oſtentum ponit, quod oſtentum præter conſuetudinem, at monſtrum præter naturam oboriatur. *f*) Talis autem partus matri ad lucrum nihil prodeſt, cum pro filio non habeatur: velut in S. C. Tertulliano, ubi de lucro contendi-

legitimis heredibus, a quo ne amplius diſſentire videatur Paullus *Sent. l. IV. c. 9.* Celeb. Noodtius ad *tit. P. de ſtatu hominum p. 26.* verba ejus ingenioſe transpoſuit, legitque, *aut ſeptimo aut pleno decimo menſe.*

a) *Novell. 39. cap. 2.* Alciat. *paradox. lib. 3. cap. 3.*

b) Dion. *l. 2.*

* Sic leni ſatis medicina ſuccurritur morbo olim deſperato. Eadem emendatio inciderat antea Marcilio. *c. 23.* & aliis, quos laudat Otto *Pr. T. III. p. 31.* probante conjecturam Cornelio van Bynkershœk *de jure occidendi liberos p. 228.* etſi, qua eſt ingenii ubertate; nec ipſe hunc locum intentatum dimittat. Monſtrum autem bruto animali ſimile eſt, ideoque contra formam humani generis converſo more procreatum dicitur, cum in oſtento digiti ſeni aut pedes tres rationis uſum impediant nihil.

c) *l. 2. eleg. 2.*

d) *L. non ſunt ff. de ſtatu hominum.*

e) Nonius.

f) *Vide* Voſſ. *etymolog.*

Digitized by Google

tur, *a*) at prodeſt ad excludendam pœnam legis Papiæ ſatis odioſæ, ubi de pœna declinanda certatur: erat enim hac lege turpe, atque damnoſum non habere liberos: ideo humanitatis cauſa nomen filii latius accipitur pro fœtu quolibet. *b*) Androgynos * etiam Romani veteres abominabantur: ex humanitate tamen Juriſconſultorum conſervabantur: recentiores vero eos, quos veteres prodigia reputabant, mutatis moribus, in deliciis habuerunt. Sed legem ipſam, ut reſtitui conjectura potuit, ſubjiciamus.

Pater inſignem ad deformitatem puerum cito necato.

Inſignem) inſignis dicitur aliquo ſigno turpiter notatus: veluti membro mutilo, aut alia figura quam humana. Plautus *c*)

Tum ne uxor mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut patum,

& Lucret. *Inſignis varis cruribus.*

XXXII. DE REBUS LITIGIOSIS.

Quas hactenus explicavimus leges, ad ſtatum pertinent perſonarum; deinceps occurrunt eæ, quibus civilia negotia diriguntur, quas ordine ſuo expediemus, incipientes a rebus litigioſis, hoc eſt in judicium deductis: quarum nomine venit non tantum res mobilis, & immobilis, verum etiam nomen debitoris, & ambiguum chirographum. *d*) Res igitur litigioſi vitio affectas, vetuit lex XII. Tabul. Numinibus tradi, ſive in ſacrum dicari; ne hac fraude ſpes ejus recuperandæ domino deſineret, callidusve adverſarius in invidiam ſacrorum auctoritatem adducens, religionem detorqueret in damnum aliorum. Res enim ſemel conſecrata, nunquam a Pontificibus reſecrabatur, ſive religione ſolvebatur. Ideo quia ſemel religione obligatam perpetuo dominus amittebat, juſſere Decemviri, ut qui rem litigioſam in ſacrum dedicaſſet, ejus rei nomine duplum adverſario redderet: ut hoc veluti ſolatium amiſſæ rei dominus haberet. Et quamvis lege non pateret, duplum illud adverſarione, an fiſco cederet; benignius tamen viſum eſt, & humanius, adverſario deferre pro ſolatio, quod potentiori adverſario traditus fuerit. *e*) Hanc autem legem ita Gothofredus ex conjectura contexuit.

Si qui rem de qua ſtlis ſiet in ſacrum dedicaſſit duplione decidito.

Stlis) dicebant veteres pro lis: ſtlocum pro *loco:* deinde linguæ cultus, & urbanitas literarum aſperitatem eliſit: Vide Feſtum verbo *ſtlata.*

a) Paul. *4. ſe..*. §. *mulier, ubi* Cujac. *tit. 9.*
b) Ulp. *leg. quæret. de V. S.*
* Androgynus:
Cui forma duplex, nec femina dici
Nec puer ut poſſit, neutrumque & utrumque videtur
Nec duo ſunt.
inter ea multis refertur, quæ crebris hominum ſermonibus celebrantur, etſi extiterint nunquam. Recte credo, ſi eundem utriusque ſexus officiis fungi poſſe negant in conjunctione maris & feminæ, minus bene, ſi de ludibriis formæ dubitant, de quibus & veterum fide & hodierna experientia refelluntur.
c) *milit. act. 1. ſcena prima.*
d) *L. 3. C. de litig.* Cujac. *parat. ibid.*
e) *L. ult. ff. de litig.*

XXXIII.

XXXIII. DE SERVITUTIBUS PRÆDIORUM.

Sed de his ſatis. Pergamus nunc ad ſervitutes, quarum aliæ prædiorum ruſticorum ſunt, aliæ urbanorum: de quibus fuiſſe primo loco in XII. tab. cautum, ſignificat ordo a Cajo in Inſtitutionibus, & in Digeſtis a Juſtiniano inſtitutus: quos ab ordine priſco quam minimum recedere voluiſſe crediderim. E veteribus autem fragmentis lex eruitur, quæ ſpatium inter vicinas ædes duorum pedum cum ſemiſſe præſcribebat ædificantibus: ut non modo tranſitus circumeuntibus panderetur, ſed incendium etiam a proximis ædibus, eo intervallo averteretur; * *a*) unde lex ita reſtituitur.

Ambitus parietis ſextertius pes eſto.

Ambitus) quaſi circuitus, eſt enim *ambire* proprire *circumire*. *Am* enim veteribus ſignificabat *circum* a græco ἀμφὶ, unde *ambitus bonorum*, propterea quod in eorum petitione ſupplicando circumirent. *b*) *Sextertius* valet duos aſſes cum ſemiſſe: unde duo pedes, & ſemis dicitur pes ſextertius in lege XII. tabul. ut Voluſius Martianus de aſſe ſcribit. *c*) Ruſticorum autem prædiorum ſervitutes contrahentium arbitrium, & voluntas moderatur: quo vero pacta non pervenerunt; eo leges extenduntur. Atque ex legibus XII. tabul. tantum definitam habemus, atque præſcriptam viæ latitudinem, quam octo pedum in porrectum, hoc eſt in directum, ſive qua recta tenditur, eſſe voluerunt, *d*) ſexdecim in amfractum, ſive in flexu, propter commodum ducendi vehiculi, quod in anguſtiori ſpatio verti non poteſt, niſi viæ nomen laxius, & præter XII. tabul. ſenſum accipiamus cum Ælio Gallo; ** *e*) ut non modo ſpatium ducendi vehiculi, ſed & ſemita, & iter eodem viæ vocabulo veniat, ampliori tamen ſignificatione. Qui autem lege ſervitutis alteri debet viam, curare oportet, ut ea perpetua munita ſit ad vehiculi commoditatem, *f*) quod ſi neglexerit, tum ex legibus XII. tabularum jus domino tribuitur vehiculi ducendi per fundum ſervientem quacumque velit. Quæ facultas quamvis ex legibus XII. tabul. ſit infinita: tamen interpretatione prudentum ita temperatur, ut ſi via commode pateat alia ex parte ſine detrimento fundi ſervientis: tum parcendum ſit vineis, villis, & ſatis: eaque via ſemel electa, impoſterum teneatur. Sed etiam latius extenditur ſenſus legis, quo non tantum de fundo ſerviente, ſed de fundis omnibus viæ continentibus accipiatur: ut ſi domini viam non

* Litibus etiam de ſtillicidiis ſic obviam itum, etſi de iis Decemviros cogitaſſe, vix veriſimile ſit. Dicebantur ejuſmodi domus cum ambitu inſulæ, quarum frequentiſſime in Pandectis mentio eſt.

a) Briſſ. *lib. 1. antiq. c. 1. & 3.* Cujac *obſer. lib. 1. cap 4.*

b) Feſtus *in verbo ambitus.* Varro *lib. 4. de ling lat. L. Imperatores ff. de ſervitut. urban. prædior.*

c) Hottomannus *in leg. XII. tabul. ad hanc leg. Briſſ. loc. citat. &* Cujac, *ead. obſervat.*

d) *L. 8. de ſervit. ruſt. præd.*

** Interpretatio verborum Aelii Galli in *L. 157. ff. de V. S.* naturali pulchritudine placet, minime tamen talis eſt, ut de ejus inventione adeo glorietur Marcilius c. 32. quem Auctori noſtro præiviſſe dicerem, niſi res talis eſſet, quæ facile cuivis in mentem venire poſſet.

e) *L. paries, 157. ff. de V. S.*

f) Cic. *orat. pro Cæcin.*

muniant, cuivis liceat per agros eorum, qua commodum eſt, ſive cum vehiculo, ſive cum jumento tranſire. En verba legis, ut a novis redduntur interpretibus:

Via in porrectum VIII. pedum, in amfracto XVI. pedum eſto.

Si via per amſegetes immunita eſcit, qua volet jumentum ducito.

Amfracto) Varro: *a) Amfractum eſt ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu, & frangendo. Ab eo leges jubent in directo pedum octo eſſe, in amfracto ſexdecim, id eſt in flexu.*

Amſegetes) dicuntur agri ſibi eadem in via occurrentes, ſive quorum affinis ſeges viam attingit: unde Feſtus, *Amſegetes dicuntur, quorum affinis ſeges viam attingit.* Senſus autem legis eſt: *Si via ab his, qui vicina prædia poſſident, munita non ſit, jumentum agere quisquis velit jus eſto.*

XXXIV. DE AQUA PLUVIA ARCENDA. *

Cavit etiam lex XII. tabul. ne quis opere manufacto aquam pluviam excipiens, curſum illius dirigat in alienum prædium, quod inde deterius reddatur: unde orta eſt aquæ pluviæ arcendæ actio, quam Weſenbecius perperam refert ad Prætoris edictum, cum initium duxerit a XII. tabul. cujus hæc verba profert ex Labeone Pomponius, *b) ſi aqua pluvia nocet.* Non vindicat autem hæc actio damnum ortum ab aqua profluente per ductum naturalem, ſed per manufactum: *c)* unde non ſua ſponte, vel natura loci, ſed opera hominis ducitur. Sive quis igitur aquam ab naturali curſu alieno damno deflexerit, ſive comprimendo, citatiorem eam reddiderit, aut nova immittenda uberiorem; *d)* tamen quia imminet, coërceretur hac actione, qua vel opere reſtituto avertitur aqua; vel tanti dominus, quanti reſtitui opus intereſt, condemnatur: cogiturque damnum poſt conteſtatam litem allatum ſarcire: & de eo, quod poſt ſententiam afferri poterit, damni infecti cavere. *e)* Similem quoque actionem proditam legibus XII. tabul. Ulpianus re-

a) Lib. 6. de ling. lat.

* Aqua pluvia ex earum rerum numero eſſe videri poſſit, quæ, quod ab omnibus facile diſcernuntur, definitione non indigent, niſi veteres aliter voce uſi eſſent, ac vulgo fit. Ecce enim aqua pluvia iis non quamvis aquam imbri collectam, ſed eam, quæ de cœlo venit & loci vitio vel manu nocet, ſignificat. Cicero *Top. c. 9.* Ab aqua pluvia exemplum ducit Lactantius, quando Juriſconſultos in rebus vilibus verſari contendit. Sed eo auguſtior ars videri debebat, quæ cum res ſplendidas minime negligat, etiam ad viliores deſcendit. De ſplendidis tamen rarius quæſitum credo, tempore latæ legis, quam de aqua pluvia. Ne vero juſto tenuior videretur tractatio de aqua pluvia, interſpergit ei Auctor doctrinam de aquæ ductibus & regionum varietate, eoque decus & ſublimitatem rei etiam minimæ & agreſti adjicit. Affinis legi noſtræ lex vetus de aqua non oletanda apud Frontinum. Oletare autem aquam dicebantur, qui eam per injuriam corrumpebant.

b) L. Labeo 21. ff. de ſtatu liber.

c) Cic. *in topic. L. 1. ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend.*

d) L. vicinus 24. eod. §. 2.

e) Cujac. *parat. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.*

fert,

ſert, *a*) quia ſi rivus æquæductus per publicum locum privato nocebit, ei de damno cavetur. Quod accipitur de opere privato, quo aqua per publicum locum ducitur, ſive de aquæductu privato: nam nihil de publico XII. tabularum leges conſtituere, cum illius uſum Romani non norint ante annum CDXLII. A. V. C. uti Frontinus initio de aquæductibus refert. Regionum autem varietas, variam utilitatis rationem inducens, leges parit ſæpe contrarias. Quamobrem in Africæ regionibus æſtuoſis, ubi aquæ inopia laboratur, actio datur adverſus eum, qui aquam pluviam coërcet, nec ſinit eam ad fundum alterius tendere. *b*) Hujus autem legis ex XII. tabul. apud Pomponium verba ſuperſunt admodum pauca: ſententia vero colligitur integra ex Ciceronis topicis, aliisque locis juris civilis.

Si aqua pluvia manu nocet; Prætor arcendæ aquæ arbitros tres addicito: noxæque domino cavetor.

Nocet) ſenſum habet, quem grammatici vocant potentialem: id eſt ſi nocere poterit. Pomponius. *c*)

XXXV. DE ARBORIBUS CÆDENDIS.

Non ſolum aquis; verum & arborum ramis, præter modum diffluentibus, ac latiorem umbram projicientibus vicino agro nocemus: intercipitur enim ſolis æſtus, quo terra maxime fovetur, & ſemen ad ortum excitatur. Ideo XII. tabulæ prodiderunt actionem adverſus dominum arboris latius effuſæ, quo ramos ejus pedes quindecim altius a terra coërceat, *d*) eorumque luxuriem vicino agro impendentem compeſcat, quod ſublucare, ut mox explicabimus, dicebatur. At ſi dominus ramos circumcidere noluerit, lex, domino invito, poteſtatem circumcidendi permittit ei, cujus fundo nocetur. Quam ſententiam legis Prætor ſuo quoque comprehendit edicto, quo lex eadem porrecta fuit ad arbores impendentes in ædes, de quibus nihil XII. tabul. legibus cavebatur; *e*) juſſit enim Prætor, ut niſi dominus arborum ab ædium domino monitus paruerit, vel circumcidendo arborem, vel radicitus, ut ædium incolumitas exigit, evellendo, quod collucare dicebatur; tum ædium domino liceat exciſa ab ſtirpe arbore damnum pellere. Item Pomponius ait, in eodem titulo ugi poſſe leg. XII. tabul. de tollenda arbore, ſi ex alterius fundo in vicinum agrum vento inclinata fuerit. Sed jam legis reliquias ſubjiciamus.

Si arbor in vicinum fundum impendet XV. pedes altius ſublucator.

hoc eſt, *ſi arbor e vicini fundo in vicinum impendeat, arboris illius rami XV. pedes altius circumcidantur.*

Sublucare) eſt compeſcere luxuriem ramorum: quaſi ſubtus lucem mittere. Collucare quid ſit, dubitari poteſt. Vel enim ſignificat ſuperiores ramos

a) *L. 5. ff. ne quid in loc. pub.*

b) Aggenus *l. 2.*

c) *L. Labeo 21. ff. de ſtatu lib.* Paul. *l. 5. ff. ne quid in loco pub. fiat.*

d) *L. 1. §. 8. ff. de arbor. cædend.* Paul. *lib. ſent. 5. tit. 6. §. arbor quæ.*

e) *toto tit. ff. de arbor. cæd.*

lumini

Digitized by Google

lumini officientes ſuccidere, vel ipſam ex ſtirpe arborem excindere, quod verius puto. *a*) *

XXXVI. DE GLANDE LEGENDA.

Si glans ex alicujus fundo proximum in agrum deciderit, facultatem fecerunt leges XII. tabul. domino arboris colligendi glandem ſuam ex alieno ſolo. Quæ lex translata fuit in Prætoris edictum. *b*) Non ſola vero glans querna, vel iligna his verbis domino colligenda permittitur, ſed fructus quilibet: fructus enim omnes glandis appellatione veniunt; *c*) ut apud græcos ἀκρόδρυα extremitates arborum ** appellantur ἀρχαῖοι, ſive priſci, ut Scholiaſtes Ariſtophanis tradit in equitibus, πᾶν δένδρον δρῦν ἐκάλουν, *omnem arborem quercum appellabant*. Hinc veteri latinorum lingua, quæ propius accedit ad morem græcorum, fructus omnes glandis appellatione continebantur. Ex quo, aliisque civilis juris exemplis intelligitur, quanti referat callere latinæ linguæ originem, & proprietatem: ut non mirum, ſi ea magis apud jurisconſultos, quam apud oratores omnibus temporibus floruiſſet: jurisconſultos enim adigebat muneris neceſſitas; oratores vero artis ornamentum, quod ſimul cum auribus multitudinis mutabatur: lex autem hæc fuit:

Si glans in emem caduca ſiet, domino legere jus eſto.

emem) enim pro *eundem* dicebant veteres. *d*)

XXXVII. DE INTERSTITIO SEPIS.

Inter confines autem fundos liberum eſſe tranſitum oportuit, qua ſine agrorum incommodo ire, agere, aratrum circumvertere *e*) liceret: quod confinium

a) Cujac. *ad Paul. ſent. lib. 5. tit. 6. §. arbor.*

* Et Feſtus tuetur in voce *ſublucare*. Utraque vox dicta a luce ſubmittenda, vel committenda. Ex eodem fonte Iſidorus *Etymol. XIV. 8.* luci vocabulum derivat, quo veteres ſylvam Diis ſacram ſignificabant. Nam luci quoque a luce dicuntur, vel per ἀντίφρασιν, quod in his ſilvis Numinibus ſacris lux rara fuerit, vel, quod tempore feſto lumina in iis plurima in Deorum honorem accenderentur, quod & Græcis in more poſitum fuit, unde ἀγλαὸν ἄλσος apud Homerum *Iliad. β. v. 506.* Feſtum perperam contradictionis inſimulat Salmaſius ad *Solinum p. 585.* Quod autem dicitur, XV. pedes altius ſublucandam arborem eſſe, de ſolo intelligo, non de ea altitudine, ad quam arboris rami antea deſcendebant.

b) *L. 1. ff. de glande legenda.*

c) *L. 236. §. 1. ff. de V. S.*

** Adeoque fructus omnes. Quare non inepte ἀκρόδρυα ſubſtitui poſſent voci ἀκρίδες, quæ vulgo locuſtas ſignificat apud Matthæum. *c. III. v. 4.* niſi exemplo grave videretur mutare quicquam in literis ſacris. Eccur enim hominem divinum æſtimemus ex noſtro more, id eſt, profano. Glandes Virgil. *Æneid. l. VIII. v. 686.* etiam miſſilia quædam militaria dici, vix animadverterem, niſi locus ejus noſtris quoque globulis, ut vocant, ignitis applicari poſſet,

Pars maxima, inquit, *glandes Liventis plumbi ſpargit.*

d) Feſtus *verbo* emem.

e) *L. 4. §. pen. cum l. ſeq. ff. fin. regund. L. 7. §. ult. ff. de acq. rerum dom.* Varro *de ling. lat. lib. 4.*

appel-

appellatur, ſi via publica non interveniat. Confinio autem quinque pedum ſpatium Decemviri ſtatuerunt: cujus præfinitionem ſpatii, quam præſcriptionem etiam appellatam invenimus, *a*) ſumſerunt e Solonis legibus, qui ſingula notarat, atque diſtinxerat intervalla ſepium, maceriarum, & arborum. Quem locum quia Cajus retulerat in commentarios ad leges XII. tabul. *b*) multi crediderunt integram Solonis ſententiam omnibus ex partibus fuiſſe XII. tabul. legibus comprehenſam: cum ex monumentis, quæ ſuperſunt, præfinitionem ſolam quinque pedum colligamus: & a Cajo habeamus exemplum tantum Solonis Decemviros fuiſſe ſecutos. Statuerat autem Solon, ne qui ſepem foderet, *c*) excederet præſcriptos fundi terminos: ac voluit, ut parietem ſi extrueret, pedem ille relinqueret ſpatii; ſi domum pedes duos; ſi ſepulchrum, aut ſcrobem foderet, quantum profunditatis habuerit, tantum ſpatii relinqueret; ſi puteum ſex pedum latitudinem. Oleam vero, aut ficum, ut ne in alieno radices agerent, novem pedes e vicini fundo diſtare voluit; ceteras arbores quinque: quod ſpatium eſt XII. tabul. legibus præfinitum, & ab omni uſucapione prorſus exemtum. Scio, diſplicuiſſe Salmaſio *d*) veterem verſionem verborum Solonis, quæ *τὴν αἱμασίαν* reddit *ſepem:* cum ille interpretetur maceriem: utraque tamen interpretatio veterum auctoritate defenditur. Illa Suidam habet auctorem, & Orionem, & Theocriti Scholiaſtem; hæc Herodotum, & Demoſthenem, & Heſychium, & alios quos collegit Menagius, *e*) qui Salmaſii opinionem propugnat adverſus Heraldum Salmaſio infeſtum. Verum ne alicui veterum, præcipue vero Euſtachio Homeri graviſſimo interpreti, vocabuli hujus ignorantiam adſcribamus, qui vetuſtiori ævo tradit ſepes agrorum ſpinis, & ramis fuiſſe contextas; *αἱμασίαν* acceperim uti genus lignea ſimul, & lapidea ſepta complectens. Sed ut ad propoſitum redeamus, duplex erat agrorum controverſia, finalis nempe ſpatii, & locorum: finale ſpatium quinque pedum præſcriptione, ſive præfinitione conſtabat ex lege XII. tabularum omni uſucapione liberum, ut in controverſiam nunquam veniret. Locorum vero ſpatium id erat, quod quinque pedes excedebat. Quod enim ſupra quinque pedes extendebatur, id adducebatur in controverſiam apud judicem, ſive arbitrum finium regundorum; eaque controverſia locorum appellabatur. *f*) Quam diſtinctionem inveneris in celeberrima lege, breviſſima ſimul, & obſcuriſſima *quinque pedum* C. Juſt. & Theod. *fin. regund.* Cujus explicationem ab omnibus interpretibus quidem laborioſe, ab eruditioribus tamen, Alciato duce, felicius tentatam; petere utilius licebit a Jacobo Gothofredo. * Nolo enim hic ego, vel eandem cantilenam canere, vel ut nova proferam ineptire: cum & Petrus Abailardus, qui ſenſum undecunque germanum ſe prolaturum gloriabatur, hac tamen ſuper lege obmutuerit. *g*) Itaque ſuper confinium, ſive ſuper quinque pedes vicinis fundis ad iter, ac tranſitum interjectos, nulla ex XII. tab. uſucapio cadebat, quod hiſce fortaſſe legis verbis comprehendebatur:

a) *L. quinque pedum, C. fin. reg.*
b) *L. ult. ff. fin. regund.*
c) Plutarch *in Solone pag. 91.* Cujac. *ad l. ult. ff. fin. regund.*
d) *Obſerv. ad jus Atticum.*
e) *Amœnit. juris civil. cap. 38.*
f) *Vide* Frontinum, *&* Cujac. *obſ. lib. 10. cap. 2.*
* Reliquos interpretes hujus legis recenſuit Everardus Otto *Pr. T III. Theſ. jur. p. 30.*
g) *Vide gloſſ. in L. quinque pedum, C. fin. regun. & ibi* Dionyſ. Goth. *&* Alciatus.

Intra quinque pedes uſus auctoritas nec eſto.

Uſus auctoritas) hoc eſt jus uſucapionis, quam loquendi rationem pandemus infra, cum de uſucapione tractabimus: nunc de regendis finibus videamus.

XXXVIII. DE FINIBUS REGUNDIS.

Si quando contentio inter vicinos fundos oriretur de finibus, aut obſcuratis, aut turbatis, vel de ſpatio locorum, & modo agrorum, quod tertium in limitibus controverſiarum genus Frontinus appellat, a) ibi leges XII. tabul. juſſerunt, ut tres arbitri darentur regendis, hoc eſt dirigendis finibus, b) apponendiſque terminis, & agris definiendis, ut colligitur ex his Cic. verbis: *Nec ex Mamilia lege ſinguli: ſed ex XII. tab. tres arbitri fines regemus.* c) Ita locum hunc, eruditis omnibus adprobantibus, reſtituit Cujacius. d) Acceſſit enim deinde lex Mamilia, quæ aut ex XII. tab. quinque, aut ſex pedes inter confines fundos conſtituens ſingulis arbitris, contenta fuit in finium controverſiis. Quam legem tulit C. Mamilius Trib. plebis; is, qui belli Jugurthini tempore rogationem ad populum tulit e) in eos, quos Jugurta pecunia corrupiſſet. Iſque propter legem de limitibus latam, *Limitanei* cognomen tulit: quod Manucius in nummo etiam argenteo obſervavit, in quo erat C. Mamilii Limetan. ut perperam Jacobus Gothofredus *Manliam* legat. Lex autem ita ex veteribus reliquiis concinnatur:

Si jurgant aſſines, finibus regundis Prætor arbitros tres addicito.

Jurgant) jurgium, & *lis* hoc diſcrepant: quod *jurgium* contentio eſt juris inter benevolos, & propinquos exorta, unde *jurgatio*, quaſi *juris actio* apud Feſtum, & *jurgare* ab jure deducit Varro. f) Lis vero eſt animorum concertatio vehementior ex ira, & odio inter inimicos exardeſcens: ut non immerito Cic. cum alibi ſæpe, tum in libris de republica apud *Nonium* in verbo *jurgium* non rerum tantum; ſed & verborum delectum in legibus XII. tabularum admiretur. Itaque nulla nobis lis eſſe poteſt cum eo, quem in poteſtate habemus.

Aſſines) ſive vicini, qui prædia vicina poſſideant: aſſines enim dicuntur tam qui ſanguine, quam qui prædiis conjunguntur, ut tradit Feſtus, & gloſſ. verbo *ἀγχιτέρμων*.

XXXIX. DE USUCAPIONIBUS.

Nunc ad uſucapionem tranſeamus, quam ſuis legibus in rebus mobilibus etiam amplexus eſt Plato: g) ut a jure Attico fluxiſſe ſuſpicemur, quo ille fortaſſe reſpexit: etſi hujus juris ex Atticis, aut aliarum gentium legibus monumentum ſupereſit nullum: ut merito jus hoc proprium civium Romanorum reputemus, a quibus peculiari ratione cultum fuit, atque conſtitutum: unde nulla hujus juris communio peregrinis, quibus nihil ex civium Romanorum bonis uſucapere licebat:

a) Cujac. *obſ. lib. 10. cap. 2.*
b) Boëthius *in topic. Cic.*
c) *Lib 2. de legibus.*
d) *Obſerv. 5. cap. 21.*
e) Salluſt. *in bello Jugur.*
f) *Lib. 6. de ling. lat.*
g) *Lib. 12. de legibus.*

ut

ut patet ex lege XII. tab. quam ad nos Cicero tranſmiſit, *a*) quamque inferius producemus. Igitur jure civili dominium ſola capione, ſive tantum capiendo nanciſcimur: capimus autem rem, vel manu, ſive ab alio traditam; vel uſu, nempe poſſeſſam ab initio bona fide. Unde duplex oritur adquirendi dominii ratio ex jure civili, mancipium, & uſucapio. Mancipium dicitur quaſi manu capio per traditionem; uſucapio vero quaſi capio per uſum, ſive per poſſeſſionem. Quæ uſucapio introducta fuit, ne dominia in incerto diu manerent, & ſimul ut rerum domini verentes juris civilis poteſtatem, quæ dominium ab iis tacite ad diverſos poſſeſſores transferebat, cautius res cuſtodirent, * atque tuerentur ſuas: ac denique ut certo tempore litium facultas perimeretur. Quamobrem Decemviri ſtatuerunt, ut mobiles quidem res anno; fundus vero biennio uſucaperetur: hoc eſt redigeretur in dominium illius, qui rem illam anno, aut fundum biennio bona fide poſſederit. Fundi autem nomine quælibet res immobilis, & etiam ædes comprehenduntur: non quia manifeſta vocabuli proprietas eas etiam complectatur; ſed quia vis, & ratio legis etiam ad ædes extenditur: ut colligitur ex his Ciceronis verbis: *b*) *At utimur eodem jure uſucapionis in ædibus, quæ in lege non appellantur*, & alibi: *c*) *Aſt in lege ædes non appellantur: & ſunt ceterarum rerum omnium, quarum annuus eſt uſus? Valet æquitas, quæ paribus in cauſis paria jura deſiderat.* Fundi igitur appellatio ad rem omnem porrigitur, quæ ſolo tenetur. *d*) Et quia tempore inſtitutæ uſucapionis Romanorum ditio nondum exceſſerat Italiam: res Italicæ ſub uſucapionem ceciderunt, eæque res mancipi dicebantur, quia proprietatem privati etiam nanciſcebantur illarum; rerum vero provincialium, quia tributa pendebant populo Romano, ſolus populus proprietatem adquirebat; privati tantum poſſeſſionem: unde nec mancipi nuncupabantur, & tantum rerum mancipi, ſive Italicarum erat uſucapio; non vero rerum, nec mancipi, ſive provincialium. Sed quoniam Juſtinianus hanc differentiam ſuſtulit, *e*) coactus quoque fuit aliis etiam in articulis a veteri jure diſcedere. Cum enim uſucapionem extendiſſet etiam ad prædia provincialia, quæ ſita procul erant: viſum fuit inhumanum, retinere intervalla temporum eadem in diverſitate regionum. Unde propter locorum longinquitatem, tempora quoque produxit uſucapionis, & annuum ſpatium, quod erat uſucapiendis mobilibus conſtitutum, ad triennium protraxit; tempora vero ad uſucapionem immobilium juſſit eſſe decem annos inter præſentes; viginti vero inter abſentes. Sed quid ad hunc Ulpiani locum reſpondebimus? ubi ſcribit: *f*) *Uſucapione dominia adipiſcimur, tam mancipi rerum, quam non mancipi.* Ergo & ante Juſtinianum uſucapionis jus ad res etiam provinciales excurrebat. Hanc difficultatem neque Balduinus, neque alii ante Cujacium animadverterunt; qui ut eam ſolveret, locum hunc accepit de rebus mobilibus tantum, ac ſe moventibus: ** quæ docet, etiam ante Juſtinianum uſucapioni

a) *Lib. 1. de offic.*

* Aut ſi neque cuſtoviſſent, neque intra tempus legitimum vindicaſſent, dominio earum caderent, perinde ac ſi dereliquiſſent.

b) *orat. pro* Cæcin.

c) *in topic.*

d) *L. quæſtio ff. de V. S.*

e) *Inſtit. de uſucap. & C. de uſucap. transferend.*

f) *Inſtit. cap. 19.*

** In rebus enim ſoli in provincia ſitis non uſucapioni ſed præſcriptioni tantum locus erat. *§. 2. J. de Uſucap.*

 patuiſſe.

patuiſſe. *a*) Sed neque peregrinis, ut diximus, jus uſucapiendi dabatur, neque permittebatur cuiquam rei furtivæ uſucapio: quippe quæ initium capere non poteſt, niſi a bona fide. Quamobrem ex legibus XII. tabul. adverſus hoſtem, ſive peregrinum æterna eſt auctoritas, hoc eſt ſalvum ſemper, & integrum eſt rei dominium, ita ut nunquam peregrinus poſſit rem uſucapere civis Romani, quia cum peregrinis non eſt communio juris civilis; item rei quoque furtivæ æterna eſt auctoritas, nempe nemo fur dominium rei furtivæ adquirit, propter malam fidem, ut ex ſubjectis duarum legum fragmentis apparebit.

Uſus auctoritas fundi biennium: ceterarum rerum annuus uſus eſto.

Furtivæ rei æterna auctoritas eſto: adverſus hoſtem æterna auctoritas eſto.

Uſus) ſignificat poſſeſſionem.

Auctoritas) ſignificat dominium, ut ſit dominium ex poſſeſſione quæſitum. Hinc Harmenopolus *κυριότης διὰ χρήσεως*; unde genitivum hic eſſe arbitror *uſus* contra ceterorum ſententiam: * hoc ſenſu, ut dominium rerum immobilium biennio; mobilium, ſeque moventium anno ex continua poſſeſſione adquiratur.

Hoſtem) ſcilicet peregrinum, quo vocabulo veteres Romani ſatis humaniter etiam perduellem appellarunt; poſtea vero amiſit ſignificationem *peregrini* vox hæc, & eam perduellis retinuit, quam ab origine non habuerat; unde Ennius de Scipione Africano:

Hic eſt ille ſitus, cui nemo civi neque hoſtis
Quivit pro factis reddere operæ pretium.

& Plautus: *ſi ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies*, & Cicero de offic. 1. itaque ſenſus eſt nullo tempore peregrinus rem civium Romanorum uſucapit.

XL. DE TESTAMENTIS.

Ac ſuperiora quidem inter viventes vertuntur: nunc ad ea veniamus, quæ a morte proficiſcuntur aliena; nempe ad jura teſtamentorum. Cujus vocabuli origi-

a) *Parat. & enarr. ad C. de uſucap. transfer.*

* Sed ſic vox auctoritas alio ſenſu in prima, alio in ſecunda lege venit. In prima ſignificat dominium uſu quæſitum, in ſecunda rei perſecutionem, vindicationem & evictionem. Hotomanus in *commentario ad orat. Cic. pro Cæcinna cap. 19. & Lib. II. Obſ. c. 2.* appoſitive uſum & auctoritatem accipit, tanquam de una re duobus expreſſa vocabulis, & pro *biennium* legit *biennis*, ut ſenſus ſit, auctoritatem biennem eſſe, ſive, rei vindicationem per biennium dari. Quæ conjectura etiam ſine emendatione admitti poteſt, & vocem *auctoritas* in utraque lege eodem ſenſu accipit, ideoque ceteris virorum doctorum ſententiis palmam præripit, probaturque Salmaſio *de Uſur. c. 8. p. 210.* Equidem obſtat ei Boëthii auctoritas, qui in *Topicis*, *Hic igitur*, inquit, *ædium uſus auctoritatem biennii fieri ſentit*, in quibus verbis, manifeſta vox uſus, ſine appoſitione in gignendi caſu ponitur. Sed Boëthius idoneus arbiter non videtur in re ab ætate ejus complurium ſeculorum intercapedine remota.

nem,

nem, qui a teſtatione mentis trahunt, ii Servii Sulpicii *a*) auctoritatem, cui alioqui nemo ſanus non tribuerit plurimum, manifeſtæ veritati anteponunt. Is enim hanc primum nominis rationem protulit. Unde non inurbane Valla, Gellio auctore, jocatur: quaſi & fragmentum fractionem mentis, & lomentum, lotionem mentis, & calceamentum, calceationem mentis dicere poſſimus. Revera igitur non eſt ex pluribus compoſitum vocabulum; ſed potius natum a verbo *teſtor*, tanquam *teſtamen*, unde *teſtamentum*: ut a *munio munimen*, poſtea *munimentum*, & a *doceo documen documentum*. Quamobrem recte Cujacius *b*) arbitratur, juriſconſultos morem Stoicorum ſecutos eam commentos non raro fuiſſe originem, quæ rei naturæ conveniret: ratione ſcita potius & concinna, quam vera. Sed jam a nomine ad rem ipſam veniamus. Teſtamentorum jus quamvis apud omnes fere gentes celebretur, quia tamen certis ritibus, ac ſolennibus formulis, e quibus ultimæ voluntatis auctoritas pendebat, a Romanis munitum fuit, atque fundatum; propterea dicitur eſſe profectum a jure civili, ac primo ex moribus: qualia fuere teſtamenta, quæ dicuntur in procinctu, quæ a tempore Coriolani Plutarchus ducit. *c*) Eorundem poſtea facultas, ac ratio inſtituta fuit ex legibus XII. tab. quæ latiſſimam patrifamilias poteſtatem ſuper re ſua teſtandi permiſerunt, longeque pleniorem, quam tribuerat ſuis legibus Solon, quem etiam in hac teſtamentaria re Decemviri condendis legibus imitabantur. *d*) * Ante Solonem enim non licebat Athenienſibus res proprias morientis auferre ſucceſſoribus legitimis: At Solon, qui teſtandi facultatem primus detulit, non tamen omnem, ſed eam tantum voluntatem decedentis probavit, quæ a teſtatore ſine liberis decedente incolumi, ac prorſus tum a morbo, tum a medicamentis, tum a vinculis, tum a muliebribus blanditiis libero prodiret. Plena vero poteſtas teſtamentis ex legibus XII. tab. acceſſit: nam exceptis iis, qui pœnæ nomine redduntur inteſtabiles, & qui adminiſtratione rei ſuæ lege privantur; *e*) liberum fuit, excluſis etiam liberis, hæreditatem, & bona ſua teſtamento relinquere. *f*) Huic tam amplæ teſtandi facultati modum poſuerunt aliquem latæ deinceps leges, nempe Voconia, Furia, Ælia, quæ ſequenti libro erunt explicandæ. Quamobrem legem ipſam jam adferamus.

Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecuniæ, tutelæve ſuæ rei ita jus eſto.

Legaſſit) legare apud Decemviros non modo ſingulas res teſtamento relictas, ſed & omne teſtamentarium negotium, complectebatur, & ipſam hæredis inſtitutionem. Etenim *legare* ſignificat *ſtatuere, decernere*. Unde Livius libro primo *Regnum vetuſtæ Sylviæ gentis legat*; *g*) *legaſſit* autem eſt ab antiqua ſcribendi ratione pro *legarit* poſito *s* pro *r*, ut *eſit* pro *erit*.

a) Gell. *lib. 6. cap. 12.*
b) *lib. 11. obſerv. cap. 37.*
c) *in Coriolano.*
d) Plutarch *in Solon. vide* Petit. *ad leg. Attic.* Demoſth. *pro Coron.*
* Quæ ſententia ferri poteſt, etſi conſtet, etiam ante LL. XII. tabularum, teſtamenta in pace facta eſſe. Exemplum Tarrutii, Laurentiam, Anci Marci temporibus, heredem ut videtur inſtituentis, adducit Perizon. ad *leg. Vocon. p. 134.*
e) *L. is cui lege ff. de teſt. & qui teſt. fac.*
f) *Inſtit. de lege Falcid. in princ.*
g) *L. verbis. 120. ff. de V. S.*

Super pecuniæ) ita legitur in Pandectis Florentinis, *a*) poſito ſecundo pro ſexto caſu, * more Græcorum, ut obſervavit Cujacius, *b*) qui antiquam hanc lectionem primus variis in locis juris reſtituit; aliaque more Græcorum uſurpata notavit, Antonius etiam Auguſtinus, & Briſſonius. Porro *pecuniæ* ſignificatio hic ad omnia extenditur; non tantum ſcilicet ad pecuniam numeratam, ſed ad mobilia etiam, & immobilia, & ad jura omnia. *c*)

XLI. DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Occurrunt nunc ſucceſſiones ab inteſtato, quibus locum in XII. tabulis fuiſſe, poſt leges de teſtamento ex Ulpiano colligitur. *d*) Inteſtatus autem dicitur non is tantum, qui ſine teſtamento moritur, ſed & is, cujus teſtamentum deſtituitur: imo inteſtatus non a mortis, ſed a deſtituti teſtamenti tempore perhibetur: unde proximorum nomine veniunt non ii proximi, qui teſtatore decedente fuerunt, ſed qui tempore deſtituti teſtamenti reperiuntur. *e*) Igitur ad inteſtati hæreditatem lex XII. tabul. primo vocabat ſuos, deinde agnatos, poſtremo gentiles. Sui dicuntur filii, aut nepotes, qui ab ipſa quodammodo natura inſtituuntur hæredes, atque vivente adhuc patre, rerum paternarum domini naſcuntur: eoque mortuo tales non fiunt, ſed fuiſſe deteguntur. *f*) Pateſit enim dominium eorum, quod patria poteſtate obumbrabatur. Unde primum filiis locum in ſucceſſione omnium gentium jura tribuerunt: eosque Jurisconſulti hæredes etiam neceſſarios appellarunt: quia cum naſcantur hæredes, nequeunt ſe tales negare ſi velint. Ideo beneficio Prætoris opus eis fuit, ut poſſent hæreditate paterna, quam ſibi damnoſam ſuſpicarentur, abſtinere. Non ſolum autem filii, aut nepotes jam nati ſuorum nomine comprehenduntur; ſed etiam poſtumi, qui, niſi pater deceſſiſſet, in ipſius poteſtate nati eſſent. *g*) Filiorum etiam nomine veniunt filiæ: ac naturalis ratio ſuaſit Decemviris, ut ſine ſexus diſcretione par jus in ſucceſſione ſuorum & agnatorum maſculis, ac fœminis ex agnatione tribuerent: *h*) quamvis id ſequentibus temporibus mutaverit, variis editis legibus, libro ſequenti explicandis, quæ fœminis facultatem ſuccedendi minuerunt. At agnatorum nomine conſanguinei ** primo veniunt, etſi peculiari

a) *L. ſæpe. 53. ff. de V. S.*

* Verba legis utrum in Genitivo, an in Ablativo caſu ponantur, parum intereſt, cum Græco more Genitivum ſæpe pro Ablativo poni, Voſſius notaverit *de arte Gramm. L. VIII. c. 65.* Quid autem ſibi vult *tutela ſuæ rei?* Suam rem pro filio dici reſpondent, quia & filius fuerit res mancipi. Sed durior videtur hac commutatio generis & ſpeciei. Omnium feliciſſime locum tentavit Fr. Hotomanus *L. IX. Obſ. c. 10.* pro ſuæ rei, legens, ſui hæredis.

b) *ſuper l. 28. & 29. ff. de V. S.*

c) *L. pecuniæ verbum, & pecuniæ nomine ff. de V. S.*

d) *L. 1. ff. ſi tab. teſt. null. extab.*

e) *L. poſt conſanguineos, §. 6. ff. de ſuis, & legit. & §. proximus Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.*

f) *§. 2. Inſtit. de hæred. qualit. & diff.*

g) *L. 4. C. de ſuis & legit. & §. 2. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. defer.*

h) *Inſtit. de legit. agnat. ſucc. §. 3. L. penult. & ult. C. de legit. hæred.* Paul. *l. 4. ſent. 8. §. 3.*

** Qui ideo ſic dicti, quia ex iisdem ſeminibus prognati eſſent, ſanguine vere-

quoque

quoque nomine notentur, quales ſunt frater, & ſoror ex eodem patre, qui cum proprie conſanguinei appellentur, lege XII. tabul. generali agnatorum nomine comprehenduntur. Conſanguinei autem proxime poſt ſuos vocantur, *a*) deinde ceteri; etſi decimo gradu ſint agnati, ex ordine, atque gradus prærogativa. Ac tanti fecerunt agnationem Decemviri, ut eos, qui agnati non eſſent, a legitima hæreditate ſubmoverint: unde neque mater, & filius invicem ſuccedebant: quia quamvis a matre, ac patre oriatur agnatio, mater tamen agnatione non continetur. Neque vero matri ſuus hæres filius agnoſcebatur, quia mulieres filios in poteſtate non habent: ideoque neque ex eo capite filius matri ſuccedere poterat. *b*) Quam juris aſperitatem poſtea lenivit S. C. Tertullianum, de quo libro ſequenti. Poſt agnatos, gentiles vocabantur, ſive qui eadem de gente eſſent, non ex eadem familia. Quorum jus poſtea ceſſavit: unde nihil hic explicandum ſupereſt præter id, quod ſupra de tutelis expoſuimus. Ceterum ex lege XII. tabul. hereditas inter paris gradus agnatos in capita dividebatur. *c*) Quod ex abdito ſenſu legum potius, quam ab ipſis verbis deductum exiſtimaverim, cum nihil expreſſe cautum inveniatur. Verum ſi cum patruo concurrant filii mortui fratris: ii non ſuo proprio jure veniunt, ſed patris defuncti, cujus locum ingrediuntur: ideo non ſinguli æqualem cum patruo partem; ſed ſimul omnes eam portionem hæreditatis auferent, quam pater eorum, ſi viveret, habuiſſet, cujus mortui jus filii repræſentant: quæ ſucceſſio dicitur in ſtirpes; quia non per ſingula capita æqualiter, ſed ratione gradus, quem præferunt, hæreditas avi inter filium, & nepotes ex mortuo filio dividitur. Illud vero ad antiquitatis cognitionem ſcitu dignum arbitror, quod Gellius ex Labeone retulit: *d*) *virginem Veſtalem neque hæredem eſſe cuiquam inteſtato, neque inteſtatæ quemquam: ſed bona ejus in publicum redigi.* * Jam vero ipſa legis verba proferamus.

Aſt ſi inteſtato moritur, cui ſuus hæres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec eſcit gentilis familiam nancitor.

Ad hujus legis interpretationem ſatis meminiſſe fuerit *eſcit* ſignificare *erit:*

Familiam) accipi pro *hæreditate* & *nancitor* exponendum eſſe nanciſcitor.

Sequitur lex de libertis inteſtato morientibus, *e*) qui ſi ſuum hæredem non habeant, hæredem ex legibus XII. tab. habebunt patronum, vel patroni liberos in

eunde pro ſemine dicto. Conſanguinei enim appellantur ex eodem patre progeniti, quemadmodum contra uterini dicuntur, qui ex eadem matre editi fuerint. De utroque parente promiſcue Horatius: *Non ego pauperum ſanguis parentum.*

a) *L. 2. ff. de ſuis. & legit. §. 1. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.*

b) *Inſtit. de S. C. Tertul.*

c) *L. 2. §. 2 ff. de ſuis, & legit.* Ulp. *Inſtit. tit. 26. §. 4.*

d) *lib. 1. cap. 12.*

* Quemadmodum hodie Moniales, quæ Veſtalibus ſucceſſerunt, ipſæ quoque dominium rerum ſuarum ad monaſterium transferunt, & neque heredes habent, neque heredes exſiſtunt, *Novell. V. c. 5. Auth. Ingreſſi C. de SS. Eccleſ.*

e) Ulp. *Inſtit. tit. 29. &* Juſtin. *Inſtit. de ſucceſſ. libert. in princ.*

capita

capita hæreditate diviſa, & gradibus remotioribus excluſis: *a*) itaque ſi filius patroni ſupererit, nepotes ex filio mortuo removentur. Cum autem lege XII. tabul. libertus teſtamento poſſet excludere patronum; Prætor legis aſperitatem correxit, edictoque ſuo patronum vocavit ad dimidium bonorum, ſi libertus teſtamento facto nullum ſibi ex naturalibus liberis ſucceſſorem reliquiſſet; aut ſi ab inteſtato decedens uxorem, quæ in manum convenerat, vel adoptivum filium habuiſſet: nam æque pro dimidia parte ad bonorum poſſeſſionem patronus veniebat. *b*) Legis autem verba hæc propemodum fuere:

Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus hæres nec extabit, aſt patronus, patronique liberi eſcint, ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adducitor.

Adducitor) * hoc eſt addicitor, vel additor.

XLII. DE DIVISIONE HÆREDITATIS.

Mortuo teſtatore, pluribusque relictis hæredibus, contrahitur ſtatim inter eos tacita ſocietas, & naſcitur communio juris: adeo ut in ſingulos, & in univerſos, defuncti jura omnia tranſeant, rerumque dominium, & actiones, atque obligationes ejusdem. Ut autem ſucceſſio ad exitum perducatur, neceſſaria fuit jurium & bonorum inter hæredes diviſio, quæ vel a jure ipſo, vel a magiſtratus arbitrio procedit. *c*) Dividuntur ipſo jure actiones, & obligationes, ut ſinguli hæredes per legem XII. tabul. obligationibus hæreditariis, & creditoribus defuncti pro hæreditaria portione teneantur: & ſimul actiones pro eadem portione adverſus hæreditarios debitores nanciſcantur ex leg. XII. tabul. ex quibus, quia tantum hæredes creditoribus hæreditariis ſubjiciuntur; ideo prudentes ducti verbis, & ſententia legis legatarios his oneribus exemerunt: uti tamen legata nonniſi ære alieno deducto præſtentur. *d*) Alia diviſio ceterarum rerum, & bonorum inducitur per arbitrum familiæ erciſcundæ, ſive hæreditatis dividendæ. *e*) Nam leges XII. tabul. præcidendis diſcordiarum radicibus, quæ communione prodeunt, inſtituerunt; ut ſi hæredes in ea manere nolint, arbitrum peterent a magiſtratu, qui ſuas portiones ex teſtamento ſingulis attribuat: unde actio prodiit familiæ erciſcundæ. Cujus legis capita in duas ab Hottomanno diſtracta leges: in unam Gothodofredus junior coëgit, meo judicio, rectiſſime, propter brevitatis ſtudium, quod ubique Decemviros tenuit. Sunt autem hæc:

Nomina inter hæredes pro portionibus hæreditariis ercta cita ſunto.

a) *L. 23. §. 1. ff. de bon. libert.*

b) Ulpianus *ibid.*

* Rationem ſuccedendi ab inteſtato ex L. XII. tabularum egregie illuſtrat Cornelius van Bynkershœk *L. 11. Obſ. c. 1.* de ſucceſſione autem patronorum in bona libertorum conferendus Heineccius *ad legem Papiam p. 349.*

c) *L. 25. §. 8. & §. 13. ff. fam. erciſc. L. 1. C. de except. L. 1. C. ſi certum petatur.*

d) *creditores 7. & ult. Cap. de hæredit. action. & l. 10. C. de jur. delib.*

e) *L. 1. ff. fam. erciſc. & L. 2. C. eodem.*

Digitized by Google

ſunto. Ceterarum familiæ rerum erĉto non cito * ſi volent: erctum citum faciunto. Prætor ad erctum ciendum arbitros tris dato: ſive

Defuncto creditore, vel debitore, ejus hæredes pro portionibus hæreditariis convenire, & conveniri tantum poſſunt: ipſoque jure inter eos obligatio dividitur. At ceterarum rerum, ſi volent, hæredes diviſionem faciunto: ad eam diviſionem Prætor tres arbitros dato.

Ercta cita) magna eſt de harum vocum origine, ac ſignificatione diſſenſio. Feſtus enim verbo *erctum*, putat *erctum* a *coërcendo* dictum: *citum* a *ciendo*. *Ciere* autem Donatus ad *VIII. Æneid.* explicat *dividere*, unde *citum diviſum* ex illo Virgilii:

- - - *citæ Metium in diverſa quadrigæ Diſtulerant.*

Inde Jacobus Gothofredus *erctum*, ſive *coërcitum* accipit pro *indiviſo*. Mihi olim placuit erciſcere deducere ab ἑρκίζειν, ſive ἕρκιον, quod eſt quaſi ſeptum, ut ſignificet *ſeptum dividere*. Sed cum veteres habuerint *horctum*, quod eſt *bonum*, ſuſpicor *o* in *e*, ut ſæpe mutata, natum eſſe *herctum*; *citum* autem a *cio*, quod eſt divido, a veteri σχίω, unde σχίζω divido. Inde compoſita eſt vox *erciſcere*, quaſi *erctum*, ſive *bona dividere*.

XLIII. DE STATULIBERIS.

Fuiſſe creditur & in XII. tabul. legem de ſtatuliberis: cujus cum nullæ ad nos reliquiæ pervenerint, ſatis fuerit ſententiam illius ex Hottomanno depromere, qui eam ex variis juris auctoribus collegit. Continebat autem ea lex, ut quando teſtator ſervum aliquem, cum is certam hæredi pecuniam dabit, liberum eſſe juſſiſſet, ſi eum hæres abalienaret; tamen ſi emtori eam pecuniam ſervus daret, liber eſſet. a) Quamobrem legem eam Gothofredus ita concipit:

Statuliber emtori dando liber eſto.

XLIV. DE MANCIPATIONIBUS.

Nunc a teſtamentis ad contractus tranſeamus, & primo ad eos, qui mancipatione, ac nexu inibantur. Quæ verba ſatis patebunt, ſi in memoriam redeamus eorum, quæ attulimus de uſucapionibus agentes. Uberiorem vero notiam in acti-

* His verbis neceſſaria deeſt interpretatio. Significant autem Prædio non diviſo. Erctum enim, ſive herctum, patrimonium, citum diviſum ſignificat, ut Donatus docet loco ab Auctore laudato. Herctum autem adſpirat Gellius *I. 9.*, Cicero quoque herciſcundæ, quam erciſcundæ mavult *de Orat. I. 56.* & Græci quoque ſuum ἕρκος adſpirant, unde vox deducenda videtur. Eſt enim ἕρκος ſeptum, erctum autem, ſecundum Feſtum, a coërcendo dictum. Ab eadem radice herum & hereditatem dici, minime dubitandum cenſemus. Paſſim tamen negligitur adſpiratio non tantum a recentioribus, verum etiam apud veteres, ut in rubrica tituli Pandectarum, familiæ erciſcundæ.

a) *L. ſtatul. 28. ff. de ſtatu lib.* Ulp. *Inſtit. tit. 2. de ſtatul.*

Ce bus

bus ſolennibus inferius explicandis adferemus. Ad id autem, quod habemus in manu, ſatis fuerit noſſe mancipationis nomine venire venditionem earum rerum, quarum in dominio noſtro proprietatem habemus, quæ res mancipi nuncupantur, ut mobilia ſunt, & prædia Italica: non autem provincialia prædia, quæ tantum poſſeſſiones appellantur; quod poſſeſſio tantum eorum apud privatos, dominium vero maneat apud Pop. Rom. *a*) Nexus vero erat legitima dominii ex jure civili transferendi ratio, ſine qua nihil in dominium tranſire poterat alicujus. Emtor enim, qui ſine nexu, * hoc eſt non adhibito libripende & quinque teſtibus, rem acceperat, percipiebat quidem rei venditæ utilitatem ex conſenſu venditoris; minime tamen rei dominium adquirebat. Ideo venditor ille, quia dominium ex jure Quiritium retineret, Quiritarius dominus; emtor vero bonitarius appellabatur, quod venditorum bonorum utilitatem potius, quam dominium aſſequeretur. Unde mancipatio, quæ venditio eſt nexu contracta, inter nexus genera refertur: cum alii quoque contractus & etiam teſtamenta, ubi eædem ſolennitates adhibebantur, nexus quoque nomine veniant. Res vero, quæ mancipi non eſſent, ſub nexum non cadebant, ideo dominium eorum transferebatur per ceſſionem in jure; de qua in actibus legitimis. Nunc Decemvirorum ſenſus in venditionibus rerum mancipi, ceterisque contractibus formam juris civilis habentibus, ſive in mancipationibus, & nexibus omnibus inquiramus. Igitur Decemviri, ut fraudem omnem a contractibus averterent, quæcunque contractus verbis comprehenderentur præſtanda juſſerunt, *b*) ſive ut lex ait, *quæ lingua eſſent nuncupata;* idque cum in venditionibus, tum in contractibus aliis, qui omnes clauduntur verbis illis: *ſi nexum faciet mancipiumque.* Quam in contractibus fidem poſtea JCti non minori ſtudio exegerunt jubentes, ut non modo quod expreſſum, ſed & quod ſuppreſſum eſſet, præſtaretur: *c*) fallit enim emtorem venditor non modo, ſi plus de re vendita promittat, quam re vera ineſt; verum etiam ſi reticeat vitium in ea latens: utroque modo enim res pluris, quam eſt digna, æſtimatur. Utinam hoc inſideret caſuiſtis noſtris! Prudentum vero auctoritatem, qua vitiorum reticentia damnabatur; munivit etiam Ædilis edicto ſuo, quo contrahentium fallaciis occurrit, ut late in titulo Digeſtorum *de ædilitio edicto.* Nec ſciens modo, ſed etiam ignorans venditor vitium rei, quod reticuit, præſtabit actione ex emto, quanto minoris erat venditurus, ſi vitium indicaſſet; ſi reticuerit ſciens, damna præſtabit omnia, quæ ex venditione illa emtor traxerit. *d*) Non tamen venditor tenebitur, ſi rem vitio carentem verbis extulerit;

a) Boët. *in topic. Cic. 3.*

* Unde autem dictus eſt nexus? Varro *L. VI. c. 5.* a formula eum *Ni quid ſuum ſit,* dictum, cenſet, quia uſi ſint ea venditores duplum promittentes, ſi res emptori evinceretur tanquam aliena. Marcilius nexum de libræ penſis intelligit, &, quod minime obvium eſt, ſatis notum dicit. Figurate arctitudinem vinculi nexu deſignari, nemo dubitet; ſed forſitan ſymbolice adhibita alligatio quædam cum nexu, ut meminiſſet debitor, fore, ut ex veteri more nexus vinctus eſſet, ſi fidem falleret. Ecce enim a ligando quoque obligatio dicitur, & ligati veteribus nexi dicebantur.

b) Feſtus *verbo nuncupata.* Varro *5. de Ling. Lat. c. 7.* Cic. *de orat. 1. & pro* Cæcin. *& l. 3. de offic.*

c) Cic. *de offic. l. 3.*

d) *L. Julianus ff. de act. emt.*

com-

commendationem enim rei ſuæ ſuggerit ipſa natura. * Si vero patefacto vitio, venditor inficietur, dupli pœnam ex XII. tabul. lege ſubibit. *a*) En legis verba:

Quom nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto; ſi inficias ierit, duplione damnator.

Nexum) *nexus* nomine veniunt contractus omnes, in quibus, more veteri, de quo inferius, libripens, & quinque teſtes adhibebantur, ut quod ex jure gentium procedebat, juris civilis formam indueret, actionemque pareret inter cives Romanos.

Mancipiumque) mancipium facere, eſt abalienare rem mancipi, & dominium in alios transferre per nexum, ſive ſolennia Juris civilis.

Nuncupaſſit) nuncupare ſignificat nominare: *b*) hinc ſcriptæ pecuniæ, ut ille refert, in legibus, nuncupatæ dicebantur. *c*) Superiori lege conſulitur emtori, ne in fraudem inducatur. Sequitur alia, qua Decemviri proſpexerunt venditori, ne rei dominium ante acceptum precium amitteret. Ideo rem, etſi traditam, tamen dominium mutare noluerunt, niſi emtor, aut precium reddidiſſet, aut alio modo ſatisfeciſſet, puta fidejuſſore, aut pignore dato, quibus pro precio caveretur. Quod ex legibus XII. tab. deſcendere, præter Juſtinianum, *d*) colligitur ex Varrone. *e*) Si autem obtulerit precium emtor, nec venditor acceperit, aut fidem de precio emtori habuerit, videtur precium quaſi perſolutum, ideoque dominium tranſibit in emtorem. Sed jam legis quæ ſuperſunt verba ſubjiciamus:

Res vendita transque data emtori non adquiritor donicum ſatisfactum eſcit.

Transque data) hoc eſt tradita, a *trans* enim, & *dare* fit *transdere*, inde eliſo ns fit tradere.

Donicum) antique pro *donec*.

XLV. DE COLLEGIIS, ET SODALIBUS.

Occurrit nunc ex eo, quem ſequimur, ordine, lex de collegiis, vel ſodalibus: quæ vulgo inſtitui minime poterant. Non enim omnibus leges permittebant certum, ac ſeorſum a ceteris civibus corpus una conveniendo componere, ne de coëuntibus conſiliis privatorum, publicum aliquando malum erumperet. Quamobrem certa erant, ac præfinita collegia, & cœtus privatorum, quibus lex coëundi ſimul veniam dederat. Ac Decemvirorum ætate, ſub quibus lex de ſodalibus pro-

* Ubi enim judicium emptoris eſt, ibi venditor fraudis argui nequit. Exemplum mangonis mancipium dilaudantis apud Horatium *Lib. II. epiſt.* 2.

Hic &
Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos.

a) Cic. *de offic. l.* 3.

b) Varro. 5. *de ling. lat. cap.* 7.

c) Feſtus *in verbo nuncupata.*

d) §. *rei venditæ. Inſtit. de rer. diviſ.*

e) *Lib.* 2. *de re ruſtic. L. quod venditi. ff. de contrahend. emt. & L.* 5. *§. ſed & ſi ff. de trib. act.*

diit, non alios Gothofredus fuiſſe ſententia legis comprehenſos arbitratur, & ſodalitii jus habuiſſe, quam fratres Arvales: quorum collegium Romæ fuit antiquiſſimum ab ætate nempe Romuli: qui Accæ Larentiæ nutrici pro filio eſſe voluit, poſtquam ex duodecim, quos habebat illa, unum amiſiſſet: ſeque ſimul cum undecim fratribus ſacerdotem appellavit Arvalem. *a*) Quod ſacerdotium frugum a Diis petendarum, ac finium diſcernendorum, litiumque iſtiusmodi judicandarum cauſa fuit inſtitutum, *b*) ut ex veteri gloſſa Cujacius retulit. *c*) Plura deinde ſimilia Romæ, ſicut & noſtris temporibus, inſtituta fuere collegia vel ſacerdotum, vel artificum, prout, legibus adprobantibus, publica poſcebat utilitas. Quibus conveniendi, ſibique jus certum condendi facultatem tribuit lex XII. tabul. ducta a lege Solonis Cajo relata. *d*) Quam aliter Cujacius *e*) ex libris Baſilicorum; aliter quoque Salmaſius: aliter Heraldus: aliter tandem Petitus legerunt. Verum ne tam fuſe, ac varie diſputata retractemus, ſuum cuique judicium relinquimus, illud vero præterire minime poſſum, quod Salmaſius non tam fortaſſe docendi, quam contradicendi ſtudio ſcripſit: * illicita nempe fuiſſe veteribus Athenienſibus collegia prædonum, propter infamem vitæ illius rationem, communi judicio reprobatam: unde verba illa in lege Solonis ἐπιλέιαν vertit in καπηλέιαν, & pro collegio prædonum ſubſtituit collegium circumforaneorum, & propolarum, qui a prædonibus emunt, ut carius vendant. Qua in re de induſtria videtur oblitus illius Thucydidis, *f*) ſcribentis, vetuſta ætate præſtantiſſimum quemque virum, & ipſos heroas in mare prædatum exiſſe, tantum ut a ſuis civibus abſtinerent. Quod fuit honorificum vitæ genus; tanquam privatæ imago militiæ, ut non mirum, ſi mos hic non omnino, neque omnibus ex partibus tempore Solonis evanuerat. Adeſt & Homerus, *g*) apud quem ſine offenſione Telemachus a Neſtore interrogatur, an prædæ cauſa eo appuliſſet? Ob eandem cauſam & Petiti *h*) emendationem quoque rejecerim, qui legit ἐπιλέιον ad *frumentum:* cujus ſignificationis auctorem habet Heſychium. Sed ne de collegiorum generibus laboremus, quæ licita eſſent, quæve illicita, ſatis erit noſſe illa fuiſſe licita, quæ fraude maliſve artibus carerent. Quæcunque autem collegia legibus permitterentur, ea certi juris condendi ſibi facultatem habebant, dum ne publicis legibus adverſarentur. Hinc lex quæ ſequitur:

Sodales legem quam volent, dum ne quid ex publica lege corrumpant, ſibi ferunto.

a) Plin. *lib. 18. cap. 1.* & Gell. *lib. 6. cap. 7.*
b) Varro *l. 4. de ling. lat.*
c) *obſ. l. 11. c. 5.*
d) *L. 4. ff. de colleg.*
e) *obſ. l. 7. c. 30.*
* Salmaſium pluribus refutat Corn. van Bynkershœk *Obſ. l. I. c. 16.* Sententia, qua Auctor utitur, omnium veriſimillima, & quam ſuo calculo muniverunt Bodinus *de republ. l. III. c. 7.* Grotius *de J. B. & P. l. II. c. 15. §. 5.* Exemplum quotidianæ experientiæ hodie præſto in Algerienſibus & reliquis pyratis ad mare mediterraneum. Cum enim his per Alcoranum ſuum integrum ſit ſociari ad prædam faciendam, idem Athenienſibus quoque licere potuit per legem Solonis.
f) *init. hiſt.*
g) *Odyſſ. 3.*
h) *ad leg. Attic. pag. 418.*

XLVI

XLVI. DE JUREJURANDO.

Porro cum nullum habeant homines vinculum firmandarum pactionum jurejurando firmius; ideo cautum fuiſſe de jurejurando legibus XII. tab. oportet: atque inde legem traxiſſe Ciceronem *a*) de religione jurisjurandi hanc:

Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus eſto. *

XLVII. DE FOENORE.

Inter contractus crebra in civili vita eſt fœneratio, propter diſſolutos mores eorum, qui abſumtis propriis, indigent alienis. Rarior vero eſt in bene conſtituta republica, unde fœneratio exulat ſimul cum luxu, & intemperantia egeſtatis parente, ac voragine patrimoniorum. Luxuries enim exoriens, quas invenit, brevi ſuperat, ac tandem atterit opes: e quibus qui exciderunt occupati a vitiis, & eorum alendorum facultate ſpoliati, vel rapere coguntur vel quæſtum, laboresque ſuos ſubjicere rapinis fœneratorum, quorum oportet avariſſimas quascunque leges, atque intolerandas conditiones tota vita ſubire. Quamobrem priſcis Romanæ reipublicæ temporibus, quando nondum peregrina luxuries ex urbe nativam frugalitatem ejecerat, ſub levibus admodum uſuris pecunia mutua dabatur: præcipue cum ea ætate, nonniſi terreſtris uſura eſſet in uſu, rei nauticæ peritia nondum a Romanis comparata, in qua ſeſe non ante primum bellum Punicum exercuerunt. Creſcit autem uſura ex lucro pecuniæ: quod a maritimis mercimoniis, & frequenti, ac celeri trajectione, ac venditione mercium venit. Ideo Athenis, unde facilis erat ad exteras oras appulſus, & crebri excurſus, receſſusque navium propter navigandi facultatem, atque peritiam & mercimoniorum facilitatem; non a lege, ſed a voluntate fœneratorum uſuris ponebatur modus. Unde quæ apud Romanos maxima erat uſura, nempe centeſima, erat inter Græcos minima. Quamobrem & inter Romanos, poſtquam mare pervium habuerunt, uſuræ etiam prodiere maritimæ terreſtribus, & communibus longe majores, propter pecuniæ periculum, & lucrum navigationis. Modus autem a Decemviris conſtitutus uſuris communibus, atque terreſtribus maxime conveniebat frugalitati ac parſimoniæ veterum. Non enim quæſtum permiſerunt ſupra uſuras uncias, vel unciarum fœnus, cujus origo atque cognitio eſt altius aliquanto repetenda. Sortem ſive pecuniam fœnori occupandam Romani dividebant in centena denariorum; de qua ſumma, quam ſtipulari licebat uſura, erat centeſima pars in menſem, quæ duodecies repetita reddebat in ſingulos annos uncias, hoc eſt partes duodecim, ſive duodecim denarios annuos. Eaque dicebatur uſura centeſima, ſive quod ſingulis menſibus centeſimam partem, nempe unciam redderet, ſive quod centeſimo menſe uſuræ illæ ſortem æquarent. Quæ uſura quia duodecim continebat uncias in ſingulos annos, *as*, vel *as uſurarius* appellabatur: eratque veluti corpus & fons ceterarum, quæ ſub ea, veluti ſub majori minores, continebantur: quia Romani rerum integritatem, ſive rationem totius conſtituebant in duodenario numero: idque ſolidum putabant, & integrum in ſua ſpecie, quod partibus duo-

a) Cic. *de offic.* Gell. *l. 7. c. 18.*

* Hanc legem ex moribus, non ex legibus duodecim tabularum a Cicerone confingi, probat Otto *Pr. T. IV. p. 14.*

Digitized by Google

decim componeretur: ex eoque numero diviſionis cujuslibet ratio deducebatur: hinc as hæreditarius eſt hæreditas integra in duodecim tribuenda partes. Multa enim, ut Varro ait, *a*) antiqui duodenario numero finiebant. Hinc iisdem appellationibus partes aſſis, & partes uſuræ centeſimæ complectebantur, ſive in ſingulos menſes, ſive in ſingulos annos quis eas ſtipularetur. Annuæ namque uſuræ cumulus erant plurium menſtruarum, quæ ſingulæ ad annuam ſuæ quantitatis uſuram eandem rationem habebant, quam unus ad duodecim. Unde qui ſtipulabatur ſex uncias annuas, poterat ſingulis menſibus repoſcere ſemunciam, qui ſtipularetur annuas duodecim, poterat ſingulis menſibus exigere unciam, ſive centeſimam ſortis partem. Eademque ratione per reliquam uſurarum quantitatem excurritur: revocantur enim omnes ad aſſis rationem, iisdemque nominibus notantur. Unde uſuræ centeſimæ ſunt uncia perſolvenda ſingulis menſibus ex denariorum centenis. Semiſſes uſuræ ſunt ſemuncia ſingulis menſibus, & ſemiſſis in annum. Trientes uſuræ ſunt tertia pars unciæ in menſem, quatuor unciæ in annum. Quadrantes uſuræ ſunt quarta pars unciæ in menſem, tres unciæ in annum. Sextantes uſuræ ſunt ſexta pars unciæ in menſem, duæ unciæ in annum. Quincunces uſuræ ſunt tertia & duodecima * pars unciæ in menſem, quinque in annum. Septunces uſuræ ſunt dimidium, & duodecima pars unciæ in menſem, ſeptem unciæ in annum. Beſſes uſuræ ſunt duo trientes unciæ, ſive duæ tertiæ partes in menſem, octo unciæ in annum. Dodrantes uſuræ ſunt tres quadrantes unciæ, ſive tres quartæ partes in menſem, novem unciæ in annum. Dextantes, vel decunces uſuræ ſunt tres quadrantes, & duodecima, ſive tres quartæ partes, & duodecima unciæ in menſem, decem unciæ in annum. Deunces uſuræ ſunt tres quadrantes, ſive quartæ partes, & duo duodecimæ unciæ in menſem: undecim unciæ in annum. Denique aſſes uſuræ ſunt uncia in menſem, vel quot menſibus; duodecim unciæ quotannis, hoc eſt uſura centeſima, ad quam initio jam expoſitam, nunc partium enumeratione recurrimus. Cum autem ſtipulabantur uſuras majores centeſimis, tum aſſem multiplicabant, & partes ejus: exigentes aliquando ſupra legitimam uſurarum ſummam, nempe binas, ternasve centeſimas: ut nunquam tamen ab aſſis ratione diſcederent: quæ ſumma eſt ratio apud Romanos diviſionum omnium, ſive perfecta cujusque integri corporis menſura, & numerus abſolutus. Eſt enim *as* quidquid ad *μονάδα*, & ad unitatis, quam vocant, rationem reducitur. Unde quidquid eſt unum in duodecim tributum partes, *as* nempe totum appellatur, idemque eſt quod Græcorum εἷς. *b*) Hinc *aſſa vox*, quæ ſola ſine tibiis canit. *c*) Fluxit autem *aſſis* vox a Doribus, Siculis, & Tarentinis, a quibus Romani, & nummum gravis ponderis nempe χαλκὸν, & ipſius nomen acceperunt. *d*) Nam ex Dorico αἷς Tarentini, & Siculi, eliſa media litera, fecerunt ἇς; indeque Romani utrumque vocabulum, nempe *as*, & *as* habuerunt. Quorum olim nominum eadem erat ſi-

a) *lib. 4. de ling. lat.*

* Primo enim quatuor unciæ partes in quincuncibus ſingulis menſibus debentur, quas veteres Sicilicum appellabant, dein ſingulæ.

b) Salmaſ. *de uſuris pag. 576.*

c) *idem de modo uſur. pag. 261.*

d) Pollux. *lib. 9. vide* Scalig. *conject. in Varr. l. 4. de ling. lat. pag. 42.*

gnifi-

gnificatio, quia *æs*, & *as* primus nummus fuit Romanorum ex χάλκυ, ſive ære percuſſus: unde *æs* pro *as* ſæpe veteres dixiſſe, refert Varro. *a*) Cum igitur ſummam uſurarum, nempe centeſimam vocarent *aſſem;* quando centeſimas multiplicabant, earum numerum per multiplicationem aſſium exprimebant, nempe treſſes dicebant, quatruſſes, ſextuſſes, pro ternas, quaternas, ſenas centeſimas: vel dupondiarium, ſive binas centeſimas, tripondiarium ternas. *b*) Porro cum Siculi ἆς, & λίτραν quoque Dorice dicerent; Romani *as* etiam appellaverunt libram: quæ vox orta eſt ex Græcorum λίτρα, & ita noſtra etiam ætate in magnæ Græciæ regionibus certum pondus appellant. Quia vero pars duodecima λίτρας, ſive libræ apud Siculos vocabatur ὀγκία, ut Ariſtoteles apud Pollucem docet; *c*) ideo Romanis uſurpatum fuit unciæ nomen pro duodecima parte libræ, ſive aſſis. *d*) Ceteræ autem partes utrimque traxere appellationem ſuam, ut inveſtigando patebit. Ab aſſe igitur uſurario, demtâ uncia, ſuperſunt undecim, ſive *deunx*, quaſi aſſis, una demta. *e*) Etenim *de* apud Latinos tollit, ut apud Græcos ἀπὸ: unde *demens*, hoc eſt ſine mente, *deſtruere*, hoc eſt ſtructuram tollere: undeviginti, vel duodeviginti, quaſi viginti, una, vel duabus demtis partibus. Eadem ratione dicuntur uſuræ dextantes, ſive decem unciarum: quia demta ſexta aſſis parte, nempe ſextante, ſuperſunt decem. Unde dicitur *dextans*, quaſi *deſextans*, hoc eſt *demta ſexta*. Item dicitur *dodrans*, quaſi de quadrans as; a demto enim quadrante ſuperſunt partes novem, nempe dodrans. Quam nominis originem retineo, donec in mentem venerit melior. Non minus tenebrarum invenio in voce *bes*, ſive octo unciæ: quam vocem Varro deducit ex veteri *des:* etenim ſæpe apud antiquos *d* pro *b*, ſic *duellum* pro *bello*. Unde Varro *bes* pro *des*, quaſi demtis unciis quatuor, nempe triente: quo ablato ſuperſunt partes octo. Feſtus inde dictum putat, quod *bes*, bis triens ſit aſſis: nempe octo partes, quæ dividuntur in duos trientes. Quam ſententiam a Scaligero rejectam fulcit opinione ſua Salmaſius, putans olim dictum fuiſſe *dues* pro *bes*. *Duis* autem pro duo, unde *dues*, quaſi duæ partes aſſis, ac poſtremo *bes*, indeque natum ait; ut non *dueſſes* dicerent pro *duobus aſſibus*, ſed *dupondium:* quia *dueſſis*, vel *beſſis* vocabulum jam ſuſceperat ſignificationem duarum partium aſſis, ſive duorum trientium. Quam ego Scaligeri *f*) antepono conjecturæ ſcribentis, *bes* ſive *des* inde dictum, quia deinceps ab aſſe dematur: nam dodrans demit ab aſſe quadrantem; dextans duas uncias; deunx unam. Nihilo felicior eſt Voſſius *bes*, ſive *des* dictum exiſtimans, quia demitur triens. *) Septunx originem ſui nominis ex ſe profert. Semis quamquam deduci poteſt ab ἥμισυ, trajectis extremis literis, tamen, Varrone au-

a) *lib. 8. de ling. lat. pag.* 132.
b) Salmaſ. *pag.* 268. *de modo uſurar.*
c) *lib. 9. vid.* Scalig. *conject. in Varr. pag.* 41.
d) Salmaſ. *de modo uſur. pag.* 241.
e) Varro *lib. 4. de ling. lat. p.* 41.
f) *apud* Feſtum *in verbo* bes.
* Cujus tamen conjectura eam imitatur, qua paulo ante deunx dicebatur quaſi as demta uncia, aut dextans quaſi deſextans, aut dodrans quaſi dequadrans Et fallitur forſan Salmaſius, nec minus veteres dueſſem pro dupondio dixerunt, quam treſſem pro tripondio etſi vox dueſſis dein interciderit.

ctore,

Digitized by Google

ctore, placet hanc vocem aſſerere linguæ latinæ, *ſe* enim ſignificat dimidium, ut *ſelibra* & *ſemodius*, quaſi libræ dimidium, & modii: atque ita *ſemis*, veluti *ſemias dimidium aſſis*. Sextans etiam Romanorum eſt vocabulum, quaſi ſexta pars aſſis: quod ſimile videtur Græco ἕξας ejusdem ſignificationis. Magis tamen ad Græcum ſonum accedunt *quadrans*, & *triens*, ſignificatione tamen a Græcis diverſa. Τρίας enim Græcorum, unde Romanorum triens, tres aſſis partes ſunt, ſive tres unciæ: apud Romanos vero triens uncias continet quatuor: eſt etenim tertia pars aſſis. Τετράς ad cujus exemplum natum eſt Romanorum quadrans, apud Græcos quatuor complectitur uncias: cum quadrans apud Romanos uncias complectatur tres; eſt etenim pars aſſis quarta. *a*) His vocabulis apud idoneos, cultosque ſcriptores uſurarius aſſis cum ſuis exprimitur partibus: pro quo barbari ſubſtituerunt duodecim, pro centenario, vel undecim, vel decem, vel novem, vel octo, vel ſeptem, vel ſex, vel quinque, vel quatuor, vel tres, vel duo, vel unum: cum dicere oportuiſſet uſuras centeſimas, deunces, dextantes, dodrantes, beſſes, ſeptunces, ſemiſſes, quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, uncias: unde qui ſcribunt pecuniam fœnerat ad rationem quatuor pro centenario, latine dicerent expeditius, pecuniam fœnerat ſub uſuris trientibus, & ita in reliquis. Centeſimæ uſuræ, quam frequenter invenimus apud ſcriptores veteres, inſigne monumentum adducit ex veteri inſcriptione Salmaſius: *b*) unde ratione bene ſubducta, manifeſto apparebit quantitas unciarum duodecim in annos ſingulos. Hanc non Romani exemplo Græcorum centeſimam, ut Salmaſius exiſtimabat; ſed Græci exemplo Romanorum ἑκατοςόν τόκον appellarunt, ut Gronovius oſtendit; easdemque vocarunt, ob ea, quæ prædiximus, uſuras aſſes. Quincunces, & deunces memorat Perſius: *c*)

Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modeſto
Nutrieras avidos pergant ſudare deunces.

Dextantium uſurarum veſtigium oſtendit Salmaſius in alia inſcriptione: quam eodem capite adducit.

Dodrantium uſurarum nulla mihi adhuc oblata eſt mentio. * Uſurarum beſſium teſtis eſt Cicero ad Atticum *d*) his verbis: *Fœnus ex triente idibus quintilibus factum eſt beſſibus.* Septunces uſuras conſervavit marmorea tabula teſtamenti Venetiis, quam eodem capite Salmaſius explicavit. *e*) Semiſſium vero uſurarum plura teſtimonia occurrunt, cum eſſent crebriores, utpote mediæ inter maximas, & minimas uſuras: & finis graviorum, ac leviorum initium. Unde Ulpianus. *f*) *Et niſi poſuerint hæredes uſuras leviores intra ſex menſes, ſin minus uſuras ſemiſſes Reipublicæ pendant.* Easdem ſemiſſes uſuras Modeſtinus appellat. *g*) Quincunces uſuras præter Perſium Scævola, *h*) memorat etiam, & Ulpianus: *i*)

a) Salmaſ. *de modo uſur. cap. 6. pag. 255.*
b) *de modo uſur. cap. 7. pag. 273.*
c) *Satyr. 5.*
* Quæ tamen aliquoties in jure memorantur, ut apparet ex Briſſonio in voce dodrans.
d) *epiſt. 14. lib. 4.*
e) *pag. 278.*
f) *L. 5. ff. de oper. pub.*
g) Modeſtinus *l. 10 ff. de pollicitat.* Columella *lib. 3. cap. 3*
h) *L. creditor. §. Titius ff. de ſolution.*
i) *L. 7. ff. de adminiſtr. tut.*

apud

apud quem etiam eſt mentio de trientibus uſuris, *a*) quas paſſim reperies apud veteres, præcipue Lampridium, *b*) Capitolinum, *c*) Ciceronem. *d*) Quadrantes uſuræ leguntur apud Scævolam. *e*) Sed nulla mentio in jure ſextantium. Tandem deſcendimus ad uſuras uncias, nempe ad unciarium fœnus, quod unum habitum fuit juſtum in legibus XII. tab. temporibus nempe modeſtiſſimis, & mercatura quam rariſſima: nondum aperto mari, commercioque aliarum nationum. Ad quas Romani aditum ſibi armis patefecerunt, unde victores in urbem redeuntes, eam in ſervitutem dedere peregrinæ luxuriæ, quam ſecum advexerant. Creſcentibus autem in dies rerum, hominumque commerciis, crevit etiam opulentia paucorum, cum plurimorum egeſtate: unde legitimum uſuræ modum ſuperarunt: ut non raro novis legibus modeſtiam priſtinam renovare oportuerit, & uſuras effrenes coërcere. Nam & peregrinam luxuriam jam antevenerat avaritia. Etenim ab anno urbis usque CCCLXXI. in Manliano tumultu ingraveſcentis fœnoris teſtem habemus vocem Centurionis, qui ſe poſt multiplicem ſortem perſolutam, uſuris eam ſemper mergentibus, obrutum ære alieno querebatur. *f*) Quamobrem anno A. V. C. CCCLXXVI. Licinia lex a C. Licinio Stolone tribuno plebis Sp. Furio Medullino, P. Clœlio Siculo lata conſtituit, ut eo deducto de capite, ſive de ſorte, quod erat uſuris pernumeratum, id quod ſuperfuiſſet triennio, æquis portionibus perſolveretur. *g*) Cumque a fœneratorum immanitate, pauperum vulnera recrudeſcerent, anno CCCXCVI. M. Duillius, & L. Mœnius trib. plebis tulerunt, ut fœnus ne majus unciario exerceretur, *h* quæ fuit reſtitutio legis Decemviralis, *i*) quod fœnus anno CDVI. redactum fuit ad ſemiunciarium. *k*) Tandem anno CDXI. L. Genutius trib. plebis tulit, ne amplius fœnerari liceret. *l*) Quod non longum permanſit. Moribus enim in diem vitiatis, dum luxuria ſupergrederetur opes, exceſſit etiam uſura legitimum XII. tab. modum; adeo ut legitima uſura jam centeſima duceretur. Vicit omnes tandem avaritia leges: ut fœneratores binas etiam, ternas, quaternas, pluresque centeſimas ſtipularentur. Unde Scaptius, teſte Cicerone, quaternas poſtulabat centeſimas *m*) a Salaminiis. Plura exempla prætereo. Hæc quantum tenuis noſtra facultas tulit, ex involutiſſimis hac de re Criticorum commentariis, ac ſane perplexis enucleate promere ſtuduimus: & e variis, ac diſcrepantibus opinionibus eam ſelegimus, quæ magis cum veteribus monumentis congruere videatur. Siquidem homines, alioqui doctiſſimi, fœnus unciarium cum uſura centeſima confuderunt: * ne Accurſium cum

a) *L. 7. §. 10 ff. de adminiſtr. tut.*
b) *in* Alex Sever.
c) *in vita Antonini Pii.*
d) *in epiſt. ad Attic.*
e) *L. liberto 21. §. largius 4. ff. de ann. legat.*
f) Livius *lib. 6. cap. 14.*
g) Livius *lib. 6. c. 31.*
h) Livius *lib. 7. c. 16.*
i) Tacit. *lib. 6. annal.*
k) Livius *lib. 7.* Tacit. *eod.*
l) Livius *eod.*
m) *lib. 5. ad. Attic. epiſt. alt.*

* Quorum illud fœnus lege XII. tabularum probatum, ut patet ex Tacito *l. VI. Annal. c. 16.* Erat autem uſura leviſſima ſingulis menſibus e centenis denariis reddens denarii ſive unciæ partem duodecimam, unde anno vertente cogeretur uncia integra denarii unius. Centeſima contra uſura e centum denariis ſingulis menſibus conficiebatur uncia integra, unde anno vertente conficiebat as. Conf. Vir Eximius Gerardus Noodt *de fœnore & uſuris l. II. c. 4.*

ſuis, magis temporum barbarie, quam propria culpa interdum peccantem, accuſemus, qui uſuras centeſimas exponit eas, quæ anno ſortem æquarent; ſemiſſes, quæ dimidium ſortis; trientes, quæ tertiam, quadrantes, quæ quartam illius partem quotannis redderent. Manucius cum diſtinctionem annuarum uſurarum, & menſtruarum excogitaſſet, uſuras annuas conſtituit ſemiſſes, beſſes, trientes: menſtruas vero * fecit centeſimas, quæ ſcilicet ſingulis menſibus redderent unciam. Et tam ipſe, quam Adrianus Junius, Joſephus Scaliger, & Rittershuſius ad hanc legem, unciarium fœnus acceperunt pro uſura centeſima: quibus neſcio quam recte Salmaſius accenſeat Hottomannum, longe alia tradentem in expoſitione legum XII. tabul. Primam vero, & puram hujus eruditionis lucem extulit Hermolaus Barbarus in caſtigationibus Plinianis. Qua ducti Bartolomæus Soccinus, Budæus, Alciatus, Antonius Auguſtinus, Sigonius hæc antiquitatis monumenta feliciter illuſtrarunt; ut poſtremo Salmaſius, & Joannes Fridericus Gronovius, alter in tractationibus de eſuris, alter in diſputationibus tribus de centeſima, & aſſe unciario, ſingulis erroribus exploſis, & veterum teſtimoniis explicatis, diluerint quidquid adhuc tenebrarum incumbebat. Tandem ne quid ad legem Decemviralem pertinens reticeamus, cum abſurdum videretur pecunia re ſterili pecuniam oriri, uſuram ſupra unciam veteres turpiorem ipſo furto duxerunt. Etenim furem in duplum, fœneratorem in quadruplum damnarunt: utpote cujus pecunia tanquam teredo obliguriret alienas opes, & ex Catonis ſententia ſanguinem etiam, & vitam hominum hauriret. Hinc lex:

Si quis unciario fœnore amplius fœneraſſit, quadruplione luito.

Eſt autem, ut diximus, uſura uncia, centeſima pars, quæ de ſorte quotannis pendebatur.

XLVIII. DE CRIMINIBUS, ET PRIMO DE FURTIS.

Expeditis civilibus negotiis, tranſeamus ad delicta tum privata, tum publica, cum quibus tractationem de judiciis conjungemus, poſtremoque publicum jus univerſum, & leges ad religionem pertinentes explicabimus. Exordiemur autem a furto, quod Lacedæmones pœna exemerunt, exiſtimantes hoc veluti ludo exerceri pueros ad inſidias militares: eademque furtorum licentia erat apud Ægyptios. *a*) Draco tamen Athenienſium legiſlator cruentus, omnia genera furtorum capite punivit. Quam legem temperavit Solon, qui pœnam capitis tantum ad furta graviora cohibuit. *b*) Itaque furtum ad quinquaginta drachmas duplione multavit, & carcere: ſupra vero quinquaginta drachmas, furem ad undecim viros puniendum abduci juſſit: itemque ſi noctu quis furaretur, aut in balneo, aut in gymnaſio,

* Cum uſuræ ſemiſſes, beſſes & trientes non minus annuæ ſint, quam centeſimæ.

a) Gellius *l. 11. c. 18.* Diod. Sicul. *l. 1.*
b) Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 5.* Gell. *lib. 11. cap. 18.*

ſio, capite plectebatur. *a*) Sicuti & ſacculari, cingula incidentes, ut marſupium auferant, quos Plautus appellat ſectores zonarios. *b*) Non diſſimile ſanxit Plato, *c*) ut qui noctu ſurandi cauſa ingredientem occidiſſet, ei eſſet impune. Lex vero divina *d*) nocturnum furem occidi permiſit, non vero interdiarium *ἡμεροκλέπτην* cui contrarius eſt *ἡμερόκοιτος*, *e*) dormitator, fur nocturnus, ut appellatur a Plauto in *Trinummo*:

- - - - mira ſunt
Ni illic homo ſit, aut dormitator, aut ſector zonarius.

Majoris autem periculi tempore, nempe nocturno cautiores eſſe oportebat homines ab inſidiis, & rapinis: a quibus ut malefici abſtinerent, leges nocturni furis cædem impunitam dimiſerunt. Quæ fuit etiam ſententia legis XII. tabul. in quas Atticarum legum convenere ſenſus. Igitur Decemviri nocturnum furem quoquo modo interfici permiſerunt: ne, dum quis modum in re ſua defendenda teneret, & quæreret; lucis ope deſtitutus, aut ſpoliaretur a fure, aut obtruncaretur. *f*) Quamobrem Jacobus Gothofredus haud temere, meo judicio, ſuſpicatur verba illa apud Cajum, *g*) ubi legis hujus ſententiam refert: *ut tamen id cum clamore teſtificetur*, adjecta fuiſſe a Triboniano; * cum Cicero, *h*) Seneca, eosque ſecutus Auguſtinus, licere ſcribant, furem occidere quoquo modo: niſi putemus interpretatione JCtorum XII. tabul. verba flexa fuiſſe ad lenitatem. Interdiarii vero furis occidendi poteſtatem ita Decemviri fecerunt, ſi adverſus dominum rem ſuam reprehendentem fur ſe telo defenderet, ac dominus quiritaret, ſive publice Quiritium, nempe Civium Romanorum fidem imploraret, ſolennibus illis, ut mos erat, verbis:

Porro Quirites veſtram fidem imploro.

Telorum autem appellatione veniunt fuſtis, lapis, ferrum, & quidquid denique nocendi cauſa comparatur. *i*) Quid ſi deprehendatur a non domino? an idem ei licebit in furem? Hottomannus ait: quia lex XII. tabul. indefinite loquitur, neque dominum nominatim ſignificat. Alii negant, quibus durum videtur a non domino alienum damnum morte vindicari, niſi non tam ut furem, quam ut ſicarium, qui arma expediſſet, hunc etiam a non domino puniri dicamus: ut recte

a) Demoſth. *contra Timocrat.* Pollux. *lib. 4. cap. 6.*

b) *in Trinum.*

c) *lib. 9. de legibus.*

d) *Exod. 22.*

e) Cujac. *obſ. lib. 11. cap. 27.*

f) Gell. *lib. 11. cap. 18.* Theophil. *Inſtit. de perpet. & tempor. act.* *Servius in 8. Æneid.*

g) *L. 4. ff. ad L. Aquil.*

* Niſi quis cum Gerardo Noodt *L. 1. Obſ. c. 15.* verba Caji ad legem Aquiliam referre malit, quæ obſervatio pulchra & ingenioſa eſt. Poteſt tamen mens legis, ut Gravina paulo poſt animadvertit, ſola Juriſconſultorum interpretatione ad æquitatem inflexa eſſe, quam ſententiam etiam probat Celeb. Otto *Præfat. T. III. Theſ. jur. pag. 30.* Acclamationis formulam exhibet Cujacius *Obſ. lib. XI. cap. 38.* *Quo, te proripis? Tene Pine! Tenete furem! Prehende furem.*

h) Cic. *pro Milone.* Seneca *10. controverſ. alt. in fin.* Aug. *quæſt. ſup. Exod.* Cujac. *obſ. 11. cap. 27.*

i) *L. 54. ff. de furtis.*

interpretatur D. Auguſtinus, a) inquiens: *Hoc etiam in antiquis legibus ſæcularibus invenitur, impune ſcilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem ſi ſe telo defenderit: jam enim plus eſt, quam fur.* Si vero fur neque noctu, neque cum telo deprehenderetur verberibus cæſus domino rei ad ſervile miniſterium tradebatur. Verum humanioribus poſtea temporibus lex Portia pro dignitate civium Romanorum lata ſuſtulit verberum pœnam, & Prætor loco alterius pœnæ, qua fur tanquam ſervus domino addicebatur, ſubſtituit multam quadrupli ejus rei, quæ ſurrepta eſſet. b) Erga impuberes propter ætatem Decemviri fuere mitiores: non enim eos addixerunt, ſed magiſtratus arbitratu verberandos dederunt, ut & noxam quoque ſarcirent. c) In ſervis vero ſupplicium exaſperarunt maxime: ut enim in graviſſimis criminibus conſueverat, verberibus affectos e ſaxo Tarpejo dejiciebant: quam pœnam leniorum temporum diſciplina mitigavit. Si vero furtum, ſciente domino, factum eſſet, is ſervum noxæ tradere * jubebatur. d) Furtum vero non manifeſtum, quia inde abeſt audacia, quæ merito in furto manifeſto punitur, non quadruplo, ſed dupli pœna vindicatur etiam ex XII. tabul. e) Jus tamen domino erat cum fure tranſigere, atque pœnam ei condonare: quam facultatem etiam a XII. tabul. legibus trahebat. Eaque pactione ipſo jure furti actio tollitur, cum aliæ pactiones neque ad perimendam, neque ad ſuſcitandam actionem ſufficiant. f) Ideo autem hic pactiones actionem perimunt, quia paciſcendi facultas ab ipſa lege conceditur. Nec tantum pœna furti nec manifeſti: ſed etiam quadruplum furti manifeſti, ſive pœna Prætoria, Cujacii ſententia, pacto remittitur; g) ſicuti & pacto remittitur actio injuriarum ex lege Cornelia. h) At quoniam ad ulciſcendum furtum actionem pœnalem, & condictionem in ipſam rem furto ablatam habemus: ſi ſuper actione pœnali decidatur, condictio ſupererit: & neque per actionem condictio, neque per condictionem pœnalis actio conſumitur. i)

XLIX. DE FURTO PER LANCEM, ET LICIUM.

Ad furti manifeſti pœnam leges XII. tabul. furtum redegerunt, quod per lancem, & licium conceptum dicebatur, a Gellio ſine ulla illius explicatione memoratum. Unde locum dedit poſteriorum ætatum vaticiniis, & proximiorum præcipue temporum: quibus quaſi non liceat quidquam ex antiquitate neſcire, malunt eruditi augurando ſe alioſque decipere, quam tantiſper in re ulla dubitare. Nos, quamvis & augurari etiam poſſemus (non enim ita rerum, ita ſumus & nugarum inopes,) abſtinere tamen malumus hanc a lectore moleſtiam; ſatis enim fatigabi-

a) *cap. 3. extra de homicid. vol. vel caſual.* Hottom. *in hanc leg.*

b) *L. in furti 50. ff. de furt.* Contius, Cujac. Ant. Aug.

c) Gell. *lib. 11. cap. 18.*

* Quaſi lex voluerit, ſervos dominis hac in re non optemperare.

d) *L. 2. § 2 ff. de noxal. act.*

e) Gell. *lib. 11. cap. 18.* Cat. *de re ruſtic. in procem.* Cujac. *ad Theophil. Inſtit. lib. 4. tit. 8. §. 4.*

f) Paul. *leg. 13. §. 1 ff. de pact.*

g) Cujac. *ad l. 17. ſive ad lib. 3.* Paulli *ad edict. §. 1.*

h) *L. non ſolum §. 1. ff. de injur. L. ſticbum §. naturalibus, ff. de ſolut. L. 1. § penult. C. de natural. liber.*

i) Ulp. *l. 3. ff. de condit. furt.*

tur

tur aliorum opinionibus cognoſcendis: e quibus & nos afferemus aliquot, ac primo illam Alciati, *a*) quam paucis immutatis adrogat ſibi Pithœus, *b*) tradens, lictores, jubente magiſtratu, licio ſuccinctos, ad oſtendendam auctoritatem publicam, cujus licium erat inſigne, cum alio comite judicium in lance, fidemque præferente, furtum quæſitum in domos intrare conſueviſſe; indeque dictum eſſe *conceptum*, ſive *inventum per lancem, & licium.* Cum ſcilicet hac arte res furto ablata reperiretur apud ipſum furem: nam ſi a fure alteri res traderetur, & inde abduceretur, tum non conceptum, ſed oblatum furtum dicebatur. Suas etiam addidere interpretationes Balduinus, & Hottomannus. Caput vero interpretationum aliarum * eſt ea, quam legimus apud Feſtum, & cum qua convenit Ariſtophanes in *Nebulis*, & Plato de *legibus lib. 12.* ad eundem reſpicientes morem, de quo hæc Feſtus: *Lance, & liceo dicebatur apud antiquos; quia qui furtum ibat quærere in domo aliena licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias, aut virginum præſentiam.* Quem Joſephus Scaliger morem, ex ſupra demonſtratis auctoribus, ab Athenienſibus repetit, ac licium explicat cincticulum, quo qui furtum quærebant nudi amiciebantur, dum ædes ſuſpectas ingrederentur, ubi ne a matribusfamilias, aut virginibus conſpicerentur, lancem ſibi ponebant ob oculos, & ingrediebantur nudi, ne aliquid inferre poſſent in eam domum fraudulenter, quo poſtea dominum illius calumnioſe accuſarent uti furem, ob rem in ejus domo deprehenſam, ut colligitur ex Ariſtophanis Scholiaſte in *Nubibus.* Sed jam fragmenta legum ad furta pertinentium ſubjiciamus:

Si nox ** furtum faxit, ſi im aliquis occiſit, jure cæſus eſto.

Si luci furtum faxit, ſi im aliquis endo ipſo capſit, verberator, illique, cui furtum factum eſcit, addicitor.

Servus virgis cæſus ſaxo dejicitor.

Si ſervus, ſciente domino, furtum faxit, noxiamve noxit, noxæ dedito.

Si ſe telo defenſit quiritato, endoque plorato: poſt deinde ſi cæſi eſcint ſe fraude eſto.

Si adorat furto, quod nec manifeſtum eſcit, duplione decidito.

Si pro fure damnum deciſum eſcit, furti ne adorato.

Si furtum lance, licioque conceptum eſcit atque uti manifeſtum vindicator.

a) *L. 1. parerg. cap. 8.*

b) *ſubciſiv. lib. 1. cap. 2.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 5. de furtis.* Cujac *ad l. in rem ff de rei vindic. ſive ad l. 21. Paulli ad edict.*

* Primam ſententiam Otto *ad I. §. 4. de oblig. quæ ex del. naſc.* poſteriorem Heineccius in *Antiquit. tit. eodem. §. 13.* tuentur. Neutra ſuis deſtituitur argumentis. Data vero opera de furto per lancem & licium concepto egit Abrahamus Wielingius in opuſculo ſingulari.

** Ennii verſum ex Priſciani *l. VI.* exhibet Marcilius:

Si luci, ſi nox, ſi mox, ſi jam data ſit ſrux.

Nox) pro noctu ſæpe veteres. *a*)

Im) pro eum dixerunt veteres, ut notat Feſtus, & Macrobius eodem loco. Ennius

Omnes corde patrem præbent, animoque parentem
Circumfuſi im.

Endo) veteribus pro *in*, ut alibi. *

Capſit) pro *ceperit.*

Eſcit) pro *erit:* ab *eſum* ** pro *ſum*, ut notavimus alio loco.

Quiritare) *clamare*, ab iis natum, qui Quiritium, hoc eſt Pop. Rom. opem in periculis implorabant. *b*) Lucil.

Hæc in quam rudet e roſtris, atque ejulavit
Concurſans velut arenarius clareque quiritans.

Endoplorato) ab *endo* pro *in*, & *ploro* veteres fecerunt *endoploro:* unde *endoplorato*, *implorato*, ſive opem civium invocato. Feſtus.

Se fraude eſto) ſine fraude eſto, hoc eſt impune eſto.

Adorat) *adorare* priſce ſignificabat *agere*. Feſtus in verbo *adorare:* atque hinc ait legatos dictos oratores, quod mandata populi agerent. ***

Deciſum eſcit) tranſactum fuerit: *decidere* namque dicebant pro *tranſigere*, *paciſci:* quod loquendi genus ex uſu librorum veterum JCtis inhæſit, ut notavit Cujac. *obſerv. 10. cap. 11.*

Lance licioque) quid ſit lance, & licio, docuimus in contextu.

Conceptum) furtum conceptum ſcribit Juſtinianus dici, cum apud aliquem teſtibus præſentibus res quæſita erat, & inventa.

L. DE ARBORIBUS FURTIM CÆSIS, ET FRUGE SECTA.

Non minori ſtudio, quam urbem, Romani agros cuſtodiebant: cum ſecundum militiam, agrorum cultus apud eos eſſet illuſtris. Quo igitur a frugibus fures abſterrerent, graviter animadverterunt in eos, qui noctu fruges aratro quæſitas, excultas, aut paviſſent, hoc eſt excuſſiſſent immaturas, aut maturas ſecuiſſent. Paveri enim frumenta veteres dicebant ea, quæ de vagina, de qua nondum exiſſent, excudebantur, ut Feſtus docet. An idem quod *pavire*, unde *pavimentum:* quia *pavire* eſt *tundere*, & pulſare terram, ut æquetur, & condenſetur, unde & frumenta, quod

a) Macrob. *l. 1. ſaturnal. 4.* Auſonius Popma *de uſu antiquæ locutionis c. 10.*

* Tanquam ſi Græce diceres ἐν τῷ.

** Imo a veteri eſco.

b) Lucil. *6. ſatyr.*

*** Furto adorare ex Feſto non ſatis probatur, quia de ſolo *adorare* agit. Quare malebat Marcilius adolat, Duumviros intelligens de fure manticulatore, ac cedente, & alludente, ſeu adolante, vel blanditiis adſcititiis fallente & circumſcribente, ut apud Ennium:

Huic eſt animus propitiabilis ira & adolabilis.

Sed eam conjecturam merito dammat Vir Eximus Jo. Gottl. Heineccius *Antiq. P. II. p. 165.*

excu-

Digitized by Google

executerentur, *paviri* dicebantur? ductum eſt enim *pavire* a παίειν ferire, eſt igitur *pavire* quaſi *quatere*. Quoniam autem qui fruges alienas obtriviſſet, rapuiſſetve, Cererem, quæ frugibus præerat, læſiſſe credebatur; ideo illum hominem Cereri devovebant, veluti gratam Deæ victimam, & Cereri ſacrum appellabant ſuſpendioque necabant. Qua in re non procul abiere Romani ab auſteritate Draconis Athenienſis legislatoris, quem Plutarchus refert, fures agrorum pari cum ſacrilegis, & homicidis pœna damnaſſe. *a*) Lenius vero propter ætatem agebatur cum impuberibus: qui verberibus affecti damnum duplione ſarciebant. Quæ pœna poſtea, ſublatis verberibus, ex edicto Prætoris, & mitigata ſeveritate legum XII. tabul. complexa eſt ætates hominum alias, & omnes caſus: *b*) unde porrigitur etiam ad arbores furtim cæſas: pro quibus ex legibus XII. tabul. conſtituta fuerat multa XXV. æris in ſingulas arbores: ſiquidem non furtum, ſed damnum puniebatur. Neque enim qui alienas arbores cedit, continuo furandi animum habet. Furtim enim cædere eſt cædere clam, potius alieni damni, quam ſui lucri cauſa, ignorante arborum domino: nam ſi eo ſciente, atque invito cædantur, non clam, ſed vi cædi videntur: ideoque adverſus reum oritur actio de vi longe gravior. *c*) Igitur quia furtum ex furandi cupiditate conſtituitur; *d*) ideo ſi furandi animus probetur, concurret cum hac actione actio etiam furti, & rei perſequendæ gratia condictio furtiva, vel actio ad exhibendum. *e*) Imo & tanquam latrones puniuntur, qui arbores cædunt, & maxime vites, quarum eſt utilitas major: *f*) unde colligitur ex hac cauſa, poſſe actorem civili, & criminali judicio experiri. Quamobrem Servius ad illud Virgilii *eclog. 3.*

Atque mala vites incidere ſalce novellas

addit: *Fuerat autem capitale ſupplicium arbores alienas incidere.* Quid autem arborum nomine veniat, Ulpianus quærit, docens & vites, & hederas, & arundines, & ſalicta ea ſub appellatione contineri. *g*) In duplo autem, quod ex Prætoris edicto venit, continetur, quidquid domino damni acciderit. Atque ut Cujacius notat *h*) duplum in actione non eſt extra rem: duplo ineſt res, quæ abeſt actori; & pœna eſt ſimpli tantum, quod rei accedit. Sed jam legem exhibeamus:

Qui frugem aratro quæſitam furtim nox pavit, ſecuitve ſuſpenſus Cereri necator. *

a) *vide* Balduin. *ad hanc leg.*
b) Paul. *lib. 2. ſent. ubi* Cujac. *tit. penult.* & *tit. 20. lib. 5. ubi idem* Cujac.
c) Cujac. *ad l. 8. ff. de arb. furt. cæſ. ſive ad lib. 39.* Paulli *ad edictum.*
d) *l. furtim 7. §. 12. ff. de arbor. furt. cæſ.*
e) Cujac. *loco cit.*
f) *L. 2. ff. de arbor. furtim cæſis.*
g) *l. 3. ff. de arbor. furt. cæſ.*
h) *L. 8. ff. de arbor. furt. cæſ. ſive lib. 38.* Paulli *ad edict.*

* Qua de re ex Plinii *Hiſtoria Natur. l. XVIII. c. 3.* conſtat, unde apparet, Romanis propter delicti frequentiam & quod veterum bona in fruge ſola eſſent, pœnam ſuſpendii non minus placuiſſe in furibus frumentariis, quam Germanis in furibus quibusvis. Apparet ſimul, Decemviros perinde ac Germanos cædem mitius, quam interdum furtum puniviſſe, quod quibusdam in Germanis barbarum ac belluinum videtur. Nec tamen Germani fures ſuos

Impu-

Impubes Prætoris arbitrio verberator, noxiamve duplione decernito.

Si injuria alienas arbores cæſit in ſingulas xxv. æris luito.

Nox) pro *noctu* priſce dici conſueviſſe, ſupra jam oſtendimus.

Pavire) ferire a *παίω*, uti diximus, interpoſito *v* conſona factum eſt *pavio*, & inde *pavo*.

Duplione decernito) hoc eſt duplum pro noxa, ſive damno præſtare jubeto.

LI. DE DOLO IN RE DEPOSITA.

Furto proximus eſt dolus in depoſito admiſſus: quod crimen Decemviri duplione punierunt: hoc eſt, non ut aliqui explicant duplicibus fructibus; ſed dupli ejus rei præſtatione, quam quis cuſtodiendam tradiderat; Siquidem reus inficiaretur, ut Cujacius putat. *a*) Quam ſententiam his Jacobus Gothofredus verbis ad imitationem vetuſtatis expreſſit:

Si quid endo depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito.

LII. SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR.

Præter ſuperiora damna, quæ clam, & conſulto inferuntur agris, occurrunt ea, quæ non hominis dolo, neque data opera, ſed caſu potius oriuntur; veluti quæ veniunt a quadrupedibus, a quibus, utpote rationis expertibus, injuria nullus afficitur. Hinc Socrates, quod ira correptos homines mentis uſu carere arbitraretur, percuſſus ab homine irato, non plus commovebatur, quam ſi, ut ipſe dicebat, calcibus a bove peteretur. Igitur Decemviri, ut ſubvenirent dominis detrimento affectis ab aliena quadrupede, quæ laſcivia, furore, aut feritate acta damnum dediſſet, ſtatuerunt, ut dominus quadrupedis ſi noxiæ, ſive damni dati æſtimationem ſubire nollet, quadrupedem noxæ dederet, hoc eſt traderet ei, qui damnum accepiſſet. *b*) Ideo hanc reo conditionem Decemviri deferunt, ut aut damnum ſuo ſumtu farciat, aut quadrupedem tradat. Cujus juris exordia odorari licet in lege illa Solonis de cane, qui momorderat, quem quatuor cubitorum catena vinctum noxæ dandum conſtituerat, *c*) ceteraque ad pauperiem pertinentia ex Attico jure in Romanum fluxiſſe credendum, ex eo præcipue, quod jus noſtrum hac in re ma-

ſuſpendio plectere ſoliti fuerunt. *Acta Lugderi* apud Leibnitium *T. I. p. 97.* *Ferebant autem veraciſſimi viri de diſcipulis ejus, quod quodam tempore ad comitatum pergens, qui Haſſi dicuntur, iter ageret, per orationes ejus homo mortuus revixerit. Qui ſcilicet propter furatum caballum Witekindi Ducis Saxonum huic morti adjudicatus fuit, ut in campo ad ſtipitem ligatus jactatis in eum ſudibus acutis & lapidibus necaretur. Quod dum factum fuiſſet, corpus exanime in campo relictum eſt.*

a) *L. parat. C. depoſit. & in ſent.* Paulli *lib. 1. tit. 19. L. 55. §. 1. ff. de adminiſt. tut.* Paul. *apud Auct. collat. leg. Moſaic. tit. 10. de depoſito.*

b) *L. 1. ff. ſi quadrupes paup. feciſſ. dicatur.*

c) Plutarch. *in Solon. pag. 91.*

xime

xime cum Platonis lege conveniat, qui forſan eam ex Attico jure decerpſit. *a*) Ex lege autem Solonia *de cane* Cujacius putat corrupte dici *Peſolaniam* * *de cane*: eamque non aliam arbitratur legem, quam hanc Solonis, perperam appellatam ex corrupta ſcriptura *Peſoloniam*. *b*) Democritus vero quadrupedem alteri noxiam necandam omnino jubebat. *c*)

LIII. DE PASTU PECORIS.

Adjungitur huic alia noxalis actio de paſtu pecoris, nempe de damno dato a pecore in alienum agrum immiſſo, ** ut pariter aut pecus dedatur, aut damnum ſarciatur: quam particulam ſuperioris legis fuiſſe putat Hottomannus, hac tamen ratione diſtinctam, quod pauperies damnum eſt cum detrimento rei, ſive corruptæ ſive obtritæ: paſcendis autem pecoribus dominus quidem damno afficitur in re ſua, ſed res ipſa non corrumpitur, non labefactatur, quia non vertitur in uſum alienum a ſua natura: ideo diſcreverunt Decemviri has actiones, quas Paullus permiſcet, quia diſtinctis ex initiis oriantur. Lege vero Salaminia ſi porcus alienam frugem depaſceretur, ei dentes excutiebantur. *d*) *** Recte vero Cujacius notat, in has actiones pecudes venire, non beſtias, *e*) non canes, qui non ſunt inter pecudes. Non deerat fortaſſe certum caput in XII. tabul. ubi de damno ab homine dato cavebatur. Quod adeo excidit, ut vix verba ſuperſint ad indicium. Orta enim lex Aquilia, quæ argumentum hoc luculentius credo tractabat, omne prorſus ad ſe ſtudium JCtorum avertit: unde non mirum, ſi caput illud XII. tabul. jacuerit, ac denique perierit, ſicuti, & ceteræ leges de damno, quibus una cum lege XII. tab. derogatum fuiſſe per legem Aquiliam, Ulpianus refert. *f*) Supereſſe credunt ex ea lege vocem *rupitias* apud Feſtum, niſi malimus cum Scaligero legere *rupſit*, ſive *damnum*

a) *lib. 2. de legibus.*

* Apud Paullum tamen vulgo Peſulania legitur, nec Soloniam ex Cujacii conjectura admittit Schultingius ad laudatum Paulli locum. Mirum tamen fuerit, nihil Romæ quoque temporibus Paulli de cane, animali ſæpe homini infeſto & noxio, cautum fuiſſe. Quare accedendum putamus Illuſtri Heineccio, qui *Antiq. P. II. p. 270. 271.* legem Peſulaniam cuidam Tribuno plebis, Peſulano, acceptam fert.

b) *ad tit. 15.* Paulli *ſent. 1.*

c) Stobœus *ſerm. 145.*

** Imo qui pecus in alienum agrum immittit, damni injuriæ reus eſt, poteſt enim argui dolus vel culpa ejus, idemque nominatim cautum in *L. ult. C. ad Leg. Aquil.* Contra depaviſſe pecus dicitur, quod ſua ſponte agrum alienum ingreditur, ibique paſcitur. Paſtus autem a pauperie differt ut genus a ſpecie, etſi opponi pauperies etiam paſtui poſſit, ſi illam in urbe, hunc in agris præcipue fieri dicamus.

d) Ælian. *l. 5.* Euſt. *in Odyſ. lib. 18.*

*** Huic mori affinem conſuetudinem mutilandi animalia in pauperie deprehenſa ex *legibus Colonariis p. 261.* obſervat Cl. Cannegieter ad *Aviani fabulam XXX. p. 171.* *Si quis*, ſic latine exhibet verba Græca, *deprehenderit porcum in pauperie ſeu ovem, ſeu canem, & tradiderit primum domino, deinde iterum hoc fecerit, ac renunciaverit, tertio caudam reciderit, aut jaculis confixerit, indemnis eſto.*

e) *ad* Paul. *ſent. lib. 1. tit. ſi quadrup. damn. intul.*

f) *L. 1. ff. ad l. Aquil.*

dederit, ut relatum invenimus apud Ulpianum ex legis Aquiliæ contextu eodem tit. l. 27. §. 5. *Quod uſſerit, fregerit, ruperit injuria.* En autem Decemviralium legum veſtigia:

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxiæ æſtimiam offerto: ſi nolit quod noxit dato.

Si injuria rupitias * - - - - - - -
- - - - - - - - - -
aſt ſi caſu ſarcito.

Qui pecu endo alieno impeſcit.

Impeſcit) verbum hoc in lege ita reſtituit Gothofredus Feſti auctoritate ſcribentis: *Impeſcere in latam ſegetem paſcendi gratia immittere.* Cetera ſatis declarantur ex iis, quæ ſupra notavimus.

LIV. DE TIGNO INJUNCTO.

Antequam a damnis diſcedamus, exponenda lex eſt de tigno injuncto, quod etiam eſt damni genus: ejusque præſtandi cauſa leges XII. tabular. prodiderunt actionem. Tigni nomine materies omnis venit ad domos ædificandas, & vineas conſtruendas idonea: ut etiam lapides, teſtæ, tegulæ, perticæ, & pedamenta eo vocabulo contineantur. *a*) Si quis igitur domino ignorante tignum alienum ſuo ædificio junxerit ſciens, quaſi furti tenetur. Et adverſus eum dominus agere poteſt ad exhibendum, non quidem ut tignum ſolvatur, cum hoc publica utilitas vetet, ne per eam cauſam ædificia diruantur, & vinearum cultus turbetur; ſed ut æſtimatio damni præſtetur. *b*) Actio autem ex XII. tabul. datur in duplum contra illum, qui tignum furtivum, vel ab alio ſurreptum ignorans ** ædificio ſuo junxerit. *c*) Idque ob eam rationem, quia tignum furtivum apud eum fuerit conceptum, ſive inventum, quod vindicari non poteſt. Is vero ab eo, qui rem furtivam obtulit,

* Nimis oſca vox eſt, quam ut ferri poſſe videatur Scaligero & Dacerio ad Feſtum in voce *Rupitias*, quamvis Dacerius dein ſubſiſtat Uterque *rupſit* vel *rupit* malebat. Idem Feſtus in voce *ſarcito* vocem *Rupitias damnum ſolvito* interpretatur, motus auctoritate Servii Sulpicii. Sed non ſubjicit Feſtus, ſarciendum tantum damnum caſu datum fuiſſe, ut volunt Gothofredus & Gravina: quin, quod veriſimile non eſt, damnum caſu datum omnino ſarcitum fuiſſe. Neque ideo repugno, quo minus utrumque caput contrahatur, legaturque, *qui ruperit ſarcito*. Eſt enim hæc præſtatio naturalis, cum pœna legis Aquiliæ, quanti ſcilicet res fuerit intra annum, vel intra xxx. dies proximos, mere civilis ſit.

a) *L. 1. §. 1. ff de tigno juncto, l. tigni 62. ff. de V. S.*

b) *L. in rem 23. §. 6. ff. de rei vindicat.*

** Sed is durius ita puniretur quam ſciens, quod non admittendum. Potius actio de tigno juncto tam adverſus ſcientem, quam ignorantem datur *L. 23. §. 6. D. de Rei vindic.* contra ſcientem vero præterea actioni ad exhibendum locus eſt, quia dolo malo fecit, quo minus exhibere poſſit, & dolus malus habetur pro poſſeſſione.

c) *L. in rem §. penult. ff. de rei vindicat.*

repe-

repetet quidquid per hanc actionem domino rei præſtiterit. *a*) Si vero quis ignorans tignum quidem junxerit, ſed non furtivum; precii tantum nomine * condemnabitur. *b*) At ſi tignum aut nunquam ædibus junctum fuerit, & vineis; aut ædibus everſis, diſturbatiſque vineis poſtea diſſolutum: domino tignum ipſum vindicare licebit; ſi tamen duplum, aut æſtimationem non accepiſſet. *c*) Quæ ab Ulpiano dicuntur extrinſecus vindicari: quod vel nunquam hæſerunt, vel non inhæreant amplius. *d*) *Extrinſecus enim* (inquit Cicero) *aſſumuntur, cum quæ ſunt foris, neque inhærent, in rei natura colliguntur.*

En autem verba legis:

Tignum junctum ædibus vineæve concapes ne ſolvito: aſt qui junxit, duplione damnator: tigna quandoque ſarpta, ** donec demta erunt, vindicato.

Concapes) verba legis hujus apud Feſtum ſuperſunt, quæ ita Scaliger, a quo vel Cujacium *e*) diſſentire puduit, emendavit: *Tignom junctom ædibus vineæve concapes nec ſolvito*, *ubi concapes* repoſuit pro veteri ſcriptura *concapet*. *Concapes* autem ait fuiſſe in vineis, quod in ædibus tigna: quod haberent caput ſuum cum capite vineæ commiſſum, unde ſicuti a capite veniunt *biceps*, *triceps*, ita & *concapes* quaſi junctum caput. Quam emendationem rejicit Jacobus Gothofredus, atque inauditum verbum comminiſcitur, ſubjicitque pro *concapes*, *concapet*, quod priſce poſitum putat pro *vindicet*, nullo auctore. Ego vero Scaligeri lectionem lubens retineo. *** Nec me movet, quod objicit Gothofredus, nempe

a) *§. conceptum. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur.*

* Paullus cum in *l. 98. §. ult. D. de Solut.* pretium tigni ex lege duodecim tabularum dari vult, non ideo negat, pœnam etiam præſtari debere, neque generaliter loquens reſtringendus eſt ad tignum non furtivum. Contra adverſus eum quoque, qui bona fide junxit, actio de tigno juncto in duplum datur, *§. 29. J. de Rerum diviſ. & L. 7. §. 10. D. de Re judic.* Utrobique enim rei vindicatio domino adverſus bonæ fidei poſſeſſorem tum demum dari dicitur, ſi duplum nondum fuerit conſecutus, cum id duplum in malæ fidei poſſeſſore mere pœnale ſit, & diruto ædificio extrinſecus adhuc detur rei vindicatio, *L. 2. D. de tigno juncto.*

b) *L. qui rei §. ult. ff. de ſol.*

c) *L. in rem §. ult. ff. de rei vindic. Inſtit. de rer. diviſ. §. cum in ſuo.* Cujac. *obſ. 23. cap. 40.*

d) *L. 2. ff. de tigno juncto l. gemma ff. ad exhiben. l. de eo ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 7. §. 7. ff. de acquir. rer. domin.*

** Id eſt putata. Feſtus in voce Sarpuntur. Proinde vox Sarpta in fragmento legis XII. tabularum apud eundem non ad tigna, ſed ad vineam referenda, & lex negative fingenda, *Tigna, vinea ſarpta, donec demta erunt, ne vindicato.*

e) *in Parat. ff. de tigno juncto.*

*** Eandem, tacito Cujacii & Scaligeri nomine, ſequitur Mercilius, utiturque exemplo *procapis* apud Feſtum; concapim autem interpretatur perticam junctam capiti, ſeu radici vineæ. Præferenda vero Gothofredi ſententia videtur, qui, *ne concapET ne ſolvito*, ſive, ne concape & ne ſolvito legendum putabat, & illud ne concape interpretatur, ne vindicato. Eadem lectio Celeb. Ottoni quoque probatur *Præf. T. III. p. 34.* Neque alienum videri debet a ſtudio brevitatis, quo Decemviri fereban-

inutile fuiſſe alind ſubjicere vocabulum peculiare in vineis; cum etiam iis tigni nomen conveniat. *Concapes* enim hic nomen eſt adjectivum, congruitque cum voce *tignum*, quod ædibus quidem *junctum*, vineis vero *concapes* dicitur, tanquam capite innixum, ſubauditur enim *tignum*, quaſi tignum *Concapes* hoc eſt capite innixum vineæ: proinde ac ſi lex diceret: *tignum quod eſt injunctum ædibus, & tignum, quod eſt capite innixum vineæ ne ſolvito:* ſicut enim *biceps, triceps, quadriceps* adjectiva ſunt, ita & *concapes.*

LV. DE FAMOSIS LIBELLIS.

Damno in rebus accepto proximum eſt damnum in perſonam, & famam: qualis eſt injuria: quæ gravis habetur, etiam ſi ſolis verbis inferatur, tum quia honeſtiſſimus quisque pluris reputat exiſtimationem, & famam, quam opes, & lucrum, & vitam; tum quia facilior hæc lædendi ratio eſt, & occultior, ideoque diligentius præcavenda. Quamobrem Romani, quo Græcis honeſtiores, ita ſeveriores alienæ famæ vindices. Apud Græcos enim non humiles modo; ſed & proceres patebant licentiæ, & petulantiæ poëtarum, præcipue Comicorum, qui perſonam alienam protrahebant in ſcænam publice ludibrio habendam, & conviciis exagitandam. Nec magiſtratum ipſum verebantur. Nam Ariſtophanes cum Cleonem principem tum civitatis in ſcænam induxiſſet, & præ reverentia, & metu nemo Hiſtrionum eum reddere vellet; ipſemet poëta Cleonem egit: quamvis vetuſta lex prohiberet *τὸν ἄρχοντα φανερῶς κωμῳδεῖν.* a) *Magiſtratum in comœdia palam carpere*, de qua lege interpres Ariſtophanis in *Nubibus.* Gliſcente autem in dies furore poëtarum, vetitum fuit nominatim aliquem in comœdia perſtringere. Cumque ne ſic quidem effrena maledicentia conticeſceret, oportuit ab radice petulantiam excindere, ſublata comœdia illa, quam deinceps veterem appellarunt, ut eam diſtinguerent a nova, & pudentiori in illius locum ſubſtituta, in qua Menander maxime floruit. Conviciis autem Solon pœnam levem admodum poſuerat, & certorum cauſa locorum. Plutarchus enim tradit, eum, qui maledictis aliquem petierit inter ſacra, vel inter ſubſellia judicum, & magiſtratuum, aut inter ſpectacula, Solonis lege multatum fuiſſe quinque drachmis: quarum tres ærario publico cederent, duæ autem injuriam paſſo: cum ubique punire ingenium humanæ pravitati maledicentiam difficile reputaverit; nusquam vero periculoſum; propterea crimen ex loco diſtinxit. Sed mirum, cur Solon fuerit adeo levi pœna contentus. Salmaſius, ut rem expediat, comminiſcitur diſcrimen inter *κακολογίαν*, & *κακηγορίαν· κακολογίαν* docet, fuiſſe maledicentiam adverſus abſentem ſine convicio; *κακηγορίαν* convicium, & injuriam inter præſentes, ad quam refert multam quingentum drachmarum, quæ alia in lege continebatur: b) multam vero leviorem

tur, adhibere voces binas in eandem rem, quia nimirum vindicari tignum nequeat, niſi ſolutum. Nam his occurrit Ulpianus in *L. 1. D. de tigno juncto*, ubi lex, inquit XII. tabularum neque ſolvere permittet tignum, neque vindicare. De rebus enim noſtris, rebus alienis junctis, primum ut ſolvatur, ad exhibendum experiri ſolemus, dein ſolutas vindicare.

a) Petit. *ad l. Attic. lib. 1. p. 80.*

b) Iſocrat. *in orat. contra Lochitem in princ.*

refert

refert ad *κακολογίαν maledicentiam ſine convicio.* Quam vocum diſtinctionem nulli Grammaticorum ante Salmaſium agnitam deridet Heraldus. Ego vero potius crediderim, pœnam hanc initio levem propter criminis raritatem, veterumque modeſtiam, poſtea fuiſſe auctam, creſcente hominum audacia, cum qua crevit etiam illius coërcendæ neceſſitas. Nam ſimile habemus exemplum in legibus XII. tab. de percuſſione oris, cujus ab initio levis multa fuit XXV. aſſium, de qua inferius. Romani vero moribus graviores, & diligentiores famæ cuſtodes, convicia, & famoſos libellos non indicia viciorum, ſed potius innocentiæ alienæ teſtimonium eſſe putarunt, omnis criminis ſuſpicionem auferentes ab eo, cui defuit accuſator, cum non defuerit inimicus, ut egregie Conſtantinus Imperator exiſtimat. *a*) Quamobrem fuſtibus ad necem feriendum juſſerunt hominem, qui conviciis, aut malis carminibus alienam famam laceraſſet. *b*) Quam legem ſummis laudibus Cicero extulit his verbis: *Judiciis enim, & magiſtratuum diſputationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere,* atque iterum: *Probris, & injuriis poëtarum ſubjectam vitam, famamque habere noluerunt: capite etiam puniri ſancientes tale carmen condere ſi quis auderet. c)* En vero legem:

Si qui carmen occentaſſit, quod alteri flagitium faxit, capital eſto. *

Occentaſſit) *occentare* eſt convicium facere, obſtrepere adverſus aliquem, Plaut. in *Curcul.*

Quid ſi adeam, atque ad fores occentem?

Flagitium faxit) *flagitium* veteribus eſt *convicium.* Plautus:

Majore eum flagitio reddes poſtea, hoc eſt infamia, quia quo acrius petimus noſtra, eo eſt mora turpior. Et Cato *Intercutibus ſtupris flagitatus,* hoc eſt inteſtinis injuriis adfectus. Livius lib. XXV. *Simul & ingens flagitium imperii demturus.* Gracchus apud Iſidor. *lib. 2. orig. cap. 21. Pueritia tua adoleſcentia tua*

a) Balduini *in XII. tab. in banc leg. in fin.*

b) Horat. *ſerm. 2. Sat. 2.* Cic. *4. Tuſcul.* Arnob. *4. adverſ. gentes.* Cornut. *in Perſ. Sat 1.* Horat. *2. epiſt 1.*

c) Cic. *lib. 4. de repub. apud* D. Aug. *de civit. Dei lib. 2. cap. 12.*

* Præiverant Gravinæ Scaliger & Marcilius, quorum ſententia vincit eam Gothofredi, quia & Auguſtinus *l II. de Civit. Dei c. 9.* ex Ciceronis *lib 4. de Republica* refert, libellis famoſis in legibus XII. tabularum pœnam capitalem præfinitam fuiſſe, & ſupplicii fuſtuarii deſtinati auctoribus carminis famoſi meminit Porphyrion ad illa Horatii *Epiſt. II. 1.*

Quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi: vertere modum, formidine fuſtis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Accedet Cornutus, qui ad Perſii Sat. 1. *Lege,* inquit, *XII. tabularum cautum eſt, ut fuſtibus feriretur, qui publice invcheretur.* Ulpianus tamen in *L. 8. §. 1. D. de pœnis* fuſtem inter ea inſtrumenta numerat, quibuscum animadverti in neminem debeat. Valentinianus quoque & Valens Imperatores, quando in *L. un. C. de famoſis libellis* pœnam iis capitalem ſtatuunt, nullam mentionem injiciunt legis duodecim tabularum.

Digitized by Google

inhoneſtamentum fuit, adoleſcentia ſenectutis dedecoramentum, ſenectus reipublicæ flagitium. Vide Feſtum verbo *occentaſſit*, & ibi Scaligerum. * Jacobus Gothofredus hanc legem ita refert:

Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuſte ferito.

Pipulum aſt convicium a *pipatu* pullorum. *Pipare* enim Oſci dicebant pro ejulabunde *conqueri*. Unde *pipulo differre*, eſt afficere infamia. *Fuſte* autem *ferire* eſt ad necem cædere. *a*)

LVI. DE RELIQUIS INJURIIS.

Nunc ad injurias re illatas veniamus: quarum nomine inter Athenienſes dabatur accuſatio, ſive actio in caput, & multatio, ſive actio in pecuniam: hæc privata erat, illa publica: privata dicebatur αἰκίας δίκη; publica ὕβρεως γραφή, de his acrius, quam res ferret, inter Salmaſium, & *b*) Heraldum *c*) dimicatur. Hic enim utramque actionem trahit ab uno, eodemque genere injuriarum, ſub diverſis agendi modis. At ille a diverſis generibus injuriarum, diverſas ducit actiones. Patronum adoptat ſibi uterque Demoſthenem, *d*) apud quem dicitur prælatam fuiſſe actionem αἰκίας, cum potuiſſet agi γραφὴ ὕβρεως. En, inquit Heraldus, ex eodem injuriarum crimine variam agendi facultatem. At Salmaſius plura genera injuriarum putat conveniſſe in illud crimen, atrocius videlicet, & levius; nec verberibus tantum petitum fuiſſe accuſatorem, ſed vulneribus, & luto Inquinatum: docetque de injuria graviori ὕβρεως γραφὴν; αἰκίας vero δίκην de leviori deſcendere. Qua in re Salmaſius veteres Grammaticos habet auctores; Heraldus vero rationibus, & ſubtilitate contendit. Confligunt acriter, nec pugnæ finis, aut ſpes ulla pacis: nec noſtrum, aut hujus loci dirimere tale prælium. Verberationis autem ex Athenienſium legibus pœna erat pecuniaria: *e*) quæ, ſi læſus accuſaret, læſo cædebat; ſin alius Fiſco: nam ex lege Solonis cuilibet ex populo vindicare licebat illatam privato vim, cum in ea publicæ auctoritatis, & cuſtodiæ contemtus verteretur. *f*) Meditati vero, conſilioque illati vulneris, pœna erat exilium, & publicatio bonorum: & tandem ſupplicium capitale, ſi reus, contemta exilii pœna, rediret in patriam. *g*) Qui monoculo vero excuſſiſſet oculum, ei amittendus erat uterque per talionis pœnam, quam e Solonis tabulis in ſuas Decemviri leges traduxerunt: eo ſcilicet capite, ubi de membro rupto cavebatur: pro quo par

* Cui hæc nota debetur, & cujus ſententiam Taubmannus quoque ſequitur ad Plautum. Marcilius recte quidem *occentare carmen*, *occentare Hymenæum* dici, putat, ſed non occentare ſimpliciter. Sed vocem carmen ſæpe intelligi, vel adductus Plauti locus oſtendit

Quid ſi adeam atque ad fores occentem?

a) *L. 1. §. occiſor. ff. de S. C. Syllan. L. 8. §. 1. ff. de pœnis.*

b) *In obſervat. ad jus Attic. & Rom.*

c) *In animadverſ. adverſ. Salmaſ.*

d) *In orat. adverſ. Conon.*

e) Lyſias ἐν τῷ περὶ αἰκίας πρὸς Ἰσοκράτην.

f) Ulp. *in Midian.* Petit. *ad leges Attica pag. 526.*

g) Lyſias ἐν τῷ ὑπὲρ Καλλία ἱεροσυλίας ἀπολογίᾳ.

membrum amputandum erat ei, qui ruperat, *a*) niſi pactione quis pœnam redemiſſet, quod lege permittebatur. *b*) Os autem fractum pecunia vindicarunt in libero quidem CCC. æris, in ſervo CL. Diſtinxerunt autem ab oſſe membrum, quia proprie membrum caro eſt, & pellis, qua artus teguntur, * ut Popma notat; *c*) hinc aliud membrum rumpere, aliud os frangere. Os autem & membro includitur, uti pars illius. Non abſimilem legem ex Catonis originibus profert Priſcianus lib. 6. quam ad aliarum gentium mores reſpicere cenſet Hottomannus. *d*) Ob oris percuſſionem, aliamve injuriam non amplius vigintiquinque gravis æris pœnam Decemviri conſtituerunt: quæ quamvis a Favorino *e*) propter levitatem etiam, Labeone auctore, irrideatur; tamen pro temporum illorum inopia, non erat fortaſſe tam levis. Prolatis vero finibus, auctaque urbe ſpoliis, & opibus exterorum, viluit ea pœna. Quem enim jactura XXV. aſſium ab injuria in tanta opulentia revocaſſet? Unde quid mirum, ſi L. Neratius, homo egregie improbus, homines, & leges adeo ludibrio haberet, ut obviorum os palma percuteret, oblatis continuo XXV. aſſibus per ſervum, quem pecunia onuſtum ſecum ** circumferebat? Cum igitur ea pœna contemneretur, cœperunt a Prætore judices injuriis æſtimandis dari, quos propterea Recuperatores appellarunt, quia in privatis commerciis jus quisque ſuum per eos recuperaret. Placet locum hunc auctoritate Collatoris legum Moſaicarum concludere, apud quem hæc leguntur, prout Salmaſius reſtituit. *Injuriarum actio aut legitima eſt, aut honoraria, legitima ex lege XII. qui injuriam faxit quinque, & XX. æris pœnæ ſunto. Qui membrum rupſit, talio eſto. Qui oſſa fraxit, libero tercenti æris, ſervo centum, & triginta pœnæ ſunto.* Nunc leges producamus.

Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto.

Si qui injuriam alteri faxit, XXV. æris pœnæ ſunto.

Qui os ex genitali fudit libero CCC. ſervo CL. æris pœnæ ſunto.

Si membrum rupſit) ita legem hanc omnibus probantibus reſtituit *f*) Cujacius.

a) *Inſtit. lib. 4. de injur.* §. 7. Feſtus *verbo talio. L. 3. C. Theodoſ. de exhibendis reis.*

b) Gell. *lib 20 cap. 1.* Paul. 5. *ſent. cap. 4.*

* Etſi improprie membra etiam pro artubus ponantur, qui ſignificatus vulgo notior. Scita ſic diſtinctio inter os & membrum, qua Tribonianus in §. 7. *J. de injuriis, propter membrum quidem ruptum,* inquit, *talio erat, propter os vero fractum numariæ pœnæ conſtitutæ erant, quaſi in magna veterum paupertate.* Eadem membra ab oſſibus diſtinguit Plautus in *Menæchmis Act. V. Sc. II.* v. [illegible]

Ita mihi imperas, ut ego hujus membra, atque oſſa atque artus Comminuam illo ſcipione, quem ipſe habet.

c) *de diff. verb. verb. artus.*

d) *ad leg. XII tabul. in hanc leg. pag.* 470.

e) *apud* Gell. *lib* 20. *cap.* 1.

** Nam librariis aſſibus ea tempeſtate populus utebatur. Imo robuſtum Neratii ſervum & XXV. libras æris toties ſimul portantem, & immanem crumenam, totidem aſſes toties ſimul continentem! Niſi hæ alapæ numis ſeſtertiis addictæ ſunt, qui utique portatu faciliores erant, & aſſes æris in argento referebant.

f) Cujac. *Inſtit. de injur.* §. 7.

Pacit)

Pacit) a verbo antiquo *paco* pro *paciſcor*. Cujacius ibid. niſi pro *paco* legamus cum Laurembergio *pago*, & *pagit*. Dicitur *talio* a *tale*, quia tale ac ſimile rependitur.

Qui os) ita reſtituitur a Petro Pithoeo; ceterum genitale dictum arbitror ubi gignitur; * non ut P. Pithoeus, dentem excuſſum a gingiva, ne nimis coanguſtemus legis ſenſum: quaſi non quælibet oſſis fractio, ſed ſolum dentis e gingiva excuſſio puniatur.

LVII. DE PECUNIIS REPETUNDIS.

Abſolutis judiciis privatis, ad publica veniamus, exordientes a lege condita contra judices, arbitroſve pecunia corruptos. Quod flagitium, quia integritate judiciorum ſalus publica unice munitur, Decemviri capite punierunt: gravius longe agentes, quam Athenienſes, *a*) & ipſe Plato, *b*) nam illi pecunia crimen æſtimarunt: hic duplo ejus rei, quæ in judicium deducebatur, quod judex reddere cogitur ei, quem ſua ſententia læſit. Ab hac autem XII. tabul. ſeveritate receſſit poſterior ætas in deteriores prolapſa mores. Cumque veterum legum oblivio, & impunitas judicum pudendam judiciorum corruptelam peperiſſet; ſupervenit lex Julia repetundarum, qua deinceps tale crimen coërceretur: de qua lege diſputandi locus erit libro ſequenti. Præterea ex Prætoris edicto, qui litem ſuam feciſſet, ſive per dolum injuſte judicaſſet, parti læſæ veram judicii æſtimationem præſtare jubetur, *c*) aliæque pœnæ a conſtitutionibus principum acceſſerunt. *d*) Dolo autem judicare videtur, qui per gratiam, aut per inimicitias, aut per ſordes in fraudem legis ſententiam tulerit. Lex autem talis fortaſſe fuit:

Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam acceperit, capital eſto, **

LVIII. DE FALSIS TESTIBUS.

Porro judiciorum integritas non ſolum avaritia judicis coërcenda, ſed etiam perfidia teſtium avertenda conſervatur. Judices enim e dictis, ac fide teſtium ſententiam expromunt ſuam. Quamobrem ne falſitas teſtium ſententias pariat injuſtas: oportuit metu pœnarum falſos teſtes ab aditu judiciorum abſterrere. Ideo apud Græcos, (quam nationem Cicero ajebat ſacramentorum fidem nunquam co-

* Ut ſit os loco ſuo motum vel fuſum. Pithoeus malebat, dentem ex gingiva, quia in ea dens tanquam in genitali ſuo naſcitur. Quæ tamen conjectura Pithoei occaſionem præbuit illi Gothofredi & Gravinæ, qua facile carere poſſumus. Fuerat ea *Collationi* quoque *legum Moſaicarum & Romanarum* illata, in qua eam damnat Schultingius ad *Tit. II. §. 5. n. 33.* Et quidni præeunte Triboniano & Cajo apud Pariatorem L. L. legem ſimpliciter effingimus.

Si os fregit libero CCC. ſervo CL. æris pœnæ ſunto.

a) Jul. Pollux. *l. 8. c. 1. Interp.* Thucyd. *ad l. 6.*
b) *Lib. 8. de legibus.*
c) *L. 15. §. filiusfam. ff. de judic.*
d) *C. de pœn. jud. qui male jud. & nov. 124. c. 2.*

** Summam legis Gellius exhibet *L. XX. c. 1.* verba ejus ab interpretibus penitus conficta ſunt.

luiſſe,)

luiſſe,) gravibus pœnis mendacia teſtium prohibebantur: ut Atticis legibus, qui falſum in judicio protuliſſent, præter multam etiam infamiam ſuſtinerent: quæ & in producentem quoque falſos teſtes redundabat. Quod judicium κακοτεχνιῶν vocabatur. *a*) Romani vero quamvis integrioris fidei, tamen propter majorem judiciorum religionem ſupplicium exacerbarunt. *b*) Igitur exemplo Platonis, qui ter falſi convictum teſtem neci dedendum decrevit *lib. 11. de leg.* juſſerunt Decemviri, ut falſus teſtis e ſaxo Tarpejo dejiceretur: cujus loci profunditatem, nondum, ut poſtea everſa Roma veteri, ruinæ ædificiorum impleverant, ut altior antea, nunc in planitiem vergat. Verum relaxata ſimul cum virtutibus civium lege, capitalis pœna converſa fuit in exilium, aut relegationem in inſulam, *c*) quam perpetua infamia comitabatur, aliæque pœnæ a judicis arbitrio pendentes: *d*) quæ tamen ab eruditis Triboniani adjectio reputatur. Noluit enim Tribonianus, ut Cujacius ſuſpicatur, has pœnas, forte quia ſibi graviores viderentur, exprimere: unde adjecit ad legem qui falſo ff. de teſtibus: *a judicibus competenter puniantur*, vel ut legit Harmenopulus, *a judicibus competentibus puniantur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων * ἀρχόντων τιμωροῦνται. Unde conſulto ſuppreſſit Paulli verba, quæ in ſententiarum libris, unde lex illa ſumta fuit, inveniuntur.

LIX. DE TESTE DESERTORE.

A falſo teſte tranſeamus ad eum, qui cum ſeſe teſtem obtulerit, vel libripendem, quem loco teſtis adhibebant, poſtea teſtimonium ferre in judicio, dictaque ſua comprobare detrectet: qui teſtimonii deſertor, meo judicio, recte appellabitur, isque etiam teſtimonium defugere dicitur, ut & qui rei alicujus auctor haberi nolit, is defugere dicitur auctoritatem. Quod apud Græcos crimen dicitur λειπομαρτύριον, quaſi teſtimonii deſtitutio. *e*) De qua Decemviralem legem adfert Gellius, *f*) verbis adeo depravatis, ut neſcio an iis reſtituendis doctiſſimorum virorum conamina ſuffecerint, de quibus inferius. Pœna hujus criminis ex XII. tabul. legibus erat, ut qui teſtimonium ferre reſugiſſet, eſſet inteſtabilis, nempe ut neque alios in re ſua teſtes adhibere poſſet; neque adhiberi ipſe in re aliena, *g*) & inſuper improbus haberetur. Cujus vocabuli ſignificatio veteribus erat atrocior: continebat enim infamiam, & publicam ignominiam. Unde Livius *lib. X. cap. 9.* refert: *Valeriam legem, quæ vetaret necari, aut virgis cædi eum, qui ad populum provocaſſet adverſus eum, qui in legem incidiſſet, non aliam pœnam ſtatuiſſe, quam ut*

a) Demoſt. ἐν τῷ κατ' Εὐέργου ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον. Pollux. *l.* 8. Petit. *ad leges Attic. lib. 4. tit. 7.*

b) Gellius *lib. 20. cap. 1.*

c) Paul. *ſent. lib. 5. cap. 15. & l. 1. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

d) *L. qui falſo ff. de teſtib.*

* Harmenopuli lectio etiam refellitur *l. 14. C. de teſtibus*, ex qua apparet, ad pœnam falſariis infligendam, opus non eſſe, ut judex ſit competens, modo falſarium puniat competenter. Baſilicorum quoque ſcholia illud competenter probant; habent enim προσφόρως, etſi aliter in ipſis Baſilicis legatur, ut obſervat Schultingius ad *Paulli ſent. L. V. tit. 15. § 5.*

e) Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. cap. 7. pag. 357.*

f) *lib. 15. cap. 13.*

g) *L. cum lege 26. & L. is cui 18. §. ult. ff. qui teſt. fac.*

babe-

haberetur improbe factum: tantusque hominum erat pudor, ut validiſſimum eſſet honeſtatis vinculum infamiæ metus. Nunc legem proferamus:

Si falſum teſtimonium dicaſſit, * ſaxo dejicitor.

Qui ſe ſirit teſtarier, libripensve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus, inteſtabiliſque eſto.

Sirit) pro *ſiverit.*

Teſtarier) hoc fuit apud veteres ex iis verbis unum, quæ ad actionem ſimul, & paſſionem ſignificandam adhibebantur, ut notat Gellius ex hac lege *lib. 15. cap. 13.* ubi verbum hoc παθητικῶς accipitur, ut *qui ſe ſirit teſtarier* ſignificet, qui ſe paſſus ſit in teſtem adſcribi.

Fariatur) ita repono cum Revardo, ** donec melius aliquid emergat: Priſco enim ſermone *moriri* dicitur pro *mori; aggrediri* pro *aggredi*, unde & dici potuit *fariri* pro *fari*: niſi legere malimus cum Hottomanno *fateatur*, vel cum Cujacio *feriatur* pro *cogatur*, ſatis dure; vel cum Salmaſio *a*) *fariatur*, hoc eſt eatur ad fatendum.

LX. DE COETIBUS NOCTURNIS.

Nunc ad crimina veniamus ea, quibus reipublicæ ſtatus graviter perturbatur; quibusque prohibendis Decemviri, lege lata, nocturnos cœtus, & clandeſtinas coitiones prohibuerunt. Noctem enim τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν, ducem plurimorum malorum appellat Menander. Ut igitur cauſam omnem nocturni cœtus removerent Romani ne S. Ctum quidem condi licere voluerunt, poſt Solis occaſum. Unde, abeunde die, horam, quæ ſequebatur, *intempeſtam*, appellarunt, quaſi tempus minime rebus gerendis idoneum. Quo nomine Porcius Latro Catilinam inſimulat in ea declamatione, *b*) ubi legis hujus Decemviralis monumentum reliquit. Hæc etiam inter alias damnandorum Bacchanalium *** cauſas adfertur, quod ſcilicet nocte agitarentur. *c*) Ideo & Diagondas Thebanorum Imperator ſacra nocturna omnino delevit. Legis autem Decemviralis hæc videtur fuiſſe ſententia.

Si qui in Urbe cœtus nocturnos agitaſſit, capital eſto.

* Hujus legis ſententiam exhibet Gellius *XX. 1.* Verba a Doctoribus confiċta, qui huc conferunt vocem *dicavit*, qua veteres pro dixerit uſos, Feſtus auctor eſt. Secundæ etiam legis verba exhibet Gellius *l. XV. c. 13.*

** Ræːvardi conjectura non inidonea eſſet, modo, ut a moriri ſupereſt morior, ab aggrediri aggredior; ſic a fariri ſupereſſet farior. Hottomanni lectio expeditiſſima eſſet, niſi in antiquiſſimo codice Gellii *fariatur* legi, Urſinus teſtaretur. Si probari poſſet, eos, qui ad fatendum pergebant, fariantes dictos eſſe, accederem ſententiæ Salmaſii.

a) *Obſer. ad leg. Attic. cap. ult. p. 817.*

b) *declamat. in Catil.*

*** Quæ proſcripta Senatus conſulto, lato A. U. C. DLXVII. Qu. Marcio Philippo & Sp. Poſtumio Albino Conſulibus. Senatus conſultum ipſum exhibet & diſſertatione ſingulari illuſtrat Cornelius van Bynkershoek in opuſculo *de religione peregrina.*

c) Cic. *l. 2. de legit.* Livius *l. 39.*

LXI.

LXI. DE CRIMINE PERDUELLIONIS.

Nihil vero crimine perduellionis atrocius, quo ſtatus civitatis evertitur, & publica Populi Romani majeſtas violatur, de qua plenius libro ſequenti. *a*) Lege autem XII. tabul. hæc præcipue perduellionis capita comprehenduntur: alterum nempe illius, qui hoſtem concitaſſet, *b*) ſive ut ego interpretor, qui aliquem ex amico Populi Romani hoſtem dolo, * conſilioque ſuo reddidiſſet; & clam commoviſſet, ſollicitaſſet, ſubegiſſet, ut adverſus Rempublic. ſe compararet. Et quanquam is etiam, qui contra prohibitionem imperatoris cum hoſte pugnaſſet, idem crimen incurreret; tamen atrociorem ſenſum, quem ſupra expoſuimus, lex nominatim complexa videtur. Alterum vero criminis caput eſt illius, qui civem in hoſtium poteſtatem tradidiſſet. Quæ ſcelera capite plectebantur. Perduellis autem dicitur hoſtis, *c*) quia veteres pro *bello duellum* enuncibant. Unde perduellis ab Ulpiano definitur, *d*) *qui hoſtilem animum adverſus Rempublicam aut principem gerit.* Lex autem Decemviralis hæc fortaſſe fuit:

Si quis perduellem concitaſſit, civemque perduelli transduit, capital eſto. **

Transduit) pro *tradiderit:* veteres enim *duit* dicebant pro *det.*

LXII. DE PARRICIDIO, SIVE HOMINIS CÆDE, ET VENEFICIIS.

Pergamus nunc jam ad eos, qui hominem cæde ſuſtulerant: quorum pœna ſi ſuſceptum conſilio facinus eſſet apud Athenienſes, ad ultimum extendebatur ſupplicium, quod voluntario exilio, antequam judex pronunciaret, effugere licebat, *e*) ut interpretatur Samuel Petitus, quia rei poſt primam orationem apud Areopagitas poterant exilio ſe ſubducere, quod exilium publicatio bonorum conſequebatur. *f*) Verum ſi qui hac ex cauſa ſolum vertiſſet, in Atticæ finibus deprehenderetur, impune poterat occidi, aut Magiſtratibus tradi multandus. Quod in ſuas quoque leges Plato tranſtulit, *g*) & pluribus Demoſthenis locis comprobatur: quos locos fruſtra ſuis conjecturis tuendis vexat Salmaſius optimis rationibus ab Heraldo *h*) redargutus. At ſi caſu hominem quis interemiſſet, annum extra patriam exulare, legibus jubebatur. *i*) Non minori vero pœna homicidium dolo admiſſum

a) Cic. *pro Rabir.* & *in Verr.* 3. & *tot. tit. ff. ad l. Jul. majeſt.*

b) *L.* 1. *ff. ad l. Jul. majeſt.*

* Puta, ut ex amico hoſtis, vel ex hoſte infenſo infenſior fieret.

c) *L. quos nos hoſtes* 234. *ff. de V. S.*

d) *L. ult. ff. ad l. Jul. majeſt.*

** Sententiam legis exhibet Marcianus in *L.* 3. *D. ad L. Jul. Maj.*

e) Demoſt. *in Midiana,* & *ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοκράτους.*

f) Samuel Petit. *ad leg. Attic. lib.* 7. *tit.* 5. *pag.* 508.

g) *lib.* 9. *de leg. ubi de homicid. volunt. loquitur.*

h) *In animadverſ. adverſ.* Salmaſ. *ad jus Attic.* & *Rom. lib.* 4. *tit.* 4.

i) Petit. *ad leg. Attic. lib.* 7. *tit.* 1. *pag.* 511. Scholiaſt. Euripid. *in Hipp.* Tzezes *ad Lycophron.* Heſychius. Demoſth. *ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους.*

ulciſcuntur leges Decemvirales, vel lex Regia, nempe Numæ, ut aliqui arbitrantur a Decemviris in XII. tabul. tradućta: quæ priſca locutione homicidam notat *parricidæ* vocabulo, quod apud veteres quodlibet homicidium complećtebatur: *a*) neque apud eos diſcrimen ullum invenitur inter *capital eſto*, & *parricida eſto*, quæ clauſula pœnis omnibus capitalibus attexebatur, ut Cicero *b*) fecit: *Sacrum*, inquit, *ſacrove commendatum qui clepſerit, rapſitve, parricida eſto.* De illo vero, qui hominem imprudens occidiſſet, hæc a Scaligero e Schedis Servianis adferuntur ad hanc legem: ut ſcilicet cædem expiet in concione ariete cæſo. Quod eum ad hanc legem pertinere non conſtet, longioris moræ mihi cauſam non præbebit. *c*) Paribus etiam ſubjicitur pœnis, qui hominem veneno ſuſtulit: quinimmo eo gravius his delinquit, quod latendi facilitate poſſit delinquere liberius; majusque periculum ab inſidiis, quam a vi hominibus creatur. Et quia venenorum propinator ſæpe miſcet huic maleficio magicas artes, quas profitentur præſtigiatores, & mulieres eæ, quas ſagas appellabant: *d*) quorum incantationes, & carminæ vi Dæmonum armata, mentes corporaque hominum labefacere, frugesque ab agro traducere veteres exiſtimabant; *e*) adeo ut Cajus Furius, qui agrum ſuum proprio labore inopinato pinguefecerat, in hujus maleficii ſuſpicionem facile venerit; *f*) propterea pœnam edixere Decemviri adverſus eos, qui malis carminibus homines, aut animalia commaculaſſent, aut ſegetes, frugesque alienas pellexiſſent. Pœnam hujus criminis habemus, ſi Scaligeri conjećturam in reſtituendo, ſupplendoque mutilato Feſti loco ampleđtamur: diſcemusque illam ex ſequentibus: ſiquidem ita Scaliger explet Feſti lacunam, ſcribens: *g*) *Nam in fine manifeſto hæc ſcripta fuere. Tribus XXXV. aut privilegia irrogare, aut de capite civis ſtatuere, niſi maximo comitiatu vetant XII. tabul. leges, præter quam veneficos, quique malum carmen incantant, quia ipſi indemnati jure occiduntur.* Fuit autem fortaſſe lex homicidia, incantationes, & veneficia coërcens hæc:

Si quis liberum hominem * dolo ſciens morti duit; quive malum carmen ** incantaſſit, aut malum venenum faxit duitve, parricida eſto.

Duit) pro *dederit* ſatis notum.

a) Feſtus *verbo* Parricid.
b) *lib. 2. de leg.* Scalig. *ad* Feſt. *verbo parric.*
c) *Vide* Roſin. *ad leg. Reg. in lege Numæ.*
d) Plin. *lib. 28. cap. 2.*
e) Tibull *lib. 1. eleg. 8.*
f) Plin. *lib. 18. cap. 6.*
g) *Lit. P. in fine.*

* Pars prima legis, de libero homine occiſo, lex Regis, Numæ Pompilii erat, ut apparet ex Feſto in voce *Parric.* Numæ ævo parricida Düs parentum, ut videtur, ſacer erat, ſi capitis damnabatur, quod ad eos quoque perrexit Servius Tullius, qui patrem pulſaſſent, ut apparet ex Feſto in voce *plocare.* Tunc igitur patricidæ comparari poterat occiſor liberi hominis quivis, quia ipſius quoque delićtum capital erat. Dein legibus XII. rabularum culleus, nova pœna parricidis propoſita, ut appares ex Valerio Maximo *l. I. c. 1.* Occiſorem autem quemvis culleo inſutum fuiſſe, nec credibili eſt, nec uſpiam legitur. Mallem igitur hoc loco capital eſto, quia utique ex Plinio in *Hiſt. Nat. l. XVIII. c. 3.* conſtat, aliquid de cæde in legibus XII. tabularum cautum fuiſſe.

** Pars legis de malo carmine & veneno perperam hic infercitur a viris eruditis,

Digitized by Google

LXIII. DE CÆDE PARENTUM.

Atque cædes hæ, ut monuimus, priſca ſignificatione parricidii vocabulo continebantur. Parentum vero cædem, cui uni proprietate ſua hoc nomen convenit, utpote criminum atrociſſimum, adeo Solonis leges abominabantur, ut quod ſatis non poſſet vocibus, ſilentio deteſtarentur: utpote indignum, quod in cogitationem hominum verbis adduceretur: ne, cujus criminis notitiam natura non ſuggerit, a lege offerretur. *a*) Veteres vero Romanorum longe deterius de humanæ naturæ pravitate judicantes, non ſilentio, ſed metu, & atrocitate pœnarum illud avertere ſtuduerunt, lege lata, quam Scaliger *b*) aliique doctiorum adſcribunt Regibus, nempe Romulo, aut Tatio, aut Servio; ut qui pueri, aut nurus parentes verberaſſent, divis parentum ſacri eſſent, hoc eſt divis illis devoverentur. Diis enim devoti ſacri fiebant, & a quolibet impune occidi poterant: tanquam Diis criminis ejus ultoribus victima illa mactaretur. Cum hac de re a Regibus nominatim cautum reperiamus; fas erit ſuſpicari, minime ſiluiſſe illos de cæde parentum, eosque auctores fuiſſe * legis ejus, quam poſtea Decemviros credo in XII. tabul. conjeciſſe. Hujus autem ſceleris reus cæſus cruentis virgis, culleoque inſutus cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, quibus rabie incenſis laniaretur, mari mergebatur, ab omnium elementorum commerciis quaſi ſegregatus, cum nec terram attingeret, neque aquam: etenim ab ea culleo diſcernebatur. Cujus exemplum ſupplicii, Tarquinius jam ediderat in M. Tullio Duumviro, propter proditam arcanorum fidem. *c*) Lex autem hæc eſt:

Qui parentem necaſſit, caput obnubito: culleoque inſutus in profluentem mergitor.

cum de neutrius delicti pœna in legibus Decemviralibus ſancita, conſtet. Mali carminis decantati reus eſt etiam is, qui fruges *excantaſſit*, de quo tamen fragmentum ſingulare, ſed ſine mentione pœnæ exhibet Auctor in tabula VII. ſecutus Gothofredum.

a) Cic. *pro Roſc.*

b) *in verbo plorare, & verbo nuptias apud* Feſtum.

* Imo poſt regum tempora hoc ſupplicium demum parricidis irrogari cœpiſſe, modo ex Valerio didicimus. Primus anno circiter DCL. Publicius Malleolus, matre interempta, culleo inſutus & in mare præcipitatus eſt, ut ex epitoma Liviana *l. LXVIII.* intelligitur. Cui damnato ſtatim folliculo lupino os obvolutum, ſoleas ligneas pedibus inductas, ait Auctor ad Herennium *l. 1. c. 13.* ut ne terram, communem matrem, pedibus amplius attingeret, vel, communem aërem aliter hauriret, quam per follem ſævæ & perfidæ beſtiæ. De animalibus culleo dein inſeri ſolitis, repetitaque ab Imperatoribus pœna, uſu jam fere intermiſſa conferendus Colerus *Parerg. c. 3.* & Nevius *l. 1. analect. c. 39.* & Ant. Matthæi *de criminibus lib. XLVIII. Dig. tit. V. c. 2.* Inſerta culleo vipera, quod naſcendo matrem, coëundo marem enecare dicitur. Inſerta ſimia quod fœtum arctiore complexu ſtrangulat. Inſerti canes & galli, quia nec ipſi proprio ſanguini & generi parcunt.

c) Valer. Max. *l. 1. c. 1. num. 13.* Nonius *cap. 1. verb.* Perbiter.

Obnubito) notum eſt, *nubere* quid ſignificet priſca origine, ſcilicet *velare*. Et quia ſponſa ob pudorem velabatur, cum ad mariti domum deduceretur: inde *nupta*, & *nuptiæ*: verbumque *nubere* in conjugalem ſignificationem vulgo tranſivit.

LXIV. DE INCENDIO.

Nulli criminum atrocitate cedit incendium dolo excitatum: cujus rei leges XII. tabul. exemplum poſuerunt in eo, qui acervum frumenti ad alienas ædes poſitum combuſſiſſet, non quia hoc tantum incendium punierint, ſed quia rei ruſticæ tota vita deditis hæc exempla crebrius occurrebant: unde ſub ea reliqua incendiorum genera comprehenderunt, & eos, qui quovis modo incendium conflaſſent, igne cremandos juſſerunt: ut unde damnum aliis attuliſſent, inde & ipſi mortem haberent: poſtquam vincti, verberatique fuiſſent, quæ capitalium omnium ſuppliciorum erant exordia; ſervi tamen, & viliora capita pergentes ad ſupplicium, nudi crucem, & furcam ſibi ferentes per vias cædebantur, unde *furciferi*, crebrum apud Plautum, & Terentium convicium. At ſi ex aliena negligentia incendium aliquo ſerperet, civili actione dupli perſecutio dabatur, *a*) eaque actio incenſarum ædium dicitur in pluribus juris locis. *b*) At ſi ſolvendo reus non eſſet, leviter verberabatur; propter eam de pœnis regulam, uti qui ære nequit, corpore damnum luat. *c*) Legis porro ſententiam his verbis reddidit Gothofredus:

Qui ædes acervumve frumenti ad ædes poſitum dolo ſciens incenſit, vinctus verberatus igni necator: aſt ſi caſu * noxiam ſarcito; ſi nec idoneus eſcit, levius caſtigator.

Incenſit) pro *incenderit*, ſicut *incæpſit*, ut notat Feſtus verbo *incenſit*. *d*)

LXV. DE ORDINE JUDICIORUM, ET DE IN JUS VOCANDO.

Expoſitis legibus, quibus crimina coërcentur, leges judiciarias, judiciorum ordinem dirigentes, explicemus. Judiciorum autem exordium erat vocatio in jus. Jus enim dicebatur etiam locus, ubi cauſæ agitantur. Igitur actor reum conveniens vocabat in jus ad eum, qui jurisdictioni præeſt, ad Prætorem, cupiens cum eo diſceptare, ac jus experiri ſuum. Cujus vocationis hæ ſolennes erant formulæ: *In jus eamus:* vel *in jus veni:* vel *ſequere ad tribunal:* vel *in jus ambula*. *e*) Vocationi reus ex Legibus XII. tabul. confeſtim parere jubebatur, ac ſi declinare vellet judicium, & ſeſe actori ſubducere ſatageret, licebat repugnantem obtorto

a) *L. capitalium 28. §. 12. de pœnis.* Paull. *lib. 5. ſent. tit. 3. ubi Cujac.*

b) *L. juris gentium §. 13. ff. de pactis, L. 1. C. ad l. Aquil.*

c) Balduin. & Ritt. *ad hanc l. vide cap. de incendiariis apud eundem* Rittersh.

* Quem hoc loco negligentiam interpretatur Cajus in *L. 9. D. de incendio*. Quodſi enim fulguris vi incendium ex ignibus cœleſtibus contigerit, id nemini fraudi eſſe debet.

d) *vide L. 9. §. 1. qui ædes ff. incend. ruin. naufrag.*

e) Briſſon. *lib. 5. de formul. in princ.*

collo

collo * ad Prætorem rapere ſine injuria: dummodo actor, antequam reo manus injiceret, adſtantes feciſſet ejus negocii teſtes: quo pateret reum ab actore nolentem in judicium trahi, non contumeliæ, ſed ſui juris experiendi cauſa. Teſtes autem eum faceret, eos ita interrogabat, *licet anteſtari?* ac ſi per eos liceret, admotis digitis, imam eis vellicabat auriculam, quam & *oricillam* dicimus; adjecto verbo *memento*, vel *memor eſto:* quo ejus rei recordarentur. *a*) Aures enim veteres phyſici memoriæ dicarunt, ut alias partes corporis aliis facultatibus, veluti dexteram fidei, genua miſericordiæ, frontem genio. Ritum autem hunc didicerunt Lipſius, & Rævardus ex veteri lapillo ſibi oſtenſo a Guido Latino: quo in lapillo inſculpta erat manus atterens auriculam hoc Græco verbo *μνημόνευε memento.* Hinc Virg. in *Bucolic.*

- - - - Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. b)

idque *anteſtari* dicebatur, hoc eſt, adſtantes, & proximos facere teſtes, ut optime Salmaſius exponit. *c*) *am* enim particula proximitatem ſignificat, ut *amtermini* terminorum accolæ, & *amſegetes*, quorum ager viam tangebat, & *amſanctæ* valles, quæ in circuitu ſunt, & vicinæ. Male aliqui explicant *ante teſtari.* Poſt anteſtationem autem ſequebatur manus injectio, tactis enim teſtibus jus erat in adverſarium fugam molientem injicere manus, & ducere ad Prætorem. Qui mos omnis ab Athenienſibus deſcendit. *d*) Apud eos enim reus ex auctoritate magiſtratus, vel per apparitores, quos *κλητῆρας* dicebant; *e*) vel per ipſum actorem vocabatur in jus, advocatis teſtibus, quos etiam *κλητῆρας* appellabant, teſte Scholiaſte Ariſtophan. in Veſp. At ſi reus actori vocanti non obtemperaſſet, tunc in eum manus injiciebatur; cujus apud Græcos moris teſtis eſt Lucianus; & veteres comœdiæ Plauti, &

* Quod non eſt extra controverſiam, & jam olim negatum fuit a Joanne Bachovio. Nuper etiam Gundlingius *in diſſertatione de commento violentæ in jus vocationis*, inſerta *Gundlingianis T. V. P. XXV. k. 2.* contendit, violentæ in jus vocationi neque apud Athenienſes, neque apud Romanos locum fuiſſe in cauſſis civilibus. Juvat tamen ſententiam Gravinæ, primo quod apud Horatium, in notiſſimis verbis, *Rapit in jus, clamor utrinque* nec fur nec leno in jus trahitur, ſed deſertor vadimonii in cauſſà civili. Lex dein XII. tabularum cum ire detrectantem capi, & fugam molienti manus injici ſinit, nec abigeum nec zoniſectorem deſignat, ſed ad obligationes non minus ex contractu, quam ex delicto pertinet. Imo nimis liberalis & parum provida eſt lex, ſi furem capi non ſinit, niſi poſt anteſtationem, ſi crumeniſecæ manus injici vetat niſi fruſtranti, pedemque fugæ ſtruenti. Cur denique in *L. 18. D. de in jus voc.* domus unicuique tutiſſimum præſidium & receptaculum diceretur, ſi in jus vocatio fiebat ſine vi. Civibus honeſtis lex conſulit verbis, *Si it*, honeſtiores enim in jus vocantem ſequebantur, eoque vitabant quicquid turpe erat in manuum injectione.

a) Porphyr. & Acron. *in* Horat. *lib. 1. ſat. 9.* Cicero *lib. 2. de leg.* Auct. ad Heren. *lib. 2.* Nonus *verbo* calvitur. Cajus *l. 233. ff. de V. S.*

b) Serv. *ad eclog. 3.* Senec. *cap. 36. lib. 4. de benef. & lib. 5. cap. 3.*

c) *ad jus Attic. & Rom. pag. 110.*

d) Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 2. p. 315.*

e) Ariſtoph. *in Avibus, ubi Scholiaſt.* Ulp. *in Orat. Demoſt. pro Coron.*

Teren-

Digitized by Google

Terentii græcos mores, utpote græcis ex auctoribus converſæ referentes. Omitto feſtivum illum, & vulgatum ſimul Horatii locum libr. prim. ſatyr. ad Romanos mores pertinentem. Verum tum demum manum injecturi anteſtabantur, cum honeſta perſona in jus vocabatur, quo actor ab eo injuriam abſtinere videretur, *a*) nam turpis vitæ hominem, veluti lenonem licebat invitum ſine anteſtatione obtorto collo rapere, ut patet ex Plauto in Perſa, ubi paraſitus a lenone interrogatus, anne anteſtaretur, ita reſpondit:

- - - - tuane ego cauſa, carnifex,
Cuiquam mortali libero aures atteram?
Qui hic commercaris cives homines liberos.

& luculentius in Rudente, ubi hanc ob cauſam Labrax cum eum Pleuxippo rixatur. Si qui vero in jus honoris cauſa non raperetur, ei diem actor dicebat, ut datis pignoribus, vel vadibus ſeſe judicio ſtiturum promitteret, & ni judicio ad diem adeſſet, certam pœnam, ſive multam perſolveret. Hæc autem vadatio dicebatur, quia ſcilicet adverſarius vadabatur ab actore, cui ſeſe eximere non licebat, *b*) niſi datis pignoribus, aut vadibus, certaque pœna promiſſa: atque ita ſatis aut cautum dabant. Vades autem dicti ſunt ii, qui ſuo periculo reum in judicio ſtituros offerebant: quos ita dictos Acron arbitratur, quod his ſponſoribus actori oblatis, reo vadere, ſive abire liceret. Cum enim rei fides ſuſpecta eſſet, cogebatur pro ſe ſponſorem dare, idque promittere, vadimonium dicebatur: unde deſerere vadimonium, cum ad certam diem quis ſe judicio non præſtitiſſet; ut differre vadimonium, cum judicii dies a judice gravibus ex cauſis producebatur. Porro matronarum pudori, ac reverentiæ tribuebatur, ut in jus vocatas nefas eſſet attingere: *c*) neque licebat in jus vocare impuberes puellas alieno juri ſubjectas. *d*) Lenimentum quoque aliquod hujus legis Juriſconſulti ſua interpretatione invenerunt, ne quis ſcilicet e domo ſua in jus protraheretur: *e*) ſatis enim pœnarum perferre latitando: niſi aditum ad ſe præſtaret, aut ex publico conſpiceretur. *f*) Præterea oratione Divi Marci cautum fuit, ne vindemiarum tempore cives ab opere ruſtico ad judicium abducerentur. *g*) Quæ quidem exceptiones poſt latas XII. tabulas prodierunt: illa vero particula ex ipſis XII. tabulis proficiſcitur, quæ jubet in jus vocatum morbo correptum non tamen adeo gravi, ut ſenſus confundat, juncto, non vero molliter inſtrato vehiculo, in judicium venire: cujus legis rationem Phavorinus Philoſophus non ſatis percipiens XII. tabul. adſperitatis accuſabat: quaſi juberent etiam eum, qui gravitate morbi cohærere non poſſit, in jus duci, uti funus ſuper jumento ſine plauſtro. A qua eum opinione, ſenſu legis benignius expoſito, depulit Cœcilius, qui jumenti nomine docet ſignificari pecora juncta curriculis vehendis: putatque jumentum a jungendo dictum: eaque verba legis *arceram ne ſternito*, ita explicat, ne ſcilicet veſtibus plauſtrum ſternatur, aut mollius inſtruatur. Ceterum negat a legibus prohiberi plauſtrorum uſum ad vehendum reum. *h*) Nec

a) Rævard. *in l. XII. tab. c. 5.*
b) *L. 5. ſi vero ff. qui ſatisd. cogant.*
c) Valer. *lib. 2.* Hottoman. *in leg. XII. tab. v.* ſi calvitur.
d) *L. 22. in princip. ff. de in jus voc.*
e) *L. 18. cum ſeq. ff. de in jus voc.*
f) *L. 19. eodem.*
g) *L. 1. ff. de fer.*
h) Gell. *lib. 20. cap. 1.*

civit

civis tantum compellere poterat reum ad judicium ſubeundum; ſed etiam peregrinus, quem veteres vocabant *hoſtem*, cujus vocis antea mitior, poſt vero ſignificatio fuit adſperior; notavit enim ſolos inimicos populi Romani, quæ antea ſignificaverat & peregrinos. Eratque lex, ut conjectura erui potuit ex Cic. 1. *de offic.* e Plauto in *Curcul.* ſcripta his verbis:

Si ſtatus condictus * dies intercedat, cum hoſte ito.

Status dies, & condictus) levi diſcrimine diſtinguuntur. *Status* enim *dies* eſt, quem Prætor ſtatuit litigantibus, ut ad ſe iretur: *condictus*, quem ſibi ipſi ex compacto litigantes præfiniunt, ut ad Prætorem eant. Sed jam legum reliquias, utcunque ab eruditis coactas proferamus, Gothofredum ſequentes, qui unam conſtituit ex tribus, quas alii faciunt, legibus, eamque in tria diſtinguit capita, quod & veterum auctoritate, atque ipſo ſententiarum nexu comprobatur.

Si in jus vocat atque eat. **
Ni it anteſtamino: igitur em capito.
Si calvitur, pedemve ſtruit, manum endo jacito.

Si morbus ævitasve vitium eſcit, qui in jus vocabit, jumentum dato: ſi volet, arceram ne ſternito.

Atque) ſenſus eſt: *ſi quis in jus vocat, vocatus ſtatim eat.* Quæ lex cum eſſet initium ceterarum, pueris omnibus, qui jus addiſcebant, velut ſolenne carmen erat in ore, ut Cicero teſtatur *lib. 2. de legibus.*

Atque) ſignificat veteribus *illico, ſtatim, e veſtigio*, cujus innumera ſunt apud Plautum exempla, quæ collegit Pareus *** in *lexico critico* in hac particula, & Virg. *lib. 3. Georg.*

- - - *Si brachia forte remiſit,*
Atque illum præceps prono rapit alveus amni.

quibus in locis *atque* ſignificat rem inopinatam. ****

Em) priſce pro *eum*, quemadmodum & alibi, ut ſit ſenſus: *Si ſequi nolit reus vocantem, facito teſtes, deinde ipſum reum ducito.*

* Ita hanc legem ex Cicerone *de officiis l. 12.* & Plauto in *Curculione Act. I. Sc. I. v. 5.* tum quoque L. Cincio apud Gellium *l. XVI, c. 4.* exhibet Marcilius *col. 233.* Gothofredo omittente vocem condictus.

** Hæc verba non comparent in quibusdam libris manuſcriptis, & in optimis editionibus Ciceronis *de legibus l. II. c. 4.* omittuntur etiam a Gellio *l. XX. c. 1.* etſi Cicerone & Gellio præcipue teſtibus utuntur collectores legum XII. tabularum, ut obſervat Antonius Schultingius in *enarrat. Pand. ad tit. de in jus voc. §. 1.*

*** Pareo adde Everardum Ottonem *Præf. T. III. Theſ jur. p. 26.*

**** Vocem *anteſtamino* exponere neglexit Gravina. Erat autem anteſtari teſtes circum advocare, quorum aures tangebantur, ad quem morem alludit Trebatius in *L. 21. pr. D. de Furtis*, quod fieri ſolebat, antequam manus reo injicerentur. De anteſtatione ubertim Cel. Otto *in jurisprudentia ſymbolica. l. II. c. 3.*

Igitur) pro *deinde* veteribus eſt uſitatiſſimum. Piget exempla referre in re tam nota.

Si calvitur) hoc eſt, *ſi moretur, ſubſiſtat, obnitatur, effugium quærat*, in eum *manus injicito, ac per vim rapito: calvitur* enim ſignificat *decipere, fruſtrare*, ut docet JCtus in leg. *ſi calvitur 203. in princip. ff. de V. S.* Gloſſæ Philoxeni. *Calvitur, ἐξαπατᾷ* Pacuvius: *poſtquam calamitas plures annos arva calvitur.* apud Nonium in *arva*. Plaut. *Caſin. ſc. 2. verſ. 4. ſopor manus calvitur:* id eſt ſopore manus torpent. Nonius in verbo *calvitur*.

Pedemve ſtruit) omnes ducti auctoritate Feſti, & Servii Sulpicii *pedem ſtruit.* explicant, *fugit:* quod mihi videtur ſatis durum, & remotum a nativa hujus verbi ſignificatione, quo verbo firmitas notatur. Factum eſt enim, ut recte Voſſius putat, ex στερόω per contractionem *ſtruo*, quamobrem ſuſpicor, in Feſti loco ineſſe mendum, ac pro *fugit* legendum *figit*, * ſive *reſiſtat, repugnet:* idque magis cohæret cum tota ſententia legis, & antecedenti verbo *calvitur*.

Endo jacito) *injicito* priſce *endo* pro *in* ſatis notum omnibus.

Si morbus ævitasve) ſenſus eſt: *ſi affecta valetudo, ſeniumve impediat volentem ſequi in jus, juncto plauſtro quidem ducatur: ſi repugnet plauſtro quidem ducatur invitus; ſed minime ſuperne, in arcus formam ** pellibus tecto.* Quod plauſtri tegmen *arcera* vocabatur. Unde Nonius *arceram* interpretatur *plauſtrum tectum. a)*

Eſcit) pro *erit*, ut ſupra diximus.

LXVI. DE VINDICIBUS.

Diximus reum datis vadibus eximi poſſe actori, ea conditione, ut ad certam diem a vadibus, ſive ſponſoribus ſiſteretur. Hos autem vindices quoque fuiſſe appellatos in legibus XII. tabul. apparet ex lege inferius ſubjicienda: nec re alia differre vades a vindicibus *** arbitror; niſi quod vades dicerentur ii tantum vindices, qui reum præſtabant; vindicis vero nomen latius fundebatur: nam & aſſertorem ſignificabat libertatis alienæ, & quemvis alium, qui periculum alterius re, aut perſona ſubiiſſet, aut quid quovis modo liberaſſet; unde vindex honorum,

* Gloſſæ tamen *pedem ſtruit* voce φεύγει interpretantur, neque uſitatius reſiſtere dicatur, qui pedem figit, quam fugere dicitur, qui pedem ſtruit.

** A quo arcu arcera dici videatur. Sed eſt potius dicta ab arcendo, quia tempeſtatum injuriæ ea arcentur, unde Nonius vocem interpretatur plauſtrum tectum. Sternere autem, ut vulgo notum, eſt ſtratis adornare, veluti cum dicimus equum ſternere. Locum Nonii illuſtrat Gothofred. 150.

a) Varro *de ling. lat. lib. 4.*

*** Imo vades in judicium vocatum certo die adfuturum cavebant, vindices contra eundem a neceſſitate in jus eundi liberabant, veluti quando filiæ in ſervitutem petitæ cauſſam in ſe ſuſcipiebat vindex Virginius. Feſtus in voce *vindex*. Vide tamen noſtrum infra *c. 69.* Vas autem proprie in rebus capitalibus datur, in mulcta præſertim. Gronovius ad *Livium III, 13.*

digni-

dignitatis, & honorum dicebatur. Fallitur vero Boëtius, *a*) qui hac in lege vindicem ait eſſe procuratorem, a quo aliena cauſa vindicanda ſuſcipitur: non enim procuratoris, ſed ſponſoris vice fungebatur, qui reum ad certum tempus judicio eximebat, ne obtorto collo raperetur: niſi malimus legere *prædiatorem* ex emendatione Cujacii, quam probat Hottomannus, *b*) negat ejus tamen vocabuli ſignificationem ad hanc pertinere legem; *prædiatores* autem dicuntur ii, qui bona, & fortunas eorum emunt, qui pro vectigalibus populi obligabantur. *c*) Feſtus longe melius, qui *vindicem* inde dictum docet, quod vindicet, quo minus, qui prehenſus eſt ab alio, teneatur. Porro vindices non omnes omnibus, ſed pro reorum conditione dandos Decemviri cenſuerunt: nempe ut locupleti reo locuples daretur vindex; inopi vero quilibet, ſive locuples, ſive inops. Difficile namque eſſet inopi ſponſorem invenire locupletem; ideo ne miſerrima conditione uteretur, quemlibet ſponſorem ab eo Decemviri ob inopiam acceperunt. Quibus de rebus has ex Cicerone in *topicis*, & Gellio *d*) veterum legum reliquias ab eruditis emendatas habemus.

Si en ſiet qui in jus vocatum vindicet, mittito.

Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario cuique volet vindex eſto.

Si en ſiet) ſenſus eſt: *ſi autem ſit, qui reum in jus vocatum vindicet, ſive ſe pro illo offerat, reus dimittatur.*

Si en ſiet) pro ſi *autem ſiet* priſca lingua: ita enim explicat Philoxenus in gloſſis, *ubi en ſiet* reddit ἐὰν δὲ. Hujus priſcæ locutionis ignoratione corruptus eſt ab imperitis locus Ciceronis *in topicis*, ubi hæc lex confunditur cum lege Ælia Sentia nimis abſurde, nam & ratio temporum hanc lectionem rejicit, & teſtimonium Gellii, qui hanc legem adſcribit XII. tab. ex initio autem legis, cujus meminerat Cicero, *ſi en ſiet*, imperitia librariorum factum eſt *Ælia Sentia* * & quomodo is error irrepſerit, ſubtilius, & latius invenies explicatum a Jacobo Gothofredo in hac. XII. tabul. lege.

Aſſiduo) hoc eſt *locupleti*, ut ſit ſenſus: *locupleti reo, locuples ſponſor, aut vindex eſto.* Veteres enim pro locuplete *aſſiduum* dicebant ab *aſſibus*: cum qui multos haberet aſſes, is eſſet locuples. Unde Cicero *in topicis: locuples enim eſt aſſiduus ab aſſe dando: e*) ** atque ita explicant aliqui Plauti verſum *13. act. 1. ſcæn. 1. Amphytr.*

Proletario) hoc eſt *homini inopi quisquis volet ſit vindex.* Veteres enim

a) *in topic. Cic. 1.*

b) *ad leg. XII. tab.* aſſiduo vindex. Cujac. *l. 5. obſ. 29.*

c) Turneb. *adverſ. 20. c. 30. ex veter. gloſſ.*

d) *lib. 16. cap. 10.* Quintil. *lib. 5. c. 10.*

* Quæ verba apud Ciceronem in libris antiquis penitus deſunt, adeoque neminis ingenium amplius fatigare debent.

e) Gell. *lib. 16. c. 10.*

** De origine vocis aſſiduus ipſi veteres dubitabant, ut apparet ex Gellio *l. XX. 1.* eamque vel ab aſſibus duendis, ſeu dandis, quæ alluſio Stoicas imitatur, vel ab aſſidendo derivabant.

proletarium appellabant eum, qui propter inopiam non re, ac cenſu, ſed tantum prole poſſet augere rempublicam. *a*)

LXVII. DE PACTIS.

Erat & alia declinandi judicii ratio per pactiones, quæ inter actorem, & reum inirentur, dum irent ad Prætorem. *b*) Etenim de quibus inter eos convenerat, illa magiſtratum rata oportebat habere. Cujus legis æquitas ex pluribus Demoſthenis locis a Petito *c*) collectis apparet. Quamvis autem pacta nuda, quæ in contractum non tranſierunt, nullius efficaciæ ſint; ſi tamen lege, aut S. Cto confirmentur, legitima dicuntur: ideoque interdum ex pacto naſcitur, aut tollitur actio. *d*) Porro lex ita reſtitui poterit ex aliquot eruditorum ſententia:

Endo via rem uti pacunt orato:

Endo via) in via *endo* pro *in*, ut ſæpe alias: eſt autem ſenſus, quemadmodum inter vias paciſcuntur, ita & cauſa inter eos agatur. *. Gothofredi enim conjecturam non probo; tum quia nunquam inveni, aut *ratato* pro *ratum habeat*, aut pro *ratato rato*, nec analogiæ ratio ſuffragatur; tum quia ſine mutatione ulla ſatis conſtat ſententia retentis verbis ſuperioribus: nam *orato* ſignificat, *cauſam quisque agito, perorato ſecundum pactiones*.

Pacunt) veteres pro *paciſcor* dicebant *pago*; unde uſus deinde induxit *paciſcor*. Terentianus Scaurus in *orthographia* notat, Decemviros ſcripſiſſe *pacunt* per k græcam literam: a *pago* autem veniſſe *pepigi*, ut a *cado cecidi*, tradit Quintilianus. *e*) Hæc autem verba directa ſunt litigantibus: quæ vero ſequuntur, Prætorem reſpiciunt, eaque ſubjicientur inferius.

LXVIII. DE CAUSA PERORANDA.

At ſi de cauſa non fuiſſet inter litigantes tranſactum, agenda erat apud ſtantem judicem ** in foro, aut in comitio, qui locus privatarum erat cauſarum, ubi tota die litigantes obverſabantur, & advocati: eratque ibi Puteal Libonis, *** de quo

a) Gellius *ibidem*.

b) *Auctor ad* Heren. *lib.* 2. Priſcian. *l.* 10.

c) *ad leg. Attic. lib.* 4. *tit.* 2. *pag.* 338.

d) *L.* 5. 6. 7. *ff. de pactis.*

* Verba legis, ut ab Auctore exhibentur, *Rem uti pacunt orato*, proxime accedunt primævæ ſcripturæ Ciceronis *ad Herennium lib.* 11. *cap*: 13. ubi legitur, *Rem ubi pagunt oratione pagunt*, & unde ſic repetuntur a Priſciano *l.* 10. editionis Putſchianæ *p.* 894. Voculam vero *ne*, ab ea, *oratio*, ſeparari debere, ex Terentio Scauro in *Orthographia* patet. Interpretationem autem Gravinæ, qua, niſi inſeratur vox *quisque*, intelligi lex nequeat, nemo tulerit. Non inconcinne Gerardus Noodt *de Pactis l.* 1. *c.* 1. ſuſpicabatur, voces, ratum eſto, ab ea oratione abſorptas fuiſſe, ut integra verba legis hæc fuerint: *Rem uti pacunt oratione, ratum eſto*. Gothofredi conjectura, quod ad ſententiam eodem redit, ſed minus expedita eſt ratione verborum.

e) *lib.* 1. *cap.* 6.

** Quidni etiam ſedentem pro tribunali.

*** Superſtructa a Libone quodam puteo illi, in quo auguris Nævii cos & novacula, Cic. *de divin. l.* 17.

memi-

meminit Cicero, & Horatius, quod Puteal erat ara, quo ſæpe advocati, & rei condicere ſolebant. a) Plautus in *Pœnul:*

Nam iſtorum (ſcilicet advocatorum) *nullus nefaſtus eſt, comitiales ſunt meri,*
Ibi habitant: ibi eos conſpicias, quam Prætorem ſæpius.

Cauſam autem iis orare usque ad meridiem licebat per leg. XII. tabul. b) qua ætate Romani craſſius diem diſtribuebant: quippe qui non ante bellum Punicum primum Catina in Sicilia capta, ex horologii uſu didicerint horas notare: anteaque diem diſtinguebant more ruſticorum. c) Poſt meridiem autem judices ſententiam ferebant, & rem ei, ad quem ex jure pertineret, * addicebant, ſi eſſent ambo præſentes; ſi alter abeſſet propter deſertum vadimonium, ſtipulatio committebatur, & deſertor eo nomine damnabatur, ut promiſſam pœnam ex ſponſione, atque ex ſtipulatu penderet. d) Neque enim adſentior docentibus, abſentem, ſi ad promiſſam diem ſeſe judicio non ſtitiſſet, cauſa caſurum ** ex leg. XII. tab. Quid enim opus fuiſſet cautionibus? aut cur abſens re, & pœna dupliciter damnandus adeo inhumane? Non me fugit plura ſupereſſe veterum auctorum loca, quæ oſtendant, abſentem cauſa cecidiſſe: e) non tamen liquet, an hanc ob rationem, nempe ob deſertum vadimonium. Quin arbitror potius, quia non defenderetur, ſæpe abſentem, ut ſolet, fuiſſe damnatum: cum deeſſet, qui jura ipſius judici exponeret: contra vero adverſarius urgens oratione, tabulis, & advocatis ſuum jus judici comprobaret: ut non mirum, ſi abſentes cauſa cecidiſſent. Quamobrem verba illa XII. tab. *Præſenti ſtlitem addicito*, interpretor cum Jacobo Gothofredo *judicium reddito;* non ut aliqui *rem addicito præſenti.* Extremam autem rerum agendarum horam Decemviri ſtatuerunt ſolem occaſum. f) Idemque rerum agendarum terminus erat veteri Athenienſium lege, cujus fragmentum apud Stobœum habemus: g) ſed jam leges producamus:

Ni ita pacûnt in comitio, aut in foro ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo præſentes.

Poſt meridiem præſenti ſtlitem addicito.

Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.

a) *Sigon. de judic. lib. 1. cap. 28.*

b) Gell. *lib. 17. cap. 2.* Plin. *lib. 7. cap. 60.* Auctor *ad Heren. lib. 2.*

* Imo potius vades ejus.

c) Cenſorin. *cap. 23. de die natal.*

** Hic tamen ſenſus proprius eſt verborum. *Stlitem addicito*, in quibus utique rem ſignificat, de qua litigabatur. Res præterea manifeſta ex his Svetonii *in vita Caji: Adeo ut & panis ſæpe Romæ deficeret, & litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſa caderent.* Vades autem dabat reus in jus vocatus, &c, quod imparatus eſſet, dilationem petere coactus. Mitigatur vero legis duritas, ſi meminerimus, & actorem cauſam amiſiſſe, qui formula excidiſſet. Controverſia quoque a lite non videtur diverſa, neque liti, ſed liti conteſtatæ opponitur in *L. 25 §. 7. D. de heredit. petit.* Rationes, quibus Auctor utitur, valerent etiam in non defenſo, in quo tamen naturali verborum ſenſui locum relinquit.

d) Rittersh. *ad hanc leg.*

e) Cic. *orat. pro Quint. & in Verr. 4.* Sueton *in vita Calig. cap. 39.*

f) Varro *lib. 5. de ling. lat. n. 2. item lib. 6. n. 3.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 4. pag. 336.*

g) *Sermon. 1.*

Conſcito) nota eſt ex veteribus hujus verbi ſignificatio pro *judico, cenſeo.* Livius libro primo, apud quem Senator rogatus ſententiam ita reſpondet. *Cum illo puro, pioque duello quærendas res cenſeo, itaque conſentio conſciſcoque,* & mox: *Senatus P. R. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret.* Huic proximam ſignificationem habet hoc verbum in hac lege, ubi ſignificat *cognoſcere.* Unde parcere poterat labori Rævardus, cum pro *conſcito* repoſuit *gnoſcito.* Nec felicior fuit eorum induſtria, qui pro *conſcito* legunt *conjicito.* * *Conjicere* autem *cauſam* eſt, cum per indicem apud judicem, aut arbitrum exponitur. Paullus; *a*) *Per regulam,* inquit, *igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ conjectio fit.*

Stlitem) veteres pro *litem;* ut *ſtlocum* pro *locum.* Unde *Decemviri ſtlitibus judicandis* in decreto Aſculanorum Romæ in domo Cæſia, & in elogio L. Cæſonii Luilli Veronæ. *Stlitem* autem *præſenti addicito,* ſignificat judicium reddito, ut ſupra expoſuimus, eo ſenſu, quo Trebatius *b*) dixit *religionum judicia addicere pro conſtituere.*

Sol occaſus) hoc eſt *ſole occidente,* nam ut varias hujus loci lectiones prætermittam, *ſole occaſo,* & *ſol occaſus* pro *ſole occidenti,* cum latine dicitur, tum eleganter. Singula enim participia ſunt omnium temporum, ut recte Sanctius obſervavit. Legunt aliqui *ſole occaſo dies ſuprema tempeſtas eſto;* ubi *dies* pro *diei.* Ego, ſi inſerenda fuerit vox hæc lege in iſta, mallem ſcribere *die:* nam veteres *die* pro *diei,* & *facie* pro *faciei, c*) ut Cæſar cenſebat eſſe ea nomina declinanda. *Suprema* vero *tempeſtas* dicitur pro *ultima hora,* quæ tempore XII. tabul. erat ſolis occaſus. Sed poſtea lege Prætoria ſupremum tempus fuit, quo Prætor in comitio ſupremam populo pronunciaſſet. *d*)

LXIX. DE VADIMONIO DESERTO.

Cum ſupra leges attulerimus, quibus jubebatur, ut reus eximeretur, qui vocatus in judicium dederat vades promittentes eum adfuturum ad certam diem; nunc eas proponemus, quibus excuſabatur reus, qui datis vadibus ad certam diem non ſeſe præſtitiſſet, juſtaſque deferendi vadimonii cauſas adferemus. Harum vero cauſarum expreſſum tantum in legum fragmentis invenimus morbum ſonticum, ſive rei, ſive actoris, ſive arbitri, ſive judicis. Sonticum autem appellabant morbum vehementiorem, utpote corpori valde noxium; cum *ſontes* ſint *nocentes,* ut

* Sic legitur in libris antiquis Gellii *XVII. c. 2.* & apud Auctorem *ad Herennium cap. 3.* ex quibus hoc fragmentum depromi ſolet; & bene Gravina hanc vocem auctoritatibus firmat. Conſcire vel conſciſcere, erat una & ſimul decernere, a veteri ſciſco, unde eſt & plebiscitum. Quod autem vulgo dicitur: Utramque partem audiendam eſſe, eruditiſſime illuſtrat Rader. Fornerius *l. V. Rer. quotid. c. 7.*

a) *L. 1. ff. de diverſ. reg. jur. antiq.*

b) *lib. 1. Relig. apud* Macrob. *lib. 1. Saturn. cap. 18.*

c) Gell. *lib. 9. cap. 14.*

d) Varro *lib. 5. de ling. lat.* Feſtus *in verbo ſupremam.*

refert

refert Feſtus ex Ælio Solone: *a*) unde *ſonticus morbus* dicitur, quidquid impedit corporis actiones, *b*) quamobrem Tibullus in re obſcœna:

Parce, precor, tenero non illi ſontica cauſa eſt.

Cum is, quem corripuiſſet morbus ex lege XII. tab. quam e legibus Numæ in Decemvirales translatam non obſcure innuit Feſtus, *c*) cauſam præberet, propter quam judicii dies protrahebatur, ſive ut eſt in priſca lingua diffindebatur. Hinc Jacobus Gothofredus alias exceptiones jungit ex conjectura, & ſubobſcuris veterum teſtimoniis, putatque in eadem lege fuiſſe incluſa vota publica pro ſalute Populi Romani, quæ poſtea in vota pro ſalute principis converterunt. *d*) Juſtis etiam cauſis inſeritur abſentia ob publicum negotium, quam omni tempore juſtam excuſationem fuiſſe non dubito. *e*) Quæ conjecturæ maxime adjuvantur verbis a Gellio relatis ex Cincii libro *de re militari*, *f*) quæ hujus veluti tabulæ præbent exemplum. Quod autem Gothofredus *vindicem* hoc diſtiguit a *vadibus*, quod vindex fuerit, qui vocatum in jus liberaverit; vades, qui reum ad certam diem judicio ſtiturum promiſerit, id utcunque veram habeat originem, tempore tamen evanuit, promiſcuusque fuit horum vocabulorum uſus: & qui vindex erat, reum ob id judicio liberabat ſæpe, quod vadis munere fungeretur, ac reum judicio ſtiturum promitteret. Non magis probo * adjectionem clauſulæ illius ad hanc legem, *ſi ſtatus condictus cum hoſte*, quæ clauſula hic eſt plane ocioſa: unde malo cum ceteris eruditis eam ſeparatim locare. Verba tamen legis hujus prout ſunt ab eo commiſſa proferemus: ut quisque ſive rejiciendo, ſive probando judicio utatur ſuo. Is igitur etſi antea mutila verba protulerit, ita tamen ſarcit ſciſſuram in notis:

Judice arbitrove addicto vades, ſubvades danunto: vadimonii deſerendi uti pacunt pœna eſto; extra quam ſi morbus ſonticus - - votum - - abſentia Reipublicæ ergo, aut ſtatus dies cum hoſte intercedat; ſi quid horum fuat unum judici, arbitriove, reove, eo die diffenſus eſto.

Judice) ſenſus totius legis eſt:

Judicio conſtituto, arbitrove addito vades, aut ſubvades judicio ſiſtendi utrinque dantor, iique ſiſtere teneantor: niſi morbus vehemens, vim graviter nocendi habens, votum aliquod abſentia Reipublicæ ergo intercedat, aut conſtitutus ſit dies

a) Feſtus *in verbo ſonticum morbum.*
b) *L. ult. ff. de ædilis. edict.*
c) *in verbo* reus.
d) ex Cajo *l. ſi calvitur. §. 1. ff. de V. S.*
e) Cajus *l. 6. ff. ſi quis caut. in judic. ſiſt.*
f) Gell. *lib. 16. cap. 4.*

* Quia in re facile aſſentimur Autori probamusque legem cap. 65. ſic ſeparatim propoſitam

Si ſtatus condictus dies intercedat, cum hoſte itq.

Movemur, quod dies cum peregrino conſtitutus captionibus anſam præberet, quibus dies in judicio dictus juſto ſæpius diffinderetur. Ingenioſa tamen eſt conjectura Jac. Gothofredi. quia publice intereſt, jus ante omnia peregrinis dici. In ipſis tabulis quoque lex de die cum hoſte conſtituto a Gravina ſeparatim proponi debebat, cum in tabula ſecunda, ad exemplum editionis Gothofredi. non niſi legi de juſti vadimonii deſerendi cauſa, inſerta appareat,

Digitized by Google

cum peregrino: nam ſi quid horum fuerit, & obvenerit judici, arbitrove, aut reo judicii, dies differtor. *

Subvades) ** cum utrinque ab actore ſcilicet, & reo dandi eſſent ſponſores judicio ſiſti; cenſet Gothofredus *vades* dictos eos eſſe, qui ſpoponderunt pro reo; ſubvades qui pro actore, quorum verborum ſignificationem ſuo tempore periiſſe refert, Gellius. *a*)

Danunto) pro *danto* priſcum, ut ſæpe Plautus *danunt* pro *dant.*

Reove) priſcis reus fuit tam petitor, quam is unde petitur, dicitur enim reus, cujus de re agitur. *b*)

Diſſenſus) id eſt prolatus, Gellius *c*) dixit: & Livius *diffindere diem* pro differre libro nono. *Atque legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit.*

LXX. DE OBVAGULANDO.

Sed cum eveniret aliquando, ut qui rem ſuam ab aliquo in judicio repetebat, careret teſtibus, quibus intentionem ſuam judici probaret; Decemviri ne quis nulla ſua culpa omnibus argumentis ad rem recuperandam deſtitueretur; facultatem dederunt actori, ut ante domum rei *** clamoribus, imo & conviciis rem ſuam flagitaret, palamque faceret omnibus eam improbitatem ternis diebus, ac ternis nundinis, ſive nono quoque die. Solebant enim Romani ex agris nono quoque die, negotiorum cauſa, in urbem convenire, ubi eo die nundinæ habebantur; inde natum, quod uſu adhuc retinemus, ut tribus edictis reus citetur. At ſi reus fraudem ſuam obſtinaret, remque tradere detrectaret; jus tamen erat actori, accitis ſecum ſui clamoris teſtibus, rei domum intrare, rem ſuam, ſicubi eam inveniret, ablaturus. Iſque effectus erat illius publici clamoris, quæ obvagulatio dicebatur: ad *portum*, hoc eſt ante domum. Non me fallit, Turnebum, *d*) Salmaſium, *e*) aliosque

* In ipſa lege pro *arbitriove*, ut legebatur in editione Lipſienſi 1718., bis poſuimus *arbitrove;* in expoſitione ejusdem pro *judicio conſtituto, judiceque adito,* legimus: *Judicio conſtituto, arbitrove adito*, pro *ſiſtenti ſiſtendi*, pro *Arbitriove arbitrove*, Danunto prodanto legit Gothofredus.

** Subvades, quandoquidem in re obſcura conjecturæ locus eſt, dicimus auctores ſecundos, qui pro vadibus minus idoneis ſpondere ſoliti fuerint. Pro diſſenſus diffiſus malebat Cujacius *Obſ XII. 18.* cujus lectionis fundus eſt *L. 2. §. 3. D. Si quis caut in jud.*

*** Obvagulatio hoc ſenſu affinis furto concepto, niſi quod pronior eodem eſt ad calumniam. Sic enim peſſimus quisque ad domum optimi cujusvis civis obvagulare poterat. Imo potius, obvagulatio fiebat ad domum teſtium, qui cum rei geſtæ adfuiſſent, teſtimonium præſtare detrectabant. Cujacius *Obſ. VII. c. 15.* Pipulus Plauti non ad obvagulationem pertinet, ſed furi eo minæ ingeruntur, ni rem reddiderit ex furto concepto. Obvagulo a vagulo, ſeu vagio, quod eſt conquerentis cum ploratu, unde pater familias in cunis vagiens infans ſui juris dicitur.

a) *lib. 16. cap. 10.*

b) Cic. *de orat.* Feſtus *in hac voce reus.*

c) *lib. 14. cap. 2.*

d) *lib. 3. adverſ. cap. 26.*

e) *obſerv. ad jus Attic. & Rom. cap. 30.*

plures

Digitized by Google

plures, hanc legem non referre ad actorem teſtimoniis deſtitutum, ſed ad teſtem teſtimonium defugientem: adeo ut pro *defuerit* legant *defugerit*. Verum ab horum ſententia me abducit Plauti locus: quo Ræyardus priorem explicationem optime comprobat, *a*) ubi poëta coquum inducit res in domum Euclionis illatas repetentem, eique, niſi redderet, clamorem ante ædes, & maledicta minitantem. Cui explicationi etiam Gothofredus, & Rittershuſius ſuffragantur, en Plauti locum:

Ita me bene amet Laverna, te
Jam niſi reddi mihi vaſa jubes,
Pipulo hic differam ante ædes.

ubi *pipulum* ſignificat *convicium* priſca lingua. Nunc legem producamus:

Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.

Cui) ſenſus eſt: *ei, qui teſtimoniis deſtituitur, liceat tertiis nundinis reum ante ædes conviciis obruere.*

Ob portum) hoc eſt *ante ædes*. Feſtus enim refert, apud omnes convenire, ut portus in legibus XII. tabul. domum ſignificet in verbo *portus*.

Obvagulatum) Feſtus: *vagulatio in legibus XII. tab. ſignificat quæſtionem cum convicio:* in verbo *vagulatio*.

LXXI. DE VINDICIIS.

Et hæc quidem inter actorem, & reum agebantur: quid autem his ſuper deberent judices conſulere, aliis legibus Decemviri conſtituerunt. Itaque poſſeſſionis, & proprietatis quæſtionem diſcrevere: cum poſſit quis jure poſſidere, quamvis non ſit dominus. Ideo dum proprietatis cauſa penderet, minime poſſeſſionem ademerunt ei, qui neque vi, neque dolo, neque clam eam haberet: ad cujus legis exemplum verbis longe uberioribus Prætor compoſuit edictum *uti poſſidetis*. Quod jus convenit cum Ariſtotele in *problematibus*, ubi ait, poſſidentem permanſurum quoad fuerit judicatum. *b*) Hanc autem poſſeſſionis controverſiam veteres *vindiciarum cauſam* appellabant, *a vindicando* ſive *aſſerendo*, quod rem interea ſibi poſſeſſor aſſereret. Cujus deinde vocabuli ſignificatio propter ſimilitudinem, & affinitatem rerum inter ſe conjunctarum excurrit latius: nam & ipſam poſſeſſionem, & poſſeſſionis controverſiam, & rem, de qua controverſia eſſet, ipſumque agrum, vel glebam imaginem agri, de qua inferius, vindiciarum vocabulo comprehenderunt: ut mirer, aliquos adeo certare inter ſe dum quærunt, cuinam potiſſimum rei hoc vocabulum conveniat: cum ex veterum teſtimoniis haſce ſignificationes omnes includat, ut optime Turnebus obſervavit. *c*) Ineuntes porro judicium apud Prætorem pugnæ ſpecimen quoddam præbebant veteres, qui nihil ſine aliquo ſolenni ſigno aggrediebantur: quod judiciarium bellum exprimebant, com-

a) *ad leg. XII. tab. ſub cap 11.*
b) Balduini *cap. 34.*
c) *lib. 13. adverſ. c. 23. vide* Feſtum *in verbo* vindiciæ. Gell. *l. 20.* Alex. ab Alex. *l. 6. c. 10.*

 miſſis

miſſis inter ſe gladiorum loco feſtucis, inſtar militum inter ſe manus conſerentium: quam *vim civilem, quotidianam, & feſtucariam* appellabant, & tum *vim fieri moribus* dicebant. *a*) Quæ ſimulata concertatio umbra fortaſſe fuit veræ dimicationis, qua, cum Hottomanno ſuſpicor, veteres Romanos utpote rudiores, ac prope immanes, more veterum Longobardorum * diremiſſe lites: ut cum alter alterum ad ſingulare certamen provocaſſet, is haberetur in jure potior, cui ſors victoriam obtuliſſet. *b*) Quem cum illi morem exuiſſent, atque induiſſent humaniorem, verum prælium verſum fuit in ſimulatum; ac pugnam tantum retinuerunt imaginariam feſtucis expreſſam. *c*) Etenim initio litigantes de poſſeſſione fundi Prætorem adibant, ut eum deducerent in fundum, de quo controverſia eſſet, quo judicaret, utrius poſſeſſio foret, idque dicebatur venire *in rem præſentem:* indeque cum Prætore redibant, ejusque judicium expectabant. Verum quia Prætor multitudine negotiorum impediebatur una cum litigantibus ire; JCti rationem excogitarunt, qua profectionis moleſtia ſublata, veterum judiciorum figura, & religio maneret. Itaque priſcam illam profectionem imaginibus verbisque ſimularunt, inſtituentes, ut in fundi gleba, veluti ſuper toto fundo, cujus gleba illa ſimulacrum erat, judicium exerceretur. Quamobrem ſatis erat Prætorem adire, ut apud eum judicium intenderent: Prætor autem in urbe manebat, cum litigantes ipſi ex jure, ſive ex loco, ubi jus reddebatur, proficiſcerentur in fundum, unde glebam tollebant, eamque in judicium adducebant, ut per eam, quam & vindiciam vocabant, totus fundus, & profectio Prætoris in rem præſentem adumbraretur: ac rei loco imago illa ſubjiceretur. *d*) Si de poſſeſſione igitur quæreretur, Prætor, quoad in judicio proprietatis alteri rem addicendam conſtaret, poſſeſſorem tuebatur. At ſecus erat in cauſa libertatis, in qua non poſſeſſionis titulus potior erat, ſed libertatis: quia magis reipublicæ conducit, liberis urbem impleri, quam ſervis. Ideo in liberalibus cauſis, ubi alter in libertatem, alter in ſervitutem aſſereret reum, vindicia, ſive poſſeſſio durante cauſa ſtatus dabatur ſecundum libertatem, ut maneret liber, donec plane ſervum eſſe conſtaret. Id cum lege ſua Decemviri conſtituiſſent, qui tamen inter eos auctoritate præſtabat Appius Claudius, calumnioſa interpretatione telam retexere conabatur: quippe qui ſenſerat, ſua ſibi lege præcluſum libidinoſi conſilii

a) Cic. *pro Cæcin.*

* Sic jam ipſi Romani cum Longobardis gente belluina & ferina immanitate certant. Duelli tamen judicium non ſolis Longobardis ſed etiam reliquis gentibus Germanicis in uſu fuit. Apud Saxones certe nepotes cum patruis ſuis ad ſucceſſionem avi jure repræſentationis vocati ſunt in judicio gladiatorum. Quod ſub Ottone M. A. Chriſti DCCCCXLII. contigit. Wittichindus *Ann. l. II. p. 644. Rex autem meliori conſilio uſus, noluit viros nobiles ac ſenes populi inhoneſte tractari, ſed magis rem inter gladiatores diſcerni juſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum eſt, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto ſempiterno.* Vindiciis per glebam ſimilis ſcotatio, de qua Gundlingius ſcripſit. Feſtucam vero & Germanicæ gentes originis, & nominatim Gelri adhibuerunt in Feſtucatione, de qua Jo. a Sande, & Lambertus Goris egerunt.

b) Hottom. 3. *obſerv. cap. 15.*

c) Cic. *pro Muren.*

d) Briſſon *de formul. lib. 5. cap. 6.* Rævard. *ad leg. XII. tab. c. 6.* Roſin. *de judic. lib. 9. cap. 13.*

exitum.

Digitized by Google

exitum. Notum eſt enim, eum forma Virginiæ virginis captum clientem ſuum M. Claudium, abſente Virginio patre, ſubjeciſſe, qui eam peteret in ſervitutem, ſive ſuam ſervam eſſe contenderet. Cum autem Decemvirali lege durante judicio libera permanere deberet, Appius ejus potiundæ ſpe puellam M. Claudio tradere in ſervitutem cogitabat: verum quia ſua ipſius lege prohibebatur, negabat beneficio legis gaudere, qui ab alio, quam a patre in libertatem aſſereretur. Itaque pronunciavit, abſente patre, vindicias dandas ſecundum ſervitutem, ſive tradendam virginem interea in ſervitutem ei, qui ſibi dominium aſſereret illius: cum non a patre, utpote abſente, ſed ab avunculo vindicaretur in libertatem. Quæ ferox libido, & atrox calumnia, quam ſeditionem excitaverit, quantaque de auctoritate, atque imperio dejecerit Decemviros, ſatis liquet ex hiſtoriis Romanorum. *a*) Antequam tamen is, qui ſtatus controverſiam patiebatur, ad quaſi poſſeſſionem libertatis rediret, ſponſores dare oportebat, qui eum judicio ſtituros promitterent. Atque hæc ſane libertatis gratia ſunt conſtituta. Ceterum reliquarum poſſeſſio rerum, ſi nec vi, nec dolo, neque clam capta fuiſſet, judicii tempore apud ipſum permanebat poſſeſſorem. Si vero aliquis falſo vindiciam tuliſſet, ſive falſo rei alienæ poſſeſſionem ſibi aſſeruiſſet, hoc eſt ſi prædo eſſet, & malæ fidei; tum tribus arbitris rei cognoſcendæ captis, duplum fructuum ex ea re perceptorum reddere damnabatur. Quod jus conſervatum in Codice Theodoſiano fuit, *b*) quamvis in Juſtiniani libros minime traductum. Is enim ſatis habuit, prædonem fructus omnes * reddere, bonæ fidei vero poſſeſſorem reſtituere fructus ** a die rei in judicium deductæ. *c*) Cujacius autem docet, duplicium fructuum præſtationem ante Juſtinianum obſoleviſſe. En autem leges:

Si qui in jure manu conſerunt, utriſque ſuperſtitibus præſentibus ſecundum eum qui poſſidet. Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.

Si vindiciam falſam tulit, Prætor rei, ſive ſtlitis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Manu conſerunt) hoc eſt, *ſi apud judicem diſceptetur.*

Utriſque ſuperſtitibus) *ſuperſtites* dicebantur veteribus *teſtes*, quod rei ſupereſſent. *d*)

Si quem liberali) hoc eſt, *ſi quis quem adſerat in libertatem.*

a) Livius *lib. 3. cap. 44.* Dionyſ. *lib. 11.* Pompon. *L. 2. §. 24. ff. de orig. jur.*

b) *L. 1. C. Theodoſ. de fruct. & lit. expenſ. L. 1. §. ex die ff. unde vi.*

* Non tantum exſtantes, ſed etiam conſumptos, non tantum perceptos, ſed & percipiendos, modo petitor vel poſſeſſor eos honeſte percipere potuiſſet.

** Non omnes, ſed ſolos exſtantes, ex quo ſcivit, rem eſſe alienam, plerumque a tempore litis conteſtatæ.

c) *L. 1. §. ex die ff. de vi & vi armata. L. 2, §. ult. ff. de interdict. L. videamus 38. §. Fabian. ff. de uſuris. Inſtit. de offic. jud §. 2.*

d) Feſtus *in verb.* ſuperſtites.

Digitized by Google

Secundum) dare vindicias ſecundum libertatem, eſt in libertatis poſſeſſione ponere.

Si vindiciam) hoc eſt, *ſi injuſtam poſſeſſionem ſibi abſtulit, ſive ſi rei alienæ poſſeſſionem occupavit.* Totius autem legis hic eſt ſenſus: *Malæ fidei poſſeſſionem ſi quis nactus ſit, Prætor ei rei definiendæ tres arbitros dato: eorumque arbitrio malæ fidei poſſeſſor fructus in duplum præſtato.*

Rei ſive ſtlitis) jam diximus, veteres *ſtlitem* dixiſſe pro *litem: ſtlocum* pro *locum;* differt autem *res* a *lite,* * quod *res* eſt id ipſum de quo diſceptatur; *Lis* eſt ipſa rei diſceptatio: unde *res* eſt extra judicium, *lis* ſemper in judicio. Quam JCtorum diſtinctionem ſalſe deridet Cicero in *orat. pro Muren.* nempe ut callidus dicendi artifex Juriſconſultorum auctoritatem, qua maxime in ea cauſa premebatur, extenuaret. Frequens eſt autem apud veteres Juriſconſultos horum verborum conjunctio. Varro 4. *de ling. lat. quam rem, ſive litem dicere oportet.*

Arbitros) hic numerus erat ſolennis dandorum arbitrorum.

Fructi duplione) hoc eſt *fructus duplione: fructi* enim genitivus eſt veterum, qui nomina quarti ordinis ad normam etiam ſecundi ordinis flectebant; unde *fructus fructus* dicebant, & *fructus fructi.*

LXXII. DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

Controverſiæ judiciorum, atque litium diſcordiæ ſententiis judicum præciduntur; quæ ſententiæ in rebus ſingularibus funguntur vice legum in generalibus. Rurſus ſicuti publicæ res, atque ſtatus civitatis legum auctoritate componitur; ita privatorum negocia, & jurgia ſententiarum auctoritate ſedantur: ut e privatis rebus in tranquillum adductis, etiam quies publica exoriatur. Unde ſumma vis tribuitur rebus judicatis: ne ſi judicum ſententiæ reſcindantur, turbato ſtatu ſingulorum, publica etiam tranquillitas obumbretur. Itaque Decemviri auctoritatem rerum judicatarum ſuis legibus maxime munientes, eodemque loco habentes eum, qui debitum confeſſus eſſet in judicio, cum eo, qui ejus debiti nomine convictus a teſtibus eſſet, & a judice damnatus: triginta dierum ſpacium judicato faciendo, aut confeſſæ pecuniæ contrahendæ ſolutionis cauſa præſtiterunt. Quos dies *juſtos* appellarunt, nomen, & præfinitionem temporis ducentes a militia: unde non paucæ ſimilitudines ad rem forenſem commigrarunt: cum non aliud ſint judicia, quam prælia verborum, quæ loco verorum præliorum, quibus jure naturæ homines contendebant, ſucceſſerunt. Ut igitur *dies juſti* vocabantur in bello triginta illi dies, quibus non licebat hoſtem laceſſere, vel res repetere, dum vexillum ruſſi coloris in arce defixum erat, & exercitus imperatus: hiſque oppoſiti erant *præliares dies; a)* ita & in re judiciaria dies illi triginta poſt ſententiam, quibus judicium quieſcebat, juſti appellantur. Hoc autem tempus initio menſtruum, ſequenti tem-

* Imo interdum lis pro re dicitur, veluti quando dicimus, præſtare litis æſtimationem *§. 2. J. de off. jud.*

a) Gell *lib* 20. *cap.* 1. Feſtus *in verbo juſti.* Macrob. 1. *Saturnal.*

pore

Digitized by Google

pore protractum fuit ad bimeſtre, *a*) atque demum a Juſtiniano ad quatuor menſes: præterquam in poſſeſſoribus rerum alienarum, quarum auferendarum etiam manu militari jus habent domini ſtatim poſt ſententiam. *b*) Lapſis autem triginta diebus, niſi judicatum faceret reus, aut vindicem inveniret, qui fidem ejus præſtaret, adprobanteque creditore debitum in ſe ſuſciperet; jus erat creditori, manus in debitorem injicere, ut eum ad Prætorem raperet, ac pro ſervo ſibi addicendum curaret: isque creditori debiti gratia ſic addictus, appellabatur nexus, & obæratus, propter ſervitutem, * quam ex ære alieno ſubibat. Quem etiam Romani morem ſumſerunt ab Athenienſibus, etſi jam poſt Solonis legem extinctum. Licebat enim Athenis ante Solonem creditoribus injicere manus in debitores, quibus abductis, eorumque corporibus oppigneratis pro ſervis uterentur, iique homines creditoribus obnoxii *ἀγώγιμοι* vocabantur. *c*) Ne vero ſic addicti aufugerent, dominis licuit eos nervo, & compedibus vincire propria in domo creditoris, tanquam in carcere privato, catena injecta non majore quindecim pondo. *d*) Porro ita vinctum, aut ex ejus ſubſtantiis, ſi quidem vellet, & poſſet, vivere oportebat; aut ex ipſius creditoris bonis capere cibum, & veſtitum, qui victus nomine veniunt. *e*) Victum vero Decemviri definierunt *libras farris in dies*, ſive, ut interpretantur eruditi, libram farris in ſingulos dies. Hæc autem verba XII. tabul. ex Gellio deſumta, fuerunt ſuſpecta eruditorum compluribus, tum propter obſcuritatem; tum quia nimis large pro veteri parcitate, ac duritie cibus videtur definiri libra farris: cum ſelibra victus fuerit hominum frugi quotidianus, quibus obærati, & ſervi non debuiſſent tractari benignius. Bibaculus *f*) de Valerio Catone:

Quem tres cauliculi, ſelibra farris
Racemi duo, tegula ſub una
Ad ſummam prope nutriunt ſenectam.

Et Titinius:

- - - - *libram ajebat ſatis*
Eſſe ambobus farris intriti, plus comeſt ſola
Uxor. - - - -

Me tamen eædem auctoritates in veteri lectione retinent. Siquidem his victus tenuitas per ſelibram farris ſignificatur. Quis autem credat, tenuem fuiſſe victum obæratorum, quibus ad ſerviles operas, durumque laborem corpore opus erat firmo, & viribus integris? ut non mirum, ſi eis integra libra præberetur. His autem ſic addictis datum eſt LX. dierum ſpatium ad paciſcendum cum creditore, impetrandumque ab eo majores inducias, aut oneris levamen aliquod. Ac ſi creditor eſſet inexorabilis, poſt triginta dies ducere debitorem poterat ad Prætorem; ac

a) *L. 2. in princ. C. de uſur. rer. judic. L. penult. & ult. §. ult. C. eod. L. 2. C.* Theodoſ. *eod.*

b) Cujac. *in C. de exceptione rei judic.*

* Ita tamen, ut deinceps dimiſſus priſtinæ reſtitueretur ingenuitati. Fabius *VII. 3.*

c) Plutarch. *in Solon. & libel. de vit. uſurar.*

d) Plaut. Bacchid. *ſcæn. ult. &* Menech. *ſc. 1.* Ter. *Phorm. act. 2. ſc. 2.* Cic. *2. de orat.*

e) *L. ſi victum 34. ff. de re judic. L. quos nos hoſtes 233. ff. de V. S.*

f) *apud* Nonium.

deinde per trinundinum, ſive ternis diebus nundinalibus, quibus majori populus frequentia negociorum cauſa ex agris in urbem concedebat, eum producebat in publicum, aut palam in foro proclamandum curabat, quanti eſſet damnatus, ut emtorem inveniret. Ita vero initium harum nundinarum ſumere oportet, ut extremus nundinarum dies incidat in ſexageſimum, ut in hac lege ſententiarum repugnantiam vitemus, quam primus & notavit, & hac interpretatione ſuſtulit Hottomannus. Si vero nemo civium emeret, tum licebat, debitorem vendere peregrino, eumque ob id trans Tyberim ducere. At ſi pluribus creditoribus teneretur, tum crudele in ſpeciem exemplum in eum erat conſtitutum. In ſpeciem, inquam: nam revera nihil mitius ea pœna, quæ terrore ſuo delinquendi conſilium aufert; ut hujus legis exitus demonſtravit: nunquam enim ea vigente quiſquam in hanc pœnam incurrit, quia metu pœnæ nemo plus æris alieni contrahebat, quam ſuæ ſubſtantiæ tolerarent. Igitur lege XII. tabul. permittebatur creditoribus, debitoris corpore conciſo, membrum * ſibi viritim tollere, quam immanitatem vehementer deteſtatur in legibus Decemviralibus Favorinus apud Gellium. *a*) Cui contra Cæcilius JCtus regerit, lenitudinis cauſa id fuiſſe ſancitum, ob rationem a nobis allatam, ut ſupplicii nempe metu periculum criminis averteretur, & caverent homines ſuſcipere ſupra facultates. Quæ tamen lex abrogata deinde fuit; ac pro ſectione corporis ſubjecta ſectio bonorum, miſſis in poſſeſſionem bonorum rei creditoribus

* Imo in hac quoque parte legis ſecare debitores nihil aliud eſſe, quam eos in auctione publica vendere, contendit Illuſtr. Præſes, Cornel. van Bynkershœk *Obſ. I. 1.* Cauſſatur, crudelem eſſe legem, quæ in partes ſecari jubeat debitorem, ne requiſita quidem creditorum petitione. Ineptam eandem vocat, quia nece debitoris etiam lucrum pereat, quod ex operis ejus capere creditores potuerant. Porro ſi ſecare apud Decemviros ſit occidere, cur pluribus duntaxat creditoribus id permiſſum fuerit, quærit, non æque uni. Exceperit pro ſua ſententia Gravina. Crudelem quoque videri legem Romuli, quæ liberos occidere patri permittat, & Remmiam, quæ fronti calumniatorum duplex Kappa inuri jubebat, quas tamen latas nemo neget. Neque minus inſolitam eſſe ſententiam novam, qua creditoribus integrum, ſit inconſulto judice debitorem trans Tiberim venum ducere, & pretium pro rata æris crediti partiri. Damnum privatum ex interceptis operis penſari utilitate publica, qua cohibiti ſint cives ſupplicii metu, ne fidem temere decoquerent. Multorum, quæ a majoribus conſtituta ſint, rationem reddi non poſſe, quamvis & gravius videri potuerit, fidem pluribus fallere, quam uni. De capitali porro ſupplicio Decemviros acceptos fuiſſe Favorino, Cæcilio, Fabio & Gellio, cujus verba, *tertiis autem nundinis capite pœnas dabant*, ne figurate quidem poſita videri queant pro uſurarum præſtatione, cum fruſtra a debitore, qui ſortem præſtare nequeat, uſuræ exigantur, neque adeo pro iis hic poni poſſit pœna, & aliud ſit *capitis* pœnas præſtare aliud *capite*. Non ſatis ſic eliſum videbitur argumentum, quod ab inepta legis ratione petitur, qua ſtulta feritate occidatur debitor, ex cujus venditione lucrum cogi poſſit. Sed ſi meminerimus, legis XII. tabularum auctoritatem jam Gellii ævo adeo contemni cœpiſſe, ut Faunorum & Aboriginum carminibus compararetur, demetur aliquid ei opinioni ſapientiæ & æquitatis, qua Tacitus, Livius, Cicero eam tantopere extollunt.

a) Gell. *cap. 1. lib.* 20. Tertull. *Apologet. cap.* 4.

ex

ex edicto Prætoris, *a*) ut iis venditis, pecuniam quiſque ſuam ſervaret: remanſitque ſectionis nomen a corpore translatum ad bona, propter venerationem vetuſtæ legis, ut ſententia illius in vocabulo conſervari videretur. At ſi creditor careret ſufficientibus bonis, invaluit beneficium ceſſionis. *b*) Sed jam legem proferamus.

Æris confeſſi, rebusque jure judicatis XXX. dies juſti ſunto, poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito. Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, ſecum educito, vincito, aut nervo, aut compedibus XV. pondo ne majore: aut ſi volet minore vincito.

Si volet ſuo vivito: ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato: ſi volet, plus dato.

Ni cum eo pacit LX. dies endo vinculis retineto. Interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, ærisque æſtimiam judicati prædicato.

At ſi plures erunt rei tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus, minusve ſecuerint, ſe fraude eſto: ſi volent uls Tyberim peregre venumdanto.

Confeſſi) confeſſus hic παθητικῶς accipitur, pro quo barbari confeſſatus; unde ajunt *dos confeſſata*. Eſt hic autem ellipſis, ac ſubauditur *nomine*, ut ſit *æris confeſſi nomine*.

Juſti) hoc eſt *legitimi*.

Poſt deinde) geminatio elegans, & uſitata veteribus. Vide Paræum in *lexico critico*.

Quips endo) ita legit Cujacius ex veteri Codice *c*) priſce, *pro quis endo eo in jure vindicit*. Ita Cujacius recte ex veteri Codice repoſuit, uſitatum eſt enim veteribus *vindicare in aliqua re*, ut *in agro vindicare*.

Endo) autem pro in', ſatis notum.

Vindicit) vero dixerunt veteres, ut etiam nunc dicimus lavit: olim & ſonit dicebant. Accius Phœnis.

Unda ſubundis ſubunda ſonit.

vindicere autem pro vindicare. Lucret. *lib. 3.*

Ipſe ſui miſeret, neque enim ſe vindicet bilum.

Nervo) *nervus* eſt proprie vinculum, quo vincitur collum; *compedes* in quos pedes conjiciuntur.

a) Livius *decad. 1. l. 8.* Quintanaduegn. *de juriſdict. lib. 1. tit. 5. part. 2. n. 35.* Cujac. *lib. 3. obſ. cap. 39. & parat. C. qui bon. ced. poſ.*

b) *C. qui bon. ced. poſ.*

c) *obſerv. 3. cap. 39.*

Ne

Ne majore) ita prudentiſſime repoſuit Cujacius pro *ne minore*. Cur enim immitiores Decemviri, quam ipſimet creditores, qui reum amiſerant?

Farris) *far* hic ſignificat farinam, ex qua pulteın farream conficiebant. *a*) Cibus enim veteribus Romanis conſuetus erat farina *, cum aqua, & ſale cocta, & interdum etiam lacte. Unde Plautus Romanos vocat *pultiphagos*. Hinc Juvenalis:

Grandes fumabant pultibus ollæ.

Æſtimiam) *æſtimia* dicebant veteres pro *æſtimatio*.

Se fraude) hoc eſt *ſine fraude*, *ſe* pro *ſine* veteres.

Uls) pro *ultra* veteres. Varro de *ling. lat. Quod ea ſacra, & eis, & uls Tyberim non mediocri ritu ſiant*. Vide Popmam *de uſu antiquæ locutionis*.

Rei) hoc eſt *actores*, *creditores*: diximus enim, per *reum* ſignificari tum petitorem, tum eum unde petitur. Brevis autem harum legum hæc eſt explicatio:

Si debitum confeſſus quis fuerit, vel condemnatus jure, hoc eſt in judicio fuerit, (ut explicat Cujacius ad *l. 29. ff. de donat.*) *induciæ ei menſtruæ triginta dierum ad debitum exſolvendum dantor. Sin intra dies illos triginta debitor non ſatisfaciat, tum creditori capere eum, ſive prehendere, atque in jus ducere jus eſto. Debitor ita nexus, ſi poterit, ſuo vivat, ſi non habeat, tum creditor, qui eum vinctum habebit, ſingulas farris libras in ſingulos dies ei dato: ſi volet plus, ei pro arbitrio dare liceto.*

Si & tum judicatum non ſolvat, neque interea quiſquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatum carcerem in vincula adducere creditori jus eſto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire; ſic tamen ut vincula non ſint graviora, quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus eſto.

Paciſcendi interea addicto cum creditore jus eſto: ſi non pactus fuerit, LX. diebus creditori addictum in vincula habere jus eſto: intra eos dies trinis nundinis ad Prætorem in campum producitor, quantæque pecuniæ judicatus fuerit, prædicator. At ſi plures erunt creditores, tertiis nundinis vigeſimo ſeptimo die rei corpus in partes ſecanto, ſi plus, minusve ſecuerint ſine fraude eſto: ſi malint, trans Tyberim venundanto.

LXXIII. DE JURE PUBLICO, ET DE LEGISLATIONE.

Naturæ ordinem tenentes ſimplicia percurrimus, ut ad compoſita deferremur. Itaque legibus abſolutis, quæ ſingulas, privataſque perſonas, ac certas res, & negocia privatorum complectuntur, enitamur jam ad culmen, ac rerum tandem ſummam, e ſingulis, privatiſque pluribus coactam, atque compoſitam capeſſamus; exponentes publici regiminis leges, quibus evolutis, contendemus altius, ac veluti a terra in cœlum advolantes rerum ſacrarum, atque divinarum leges, quas publici

a) Varro *lib. ult. cap. 5.*

* Fuit itaque far ex Auctoris ſententia puls ex farre conſpiſſata. Alii panem farre deſignari putant, cum, quia libræ pondo pani magis quam pulti convenit, tum quia Ulpianus *tit. 9.* ipſe far interpretari videtur panem farreum.

quoque

Digitized by Google

quoque juris portionem fecimus, interpretabimur, lumina eruditionis more noſtro adferentes neceſſaria, & quæ unice ad declarandum jus vetus, non ad memoriæ laudem augendam adducatur. Jam enim tanto numero collectiones rerum vetuſtarum prodierunt, ut doctus ab indocto non tam copia, quam delectu rerum diſcernatur: & gravitas judiciumque ſcribentis non minus ex his, quæ rejecerit, quam ex his, quæ retinuerit, æſtimetur. Exordium autem hujus expoſitionis merito ducimus a legumlatione, ſive a facultate publica ferendarum, & jubendarum legum, inde vim, & poteſtatem accipientium. Notum eſt autem, ab inſtituta republica legum ferendarum jus penes magiſtratus majores, poſteaque penes tribunum etiam fuiſſe plebis: Populum vero juſſiſſe, ac ſciviſſe legem eo ſuffragiorum ordine, atque eo ritu, quem ſuperiore libro demonſtravimus. At quoniam populi ſæpe voluntas a veteri lege ad novam, vel concionibus magiſtratuum, vel propoſitis majoribus militaribus, vel mutatione temporum traducebatur; ideo ne duæ, pluresve inter ſe ſimul pugnantes leges civitatem diſtraherent, concordiamque civium turbarent, neve jure incerto reſpublica jactaretur; Decemviri conſtituerunt, ut populi voluntas poſterior, ſive legum eadem de re ultima, leges aboleret antiquiores; ac ſublato jure veteri maneret id, quod populus poſtremo juſſiſſet, ſive abrogando, id eſt legem prorſus contrariam ferendo; ſive derogando, id eſt partem prioris legis detrahendo; ſive ſubrogando, id eſt aliquid ad priorem legem adjiciendo; ſive obrogando, id eſt immutando ex priori lege aliquid. Cujus legis vis in univerſum jus civile penetravit. Nam & in pactis, & in transactionibus, & in teſtamentis, in ſententiis, in conſtitutionibus principum, in reſcriptis, in conſuetudine, in mora, in fama: denique in poſſeſſionibus, in interpretationibus id ſemper ſervatur, ut a poſterioribus priora ſubmoveantur. Legis autem hæc verba feruntur:

Quod poſtremum populus juſſit, id jus ratum eſto.

LXXIV. DE PRIVILEGIIS NON IRROGANDIS.

At præter jus legibus comprehenſum, & in cives univerſos explicatum, aliquando certum jus, & peculiare in privati alicujus perſonam conſtituitur, quod legis nomen minime meretur, quia lex complectitur omnes, & privilegium eſt tantum unius, veluti privata lex: unde Ulpianus ait, *jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur. a)* Etenim in privatas perſonas non leges, ſed judicia feruntur, per quæ leges ad negocia privatorum accommodantur. Ideo vetitum fuit, in privatum ferre legem; hoc eſt privilegia irrogare: quod ex Athenienſium diſciplina, & Solonis legibus defluxit in leges Romanorum. Nam ut ex Andocide, *b)* Demoſthene, & Ænea Gazeo in Theophraſtum habemus, non licebat Athenis condere legem in privatum, niſi occultis ſex mille civium ſuffragiis juberetur: occultis nempe, ut gratia, & odium ſimul abeſſet. Et ne quis miretur ſuffragiorum exiguum ex tanta urbe numerum, admonitum velim, Athenis, etſi ſupra quadringentum millia hominum habitarent, numerum tamen civium ad viginti

a) L. 8. ff. de legibus. *b) in myſt.* Demoſth. κατ' Ἀριστοκράτ. Cujac *obſ. 15. cap. 8.*

millia fuiſſe a Cecropis uſque tempore: qui numerum cogniturus civium, juſſit, ut in medium quiſque conjiceret lapidem: quibus numeratis eam collegit ſummam, quæ Demetrii Phaleræi tempore haud mutavit. *a*) Eadem ratione Decemviri vetuerunt privilegia in quemquam irrogari, niſi comitiis centuriatis, ubi deſcribebantur cives non confuſe in tribus, ſed per ordines, & ætates in ſingulas centurias; propthereaque major inde diligentia, majuſque conſilium oriebatur. Hic nos propter ſummam Jacobi Cujacii auctoritatem aliquanto ſubſiſtemus. *b*) Is enim ne quidem comitiis centuriatis privilegia irrogari potuiſſe contendit; ideoque adjectionem illam *niſi maximo comitiatu*, pertinere tantum putat ad legem de capite civis Romani, quam mox ſubjungemus, quamque a Cicerone cum iſta conjunctam invenimus. Sed Cujacium videtur idem confutare Tullius, *c*) qui ſtatim poſt duarum legum mentionem, repetens eam de privilegiis, hanc adjecit clauſulam, quæ niſi contemto, perturbatoque ordine verborum, & ſententiarum, nequit ad ſolam legem de capite contrahi. Ut patet vel ex lectione vulgata, quæ ut alibi corrupta ſit, hic tamen locus ſuſpicionem habet nullam. Nam ut hanc legis clauſulam inferamus, monet auctoritas legum Atticarum, & ratio publica, quæ aliquando poſtulat, ut privilegia irrogentur, dummodo majoris partis de neceſſitate publica judicantis conſenſus accedat. Sed ſufficiet verba hæc Ciceronis expendere: *Præclariſſimæ de XII. tabul. tranſlatæ duæ, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, niſi maximo comitiatû, vetat.*

Poſtea ſubjicit:

Cum legis hæc vis ſit, ſcitum eſt juſſum in omnes; ferri de ſingulis niſi centuriatis comitiis noluerunt.

Cum hæc igitur Cicero opponat *juſſum in omnes*, qualis eſt lex, & *ferri de ſingulis*, quod eſt privilegium; patet, id, quod ſequitur, *niſi centuriatis comitiis* pertinere ad privilegia; nec ferri de ſingulis accipiendum eſſe ſolum de capite civis Romani, ſed de omnibus privilegiis aliis, ſive ſcitis unius privati cauſa, tum in pœnam, tum in præmium illius; adeo ut exceptio *niſi maximo comitiatu* ad utrumque referatur. Quamvis autem privilegia irroganda non ſint, propterea tamen minime ſublata facultas eſt ferendi juris ſingularis, quod aliud prorſus eſt a privilegiis, utcunque hæc poſterior ætas confuderit, ac privilegium etiam appellarit ea, quæ ſunt juris ſingularis, nempe dotium, creditorum, militiæ, eccleſiarum; quæ non in privatam perſonam, ſed in certum hominum, aut negotiorum genus concipiuntur. *d*) Dicuntur vero Decemviris privilegia, quæ in ſingulas perſonas feruntur, quia veteres pro *ſingulis* dicebant *privi*, unde *privatus*, & *privilegium*, quaſi *lex de privatis*, *lex de ſingulis*. Porro etſi verbum *irrogare* plerumque contineat pœnam; ex hoc tamen XII. tabul. loco apparet, etiam pertinere ad utilitatem; nam hic utramque complectitur, * retinetque ſignificationem originis.

a) Petit. *ad leg. Attic. lib. 2. tit. 1. p. 114.*
b) *obſerv. 15. c. 8.*
c) *lib. 3. de leg. in fine.*
d) Cujac. *obſ. 15. cap. 3.*

* Contrarium verius viſum Marcilio, qui privilegia tantum in pœnam irroganda prohiberi putabat, pro ſingulis autem rogare licuiſſe cenſebat. Quam ſententiam

Etenim

Etenim *irrogare* compoſitum eſt ex *in* & *rogare*, hoc eſt *rogare in aliquem*; ſive ob damnum, ſive ob utilitatem. Ob damnum privilegium irrogatum fuit ab Epheſiis adverſus Heraclitum: *a*) quem etſi non directo, tamen oblique notarunt, cum ante occaſum ſolis excedere juſſerunt hominem, qui oderet omnes, & nunquam rideret. Quæ in unum Heraclitum conveniebant. Noxium quoque privilegium irrogavit Clodius contra Ciceronem ferens, *ut qui civem Romanum indemnatum necaſſet, ei aqua, & igni interdiceretur*. Quibus verbis non obſcure Ciceronis caput appetebatur. Item & illud in Eumenem: *ne cui regi Romam venire liceret*. Utilia vero privilegiorum exempla ſunt illa, nempe rogatio de reditu M. Tullii, lex Manilia de imperio Cn. Pompeji Magni, & ſimilia. En vero legem Decemviralem:

Privilegia ne irroganto niſi maximo comitiatu.

LXXV. DE CAPITE CIVIS ROMANI.

Conſequitur hanc legem illa de capite civis Romani, de quo decernere per leges XII. tabul. non licebat, niſi comitiis centuriatis. Unde apparet, quanti civis Romanus putaretur: cum de eo nonniſi populus judicarit univerſus eadem ſolennitate, atque ordine convocatus, ac ſi de ſumma reipublicæ, & de creatione majorum magiſtratuum ageretur. Hinc merito Cicero nihil de ſe actum jure dicebat, nihil legibus, nihil more majorum a P. Clodio: quia cum nemo tolli de civitate potuerit ſine judicio; de capite civis Romani ne judicari quidem licuerit, niſi comitiis centuriatis. Quod cum alibi ſæpe inculcet, tum *lib. 3. de legibus* L. Cottæ ſententia comprobat. Capitis autem appellatione vita, libertas, civitas, familia, & æſtimatio continetur, ut patet ex pluribus Ciceronis locis. *b*) Præterea indemnatum neminem interfici voluerunt. *c*) Quod ex Lycurgi legibus translatum ſuſpicatur Cujacius ex Valerio. *d*) Eam ob cauſam a populo Quæſtores parricidii creabantur, qui exercerent in ſingulis cauſis criminale judicium. Sed jam legem adferamus:

De capite civis Romani, niſi per maximum comitiatum ne ferunto.

LXXVI. DE INDULGENTIA IN HOSTES.

Denique ad eam publici juris legem veniamus, quæ ob utilitatem reipubl. atque humanitatis laudem omnibus antecellit. Eſt autem illa, quæ paria jura, & æquam vitæ, civitatiſque conditionem ſtatuebat inter bonos cives amicoſque Pop. Romani, qui ſemper in fide manſiſſent, & eos, qui aliquando deficientes, poſtea reſipuiſſent, rediiſſentque in Populi Romani gratiam. *e*) Ea lex, quæ ſpem priſtini ſtatus minime adimebat, maximum Reipubl. fuit incrementum, quia qui ſpem amicitiæ

pluribus adſtruxit Everardus Otto Præf. *T. IV. 13.* effecitque, ut in eam & ipſi concedamus lubentes volentes.

a) *in epiſt. ad Hermod. vid.* Petit. *in leg. Attic. pag. 116.*

b) *in Verr. pro Quint.* Gell. *lib. 5. cap. 19.*

c) Salvian. *de gubernio Dei. lib. 8. in fine.* Aug. *de civit. Dei lib. 1.*

d) *Obſ. 4. c. 12.*

e) Feſtus *in verbo* ſanates. Gell. *lib. 16.*

Ii 2 retine-

Digitized by Google

retineret, nunquam ad extremum inimicitiæ ferebatur. Ideo qui a Populo Romano deſciverant, facile redibant in fidem, * cum intelligerent paratam ſemper fore gratiam: iisque accedentibus urbs & Popul. Roman. & Respubl. oppido augebatur. Quod jus non diſcrepabat ab Athenienſium lege, Theſeo adſcripta, ut ſcilicet omnibus civibus ejusdem eſſet æqua communio juris. *a*) Hac eadem Decemvirali lege continebatur, ut nexi, ſive addicti creditoribus; ſi ſoluti eſſent, ſive e poteſtate creditorum exiiſſent, eodem jure cum reliquis civibus uterentur. Hanc vero legem abrogatam putat Hottomannus lege Aebutia ob id lata, ut obſoletæ XII. tabular. leges neque jam Reipubl. congruentes abrogarentur. Erat autem hæc XII. tabul. lex his fere concepta verbis:

Nexo ſoluto forti ſanati ſiremps jus eſto.

Nexo ſoluto) hoc eſt dimiſſo debitore e poteſtate creditoris.

Forti) hoc eſt bono. Nam ut Feſtus tradit, & nos ſupra innuimus, veteres *horctum* pro *bono* dicebant, ex *horctum* natum *forctum*, verſo *h* in *f.* digamma æolicum: quod aſperioris adſpirationis nota erat. Unde in pluribus vocibus pro *h* ſubſtitutum eſt *f.* ut *Felena* pro *Helena*. Priſcianus *lib. 1.* & ex antiquo *haba* factum *faba*, ut ſcribit Velius Longus, & Scaurus *lib. 1. de orthograph.* tandem *forctum* peperit *forctis*, & poſt *fortis*: quod apud veteres non ſolum validum, ſed hominem integræ fidei ſignificabat.

Sanati) Sanates, inquit Paulus ex Feſto, dicebantur, qui ſupra, infraque Romam habitarent: quod nomen his fuit, qui cum defeciſſent a Populo Romano poſtea quaſi pacata mente, in amicitiam redierunt. Hic juvat adſcribere ejusdem Feſti ſententiam ex reſtitutione Joſephi Scaligeri, qui e corruptiſſimo loco hunc eruit ſenſum: *Sulpitius autem Sanates, & Opilios ajunt dici inferioris loci gentes, ut Tiburtes, & alios, qui cum populo Tiburt. habitarent in agro Tiburti, id eſt omnes peregrinos, inferiorisque loci. Et infra ſunt, qui intelligunt colonias, quæ deductæ ſunt in priſcos Latinos a Tarquinio Priſco, quas ingerit ſecundum mare infra Romam in civitates Latinorum: eosque Sanates propterea, quod præter opinionem eos pacaviſſet, ſanaviſſetque, & cum eis paciſci potuiſſet, nominavit, ut auctores ſunt* Cincius *lib. 2. de officio juriſconſult.* & quæ ſequuntur.

Siremps) priſcum, & ſolenne verbum in ferendis legibus, quod explicatur *ſimilis re ipſa*: ex quibus vocibus componitur. Feſtus:

Sirempſe legem juſſit eſſe Juppiter.

Plautus ait. Unde Cujacius locum illum Senecæ *XCII. epiſt.*

* Eadem tamen ſpes & facilitas futuræ reconciliationis potens ad res novas moliendas incitamentum. Quare accedimus Hotomano, hoc caput lege Aebutia antiquatum eſſe, cenſenti. Ceterum nullum fragmentum legis hoc obſcurius. Fortes Sanates Valerio Meſſalæ apud Feſtum gentes binæ Romanis finitimæ videntur. Alii fortem, bonum & conſtantem, qui nunquam defecerit, ſanatem, rebellem interpretantur, qui ſanata veluti mente ad obſequium reverterit. Pro ſiremps Urſinus exhibet, *Idem jus eſto*, ne nimis cum Evandri matre loqui Decemviri videantur, ſed nihil mutandum in carmine decemvirali.

a) Plutar. *in Theſ.* Petit. *ad leg. Att. l. 1. c. 3.*

Ambi-

Ambitio omnium, quæ terram premunt ſeremiles eſto. reſtituit: *Ambitio omnium, quæ terram premunt, ſiremps lex eſto.*

LXXVII. DE JURE SACRO, ET RELIGIOSO, ET SACRIS PRIVATIS.

Sed ad ſacra jam accedamus, de quibus plurimas fuiſſe XII. tab. leges, easque de Numæ potiſſimum inſtitutis translatas opinamur. Verum ne inepte auguremur, eas tantum hic adducemus, quarum in veteribus monumentis certa veſtigia ſuperſunt. Nam quas multi de Ciceronis libris, tanquam de legum XII. tab. corpore ſumſerunt; non referemus in hunc ordinem, niſi certis teſtimoniis de XII. tabulis venire comprobentur; cum pleræque illarum fuerint ab ipſomet Cicerone confictæ, ut perfecta civilis juris forma illinc exhiberetur. Antequam igitur ſingulas explicemus, prodere conſtituimus aliqua priſcæ ſuperſtitionis exordia: tum ut legum capita magis illuſtremus; tum ut hinc etiam oſtendamus, quantis ex erroribus Dei, & Filii ſui Jeſu Chriſti beneficio erepſerimus. Hominis natura communis parentis defectione perduellis, hoſtisque divini Numinis a D. O. M. qui finis eſt extremumque bonorum omnium, ad rerum creatarum amorem, & falſa gaudia vertebatur: propriæque cupiditatis nexibus implicata, cum ad ſapientiam contenderet maxime, tum ab ea longius abſtrahebatur. Rerum enim divinarum notitiam non a fonte ipſo, ſed a corruptionis noſtræ radice petebamus: Deum ipſum affectionibus noſtris involventes, eique deſideria, curasque noſtras adplicantes. Unde ſibi homines ſinguli conſtituebant ſuarum ſimulacra cupiditatum, & affectionum humanarum, quæ pro numinibus colerent. Igitur ex inſita imperandi cupiditate fuit excitatus Juppiter, & ex contentione Mars, ex libidine Venus, ex induſtria Pallas, ex ſuperbia Juno, ex mortalitate Pluto, ex navigatione Neptunus, ex triſtitia Saturnus, ex ebrietate Bacchus: aliaque ex aliis affectionibus, & actibus hominum Numina extiterunt, nempe Spes, Labor, Morbus, Febris, Peſtis, pluraque alia monſtra furore hominum procreata, locum inter Deos invenerunt: ut non aliter homines a Diis diſcreparent, niſi quod homines vitia participarent, Dii vero ipſa eſſent natura vitiorum; & quod inchoatur in hominibus, in Diis abſolveretur: immo in eorum ſingulis vitium ipſum exculperetur. Itaque cultum his pro humano ingenio tribuerunt, ea tradentes, quæ ſingulorum naturæ conveniret; muneraqua Diis offerenda non ex divinitate naturæ, ſed ex hominum æſtimatione pendentes. Hinc certa erant inſtituta ſacrificia, præſcriptique actus corporis, & motus, quos præfinito exprimebant: quas cæremonias dicimus. Hinc & ludi edebantur in honorem Deorum, & feſti dies tripudiis, & molliculis cantibus celebrabantur, quaſi natura divina iisdem, quibus humana caperetur, & quaſi ſe quisque in unius ex proceribus fidem, & patrocinium traderet; ſingulæ nationes, & urbes ſuos præcipuos habebant Deos, in quorum honorem certa ſacrificia publice inſtituebantur: item & ſingulæ familiæ ſuos Deos ſibi familiares adſciſcebant, quos Lares vocabant, & Penates. Quamobrem privatis etiam, & anniverſariis ſacrificiis, eos venerabantur. *a*) Quæ ſacra genti erant jure Pontificio perpetuo ad-

a) Cic. *de Aruſp. reſp.*

Digitized by Google

dicta. Hinc plebs a patribus non honore tantum, ſed & ſacris diſcernebatur: cum alia ſacra plebejorum eſſent; alia patriciorum. Unde Virginia, excluſa ſacris Pudicitiæ Patriciæ, aram dicavit Pudicitiæ Plebejæ. *a*) Hæc eadem cauſa diſtulit communionem juris conjugalis inter patricios, & plebejos, quia enim in mariti ſacra & familiam uxor tranſibat, ideo perturbatum iri ſacrorum jus prædicabat Conſul contra plebejos, diſſerens, ſi conjugia mutua inter patricios, & plebejos permitterentur. *b*) Hinc intelligitur Modeſtini locus, ubi habetur, *nuptiis divinum jus communicari:* quia ſcilicet mulier ſacrorum mariti fieret particeps. *c*) Publica igitur ſacra pro populo publico ſumtu fiebant; privata vero ſumtu privato pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus, *d*) ac præter ſacra, ferias quoque familiæ proprias habebant, quales habuit Claudia, Cornelia, Julia, Æmilia. *e*) Hæc autem ſacra, quo nunquam interirent, & ex legibus XII. tabul. in familiis perpetuo manerent, Pontifices conſtituerunt, ut eo migrarent, quo vel familiæ nomen, vel hæreditas tranſiret, *f*) vel pars major bonorum, quantum ſcilicet caperent hæredes. Unde quæ pars legatariorum æri alieno ſuberat, ſacrorum onere carebat, quia, ut Cujacius *g*) docet, bona ſacris obligabantur, deducto ære alieno. Itaque præter uxorem filius cum naturalis, tum adoptivus, qui novæ familiæ nomen adſumebat, & quivis hæres, itemque legatarius partiarius, & quicunque majorem bonorum partem uſucepiſſet, ejus familiæ, unde bona veniebant, ſacris obligabatur. Addit Cicero: *h*) *Quarto ſi nemo ſit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus ejus* (ſcilicet obligatur) *qui plurimum ſervet. Extrema illa perſona eſt, ut is, qui mortuus ſit, pecuniam debuerit, neminique eam ſolverit, perinde habeatur, quaſi eam pecuniam ceperit.* Hisque perſonis publice *calatis*, hoc eſt *vocatis comitiis* deteſtabantur ſacra, ſive adhibitis teſtibus denunciabatur, ut ſacra ſuſciperent; * ac ſi ea recuſarint, bonis plectebantur. Deteſtari enim eſt abſenti teſtato denunciare: unde deteſtatio ſacrorum, quæ hoc ritu peragebatur. *i*) Hinc frequens illud veteribus proverbium: *ſine ſacris hæreditas*: quo ſignificabatur lucrum ſine incommodo, veluti hæreditas deducto onere ſacrorum: quorum ſumtus non exiguam bonorum partem abſumebat. *k*) Sed nequidquam Pontifices tanta religione ſacra munierunt. Etenim ne qui plures hæreditates obtinuiſſet, tot ſacrorum incommodis obrueretur, juriſconſulti jus Pontificium in ſpeciem, ſive verba illius tantum honoris cauſa retinuerunt, re vero abrogarunt; excogitantes, [illegible] introducentes translationem quandam hæreditarii nominis per ſimulatas venditiones in ſenem

a) Livius *lib. 10. cap. 23.*
b) Livius *lib. 4. cap. 1.*
c) *L. 1. ff. ritu nupt.*
d) Feſtus.
e) Macrob. *lib. 1. cap. 16.*
f) Cic. *leg. 2. de* Feſtus *verbo* ſine ſacris.
g) *ad l. 39. ff. de V. S.*
h) *de legibus.*

* Si qua forſitan ii tergiverſarentur, quemadmodum teſtibus, teſtimonium dicere detrectantibus, obvagulandum erat. Qua ratione occurritur iis, qui, quod heredem etiam ſine deteſtatione ad ſacra obeunda obſtrictum noviſſent, ipſam potius conſecrationem, ab herede rite ſolenniterque teſte populo faciendam, pro ſacrorum deteſtatione habent.

i) Cujac. *cit. l. 39. & ad leg. plebs. 238. ff. de V. S.*
k) Plaut. *in Trinum.* Feſtus *verbo ſine ſacris.*

aliquem decrepitum, * ac pene mortuum, cui hæres futurus eſſet nullus: in quem ſenem caderet nomen tantum hæreditarium, & dominii titulus absque re, absque bonis ullis, una cum onere ſacrorum: in quorum ſumtus pecuniam ab hærede capiebat, ut ea curaret quoad viveret. Quo ſine bonis moriente, ac hæreditario, familiæque nomine cum eo una pereunte; jus quoque ſacrorum extinguebatur, bonaque tum libera remanebant apud poſſeſſorem illorum, a quibus ea de cauſa ille familiæ nomen, & dominii titulum divellerat; ut translata in ſenem eum emtum, quem propterea *coëmtionalem* vocabant, morte illius occiderent, & cum domii titulo familiæque nomine, ſacra etiam interirent. Scio alios aliter exponere, quid ſint ſenes coëmtionales apud Plautum in *Bacchide*. *a*) Sed ut nulli nos in re tam perplexa, & obſcura divinationem invidemus; ita & iidem ferendi ſumus, ſi facultate utamur eadem: præſertim cum hujus interpretationis adſcriptorem habeamus Joſephum Scaligerum: qui ad Feſtum in verbis *puri probi* ſcribit, plures inventas a JCtis artes ſacrorum interimendorum, ſive ut idem vocat, præſtigias; præcipue vero imaginariam quandam venditionem, quæ *coëmtio* vocabatur adhibitis ſenibus coëmtionalibus, qui aſſe Cajano, hoc eſt ſextertio *dicis cauſa* ter accepto, & rurſus reddito, hæredem abſolvebant. Legem vero ita retulit Cicero:

Sacra privata perpetuo manento.

LXXVIII. DE RELIGIOSIS, ET SUMTIBUS FUNERUM.

A ſacris ad religioſa, nempe ad cadaverum humationem tranſeamus. Cujusmodi ritus Romani ab exteris, & antiquioribus acceperunt: præſertim cadaverum combuſtionem, quæ diu antea fuerat uſitata. Auctoritatem enim uſtionis cadaverum apud Græcos arguit Homerus, apud quem omnia Græcorum, ac Trojanorum cadavera comburuntur, ut colligitur ex pluribus *Iliados* locis, *b*) præcipue vero ex Patrocli funere: unde diſcimus congeri conſueviſſe in extructum rogum, quæ defuncto eſſent cariora. Etenim Achilles in Patrocli rogum conjecit arma, & quatuor equos, & canes duos, mactatis ibidem XII. lectiſſimis Trojanis adoleſcentibus. Nam militiæ neceſſitas, & putreſcentium fœtor cremandorum cadaverum morem facile induxit. Cenſebant autem ex ſuperſtitione ſua veteres illi excoqui ſordes animorum igne, atque elementi levitate facile animos in cœlum attolli: & inde flammis immortalitatem tribui exiſtimabant. ** Unde Gymnoſophiſtæ ſeſe vivos in ignem conjiciebant, quod exuta citius mortalitate corporis, immortalitatem animi

* Ut unius cujusque patris familias domus metu Deorum arctius conſtringeretur, non ea tantum ſacra æterna erant, quæ pro populo fiebant, ſed privata quoque quæ pro ſalute ſingularum familiarum adminiſtrabantur. Quis vinculis Romanos ſic Jurisconſulti ſolverunt, ſalvis legis verbis, vim ejus excludentes, & ſatis eſſe credentes, ſi publica rite ſacra obirentur, nec inviti onerarentur ſacris privatis.

a) *act. 4. ſc. 9. verſ. 5.* Gronov. *lib. 3. obſerv. 20. & de pecun. vet. lib. 4. cap. 8. p. 603.*

b) *Iliad. 7. & 8. 23. 24. & Odyſſ. 24.*

** Imo, etſi ejus generis deliramentis nullis mentes veterum imbutæ fuiſſent, tamen iis commendabilis videri poterat cadaverum combuſtio, præcipue, quia ſic ſine diuturno putreſcentis cadaveris ſqualore & fœtore, puriſſimo elemento, in eas particulas minimas reſolvuntur corpora,

reci-

reciperent. Qua opinione Hercules, cui cremandi cadaveris initium tribuitur, cum bellum inferret Laomedonti, fertur, amici ſui Licimnii filium ſibi ſocium adjunxiſſe, patrique incolumem redditurum juraſſe: adoleſcente vero in acie cæſo cremaſſe cadaver illius, & patri cineres tradidiſſe, ac ſeſe jurisjurandi religione ſolutum putaſſe, quaſi patri filium longe meliorem reddidiſſet, utpote immortalem inde factum. Romani autem initio ignem non adhibebant, ſed humo cadavera obruebant, unde *humatio*, & *humare:* a quibus differt *ſepulchrum*, & *ſepelire*, quod hæc pateant latius, & ad quodlibet funeris genus extendantur. Uſum vero uſtionis poſtea Romani acceperunt, *a*) quia longinquis bellis terra obrutos erui cognoverunt, manesque turbari; plures vero familiæ vetuſtam humationem retinuerunt, de quibus Cornelia, de qua primus Sylla ſuum corpus cremari voluit: quia cum per contumeliam Caji Marii apud Anienem ſitas reliquias diſſipari juſſiſſet: eandem ipſe ſuo in corpore formidabat. *b*) Neque tamen corpus continuo poſt mortem cremabatur, ſed octavo demum die in extructum rogum imponebatur, ſubjectis facibus, nono die ſepeliendum; *c*) unde Horatius: *Novendiales diſſipare cineres.* Primo enim die cadaver calida aqua abluebant, & poſtquam unguento perfuderant, conclamabant, ut ſi qui ſpiritus vitales reſiderent, calore, atque clamoribus excitarentur. Contigit enim aliquando, ut qui mortuus putaretur, e rogo ſurrexerit, ac ſuperante corpus flamma perierit. Altero die nocturnis horis flentes ſubtili velo corpus involvebant ad diem octavum uſque lugendum, adhibitis ad hoc officium mulieribus, quas præficas vocabant. Efferebatur vero funus præeuntibus facibus. Curandorum autem funerum diebus familia funeſta manebat, & dicebatur *humilior* uſque ad humationem, niſi mentum ſit apud Varronem, *d*) ut Scaliger ſuſpicatur. Cadavere autem exuſto, & ſepultis cineribus, ſupererat humatio; ſine qua familia nondum purgata putabatur: unde membro defuncti, nempe digito deciſo, in eo tanquam toto ſuper cadavere juſta perſolvebantur, injectaque gleba, corpus dicebatur humatum, ob membrum humo tectum: itaque locus fiebat religioſus. *e*) Novem vero hiſce diebus, quibus hæres atra indutus veſte funeribus faciendis, juſtisque curandis occuparetur, neque in jus vocari poterat; neque alius quisquam, a quo defunctus lugeretur, aliqua petitione vexari. *f*) Vetuſtioribus autem Romæ temporibus ſepulchra cadaverum in urbe, imo etiam domi pro Diis Penatibus colebantur: quem morem ſignificat Virgilius *g*) in illis verbis:

- - - - *Urbique remittunt.*
Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.

Ubi vetus interpres hoc de more diſputat, qui poſtea ſublatus fuit: nam Senatus vetuit, quemquam in urbe uri, aut ſepeliri, quod in XII. invenitur tabulis. Unde

ex quibus conſiſtunt. Tot millibus autem cadaverum annuatim comburendis ingenti opus lignorum vi, unde credibile eſt, ſervorum ſaltim & civium viliorum cadavera non combuſta, ſed terræ mandata fuiſſe.

a) Plin. *lib. 7. cap. 54.*

b) Cic. *2. de legibus.*

c) Virg. *5. Æneid. verſ. 64. ubi* Servius. Turneb. *adverſ. 24. cap. 23.*

d) Varro *de ling. lat. ubi* Scalig.

e) Cic *2. de leg.* Feſt. *verb. præcidan.* Varr. *4. de ling. lat pag. 6. ubi* Turneb. *&* Scaliger.

f) *L. 1. & 3. ff. de in jus voc. L. 30. ff. de judic.* Cujac. *ad l. ult. ff. de his qui not. infam. in quæſt. Pap. lib. 12.*

g) Æneid. *12. & lib. 3.*

qui

qui legibus ſolvebantur, veluti ob virtutem clariores viri, & Imperatores, & Veſtales, ſepeliebantur in urbe: ceteri vero extra urbem; exemplo Athenienſium, quos eadem religione uſos, ex epiſt. Servi Sulpicii ſcimus: qui refert, Marcello mortuo locum in civitate ab Athenienſibus cadaveri ſepeliendo impetrare nequiſſe. Hoc autem conſtitutum videtur, ne flebilibus officiis, & lethali aura cives contriſtarentur. Cum autem Romani honoris cauſa ſepulchrum in urbe alicui concederent, ad id patebat Exquilinus campus, quem Auguſtus Mœcenati conceſſit: ut occupato jam alia in re * loco, poteſtas cuiquam in urbe ſepeliendi amplius non fieret. *a*) Eandem religionem fortaſſe neglectam reſcripto ſuo ſuſcitavit Adrianus, *b*) qui pœnam ſtatuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate ſepelirent, quam fiſco inferri juſſit; & in Magiſtratus, eadem qui paſſi ſunt; & locum publicari juſſit, & corpus transferri; ad quæ acceſſerunt aliorum ſcripta Imperatorum. *c*) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero *lib. 2. de leg.*

Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito.

Nunc de ſumtibus ſepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia ſepulchrorum, & humanæ gloriæ conſideratio poſt mortem: quæ rebus nos omnino ſolvit humanis. Verum adeo miſeri hæremus corpori, mortaliſque hujus vitæ cupiditate tantopere tenemur; ut unde abſcedit animus, ibi literis tamen, & rebus geſtis, & inſanis ſumtibus, ædificiorum, ac ſi non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, miſere viventes, ut ſumtuoſe moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quæ vel contemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis æternæ ſpe decidentibus æterno tempore pœnitenda. Ergo quid commemorem veterum Ægyptiorum fatuitatem; quid regum eorum inſaniam, qui exiguum cinerem eductis ad Cœlum montibus condiderunt? Quid ætate quoque noſtra populorum orientalium, ac Sinarum præcipue ſtultitiam, quorum maxima pars opum funeris ambitione conſumitur? Profuſionem hanc inanem ab Ægyptiorum exemplo ad Græcos cum aliis moribus translatam a Solone compreſſam legimus: Atticoque jure conſtitutum refert Cicero, *d*) ne quis ſepulchrum operoſius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo: ac ne id opere tectorio exornaretur, neque ibi Hermæ imponerentur; quod ideo fiebat, quia Mercurium animabus ad inferos deducendis præeſſe putabant. Et quoniam ſepulchra columnis exornabant, earum quoque inſolentiam compeſcuit Phalaræus, qui ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri fœcunda locum ad ſepulchrum capere, vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem quinque viri diebus quinque extruxerint; nec lapides ſuperextrui paſſus eſt majores, quam ut quatuor heroicos verſus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum ſobrietatem, atque modeſtiam imitati Decemviri a Romanis funeribus ſumtuum inſaniam amo-

* Ædificiis ſcilicet cincto, tributoque ordinariis vitæ functionibus.

a) *vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

b) *l. 3. §. 5. ff. de ſepul. viol.*

c) *ff. de relig. & ſumt. fun.*

d) *lib. 2. de legibus.*

Digitized by Google

verunt, præfati ab initio pauca hæc, *hoc plus ne facito*, ne ſcilicet plus facerent, quam ſubjectis continuo legum capitibus permiſſum invenirent. Quæ verba male Rævardus eo loco movet: ut aliis capitibus nulla ratione interponeret. Ac primo Decemviri artificii ſumtum in extruendo rogo prohibuerunt, jubentes, ut e rudibus, & impolitis lignis componeretur, ac vetantes aſciam, ſive dolabrum ad elegantiam adhiberi. Quorſum enim ars, & induſtria in opere paucarum horarum? Et quoniam veteres, uti diximus, in ornandis funeribus adeo furebant, ut pretioſa quæque atque cariora defuncto, cum ipſo corpore, conderent; vetuit Solon *a*) plus quam tribus veſtibus mortui corpus onerari: cujus frugalitatem etiam Decemviri æmulantes legem tulerunt, ne ad cadaver componendum adjicerentur plura, quam tria ricinia, *b*) quæ veſtes erant quadratæ purpureæ. Unde Varro ait, fuiſſe duarum togarum inſtar, quarum dimidium retrorſum jaciebatur, indeque dictum ricinium: atque antiquiſſimum ricinium fuiſſe mulierum, poſtea vero duplex fuiſſe virorum. Unde Servius ait, ex ricinii uſu patere, mulieres olim habuiſſe togas; & Cicero ait, riciniis mulieres uſas in luctu. *c*) Minus præterea quoddam erat ricinium, quod rica dicebatur, eratque velamentum capitis muliebre, modeſtiæ cauſa genas tegens, quo in ſacrificiis utebantur. Riciniis igitur involvebant cadaver, quorum ſingula involucra, ut ſuſpicor, diſtinguebant faſciis purpureis: propterea lex, ut Cicero tradit, non tulit plus quam tria vincula purpuræ, *d*) quæ interpretor faſcias purpureas, quarum ſingulis ricinia corpori colligabantur. Ad eam ſolennitatem funeris veteres conducebant tibicines adhibita muliere, quæ præfica nuncupabatur: eæque cantiones lugubres appellabantur, *næniæ*, quæque apud ſitos, hoc eſt mortuos, & humi conditos, vel condendos canerent, *ſiticines*. *e*) In majoribus autem exequiis adhibebantur tubæ. Cujusmodi ſumtus quia modum excederent, Decemviri vetuerunt, plus quam decem tibicines ad funus vocari. Unde Ovidius *faſtor. 6.*

Adde quod Ædilis, pompa, qui funeris irent
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Ædilium enim munus erat curare ſolennitates, tum ludorum, tum feſtorum dierum, tum etiam funerum, quo rite omnia peragerentur. Unde miror, cur Jacobus Gothofredus pro *Ædilis* ſubſtituerit *edictis*. Corruptis autem Populi Romani moribus hæc in ſumtibus modeſtia in oblivionem venerat. Ac Juriſconſulti, quia regendæ humanæ vitæ ſtudia colebant, pro viribus huic amentiæ occurrerunt. Unde Ulpianus: *f*) *Non oportere*, ait, *ornamenta cum corporibus condi: nec quid aliud hujusmodi, quod homines ſimpliciores faciunt.* Et Papinianus ait: *ineptas voluntates defunctorum circa ſepulturam; veluti veſtes, aut ſi qua alia ſupervacua, ut in funus impendantur.* Nec tantum ſumtus immodicos, verum & effuſos, ac muliebres queſtus, & ejulationes molliores, aliaque infirmorum animorum argumen-

a) Plutarchus *in Solone.*
b) Feſtus *in verbo* rica. Varro *libro 4. de ling. lat.*
c) *de legibus lib. 2.* Turneb. *in Varron. 4. de ling. lat.*
d) Cic. *de leg. 2.* Cujac. *ad l. ult. ff. de his, qui not. infam. ſive ad lib. 2. quæſt. Papin.*
e) Gell. *lib. 20. cap. 2.*
f) *L. & ſi quis impediat 14. ff. de relig. & ſumt. fun. §. non autem.*

ta Decemviri a Romanis inſtitutis averterunt: ne his imbecillitatis exemplis aſſueta bello pectora, & diuturnis præliis roborata diſſolverentur. Longiores enim fletus, & inſueti mœroris adſpectus augent mortis opinionem, ad cujus contemtum aſſuefaciendus fuit populus omnibus gentibus imperaturus. Vetuerunt igitur XII. tabul. leges, mulieres radere & dilaniare genas, ut mos erat earum, vel quo ſe acerbius cruciarent; vel quo ſanguinem ſuum funderent, ſi deeſſet ſanguis gladiatorum. Ludi enim gladiatorum in funeribus edebantur, de quo more teſtis eſt Servius ad locum illum *Æneid. 12.*

Et roſeas laniata genas, - -

ubi hujus verba legis profert Servius, ætate, aut ſcriptorum imperitia fortaſſe corrupta. Simul cum laniatu genarum vetitus fuit etiam ejulatus, & queſtus effractior, atque abjectio animi, ploratusque importunus, quos *leſſum* veteres vocabant, ut ſuſpicabatur Sex. Ælius, quem ſimul cum L. Atilio Cicero refert, *a*) nullam hujus verbi certam ſignificationem elicere potuiſſe: quippe ætas eam ſubduxerat. Unde nec nobis quidquam ſupereſt præter conjecturam. * Sane hanc ſententiam hujus fuiſſe legis arguit lex Solonis, qui nimios fletus, teſte Plutarcho, & Cicerone, inhibuerat: quam legem in ſuas Decemviri tabulas tranſtulerunt. Quam tamen gravitatem Solon legibus ſuis exegit, moriens ipſe minime præſtitit: ſiquidem hæc ille de ſuo funere, quæ Cicero tranſtulit: *b*)

Mors mea ne careat lachrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Quamobrem jure a Cicerone præfertur Ennii oratio hæc:

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito viva per ora virum.

Plato vero in ſuis legibus minime ſollicitus eſt de prohibendis, aut concedendis lachrymis: dum ne planctu, & clamore mortuum extra domum comitentur. Credo ne publico adſpectu lachrymarum civium animi debilitarentur. Præterea Decemviri moderandorum ſumtuum curam ſuſceperunt providentes, caventesque, ne præter juſta jam perſoluta, & humationes oſſis deciſi, quæ ſupra memoravimus, benevoli, & cognati oſſa legerent referenda domum, ut ſuper iis juſta repeterentur, itaque ſumtus, & lachrymæ augerentur. Neque enim celebrari poterat funus niſi ſuper oſſibus. Hinc mari merſus, aut flumine, cujus cadaver ad litus, aut ripam non emerſiſſet, nullis funeribus decorabatur. Quamobrem cum nullum ſuper terra os defuncti extaret; hæres nulla funeris obligatione premebatur, neque jure Pontificio tenebatur porcam immolare Cereri, ac Telluri quotannis; quam præcidaneam porcam vocabant, quia cædenda erat, antequam novæ fruges cape-

a) *lib. 2. de legibus.*

* Ingenioſior eſt ea B. Branchu, qua is in addendis ad *Obſ. P. I. p. 237.* leſſum ſeu leſum, veteres enim literis geminatis nondum uſos fuiſſe, ex Fabio obſervat, deficiente adhuc litera r pro λῆρον poſitum fuiſſe, conjicit. Quæ vox Græcis nugas ſignificat, & Latio donata eſt a Plauto *Pœn. I. 1. p.* unde & vocem delirare cum derivativis ſuis quidam Grammatici derivant.

b) *lib. 1.* Tuſcul.

rentur. Et hæc annua immolatio pœna erat hæredis, qui cum poſſet, juſta non feciſſet. *a*) At ejus, qui cecidiſſet in acie, quamvis oſſa nulla invenirentur, tamen virtutis ergo funus ducebatur, & memoria exornabatur exequiis. Immo etſi forte fuiſſet a commilitonibus crematus; tamen permittebatur hæredi, & cognatis legere oſſa, quæ inveniſſent, ut ſuper iis juſta facerent. *b*) Ad alios nunc ſumus a Decemviris reſectos accedamus, nempe ad uncturam ſervilem, reſperſionem, murratam potionem, & longas coronas. Unctura cadaverum pluribus quidem populis conſueta, *c*) veluti Ægyptiis, Græcis, & Perſis; Romanis vero fuit maxime neceſſaria, qui novem dies funus protrahentes, unctione olei, atque odorati liquoris, putredinem prohibere cogebantur: præſertim quia oportebat corporis poros, aqua calida laxatos, unguentis opplere, ne aër viſcera liberius permeando corporis compagem celerius ſolveret. Quamobrem non omnem uncturam Decemviri ſuſtulerunt, quippe cum ſumtum hunc ingenuorum cadaveribus neceſſarium cognoſcerent; ideoque unctionem eam inter impenſas funeris poſitam invenimus; *d*) uncturam vero tantum ſervilem prohibuerunt, tum ne par honos tribueretur cadaveribus ſervorum; tum etiam quia neque ea ſolennia, neque idem dierum ſpatium * ad ſervorum funus adhibebatur. Sequitur circumpotatio, *e*) ſive epulæ ferales, aut ſepulchralis cœna, & convivium, quod inibatur poſt cadaver conditum: quæ & *parentalia* dicebantur, *& ſilicernia*, quaſi *cœna ad ſilices*; veteres enim *ceſna* ** pro *cœna* dixiſſe teſtis eſt Varro in Meleagris; *f*) qui mos & Romanorum fuit, & Athenienſium, & aliarum gentium vetuſtiſſimus, cujus teſtis eſt Homerus. *g*) Atque ad has epulas accedebant poſt cœnam ipſis mortuis datam, mortuos enim convivio excipere ſe credebant cœnam flammis injicientes: quaſi flammarum faucibus eam defuncti vorarent. Hæc vero, quæ diximus, convivia tanta magnificentia inſtruebantur, ut Decemviri profuſionem hanc inutilem moderandam exiſtimarint, ſed fruſtra. *h*) Nam ſubactæ moribus leges furori hominum reprimendo minime ſuffecerunt. Quippe ſuperſtitionis amentia verebantur fame necare mortuos, at-

a) Cujac. *l. ult. ff. de his qui not. infam. in Papin. lib. 2. quæſt.*

b) Cujac. *loc. cit. ex* Cic. *lib. 2. de leg.*

c) Herodot. *lib. 2. cap. 1.* Diod. Sicul. *lib. 1. Scholiaſt.* Ariſtoph. *in Plut.*

d) *L. 37. ff. de relig. & ſumt. funer.*

* De ſolennibus non dubitandum cenſeo, ſed quod de dierum ſpatio dicitur, probatum ab Auctore vellem. Utique enim eadem ratio, quæ contra repentinam exuſtionem & ſepulturam hominum liberorum pugnabat, ſcilicet ne vivi flammis aut fumo traderentur, locum etiam invenire poſſit in funere ſervi.

e) Cic. *2. de leg.*

** Unde dein manaverit cesna, ſ. in r. mutato. Sed quid eſt cœna ad ſilices? Reſpondent Grammatici, epulum ad ſilicem datum, quod vix probandum. Potius arridet conjectura Scaligeri ad Feſtum voce *Silicernium*, qui ſilicernium, tanquam *ſelucernium* id eſt ἀλυχνίαν dici putabat, quia lucernæ eo die accendi non fuerint ſolitæ. Quicquid ſit, ſilicernium pro exequiis, & cœna funebri poni, Feſtus teſtatur. Unde ſenex ſilicernium dicitur, tanquam cujus cauſſa brevi futurum ſit ſilicernium; & ſilicernius, qui dignus erat, ut pro eo ſilicernium pareretur, quemamodum ergaſtulus dictus, qui manet in ergaſtulo.

f) Nonius. *vide* Lautemberg. *verbo ſilicernium.*

g) *Iliad.* ω.

h) Tertull. *Apol. c. 14.*

que

que ipſos Deos: ni viventes, & mortales, pro mortuis, & immortalibus ſe vino, & epulis explerent: quaſi hominum dentibus Dii ſuperi, atque inferi manderent: adeo luxurie, atque crapula numen venerabantur inane. Hanc autem Decemviri legem etiam de Solone ſumſerunt, cui tamen jacturæ hujus, inanisque luxus coërcendi conſilium nihilo proceſſit felicius. Quis enim vulgarem affectionem coërcuerit, quando cupiditas religione munitur? Omnem autem circumpotationem Decemviri ſuſtulerunt, cum varia eſſet crapula, & circumpotatio, & etiam ad fores mulſum daretur. *a*) Reſperſiones quoque rogi, & cinerum, quæ Numæ tempore vino, Decemvirorum vero ætate murrata potione fiebant, XII. tabul. prohibuerunt: cum amovendis ſupervacuis ſumtibus etiam vini reſperſionem Numa prohibuiſſet, quam tamen Decemviri toleraruut, niſi ſumtuoſior eſſet: qualis erat murrata potio, quæ rogo, ſive flagranti, ſive combuſto, aut cineribus adſpergebatur. Hanc enim reſperſionem lege XII. tabul. prohiberi, recte meo judicio J. Gothofredus exiſtimat. Eadem autem prohibitione comprehenduntur liquores omnes precioſi, quos poſterior ætas invenit: quosque Decemviri, etſi non ſibi notos, tamen legis virtute vetuerunt: conſilium enim legum conditorum fuit inutiles reſecare ſumtus. Quid autem fuerit murrata potio, non ſatis eſt exploratum. Alii enim ſcribunt *murinum* a μύρον ab unguenti odore, quod & *nectar* Latinis appellabatur, eratque potio dulcis ebrietati oppoſita quæ propterea, & fœminis concedebatur: alii vero *murrbinum*, quaſi myrrha conditum, * unde myrrhatum vinum. *b*) Hujus odore ſcribit Plinius proditum L. Plotium proſcriptum a Triumviris, cum in Salernitana latebra ſe conderet. Rurſus, ut quam minimo ſumtu mors hominum honoraretur, prohibuere Decemviri longas coronas, diverſas ſcilicet a rotundis contextis, ut capita redimirent. Erant autem longæ coronæ, ** quibus implicabantur cadavera, & buſta, & ſepulchra, & ſellæ curules, & theatra, & currus triumphales, & fores. *c*) unde Tibullus:

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Rejecerunt poſtremo Decemviri, moderandorum ſumtuum cauſa, etiam odorem, a funeribus amoto acerræ uſu: quæ ſive ara fuit ante cadaver adolendis odoribus poſita, ſive arcula incendendo thuri conſtructa, ut aliqui putant; certe ad odorum edendorum uſum in funeribus adhibebant. Concludamus vero locum hunc de moderandis funerum ſumtibus ea lege, quæ vetuit uni plura fieri funera, vel plures

a) Theodor. Marc. *cap. 94: pag. 258. ad leg. XII. tabul.*

* Quæ nominis ratio naturalis & priori præferenda videtur. Delectabantur autem veteres amaritudine myrrhæ in vini potu.

b) Feſtus *verb. murrata.* Plin. *14. cap. 13.* Plaut. *in Perſa.* Mercur. *lib. 5. var. lect. c. 1.* Turneb. *adverſ. lib. 28. cap. 6.*

** Coronæ longæ, ſive altæ opponi videntur brevibus, ſive depreſſis. Spiceæ utriusque generis eſſe poterant, adeoque huc non pertinet locus Tibulli. Aptior locus Ovidii *Faſt. IV. 728.*

Et tegat ornatas longa corona fores.

Videntur vero coronæ longæ prohiberi in funeribus, quia ſolis Diis ſacratæ erant.

c) Ovid. *lib. 4. Faſt* Plin. *lib. 21. cap. 3.* Tertull. *de coron. milit.*

Digitized by Google

lectos ſterni, quod forſan erat ante conſuetum. *a*) Sed antequam tranſeamus ad alias, proferamus eas, quas adhuc explicabimus:

Sumtus, & luctus a Deorum Manium jure removeto.
Hoc plus ne facito. Rogum aſcia ne polito.
Tribus riciniis * ac x. tibicinibus foris efferre jus eſto.
Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.
Homini mortuo oſſa ne legito, quo poſt funus facias.
Servilis unctura, omniſque circumpotatio auferitor: Murrata potio ne inditor. Ne longæ coronæ, neve acerræ proferuntor. Uni plura funera ne facitor.

Notis abſtinemus, cum ſatis pateat ſenſus e ſuperioribus diſputationibus. Tantum addimus ad primam legem, *Deos Manes* eſſe Deos inferos, juſque *Deorum Manium*, eſſe jus ſepulchrorum, & funerum. Dicuntur autem Manes, ut Varro tradit, *b*) quia veterei *bonum* dicebant *manum*. ** Dii autem inferi, quamvis mali haberentur, tamen ut pax cum eis eſſet, priſci illi bono illos nomine demulcebant: quod mali bonis nominibus placarentur. Occurrit lex alia, *c*) quæ exceptio eſt prohibitionis hujuſce funerum: permittitur enim, ut aurum, quo forte defuncti dentes in vita decidui revincti fuiſſent, flammis, & humo, ſi liberet, traderetur. Videbatur enim nimis avidum, ob tantillum auri dentium defuncti ordinem diſſolvere. Unde lex fuit:

Neve aurum addito: Aſt ſi cui auro dentes vincti eſcint, *** im cum illo ſepelire urereve ſe fraude eſto.
Eſcint) pro erunt, ut expoſuimus non ſemel.
Im) pro *eum*, ut ſupra expoſuimus.

a) Cicero *lib. 2. de leg.* Servius *in lib. 5. & 6. Æneid.*

* Si ricinia, quod quibuſdam viſum eſt, mulieres in funere planctus cauſſa adhiberi ſolitas, & ricinio, tanquam veſte lugubri indutas, ſignificarent, non incommode in hac lege jungerentur tibicinibus. Nunc, cum veſtimentum Auctori denotent, ſive ea cum Varrone pro involucro corporis, ſive cum Cicerone & Feſto pro flameo, vitta, ſeu palliolo ad uſum capitis facto accipiamus, ricinia a tibicinibus ſic ſeparari mallem:

Tribus, ſi volet riciniis mortuum induito, (aut, caput cingito.) Tibicinibus foris efferre jus eſto. Hoc plus ne facito.

b) *lib. 5. de ling. lat.*

** Quod ex Varrone probat, cui conſentit Servius ad *Virgil. Æn. III. 63.* manis, unde manes ac manus, idem quod bonus, ſignificare, ajens. Propter eandem rationem Græci manes χρηστοὺς appellabant.

c) Cicero *lib. 2. de legibus.*

*** ὀδόντας χρυσῷ ἐνδεδεμένους Lucianus quoque dixit. Erant ii exemptiles, de iiſque ſalſe luſit Martialis *lib. 1. ep. 73. lib. 5. ep. 45. lib. 9. ep. 38. lib. 12. ep. 23. l. 14. ep. 56.* Marcilius.

Se

Digitized by Google

Se fraude) pro *ſine fraude*, hoc eſt *impune eſto*, *liceto*, *ne ſit ei damno.* Sequitur exceptio alia ſuperiorum legum, illiusque præcipue, quæ coronarum luxum profligavit. Etenim ut præmiis virtus excitaretur, Decemviri coronæ poteſtatem fecerunt ei, qui ludis, & certaminibus publicis victor eam meruiſſet, ſive per ſemet, ſive per ſervos, equosve ſuos, quos pecuniæ nomine lex complectitur: nec victoris tantum cadaveri coronam eam imponere licuit, ſed etiam parenti ejus. Siquidem, ut mos fuit Græciæ, ubi ſumma cum celebritate certamina ſunt inſtituta; qui publicis in ludis viciſſet, non ſibi tantum, ſed & patri, & patriæ ſuæ gloriam pariebat, & voce præconis cum ipſe victor, tum patria ejus, & pater appellabantur. *a*) Unde non mirum, ſi coronæ honorem Romanarum legum conditores etiam parenti tribuerint: poſt elatum enim filium, coronam eandem domum referebant, ut argumentum virtutis uſque ad funus parentum in familia maneret. Sed novorum temporum luxuries, præcipue ſub Imperatoribus, hanc omnem diſciplinam evertit, coronasque communes reddidit omnibus, *b*) exceptis Chriſtianis, qui ſuperſtitioſum ritum abhorrebant. Legem autem, quam & plures ſarcire tentarunt, en qualem reſtituit Jac. Gothofredus:

Qui coronam parit ipſe pecuniave ejus virtutis ergo arguitor: & ipſi mortuo parentibusque ejus dum intus poſitus eſcit, forisque effertur ſe fraude eſto.

Parit) male Rævardus figmentis aſſuetus mutavit in *pacit*. *Parit* præteritum eſt antiquum pro *peperit*. Nam ut obſervavit Popma, *c*) veteres aliquando præteritum etiam per præſens exprimebant; unde ſunt illa *diſcedi* pro *diſceſſi*, & *decedi* pro *deceſſi*, *d*) *ſi ſine liberis decederit* apud Paullum & apud Catonem *in orat. de bello Carthagin. aures nobis calleſcerunt*; & in *clepo*, *clepi*. Cicero *de leg. ſacrum ſacrove commendatum qui cleperit.* Hinc & in lege noſtra *pari* pro *peperi* a *pario.*

Pecunia) pecuniæ nomine venit, quidquid eſt in dominio noſtro, ut ſervi, & equi, *e*) quibus cum uterentur in circenſibus, ob eorum laborem, præmium vertebatur in dominum.

Arguitor) nihil temere mutandum, ut illi faciunt, qui *dicitor*, *addicitor*, reponunt. Senſus enim optime conſtat, cum *arguitor* ſignificet *arguatur virtus*, *declaretur*. Tota vero hæc lex ita verbis communibus commode, atque uſitatis exponetur:

Qui coronam meruerit in ludicris, ſive ipſe, ſive ſervi ejus, equive in funere ob virtutem laudator: ipſique mortuo, & ejus parentibus, & quamdiu domi per novem dies collocatum eſt cadaver, & cum effertur, coronam illam imponi jus eſto.

Sed jam diſputationem noſtram de XII. tabul. leg. concludamus, pervenimus enim ad poſtremam in ordine a nobis inſtituto: eſtque lex illa, quæ ſpatium præ-

a) Pindar. *ode* 5. *ubi* Scholiaſt.

b) Juven. *Sat.* 12. Minut. Felix. Tertull. *de coron. milit.*

c) *de uſu antiq. locution. cap.* 12.

d) Varro *de re ruſtica.*

e) *L. pecuniæ ff. de V. S.*

finit,

finit, quod inter ædes alienas, & buſtum, rogumque debeat intercedere, *a*) quod LX. pedum ſtatuitur: ne rogo propius admoto, ædes vicinæ volitante flamma conflagrent: neve ex vicinitate fœtor cadaveris proximiores inſiliat. Ex qua ſpatii amplitudine arguitur, legem hanc pertinere ad ædes ruſticas extra pomærium: nam urbis anguſtia, & proximitas urbanorum ædificiorum hunc ſenſum ſatis excludunt. Et quoniam lex privatis cavet, ut incendium ab eorum domibus arceat, atque fœtorem; ſequitur, domino permittente, ædium fas eſſe propius rogum extruere: adeo ut nequeat poſtea prohibere dominus, ne alius mortuus eodem inferatur. Quo pertinent Pomponii verba in *l. ſi propius ff. de mortuo inferendo*, ubi *legitimum modum* intelligit Juriſconſultus ſpatium hoc LX. pedum a XII. tabul. legib. præſcriptum; ut optime Antonius Auguſtinus interpretatur. Tandem progrediuntur Decemviri ad muniendam auctoritate legis religionem ſepulchrorum, quæ ſatis ipſo religioſi nomine ab uſucapione eximebantur; cum non liceat res ſacras, ſanctas, & religioſas uſucapere, tamen nominatim de veſtibulo ſepulchri cavere voluerunt; ne forum ſive veſtibulum tanquam a re religioſa ſeparatum uſucaperetur: jubentes, ut acceſſio illa ſepulchri ejusdem ſepulchri jure frueretur: atque adjicientes, ne buſtum uſucapere liceret. Quod buſtum cum Hottomanno interpretor locum, ubi cadaver fuerat exuſtum, ſiquidem alibi conditum fuiſſet: quamvis locus uſtionis proprie diceretur uſtrina. *b*) Si enim buſtum pro ipſo ſepulchro hic accipiemus, inutilem hanc reddemus legem. Siquidem ſepulchra per ſe ſatis ipſo religioſi jure uſucapionem excludebant: nec quidquam nominatim nova lege caveri oportebat. Cavet autem lex, quia buſtum, ſive locus, ubi cadaver tantum fuiſſet crematum neque conſeptum erat, neque religioſum: & interdum monumento conjungebatur, interdum vero conjungi prohibebatur, ut hæ antiquæ inſcriptiones teſtantur:

*Huic monumento uſtrinam * adplicare non licet. c*) En autem leges ipſas ex Cicerone quantum potuit reſtitutas.

Rogum buſtumve novum alienas ædes propius LX. pedes, ſi dominus nolet, ne adjicito.

Fori buſtive æterna auctoritas eſto.

Rogum) de his verbis hæc habet Servius in fragmentis. *Apparatus mortuorum funus dici ſolet: extructio lignorum rogus; ſubjectio ignis pyra; crematio cadaveris buſtum; locus uſtrina, operis conſtructio ſepulchrum, inſcriptum nomen, memoriaque monumentum.* Sed non ſemper in uſu loquendi diſcrimen hoc religioſe obſervatur.

Buſtive) hac voce diximus hic ſignificari locum, ubi corpus crematum eſt, at non conditum: ** cujus interpretationis non modo Hottomannum auctorem, ſed & adſcriptorem Popmam habemus *de different. verbor. verb.* buſtum, ubi ait:

a) Cic. *lib. 2. de legibus.*

b) Feſtus *in verbo buſt.*

* In quibus verbis uſtrina focum potius, in quo cadavera exurebantur, quam locum ſignificare videtur.

c) *vid* Popm. *de diff. verbor. verb. buſtum.*

** Imo buſtum proprie dicitur locus, in quo mortuus eſt combuſtus & ſepultus, diciturque buſtum quaſi bene uſtum. Feſtus in voce *buſtum*. Sed hic quoque multa

Inter-

Interdum buſtum appellatur locus, in quo mortuus crematus, non etiam ſepultus eſt, ut notat Servius *in illud Æneid. XI. ſcminuſtaque ſervant buſta ;* & Strabo *lib. 5.* ſcribit τὰς καυςρὰς *id eſt buſtum Auguſti fuiſſe in campo Martio, & ab eo diverſum Mauſoleum, in quo cineres conditæ.* His addo Donatum, qui, *buſta*, inquit, *ſunt loca, in quibus jam corpora arſerunt.* Quam ſententiam etiam probat Voſſius *etymolog.* qui ait: *Quemadmodum buſtum eſſe poteſt aliquid, ubi ſepulchrum non eſſet: ita eſſe poſſe ſepulchrum ubi non eſt buſtum.* Atque hactenus leges XII. tabul. explicaſſe ſufficiat. *

LXXIX. DE JURE FLAVIANO.

Propoſitis autem XII. tabulis, jus quidem patebat omnibus, at uſus illius, & ratio, qua quisque ſuum perſequeretur, a populo ignorabatur. Quamobrem inventi ſunt, qui leges redderent actuoſas, inſtrumentaque tractandi juris ex arcana diſciplina depromta civibus miniſtrarent. Unde conſtituti ſunt a prudentibus certi exercendi juris ritus, quorum ſolenniores legis actiones vocabantur: certisque verborum conceptionibus, ſive formulis cujusque contractus vis, actusque omnes excipiebantur. Romani enim a primo rudes quidquid agerent certis verbis, atque ſignis mentem exprimebant, quaſi nihil foret legitimum, niſi ea verborum, & ſignorum religione fuiſſet obſignatum ; nihilque ratum habebant, niſi quod ſuis eſſet ritibus expeditum. Hinc in ſponſalibus ferreum annulum dabant, *a*) nec annulis uſæ ſunt fœminæ, niſi quos virgines a ſponſis acceperant, *b*) in contrahendis nuptiis aqua, & ignis, quaſi nota communis vitæ adhibebatur; *c*) quorum ignis marem ſignificabat, aqua fœminam; quia vi, & humore fœtus coaleſcit. *d*) Igne autem, & aqua vitam conſtare, vetus ſapientia prædicabat. Unde aqua, & ignis certum erat contracti matrimonii ſignum, ſine quibus nullæ erant nuptiæ, ut colligitur ex Scævola, quia per ea vitæ communio inducebatur. *e*) Uxori domum deductæ, traditione clavium, dominium tradebatur; dimiſſæ vero per divortium earundem ademtione eripiebatur. Clavibus enim cuſtodia rerum ſignificabatur; quod inſtitutum Numæ Plutarchus adſcripſit. Prohibitio novi operis fiebat ſolenni jactu lapilli. *f*) Filio vero emancipato colaphum infligebant. *g*) Item &

ſibi uſus præter proprietatem Latini ſermonis vindicavit. A buſto aves ambuſtoneæ dictæ, quod circa buſta verſarentur, notante Scaligero.

* Omiſſa eſt lex IV. tabulæ nonæ, *Quæſtores PaRicidI; qui de rebus capitalibus quærant, a populo creantor.* In tabula octava quoque voces hortus, hæredium, tugurium, perinde ut ea pignus in tabula XII., neglectæ fuerunt.

a) Hottom. *lib. 10. obſerv. cap. 7.*

b) Plin. *lib. 33. cap. 1.*

c) Iſid. *lib. 20. etymolog. item lib. de divin. off. L. ſi donatæ 36. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

d) Varro *l. 4. de ling. lat.*

e) *L. penult. ff. de donation inter vir. & uxor.* Cujac. *l. 11. obſerv. cap. 2.* Plutarch. *in problemat.*

f) Feſtus Pomp. Cicero *Phil. 2.* Ambroſ. *epiſt. 65.*

g) *L. de pupillo §. meminiſſe. ff. de novi oper. nunciat. L. ult. C. de emancip. & Novell. 8.* Cornutus *in Perſ. L. directis 10. ff. de teſt. manum.* Plaut. *in milit.*

Digitized by Google

ſervo manumiſſo, quem etiam circumagebant, ut poſt dimiſſus liber eſſet, quo reſpexit Perſius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama - - - - -

Feſtuca etiam eos attingebant, & tonſos pileo donabant, quæ libertatis nota erat: unde rex ille nomine regio prorſus indignus, cum ſeſe profiteretur Populi Romani libertum, raſo capite, atque pileatus obviam legatis procedebat. Uſurpabant autem, ſive uſucapionem interrumpebant defringendo ſurculum arboris. *a*) Vindiciæ, ſive lites de fundo, inſtituebantur conſerta manu per ludicram pugnæ ſpeciem, & ſimulata concertatione feſtucas committebant, prælium imitantes, eaque dicebatur vis moribus facta, de quo & ſupra. *b*) Cum teſtem aliquem facerent, imam aurem illius digitis primoribus atterebant, quaſi memoriæ ſedem, ut jam expoſuimus. *c*) In qualibet translatione dominii rerum earum, quæ mancipi vocabantur, quarum proprietatem in noſtro dominio habemus, adhibebant æs, & libram, cujus lanx altera ære percutiebatur, quod etiam fiebat in teſtamentis, quia per ea dominium transfertur: *d*) eademque ſolemnitas adhibebatur in adoptionibus, quia per id adoleſcens ex una in aliam familiam diſcedit; quæ ſupra latius expoſuimus. In auctionibus, qui pluris liceret, ſive qui plus offerret, digitum tollebat. *e*) * Inſtituto hæredi teſtator annulum tradebat. *f*) Pignoris nota erat manus compreſſio, ** unde Juriſconſultus ait, pignus dictum a pugno. *g*) Hinc apparet, pignus proprie ad res mobiles pertinere. Mandatum dabatur tradita manu. Inde quaſi manus datio mandatum. Item a mandato mando, quaſi manum do. *h*) Stipulabantur autem frangendo ſtipulas; easque committendo, atque in ſpeciem redintegrando ſponſionem quiſque ſuam agnoſcebat. Hæreditas adibatur adprehenſione corporis hæreditarii, & percuſſione digitorum, *** ut ſæpe Cujacius notavit. *i*) Hanc autem Populi Romani ſuperſtitionem prudentes ex uſu ſuo eſſe duxerunt, atque ut omnia negocia privatorum ad ſe traherent, ſingulos actus, atque cogitationes contrahentium, & in foro diſputantium conceptis verbis, & præſcriptis formulis devinxere, ita ut omnem populum ad ſuam ipſorum auctoritatem

a) Cic. *3. de Oratore.*

b) Gellius *lib. 20. cap. 9.* Cic. *pro Cæcin.*

c) Plinius *lib. 11. cap. 45.* Plaut. *in Perſ.* Horat. *ſerm. lib. 1. ſat. 1.*

d) Plinius *lib. 33. cap. 3.*

e) Cic. *in Verr. 3. & 5.*

* De digito confer Celeb. Ottonis *Juriſprudentiam ſymbolicam, l. II. c. 12.* cujus operis nucleum hoc tibi caput Gravinæ ſiſtit.

f) Val. Max. *lib. 3. cap. 9.* Corn. Nepos *in Eumene.* Diod. *lib. 18.*

** *Quod forſitan falſum.* Ipſum quoque pignus a pigo magis vel pago quam a pugno dici, contendunt viri eruditi.

g) *L. 238. §. 2. ff. de V. S.*

h) Iſid. *etymol. lib. 5. c. 34.*

*** Cujus ſententiæ fundus Ambroſius eſt *l. III. de offic. c. 11.* qui digitorum percuſſionem & nudi heredis ſaltationem etiam vulgo notabilibus in cretione, accenſet. Sed Ambroſium deceptum male intellectis verbis Ciceronis *l. III. de officiis c. 19.* hæc tradere, non imperite alii ſuſpicantur. Conferantur Viri Clariſſimi, Anton. Schultingius *ad Ulp. tit. XXII. §. 28.* & Everardus Otto in *juriſprudentia ſymbolica lib. II. cap. 13.*

i) Cujac. *obſ. 7. cap. 18. & paratit. C. de jure deliberandi.*

tradu-

traduxerint. Nihil enim agere petereve licebat, niſi conſultis Juriſprudentibus, apud quos manebat ſcientia faſtorum, & nefaſtorum, ſive dierum, quibus licebat fari, aut non in judicio, quod erat lege agere. Manebat etiam apud eos ratio exercendi judicii, ut ab iis forma judiciorum, ſive actio efflagitaretur, & dies. Quæ autem certis verbis ad exercitium legum, & juris miniſterium compoſita fuerunt, actiones legis appellabantur, & actus legitimi, quibus jus civile XII. tabular. conſignatum, atque commiſſum evocabatur in forum, & ex umbra in campum, atque in aciem educebatur: eaque tertia juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. tabulis mentio manus conſertionis, & mancipationis; harum autem ritus, & formulæ quemadmodum explicarentur, excogitatæ fuerunt a prudentibus, & in Pontificum conditæ penetralibus. Pontifices enim non modo conſequentibus temporibus de media Juriſprudentia ſuſcipiebantur; ſed initio Reipublicæ auctores fuerunt illius, atque cuſtodes. Etenim interpretatio legum, unde Juriſprudentia manavit, e Pontificum collegio * procedebat: utpote cum eorum unus operam daret juri privato civibus ſuis interpretando; *a*) reliqui vero religioni præeſſent, & cæremoniis ſacrorum. Itaque ex eo collegio, ubi arcana legum diſciplina condebatur, civibus reſponſa dabantur, veluti ex Phœbi cortina. In iis igitur penetralibus adſervabantur legis actiones, & formulæ, quas in librum digeſſerat Appius Claudius Cæcus, quo libro arcana juris civilis ſcientia continebatur. Hunc autem Appio ſubreptum, ejus ſcriba Cn. Flavius libertino patre populo prodidit, & ſacra Juriſprudentiæ reſeravit. *b*) Quo munere homo alioqui obſcurus adeptus eſt tribunatum plebis, & ſenatoriam dignitatem, *c*) ad quam libertinorum filiis aditus nunquam patuit ante Appium Claudium Cenſorem. *d*) Livius Ædilem Curulem factum tradit: *e*) eum antea ſcriba fuiſſet, & tabularius, & apparitor Cenſoris.

LXXX. DE ACTIBUS LEGITIMIS, SIVE ACTIONIBUS LEGIS.

Ex hoc igitur Juriſprudentiæ ſacrario profectæ ſunt actiones legis, vel actus legitimi, quos cum breviter inter ſolennes ritus enumeraverimus, nunc aliquando fuſius expediemus. Eorum enim cognitio maxime aperit ea, quæ in operis progreſſu ſeſe offerent. Ac ne difficultatibus iis involvamur, quæ latent in pluribus juris locis, in quibus vel doctiſſimi labuntur, quorum exemplum eſſe poteſt Hottomannus; *f*) cavendum eſt, ne legis actiones, & actus legitimos una eademque

* Quod Pomponio credimus affirmanti in *L. 2. §. 6. D. de origine juris*, quem ἀνιστορησίας poſtulant Heineccius *Antiq. I. 2 31. nota s* & Brunquell. *Hiſt. jur. I. 5. 8.* nixi, præcipue loco Ciceronis *de legib. l. II. c. 19.* Poterit ferri Pomponius, ſi de prioribus temporibus intelligatur; addit enim, *Et fere populus annis prope centum hac conſuetudine uſus eſt.* Quibus conſequenter locus Ciceronis de tempore inſecuto intelligi poteſt.

a) *L. 2. ff. de orig. juris §. his leg.* Livius *lib. 9. cap. 46.* Dionyſ. *lib. 10.*

b) Cic. *pro Murena.*

c) Pomp. *l. 1. de orig. jur. §. poſtea.*

d) *lib. 9. in fine.*

e) *Vide* Cujac. *ad l. 2. §. poſtea ff. de orig. juris.*

f) *obſ. 12. c. 30. & quæſt. illuſt. 34.* P. Faber *lib. 2. ſemeſtr. cap. 22. & ſeqq.*

Digitized by Google

ſignificatione ubique accipiamus. Sane lege agere tum ad magiſtratus pertinet, tum ad actores, & reos, & lictores, & apparitores, & eos omnes, quorum opera in judiciis verſabatur; *a*) ficut verbum diſceptare litigantium eſt & magiſtratus. Quamobrem legis actio latiſſime patet: etenim legis actiones dicuntur actiones omnes, quibus jus noſtrum perſequimur, actusque alii, qui in judiciorum ordine interveniunt: quo ſenſu Pomponius *b*) legis actiones appellavit legitimas actiones, quod Hottomannus injuria reprehendit. Item & actus legitimi nomen latius patet *c*) in aliquibus juris locis, porrigiturque ad actus omnes lege permiſſos, lege imperatos, lege probatos, quibus ſcilicet jus civile tribuit auctoritatem; quo ſenſu accipitur in *l. penult. C. de hæretic.* qui locus fraudi fuit Hottomanno. Sed eædem iſtæ appellationes, nempe legis actiones, & actus legitimi aliquando coanguſtantur, & tantum complectuntur ritus illos ſolenniores, qui non modo proprias habent formulas, ſine quibus nihil fere peragebatur; ſed ex certæ legis præſcripto proceſſerunt, & ex ejus legis ſententia, atque auctoritate ſolenniter in jure * celebrabantur; quibus proprium erat, primo ut in jure fierent, ſive apud Magiſtratum; deinde ut adjecta expreſſe conditione, aut die vitiarentur; tertio ut ſemel fierent, & iterari nequirent; quarto ut ne per procuratorem expedirentur, quod jure antiquo commune erat omnium actionum, quibus in jure diſceptabatur. ** Etenim neque intendere actionem per alium licebat, neque excipere; quæ ſeveritas juris ſublata ex actionibus ceteris, manſit tantum in actibus legitimis, ſive hiſce ſolennioribus, in quibus hac in re nullum diſcrimen eſt inter privatos, & Magiſtratus. Nam ſicuti privato non licet legitimos actus exercere per alium, veluti adoptionem, aut emancipationem, & ſimilia: Ita nec Magiſtratui licet lege agere per alium, ſive harum actionum exercitium committere ei, cui mandavit juriſdictionem; *d*) ſuperiora vero omnia congruunt iis actibus, qui partim recenſentur a Papiniano, partim innuuntur in aliis Juriſconſultis, ex quibus colligimus actuum legitimorum numerum, quem referemus. Perperam autem Hottomannus in *l. actus legit. ff. de regul. jur.* interpoſuit negationem, *** ut commentum

a) Briſſon. *ſelect. lib. 4. cap. 20.*

b) *L. 2. ff. de orig. juris.*

c) Cujac. *l. actus legitim. ff. de reg. jur. in* Papin.

* Imo eo diſtabant actiones legis ab actibus legitimis, quod illæ in jure & apud magiſtratum fieri debebant, cum hi extra judicium expedirentur. Rem pluribus expedivimus ad *lib. I. cap. 33.* Illa differentia certa, etſi de actibus legitimis plus dici quam ſciri ajat Cornelius van Bynkershœk *Obſ VII. 13.*

** Addi vulgo ſolet quinto, ne a pupillo expediri poſſent, ſine tutoris auctoritate. *L. 19. D. de auct. tut.* quæ regula ſatis certa, vi laudatæ legis.

d) *L. 2. de offic. proconſ. L. nec mandan. ff. de tut. & curat.* Cujac. *in actus legit. ff. de regul. juris.*

*** Imo hoc loco Cujacium vincit Hotomanus, præeunte editione vulgata Florentinæ inſerens negativam. Verbo enim recipere hic non factum, ſed jus, ſeu facultatem deſignari ex inſequentibus manifeſtum, ubi nonnunquam tamen tacite recipiunt, eodem ſenſu dicitur. Conf. Jauchius de *Negationibus Pandectis Florentis adjectis p. 286.* Nec quicquam eſt, quare hæc ſententia abſurda videri debeat. Sed tertiæ & quartæ regulæ non æque certa habemus argumenta ac regulæ primæ. Adoptionem iterari non poſſe in *L. 37. §. 1. D. de adopt.*

ſuum

Digitized by Google

ſuum confirmaret de duplici actuum legitimorum genere, quorum alios dixit recipere diem, & conditionem, alios non. Ex quo errore dilapſus eſt ad innumeros, ut anteſtationem, & teſtimonii dictionem, & ſtipulationem, & quidquid denique ſolennius perageretur, ad actus legitimos retulerit. Quod abſurdum ut vitaret Cujacius, & Florentinam lectionem retinuit, & actus legitimos ab aliis immodice auctos, intra orbem a Papiniano, & aliis Juriſconſultis definitum retraxit. Igitur Papinianus ex Florentina lectione ita ſcripſit: a) *Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem.* Cur vitiantur adjecto tempore, vel conditione, ſi initio tradiderat, actus legitimos ſuapte natura recipere temporis, & conditionis adjectionem? Hottomannus, ut hanc orationis repugnantiam tolleret, ex Haloandro legit; *actus legitimi, qui non recipiunt*, præter quos alios actus legitimos conſtituit, qui diem, conditionemque recipiunt; quique, ut ipſe putat, in hac Juriſconſulti enumeratione deſiderantur. Hinc mirum, quantum ex illius ſententia actuum legitimorum numerus increbruerit: utpote cum poſitum a Juriſconſulto modum ſuſtulerit. Cujacius vero longe peritius nihil de Florentina lectione mutavit; ſed priora tantum verba interpretatus congruam, & convenientem ſibi ſententiam extulit. Itaque ſic explicat: *actus legitimi, qui recipiunt diem, & conditionem*, id eſt, *actus legitimi, quibus conditio, & dies adjicitur*; ut ſcilicet non ſuſcipiatur ab actuum legitimorum natura conditio, & dies, ſed adjiciantur ab homine: *actus*, inquit, *legitimi, quorum e numero ſunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, vitiantur in totum, ſi eis conditio, & dies fuerit adjecta: non vitiantur tamen, ſi eis tacite dies, & conditio ſubſit.* Atque hic eſt germanus hujus legis ſenſus longe ſimplicior, & expeditior. Hæc oportuit perſtringere breviter, ut actus legitimos ab aliis actibus ſolennibus diſcerneremus, utque vim, & naturam eorum clarius aperiremus. Hæc ſunt igitur ſumma capita, ad quæ legis actiones ſive actus legitimi a Juriſconſultis noſtris ſparſim in variis Pandectarum locis expreſſi revocantur:

I. Mancipatio.
II. Manumiſſio.
III. Emancipatio.
IV. Ceſſio in jure.
V. Hæreditatis aditio, & repudiatio.
VI. Servi optio.

dicitur, a cujus ſolius exemplo interpretes colligunt, idem in omnibus actionibus legis, cum contentioſæ tum voluntariæ juriſdictionis contigiſſe. Ulpianus vero quando in *L. 123. D. de R. J.* neminem alieno nomine lege agere poſſe, ait, ad ſolas formulas & conceptiones verborum, quibus inter ſe homines diſceptabant, reſtringi poſſit, *a. §. un. l. de iis per quos agere poſſum.* idemque in ſolennitatibus voluntariæ juriſdictionis & actibus legitimis uſu veniſſe, ſola conjectura nititur. Actiones legis quoque perinde ut actus legitimos temporis & conditionis adjectione vitiari, ſola conjectura a rationis ſimilitudine ducta elicitur ex *L. 77. D. de R. J.*

a) *L. actus legitimi ff. de regul. jur.*

Digitized by Google

VII. Datio tutoris.
VIII. Acceptilatio. *

LXXXI. DE MANCIPATIONE.

Exordiamur a mancipatione, qui fons eſt omnium civilium obligationum, deinde ad adoptionem, & ad teſtamenti factionem, quæ ſub mancipatione comprehenduntur, itemque ad emancipationem, & manumiſſionem, quæ eodem revocantur, accedamus. Igitur, ut alibi diximus, cives Romani quædam bona in ſuo dominio habebant, quædam non: ſed earum proprietas penes populum erat, uſus tantum & poſſeſſio penes privatos: unde Juriſconſultus poſſeſſiones appellat agros, de quibus vectigal pendebatur populo, cujus erat & proprietas. Quæ in pleno civium Roman. dominio erant, *a*) res appellabantur mancipi, quaſi quod manu caperetur, ſive in noſtram poteſtatem deduceretur; cujuſmodi erant res mobiles, & animalia, præter ea, quæ ſunt feræ naturæ, quorum dominium, ubi noſtram cuſtodiam effugerint, a nobis abſcedit, unde nunquam perpetuo noſtra eſſe cenſentur, ideoque inter res mancipi non ponuntur. Ex immobilibus vero Italica prædia res mancipi dicebantur, quia jure optimo poſſidebantur a civibus Romanis, hoc eſt, ad eos tranſibat ſimul cum poſſeſſione, atque uſu proprietas: ejuſdemque generis erant jura prædiorum ruſticorum, ut iter, actus, via. Prædiorum vero provincialium proprietas, & dominium penes populum remanebat, nec in privatorum commercium perveniebat, niſi poſſeſſio, & uſus. Propterea res nec mancipi dicebantur, quia eorum dominium nemini privato erat in manu, ſed totum penes populum, cui vectigal pendebatur. Ex hoc juris diſcrimine rerum mancipi, & nec mancipi eſt orta diſtinctio nominum. Rerum autem mancipi abalienatio verſari tantùm poterat inter cives Romanos, quibus erat communio juris civilis, quibusque tantum competebant jura nexus, quæ fuit ratio transferendi dominium jure Quiritium. Siquidem ante Juſtinianum, nuda traditione, dominium non transferebatur; unde res tradita ſine nexu, dicebatur eſſe in bonis accipientis, in dominio vero ejus, qui tradiderat. *b*) Eſt autem nexus, ** Ælio Gallo teſte, nomen generis, *c*) quo exprimitur quidquid geritur per æs, & libram, & per ſimulatam venditionem, quæ ad omnem dominii translationem, atque ad obligationes omnes & etiam ad donationes adhibebatur. *d*) Accito enim libripende, & quinque teſtibus, venditor ſive mancipio tradens fingebatur accipere ab emtore pecuniam, quam exprimebant parvo ære, quod rauduſculum appellabatur a raudo, ſive ære, unde in veteribus mancupiis adſcripi ſolebat *rauduſculo libram ferito*. *e*) Eoque ære emtor, ſive qui mancipio acciperet, libram tangebat, quod ubi venditor, ſive qui rem mancipio traderet, accepiſſet quaſi precium, dominium trans-

* Ex his octo capitibus primum, quintum, ſextum, ſeptimum & octavum ſunt actus legitimi; cætera actiones legis in ſecundo ſenſu, ſeu ſolennitates jurisdictionis voluntariæ.

a) Ulp. *tit.* 19. Boet. *in topic. Cic.*

b) Ulp. *Inſtit. tit.* 1. §. *in bonis.*

** Vide notata ſupra ad c. 44.

c) Feſtus *verbo nexus.* Varro 4 *de ling. lat.*

d) Tertull. *l.* 2. *adverſ. Marc.* Cic. *in topic.* Cujac. *eod.*

e) Varro *lib.* 4. *de ling. lat.*

ſere-

ferebatur in emtorem, per eamque ſimulationem, ſive imaginariam venditionem, inter veteres jure civili contractus inibatur: unde Horatius:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur, & ære.

Simili ratione, nexi quoque dicebantur ii, qui ob æs alienum ſeſe creditoribus dabant in ſervitutem: nexus igitur eſt mancipatio, ſive venditio rerum mancipi, & translatio dominii per æs, & libram. Porro tribus tantum modis dominium rerum mancipi de uno migrare in alterum poterat: mancipatione, in jure ceſſione, uſucapione. Res vero non mancipi tantum transferebantur ceſſione in jure, de qua infra, quia proprietas earum nunquam abſcedebat a populo Roman. ſed uſus tantum illius in privatos, & poſſeſſio tranſibat: Hinc apud Ciceronem *a*) locus ille perelegans: *cujus quando proprium te eſſe ſcribis mancipio, & nexu, meum autem uſu, & fructu, contentus ſum*, Lucretius peritiſſime:

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.

Verbaque certa, & ſolennia mancipationis hæc erant:

Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo, isque mihi emtus eſto, hoc ære æneaque libra.

Quæ verba pronunciabantur ab emtore, qui mancupio accipiebat. *b*)

LXXXII. DE CESSIONE JURE.

Alia ratio mutandi dominii fuit ceſſio in jure, quæ communis erat rebus mancipi, & nec mancipi. *c*) Res igitur nec mancipi tantum per ceſſionem in jure transferebantur, veluti feræ beſtiæ, leones, urſi, & ſimilia, quorum ſicuti non retinemus, ita nec transferimus dominium, ſed tantum poſſionem; etenim fuga ſeſe recipere poſſunt in libertatem, ſi eſſent mobiles; immobiles vero per nudam traditionem. Porro in ceſſione tres interveniebant: dominus qui cedebat, is cui cedebatur, & Prætor qui addicebat, vel Præſes provinciæ: apud quos is, cui cedebatur, rem tenens ita vindicabat:

Hanc ego rem ex jure Quiritium meam eſſe ajo.

Poſtea Prætor, converſus ad cedentem, interrogabat, an contra vindicaret, & ſeſe opponeret: qui ſi taceret, aut ſeſe oppoſiturum negaret, Prætor vindicanti rem addicebat; quem actum inter legis actiones, & actus legitimos Boëthius locavit. *d*) Nunc redeamus ad mancipationem. Aliquando quis non mancipabat, ſive non alienabat rem, ut in perpetuum vellet ejus ab ſeſe abdicare dominium, ſed eo animo, ut rem ad tempus ad ſe revocaret; forte quia juvaret, nomen, ac dominium alienum prætendere rei ſuæ, ut eam vel a vi eriperet, vel ab inſidiis, vel a frequentibus eorum temporum proſcriptionibus. Ideo amico alicui probatæ fidei, ſimulata venditione, aut donatione per æs, & libram ex compacto tradebat, ut

a) *l. 7. epiſt. fam.*

b) Boëth. *in topic.* Cic.

c) Ulp. *tit. 19. §. in jure ceſſio.*

d) *in topic. Cic.* Briſſ. *lib. 5. de formulis.* P. Faber *lib. 2. Semeſtr. cap. 23.*

poſt

Digitized by Google

poſt certum tempus eandem rem emtor venditori remanciparet, ſive iterum venderet: eaque mancipatio dicebatur *fiducia*, quia ea conditione mancipabatur, ut aliquo poſt tempore per venditorem ab emtore reciperetur, cujus contractus hæc erat formula:

Uti ne propter te fidemque tuam captus fraudatusque ſim.

Ac ſi quis ſuo tempore fidem ſuam non liberaret, dabatur in eum judicium, in quo de fracta fide quærebatur per hanc formulam:

Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. *

Quo reſpexit Cicero *in epiſt. ad Trebatium, & in orat. pro Roſc. Comœdo.*

LXXXIII. DE EMANCIPATIONE.

Ad hoc autem fiduciariæ mancipationis genus refertur emancipatio filiifamilias per æs, & libram. Siquidem ea fiducia pater naturalis filium vendebat, adhibitio libripende, & quinque teſtibus, ut poſt tres imaginarias venditiones eodem, vel ſequentibus diebus factas, filius manumiſſus libertatem nanciſceretur: *a*) de quo ſupra. Etenim, ut retulimus, nonniſi poſt tres mancipationes, & tres manumiſſiones patria poteſtate filius eximebatur, ut pro extraneo haberetur. Nam poſt ſecundam manumiſſionem filius præteritus rumpebat patris teſtamentum, quia in ejus poteſtatem reverſus ſuus hæres agnoſcebatur. *b*) Emancipatus vero poſt tertiam manumiſſionem, ſervorum more, circumducebatur, quaſi ei libera daretur facultas abeundi, quo vellet, & colapho percutiebatur. *c*) Fiebat autem emancipatio ante Magiſtratum, ut ceteri actus legitimi, ** *d)* nec diem, aut conditionem recipiebat, hoc eſt, nemo poterat ad diem, & ſub conditione manumitti, *e*) neque eam repetere fas erat.

LXXXIV. DE ADOPTIONE.

Species mancipationis etiam erat adoptio, utpote alienatio proprii filii, ejusque in alienam poteſtatem, atque familiam translatio; unde & ipſa actus legiti-

* Scilicet, ne emptor imaginarius ipſe filium, dicis cauſa emptum manumitteret, eoque jura in eum patronatus, & per jus patronatus, interverſo jure patris, jus filio ſuccedendi nanciſceretur. Emancipatio autem mancipationi a Gravina ſubjici debebat, non ceſſioni in jure.

a) Paul. *ſent lib. 2. cap. 25. §. 2.* Cajus *Inſtit. tit. 6.*

b) Ulp. *tit. 23. §. agnoſcitur.*

c) *Novell. 81.* Cujac. *parat. 8. C. tit. 48.*

** Imo emancipatio jure veteri coram magiſtratu non fiebat, ſed per triplicem venditionem imaginariam, Cajus *Juſt. I. 8. 3.* &, ſi coram magiſtratu facta fuiſſet, nomen magis actionis legis, quam actus legitimi meruiſſet per ea, quæ diximus ad L. I. c. 33. Eandem autem non potuiſſe fieri in diem, vel ſub conditione, inde manifeſtum eſt, quia neutri in mancipatione locus, *l. 77. D. de R. J.* ſine qua illa fieri nequit.

d) *l. 4. ff. de adop.* Paul. *ſent. 2. tit. 20.* Juſtin. *Novell. 81.*

e) Cajus *Inſtit. cap. 6. l. actus legit. ff. de reg. jur.*

mus,

Digitized by Google

mus, * ut perſpicue docetur in pluribus juris locis. *a*) Quamobrem inter præſentes fiebat, *b*) & apud Magiſtratum, *c*) neque iterari licebat, *d*) neque tempus, aut conditionem recipiebat, *e*) & nexu, ſive per æs, & libram expediebatur: nam adoptio, quæ teſtamento fiebat, in actuum legitimorum numero non ponitur. Igitur vel filiusfamilias adoptabatur, vel homo ſui juris, quod genus adoptionis dicitur adrogatio: Quia futurus filius interrogabatur *auctorne eſſet* ſive conſentiret, ut *in eo Titius*, v. g. *vitæ, necisque poteſtatem haberet uti in filio:* vel, ut alii cum Gellio putant, quod populus rogaretur; idque commune erat aliis negotiis, quæ cum populo gerebantur. Cum autem filiumfamilias pater in adoptionem daret, eum adoptanti mancipabat, *f*) ſive imaginaria venditione tradebat: isque filius ſtatim ab adoptivo manumittebatur, ac manumiſſus recidebat in patris naturalis poteſtatem; a quo denuo patri adoptivo, ſimulata venditione, mancipabatur: adoptivus illum rurſus manumittebat, isque manumiſſus relabebatur iterum in poteſtatem patris naturalis, a quo tertio mancipatus, & adoptivo traditus filius, in adoptantis poteſtatem, familiam, & ſacra tranſibat. Sacra enim erant, ut diximus, perpetuo infixa familiis, eaque pecuniam, & hæreditatem ſequebantur: *g*) Itaque trinis mancipationibus naturalis patris, & binis manumiſſionibus adoptivi, poteſtas, & familia permutabatur. Qui vero in locum nepotis adoptaretur, unica venditione, *h*) ſive mancipatione adoptivi familiam jure antiquo nanciſcebatur. Item adoptio fœminarum abſolvebatur unica mancipatione. *i*)

LXXXV. DE ADROGATIONE.

Adrogatio vero erat longe majoris operis; tractabatur enim tanquam publica populi cauſa, utpote cum liberum civis Romani caput, & exordium futuræ familiæ in alienam poteſtatem, alienamque familiam traduceretur. Cui conſilio fraus aliquando ſuberat, vel lucri cupiditate, vel honorum aſſequendorum gratia, quando ſcilicet per adrogationem plebejæ, atque patriciæ familiæ permutabantur, quo patricius tribunatum plebis, qui ſolis plebeis patebat, conſequeretur. *k*) Ideo res ad populi judicium deducebatur comitiis curiatis, accerſitis Pontificibus, qui cognoſcerent de iis, quæ ad eorum collegium pertinebant; ut ex his Ciceronis verbis: *Quid eſt*, inquit, *Pontifices, jus adoptionis* (quo ſub nomine etiam adrogatio venit, & de adrogatione loquitur:) *nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos poſſit; & cum potuerit, ſit expertus; quæ deinde cauſa cuique ſit adoptio-*

*** Imo actio legis. Fit enim apud magiſtratum. De ea certum, quod procuratorem non admittit *L. 24. l. 25. §. 1. D. de Adopt.* quod iterari nequit *L. 37. §. 1. D. eod.* quod fieri nequit in diem *L. 34. D. eod.* Conditionem quoque in adoptione non admitti, exemplo diei veriſimiliter conjicitur.

a) *L. 3. ff de offic. Proconſul. L. 1. ff. de offic. juridic. L. 4. de adopt.*

b) *L. neque abſent. 24. L. ſeq. §. 1. ff. de adopt.*

c) *L. 3. & 4. ff. de adopt.* Gell. *lib. 5. cap. 19.*

d) *L. adoptare 37. ff. eod.*

e) *L. quæſitum 34. ff. eod.*

f) Cajus *Inſtit. tit. 5.* Ulp. *cap. 8. L. ult. C. de adopt* Gell. *lib. 5. cap. 19.*

g) Gutherius *de jure Pontif. lib. 2. cap. 5.*

h) *L. ult. C. de adopt.*

i) Cujac. *in enarr. C. de adopt.*

k) Cic. *in orat. pro domo ſua.*

nis, quæ ratio generum, ac dignitatis, quæ ſacrorum quæri a Pontificum collegio ſolet. Quid eſt horum in iſta adoptione (Clodii) *quæſitum? adoptat annos viginti natus etiam minor Senatorem? liberorumne cauſa? at procreare poteſt, habet uxorem, ſuſcepit etiam liberos: exhæredabit igitur pater filium. Quid ſacra Clodiæ gentis, cur intereunt, quod in te eſt? quæ omnis notio Pontificum cum adoptaret eſſe debuit.* Præterea adhibebantur Pontifices propter religionem jurisjurandi, quo adoptio, ſive adrogatio ab omni calumnia, & fraude pura præſtabatur. Deinde interrogabatur adrogator: an eum filium habere vellet? Item & filius an auctor fieret, ſive an vellet in alienam familiam e propria migrare, quibus adſentientibus tum rogabatur populus his verbis: *Velitis jubeatis Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure, legeque filius ſibi ſiet, quam ſi ex eo patre, matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ necisque in eum poteſtas ſiet, ut patri endo filio eſt. Hoc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo.*

Conſuetudinem hanc adrogandi juſſu populi, ad Antonini tempora tenuiſſe, colligitur ex Ulpiano, *a*) auctore tamen principe, qui cum ſibi Pontificis Maximi jus, & nomen adjunxiſſet, ejusdem quoque Pontificis munus in hac ſolennitate præſtabat; quod jus ereptum populo jam eſſe, temporibus Diocletiani, ex illius verbis apparet. *b*) Hodie hujusmodi ſolennitates prorſus e foro ceſſerunt: nam adoptio ante Magiſtratum fit per acta publica, & adrogatio per principis reſcriptum. *c*) Unde etiam fœminæ, nempe matresfam. poſſunt adrogari, quod antea non licebat: quia ob ſexus verecundiam non dabatur fœminis facultas comitiorum. Ad mancipationem etiam redigitur teſtamenti factio * *d*) illa, quæ per æs, & libram celebrabatur; nam teſtamenta, quæ fiebant a militibus in caſtris, *e*) nulla ſolennitate, ſed ſola nuncupatione coram commilitonibus pugnaturis, ** quæ propterea in procinctu facta dicebantur, *f*) quia procincta vocabatur claſſis ad bellum parata; *g*) & alia quæ fiebant calatis, ſive vocatis comitiis, quæ ob eam cauſam bis in anno cogebantur, *** ut coram omni populo pro collegio Pontificum ſuum quisque teſtamentum conderet. *h*) Hæc inquam genera vetuſtiſſima, teſtamentorum jamdiu obſoleverant. Igitur eorum loco fuit a Jurisconſultis inventa mancipatio familiæ, ſive hæredis inſtitutio per æs & libram; ita ut etiam ultimæ hominum voluntates ad verum nexum redigerentur. A Prætore vero inducta fuit ea teſtamenti factio, quam adhuc retinemus a Juſtiniano cautius, atque ſolennius conſtitutam, & excultam. Cujus cognitio ſatis eſt ex communibus juris libris evulgata. Quamobrem in mancipatione familiæ conſiſtemus. Itaque ad hoc teſtamentum ſolenni more mancipationum adhibebantur quinque teſtes cives Romani puberes, cum qui-

a) *fragm. tit. 8.*
b) *L. 2. C. de adopt.*
c) *L. ult. eodem.*
* Quæ proinde melius ſub titulo mancipationis, quam ſub eo adoptionis exhibita fuiſſet. Verum tota hæc tractatio de actionibus legis, & actibus legitimis, ultimam manum non videtur experta.
d) *vide* Vinn. *Inſtit. lib. 2. cap. 10. §. 1.*
e) Ulp. *in fragm. tit. 20. Inſt. de teſt.*
** In prælium ituris.
f) Gell. *lib. 5. cap. 27.*
g) Feſtus *in verbo procinctu.*
*** Quod dubium. V. Heineccii Antiq. *L. II. t. 9. §. 2.*
h) Theophil. *de teſt.* Cic. *I. de oratore.*

bus

bus teſtamenti factio eſſet, & libripens, excluſis a teſtium, & libripendis munere iis, qui eſſent in poteſtate teſtatoris, & familiæ emtoris. Coram teſtibus vero, & libripende teſtator ſimulabat ſeſe vendere familiam, ſive hæreditatem alteri, qui aderat, emtorque familiæ dicebatur, quique *dicis cauſa*, hoc eſt, pro precii ſymbolo exiguum æs numerabat venditori, atque illius ad ſeſe familiam, pecuniam, & ſacra traducebat. Duo autem ſimul *a*) in hac ſolennitate jungebantur, mancipatio ſcilicet, & nuncupatio teſtamenti, quæ fiebat his verbis: *Hæc uti his tabulis, cerisve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor, itaque vos Quirites teſtimonium perhibetote.* Quiritium enim appellatio reſpicit quinque teſtes. *b*) Cum igitur hæc nuncupatio neceſſaria fuiſſet, ideo qui voce careret, ut mutus, hujusmodi teſtamenti factione interdicebatur, & ſurdus item: quia verba, quibus familiæ emtor venditoris orationem excipiebat, exaudire non poterat. *c*) Emtor porro nomen tantum ferebat hæredis: *d*) nam bona perveniebant ad alium, de quo inter emtorem familiæ, ac teſtatorem convenerat. Qui mos Romanorum Plutarcho videtur abſurdus. * *e*) Exemplo ſit Domitius, qui in teſtamento Auguſti familiæ ſe præſtitit emtorem, nihilque de hæreditate cepit; cum ne ſextula quidem fuerit adſperſus. *f*)

LXXXVI. DE MANUMISSIONE.

Nunc veniamus ad manumiſſionem, inter actus legitimos a Juriſconſultis relatam, iisdemque conditionibus obnoxiam, quibus aliæ legis actiones. ** *g*) Hujus autem duo ſunt genera *** pro duobus generibus libertatis; altera enim latina dicebatur, altera juſta libertas. A latina libertus beneficio elatus, atque animo tumefactus a domino ad priſtinam ſervitutem revocari poterat: vel ſi melius uſque de domino mereretur, majori præmio afficiebatur, accepta pleniori libertate, quæ adimi amplius nequibat. Latina enim non erat integra libertas, nec ſoluta prorſus nexu ſervitutis; ſed inſtituta fuit, ut ejus animus quodammodo probaretur, an dignus eſſet, qui ad integram libertatem perveniret, de quo & *lib. 3.* fuſius. Cum autem latina libertas daretur, vel inter amicos, vel per epiſtolam, vel ſervo adhibito ad convivia ſolennia, quæ de more inter cognatos, & affines componendis

a) Vlpian. *frag. tit. 20.*
b) Ræyard. *de auct. prud. cap. 11.*
c) Vlp. *tit. 20.*
d) Cujac. *in tit. Ulp. 20. §. inter teſtator.*
* Contra quem diſputat Otto *in juriſpr. ſymbolica Exerc. I. c. 7.*
e) *de ſera numinis vind.*
f) Sueton. *in Aug.*
** Manifeſte rurſus confunduntur Actus legitimi & legis Actiones. Manumiſſio ex harum numero eſt, quia apud magiſtratum fit, & eſt actus voluntariæ jurisdictionis. Proinde actus legitimus dici nequit, niſi vox capiatur in latiſſimo ſenſu, quo & actiones legis & actus legitimos in ſpecie ſic dictos complectitur. Quo ſenſu a tractatione Auctoris aliena eſt.
g) Paul. *ſent. lib. 2. tit. 25. L. 2. & 3. ff. de offic. Proconſul. L. ult. C. de manum. vindict.*
*** Cur autem tertium genus libertatis omittitur, quo ſervi quidam dediticii fiebant, ſeu iis populis ſimiles, qui ſe ſuaque omnia, ſacra & profana P. R. dedidiſſent, & juris non minus gentium quam civilis expertes, libertate tantum fruebantur perſonali, quicquid acquirebant, domino acquirentes. Merebantur ii hic locum præ Junianis, quia & per vindictam, adeoque legis actione manumiſſi, vincti, uſti, torti dediticii eſſe, cenſebantur.

Digitized by Google

jurgiis * agitabantur; juſta vero libertas ex M. Tullii diſtributione, *a*) vel teſtamento concederetur, vel cenſu, ſive profeſſione ſervilium facultatum, ** & impoſitione nominis Roman. per dominum apud Cenſores, vel denique vindicta; poſtremam hanc dandæ libertatis rationem inter actus legitimos in libris juris deſcriptam invenimus: *b*) cum hæc tantum ante magiſtratum ederetur. Fiebat enim in jure apud Prætorem, *c*) vel Conſulem Romæ; in provinciis vero apud Præſidem, vel Proconſulem; coram quibus dominus preheuſo ſervi capite, vel alia corporis parte verba hæc ſolennia pronunciabat: *d*)

Hunc hominem liberum eſſe volo.

eumque poſtea impacto colapho circumagebat, *e*) ut libertatem abeundi quo vellet ei datam, indicaret. Prætor autem, audita juſta manumiſſionis cauſa, ſive titulo (quo adducto in hoc manumiſſionis genere opus erat,) *f*) impoſitaque illius capiti virgula, quam vindictam appellabant, domini verba ſolenni hac excipiebat formula: *Ajo te liberum eſſe jure Quiritium.* Servus vero libertatem adeptus, *g*) abraſo capite, ſtatim capiebat pileum. Nulla tamen manumiſſio, ni fallor, tribum, ſive ſuffragii jus tribuebat: id enim olim a populo, poſtea tantum a principe concedebatur: poterat enim ſine ſuffragio adipiſci civitatem. *h*) Ex quo intelligitur Scævolæ locus de patrono, qui per hæredem tribum liberto emendam juſſerat. *i*) Quæ vero manumiſſio cenſu fiebat, exolevit, ejusque locum occupavit manumiſſio in Eccleſia. Quamobrem *Eccleſiæ* vocem loco nominis *cenſus* a Triboniano ſubjectam fuiſſe, in ſcriptis Caji arbitrantur eruditi.

LXXXVII. DE ADITIONE HÆREDITATIS.

Offert ſe nunc aditio hæreditatis, quæ aliquando cum cretione fiebat, aliquando ſine cretione, prout fuiſſet hæres in teſtamento ſcriptus: quandoquidem, vel cum cretione ſcribebatur hæres, vel ſine cretione. Eſt autem cretio judicium hæredis, & deliberatio, adire vellet nec ne, ductumque verbum eſt a cernendo, ſive inſpiciendo, quia hæreditatem aditurus in rem præſentem ſolenni ritu veniebat inſpecturus hæreditatem, atque deliberaturus, *** an e re ſua eſſet illam adire: *cerno* enim, non ut Varro a *creo* natum puto, ſed ut Scaliger *k*) ſuſpicatur a *κρίνω*; unde

* Imo ſi quis in convivio manumitteretur, parum, credo, intererat, jurgiisne componendis id agitaretur, an, ut frequenter fit, genio ſoli convivæ indulgerent.

a) *in topicis.*

** Servus, cum nihil habeat, miror ſerviles facultates in cenſu, ut vult noſter, deſcriptas, credoque ſolum nomen tabulis cenſualibus illatum fuiſſe.

b) *L. actus legit. ff. de reg. jur.*

c) *L. 5. & ſeq. ff. de manumiſſ. vindic.*

d) Feſtus.

e) Perſ. *ſatyr. 5.*

f) Donat. *in Terent.* Aſcon. *orat. pro Mil. L. 9. ff. de manumiſſ. vindicta.*

g) Plaut. *in Amphitruon.* Livius *l. 45. c. 44.*

h) Livius *lib. 38. cap. 36.*

i) *L. patronus ff. de legat.* 3. Cic. *pro Cornel.* Cujac. *obſ. 7. cap. 14.*

*** Qui deliberandi ſignificatus proprius eſt cretioni hereditatis, ut contra Lud. Kuſterum evicit Jac. Perizonius in ſingulari exercitatione noviſſime inſerta *animadverſionibus ejus ad Sanctii Minervam p. 772.*

k) Conjectan. *in* Varr. *de ling. lat. lib. 5. pag. 65.*

cum dies ab ipſo teſtatore ad decernendum hæredi dabatur, tum dicebatur cum cretione inſtitutus hæres hac verborum formula: *a*)

Titius hæres eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poteriſque: niſi ita creveris exhæres eſto.

Multum autem intererat, cum cretione quis fuiſſet hæres inſtitutus, an non: etenim cum cretione inſtitutus, fiebat hæres cernendo, ſive hæreditatem adeundo ſolenniter: inſtitutus vero ſine cretione fiebat hæres, gerendo ſe pro hærede: veluti res hæreditarias diſtrahendo, aliaque agendo, quæ ſine hæredis nomine fieri nequeunt. Item inſtitutus ſine cretione, ſtatim, ut conſtituiſſet, hæreditate ſe abſtinere, jure adeundi excidebat: at inſtitutus cum cretione, quocunque modo animum ſuum prodidiſſet, ac recuſare ſe oſtendiſſet, non tamen arcebatur hæreditate, niſi poſt dies a teſtatore præſtitutos, ac per eos totos dies locus erat pœnitentiæ, licebatque dicta revocare. Porro cretio duplex erat, vulgaris ſcilicet, & continua: vulgaris erat, cum jubebatur quis adire certis diebus, quibus poſſet, & ſciret; unde adjiciebantur ea verba: *quibus ſcieris, poteriſque*, ne ſcilicet tempus ignoranti curreret, aut impedito, atque ut eſſet tempus utile, non continuum: cretio vero continua erat illa, cui adjecta non erant memorata verba: nam ſi hæc deeſſent, currebat tempus etiam ignoranti, & impedito, ut poſt certorum dierum lapſum adeundi facultas omnino præcluderetur. Itaque in aditione vulgari dicebatur:

Titius hæres eſto, cernitoque in diebus C. proximis, quibus ſcieris, poteriſque.

In continua vero ſimpliciter ſine adjectione ulla:

Titius hæres eſto, cernitoque in diebus C. proximis.

Fiebatque cretio ſolenniter teſtibus præſentibus, *b*) & digitorum percuſſione, *c*) verbis ita conceptis:

Cum me Mævius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo, cernoque.

Ideo Arcadius, & Honorius, & Theodoſius *l. 17. C. de jur. delib.* ajunt, *ſibi viſum eſſe ſcrupuloſam ſolennitatem cretionum amputare.* Cum igitur antea hæredes plerumque cum cretione inſtituerentur, quique hæreditatem cerneret, ſimul adiret; inde natum eſt, ut cretio, & aditio, a probatis auctoribus promiſcue acciperentur, ac per cretionem quælibet hæreditatis aditio exprimeretur, cum cernere dicerent pro adire: quamvis hæreditas non ſolum cernendo adiretur; ſed & pro hærede gerendo: * cum quis ſine cretione inſtituebatur. Adire enim hæredita-

a) Ulp. *tit. 22.* Iſid. *lib. 5. orig.* Varr. *5. de ling. lat.* Cic. *Attic. epiſt. 4. l. 13.*

b) Varro *lib. 5. de ling. lat.*

c) Cujac. *obſ. 7. cap. 34.*

* Cretio hereditatis ab hereditatis aditione, geſtioneque pro herede proprie differt, ut antecedens a conſequenti. Vide caput 87. & quæ ibi notavimus, addeque Joſ. Avenarii *interpr. jur. civ. II. 12. 6.* unde falluntur, quibus utraque unum idemque videtur, etſi in lucroſis hereditatibus ſæpe factum concedamus, ut hereditas ſimul cerneretur & adiretur, ſuſcipereturve per geſtionem pro herede. Repudiationem hereditatis, de qua mox, actum legitimum fuiſſe veriſimili conjectura elicitur, etſi deficiunt leges, in quibus id diſertis verbis dicatur.

tem eſt proprie ſuſcipere, & quaſi aditum in eam ferre; *a*) Cernere vero eſt decernere, ſe hæredem eſſe velle. *b*) Ceterum ſicut aditionem, ita & repudiationem hæreditatis ex contrariorum natura in actis legitimis ponimus, eademque hæc ſolemnibus verbis ſolenniter explicabatur, *c*) & iiſdem conditionibus ſuberat, quibus aditio, quam nullum diem, & conditionem recepiſſe, *d*) patet ex pluribus juris locis, ut nec iterari potuiſſet: *e*) neque alteri mandari licuiſſe. *f*) Itaque per procuratorem hæreditas adibatur inutiliter, ut docet Paullus; *g*) ſive legamus *per curatorem*, ut in Pandectis Florentinis, ſive *per procuratorem*, ut in aliis codicibus rectius. Etenim neque per procuratorem, neque per tutorem, aut curatorem recte aditur; quamvis adeatur a pupillo, tutore auctore: ſiquidem non tutor, ſed ipſe pupillus adeundo adquirit. Fallitur enim Duarenus, *h*) qui aliter docet, putatque per procuratorem ad eam cauſam datum adiri hæreditatem jure antiquo poſſe. Quod eſſe manifeſto falſum, evincitur ex eo, quod præcipuum id conceditur procuratori Cæſaris, ut ſcilicet pro Cæſare adire poſſit hæreditatem: *i*) immo ſi vulgo licuiſſet hæreditatem per alium adire, cur Senatores legationes liberas in longinquas regiones hæreditatum adeundarum cauſa impetraſſent: ut optime obſervat Hottomannus. *k*) Neque hac in re differret jus Prætorium a civili, ſi hæreditas per procuratorem jure civili recte adquireretur, ſicuti adquiritur bonorum poſſeſſio, quæ deſcendit a jure Prætorio, ideoque ſoluta eſt religionibus juris civilis. Jus enim civile directum eſt, & aſperum, ut eleganter Cujacius; *l*) Prætorium vero moderatum, & mite.

LXXXVIII. DE OPTIONE.

Ab aditione hæreditatis tranſire convenit ad optionem legati, quæ certæ rei exemplo per ſervi optionem ſignificatur. Fiebat autem optio poſt aditam hæreditatem die a Prætore dato, productis palam rebus omnibus ejus generis, de quo erat optandum, nempe familia univerſa, ſi legata fuiſſet optio ſervorum, atque adhibebantur concepta verba, ut Labeo *m*) indicat, cum ait: *omne jus legati conſumi prima teſtatione*, hoc eſt ſolennitate verborum in jure, ut interpretatur Cujacius. *n*) Ex quo Juriſconſulti loco oſtenditur fieri oportuiſſe ſemel tantum ex natura actuum legitimorum, & pure, & teſtibus præſentibus. *o*) Dabatur autem legatario a teſtatore optio his verbis: *p*) *ipſe ſibi quæ volet eligat*, vel *hominem optato eligito*: *q*) vel *lances, quas elegerit quatuor.* *r*)

a) *L. filius §. penult. ff. de lib. & poſthum.*
b) *L. is qui hæres §. penult. ff. de lib. & poſthum.* Cujac. *obſ. 7. cap. 34.*
c) *L. 4. C. de rep. vel obſtinen. hæred. L. ſuus ibid.* Cujac. *ad L. actus legit. ff. de reg. jur.* P. Fab. *ſemeſt. lib. 2. c. 23.*
d) *L. eum qui & L. hæres 54. ff. de acquir. hær. L. actus legit. ff. de reg. jur.*
e) *L. ſi ſolus 80. in fine ff. de adquir. hæred.*
f) *L. 1. §. eſt hoc præcipuum ff. de offic. Procur. Cæſar.*
g) *L. 9. ff. de adquir. hæred.*
h) *lib. I. diſp. anniverſ. c. 27.*
i) *L. 1. §. eſt hoc præcip. ff. de off. Procur. Cæſ.* Cujac. *lib. 1. obſ. 34.*
k) *quæſt. illuſtr. cap. 34.*
l) *lib 1. obſ. 34.*
m) *L. 20. ff. de opt.*
n) *L. actus legit. ff. de regul. jur. in fine.*
o) P. Faber *lib. 2. ſemeſt. cap. 23. §. optio.*
p) *L. filium ff. de aur. & arg. legato.*
q) Ulp. *tit. 24.*
r) *L. ult. ff. de opt. legat.*

LXXXIX. DE TUTORIS DATIONE.

Sequitur tutoris datio, non quidem illa ex teſtamento, quæ privata ex auctoritate procedit, nec actuum legitimorum nomine continetur; ſed illa, quæ auctorem habet Magiſtratum, nempe Prætorem, vel Conſulem, vel Præſidem provinciæ; qua in datione tutoris, interveniebat ſolennitas actuum, & verborum, facta inquiſitione a magiſtratu, qui ex pupilli amicis, optimisque viris optabat eum, quem pupillo magis profuturum cognoſcebat: non enim *a*) ante poterat Prætor decretum interponere, quam inquirendo comperiſſet, quis eſſet magis idoneus, eumque pro tribunali cauſa cognita dabat hac verborum formula: *b*) *Tutorem do.*

XC. DE ACCEPTILATIONE.

Actus legitimos acceptilatione claudamus, quæ ſane cum primo loco poſitis conjungi potuiſſet; niſi natura ſolutionis poſtremum in ordine locum poſtulaſſet. Igitur meminiſſe oportet, veteres non modo dominium tranſtuliſſe per nexum, ſive per æs & libram, ſed omnem fere obligationem eo modo contraxiſſe; ſolus enim nexus auctoritatem juris contractibus dabat. At quoniam eo modo quid ſolvi debet, quo fuit adſtrictum; ideo obligatio nexu devincta, contrario nexu ſolvebatur, ac debitum acceptum ferebatur imaginaria ſolutione per æs, & libram, quæ vetus erat acceptilatio, ejusque hæc erat verborum formula: *Accepta facis X? Facio. c*) quam Feſtus *d*) nexus liberationem vocat, & ad æs & libram refert. Cum autem eſſet actus legitimus, fieri non poterat per procuratorem, qui ut acceptum pro alio ferre poſſet, neceſſe erat, ut dominus ei debitorem delegaret, ac deinde procurator proprio nomine novaret obligationem, ut eam poſſet poſtremo per ſe diſſolvere. *e*) At quoniam alia obligationum genera ſunt, quibus ea acceptilationis ratio minime conveniebat; cum ſola verborum obligatio hac acceptilatione tolleretur, inventus eſt C. Aquilius, qui celeberrima illa formula, de qua late in Inſtitutionibus, *f*) obligationes omnes in ſtipulatum deduxit, easque per acceptilationem, facta novatione, retexuit.

a) *L. tutor. ff. de adminiſt. tutor.*

b) *L. in dando L. Sejæ ff. de tut. & curat. dat. L. naturali §. ſi quæratur. & §. ult. ff. de confirm. tut L. ne quidquam §. ubi decretum ff. de offic. Proconſ.* Briſſ. *de form. lib. 3. p. 408.*

c) Briſſ. *de form. lib. 6. pag. 580.*

d) *Verbo nexus.* Varro 6. *de ling. lat.* P. Faber. *Semeſt. cap. 22. pag. 561.* Cujac. *l. actus legit. ff. de reg. jur.*

e) Cujac. *l. actus leg. ff. eod.*

f) *lib. 3. tit. 39.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

. . . .
. . . .
. . . .

SIN * JUS VOCAT QUEAT:

NIT, * ANTESTAMINO: IGITUR, EM CAPITO.

SI CALVITUR, PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO IACITO.

SI MORBUS ÆVITASVE VITIUM ESCIT, QUIN * JUS VOCABIT JUMENTUM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

II. SI ENSIET, qui in jus vocatum vindicit mi Tito.

ASIDUO VINDEX ASIDVS ESTO: PROLETARIO, CUIQUI VOLET VINDEX ESTO.

Endo via REM * UTI PAICUNT, * ORATO.

III. Cognitio Prætoris. NITA * PAICUNT, IN COMITIO, AUT IN FORO ab ORTU ANTE MERIDIEM CAUSAM CONSCITO, * CUM PERORANT AMBO PRÆSENTES. *

POST MERIDIEM PRÆSENTI STLITEM ADICITO.

SOL OCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO.

Caj *lib. 1. ad leg XII. tab. cujus pars prior huic primæ tab. reſpondet.* Caj. *l. 18. 20. 22. in pr. ff. de in jus vocan.*
* *Id eſt, ſi in jus vocat, atque eat.* Porphirion. *ad lib. 1. Satyrar.* Hor. *Sat. 9.*
* *id eſt, ni it.* Cajus *l. 233. in pr ff. de V. S.* Gell. *lib. 20. c. 1.*
* *id eſt, qui in.* Cajus *l. 22. §. 2. ff. de in jus voc.*
* *ubi.*
* RATO.
* *id eſt ni ita: puta, vindice dato, vel pacto inito.*

SI quis aliquem in jus vocet, vocatus ſtatim ſequitor.
Si in jus vocatus non ſequatur, qui vocabit teſtes ante adhibeto, & tum in jus vocatum ſiſtere ei jus eſto.
Si & tum in jus vocatus moretur, fruſtretur, fugamve adornet, manum ei injicere jus eſto.
Si imbecillitas, aut invalentia quædam, ætasve ſenilis impedimento ſit, quominus vocatus in jus ſequatur, qui in jus vocabit vocato vectabulum, ſeu vehiculum, quod adjunctis pecoribus trahetur, dato: ſi nolet is, qui in jus vocabit, vocato petenti plauſtrum undique tectum, munitumque ſternere ne cogitor.
Si tamen ſit aliquis, qui in jus vocatum, vel prenſum defendat, dimittitor.
Ceterum locupleti vindex locuples eſto: pauperi prolem tantum Reipublicæ ſufficienti quilibet vindex eſto.
Item ſi de re tranſactum fuerit inter vocantem, & vocatum dum in jus venitur, ita jus, ratumque eſto.
Si neque vindex aliquis ſit, neque de re in via tranſactum fuerit, tum in comitio, aut in foro Prætor cauſam cognoſcito, ante meridiem, cum ambo litigatores præſentes perorant.
Poſt meridiem, etiamſi unus tantum præſens ſit, præſenti actionem dato, judiciumque conſtituito.
Sole occidente ſupremus terminus judiciorum eſto, ſeu judicia ſolvuntor. Ad Solem proinde occaſum Prætor jus reddito.

De Judiciis.

- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - VADES SUBVADES - -

I. Numa R.

II. extra quam ſi MORBUS SONTICUS - - - VOTUM * abſentia * Reipublica Ergo, AUT STATUS DIES CUM HOSTE intercedat: nam ſi QUID HORUM FUAT UNUM * JUDICI ARBITROVE, REOVE, EO DIE DIFENSUS ESTO.

- - - - - - - -
- - - - - - - -

CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO.

De Furtis I. de noſturno fure.

SI NOX FURTUM FAXIT, SIM ALIQUIS OCISIT JURE CÆSUS ESTO. *

2. de diurno.

Si luci furtum faxit, sIm aliquis endo ipſo capſit verberator iLique, cui furtum factum eſcit, aDicitor.

1. manifeſto.

Servus, virgis cœſus, ſaxo deIcitor:

Inpubes, Prætoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.

vel quaſi.

SI SE TELO * defenſint quiritato ENDOQUE PLORATO: poſt deinde ſi cœſi eſcint, ſe fraude eſto.

Si furtum lance licioque conceptum eſcit, atque uti manifeſtum vindicator.

2. nec manifeſto.

SI ADORAT FURTO, QUOD NEC MANIFESTUM ESCIT, duplione decidito. *

SIn juri alienas arbores cœſit, in ſingulas xxv. æris luito.

3. de arboribus furtim cæſis.

Si pro fure damnum deciſum eſcit, furti ne adorato,

4. Communia de furtis.

Furtivæ rei æternAuctoritas eſto.

Caji *lib.* 1. *ad leg. XII. tab. cujus pars poſterior huic ſecundæ tab. reſpondet.*
* *Numæ R. lex II. tab. II. Capito apud* Feſtum *verb. Reus.*
* Caj. *l.* 233. §. 1. *ff. V. S.*
* Cajus *l.* 6. *ff. ſi quis caut.*
* *al. vitium, ut ſupra tab. 1. l. 1. Si morbus ævitasve vitium eſcit.*
Labeo *lib. de XII. tabul.* 11. *De furtis egit* Gellius 15.
* *Forte in ipſa leg. fuit:* ſe fraude eſto.
Cajus *l.* 233. §. 2. *ff. de V. S.*
* *Luitque* Cajus *l.* 2. *& 4. ff. de arboribus furtim cæſis.*

Digitized by Google

JUdicio conſtituto, judiceque adito vades, & ſubvades judicio ſiſtendi utrimque dantor, iique ſiſtere tenentor: niſi ſi morbus vehemens vim graviter nocendi habens votum aliquod, abſentia Reipublicæ ergo intercedat, aut conſtitutus ſit dies cum peregrino: nam ſi quid horum fuerit, & obvenerit judici arbitrove, vel reo, judicii dies differatur.

Qui teſtimonium denunciare volet, is trinundino, id eſt ter intra XXVII. dies ad domum ejus, cui teſtimonium denunciat, denunciatum ito.

Si noctu furtum fiat, furem autem aliquis occiderit, impune eſto.

Si interdiu furtum aliquis fecerit, eumque aliquis in ipſo furto deprehenderit, verberetur, illique cui furtum factum fuerit addicatur. Servus prius virgis cæſus ſaxo Tarpejo dejiciatur. Impubes Prætoris arbitrio verberetur, noxaque ab eo facta ſarciatur.

Quod ſi ſe telo defendant, dominus cum clamore prius id teſtificetur: tum ſi occiſi fuerint, jure cæſi ſunto.

Si furtum per lancem, & licium conceptum erit, perinde ac ſi manifeſtum foret vindicator.

Si agatur de furto non manifeſto, fur dupli damnator.

Qui injuria, ſeu furtim alienas arbores ceciderit, pro ſingulis arboribus cæſis XXV. aſſibus multator.

De furto paciſci jus eſto: & ſi pactum interceſſerit, furti amplius agere jus non eſto.

Furtivam rem uſucapere jus ne eſto.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

1. De depoſito. Si qui endo depoſito dolo malo factum eſcit, duplione luito.

2. de fœnore. Si qui unciario fœnore amplius fœneraSit, quadruplione luito.

Caj. *lib. 2. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic tertiæ tabulæ reſpondebat.*

3. de jure crediti perſequendi adverſus 1. hoſtem, id eſt peregrinum. 2. Confeſſum judicatum.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

ADVERSUS HOSTEM * ÆTERNAUCTORITAS ESTO.

* Caj. *l. 234. in princ. ff. de V. S.*

ÆRIS CONFESi, * REBUSQUE JURE JUDICATIS XXX. DIES JUSTI SUNTO:

* *confeſſis.* * *locuples.* Cajus *l. 234. §. 1. ff. de V. S.*

POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS DUCITO:

NI JUDICATUM FACIT, AUT QUIPS * ENDO IN JURE VINDICIT, SECUM DUCITO, VINCITO, AUT NERVO AUT COMPEDIBUS XV. PONDO NE MAJORE: AT SI VOLET MINORE, VINCITO:

Caj. *l. 234. §. 1. ff. de V. S.*

SI VOLET, SUO VITO: * NI SUO VIT, QUI EM VINCTUM HABEBIT LIBRAS FARIS ENDO DIES DATO: SI VOLET, PLUS DATO.

Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis retineto: Interibi trinis nundinis continuis in Comitium procitato, ærisque æſtimiam judicati prædicato.

Aſt ſi plures erunt rei, TERTIS NUNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLUS MINUSVE SECUERUNT, SE FRAUDESTO: ſi volent uls Tiberim peregre venumdanto.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

Digitized by Google

SI quid circa rem depoſitam apud ſe depoſitarius dolo malo admiſerit, dupli pœna adficitor.
Si quis majus quam unciarium fœnus (quod unciam menſtruam dependit in centum) exercuerit, quadrupli pœna adficitor.
Peregrinus quidquam uſucapere non valeto: cujus adverſus eum in perpetuum actio eſto.
Si debitum quis confeſſus fuerit, vel condemnatus jure fuerit induciæ ei menſtruæ 30. dierum ad debitum exolvendum dantor.
Si intra dies 30. illos debitor non ſatisfaciat, tum creditori capere eum, ſive prehendere, atque in jus ducere jus eſto.
Debitor ita nexus ſi poterit ſuo vivat: ſi non habeat, tum creditor, qui eum vinctum habebit, ſingulas farris libras in ſingulos dies ei dato: ſi volet plus ei pro arbitrio dare liceto.
Si & tum judicatum non ſolvat, neque interea quiſquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatum carcerem, ſeu vincula adducere creditori jus eſto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire: ſic tamen ut vincula non ſint graviora quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus eſto.
Paciſcendi interea addicto cum creditore jus eſto: ſi non pactus fuerit, 60. diebus creditori addictum in vinculis habere jus eſto: Intra eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producitor, quantæque pecuniæ judicatus eſſet prædicator.
Aſt ſi plures erunt creditores, tertiis nundinis, id eſt 27. die corpus rei in partes ſecanto: ſi plus minuſve ſecuerint, ſine fraude eſto: ſi malent, trans Tiberim eum peregre venumdanto.

Digitized by Google

De jure patrio.

PATER inſignem ad deformitatem puerum cito necato.

Endo * liberis juſtis vitæ necis venumdandique poteſtas ei eſto.

SI * PATER * FILIUM TER VENUNDVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO.

Si qui ei in X. MENSIBUS PROXIMIS poſtumus natus eſcit, juſtus eſto.

Caji lib. 1. ad leg. XII. tab. cujus pars poſterior huic IV. tabulæ reſpondet.
* Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 2.
* *patri ſcilicet.*
* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *ut exiſtimo vox hæc ab Ulpiano repetita.*

. . . .
. . . .
. . . .

De jure connubii.

Supplementum harum legum de jure connubii repete ex tab. XI. De mulieris uſu agetur infra tab. 6. De repudio etiam extat lex quædam d. tab. 6.

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

Pater filium ſibi natum monſtroſum, vel prodigioſum ſtatim necato.

In liberos juſtis ex nuptiis quaeſitos patri jus vitae necis, vendendique eos jus eſto.

Si pater filium ter vendiderit, filius poſt tertiam venditionem plene a patre liber fiat.

Si filius patri poſt mortem ejus intra decem menſes proximos a morte natus ex uxore erit, juſtus ei filius eſto.

Digitized by Google

1. De teſtamento.

PATERFAMILIAS UTI LEGASIT, SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ REI, ITA JUS ESTO.

1. de ſucceſſione ab inteſtato.

AST SI * NTESTATO MORITUR, CUI SUS HÆRES NEC ESCIT, AGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO.

1. de gentilitiis hæreditatibus.

SI AGNATUS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HÆRES NANCITOR.

2. de libertorum bonis.

Si libertus inteſtato moritur, cui sUs hæres nec eſcit, aſt patronus patronive liberi eſcint, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM Proximo pecuniA Duitor.

3 Communia hæreditatum.

Nomina inter HÆREDES pro portionibus hæreditarIs ERCTA, CITA ſunto.

Ceterarum FAMILIÆ rerum ERCTO NON CITO ſi volent Hæredes ERCTUM CITUM faciunto: Prætor ad ERCTUM CIENDUM arbitros tris dato.

4. de legitimis agnatorum. & gentilium tutelis.

Si paterfamilias inteſtato moritur, cuInpubes ſuus hæres eſcit AGNATUS PROXIMUS TUTELAM NANCITOR.

SI FURIOSUS AUT PRODIGUS EXISTAT, AST EI CUSTOS NEC ESCIT, AGNATORUM GENTILIUMQUE IN EO PECUNIA VEIUS POTESTAS ESTO.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Caji *libro tert. ad leg. XII. tabul. cujus pars prior huic quintæ tabulæ reſpondebat.*

* *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. verbum pater famil. hic repetiit auctor libri ad Herenn.* & Cicero *2. de inventione, quod tamen alii omittunt.*

Paterfamilias uti legem dixerit, ſeu prout diſpoſuerit de bonis ſuis, & liberorum ſuorum tutela, ita poſt mortem ejus obſervator.

Ac ſi inteſtato moritur paterfamilias neque ei ſuus hæres erit, tum agnatus proximus hæres eſto: ſi agnatus non erit, tum gentilis hæres eſto.

Si libertus inteſtato decedat, neque ſuum hæredem reliquerit, ſed patronum tantum, vel etiam patroni liberos, tum liberti bona ex ejus familia in patroni familiam tranſlata proximo in patroni familia addicuntor.

Defuncto creditore, vel debitore ejus hæredes pro portionibus hæreditariis convenire & conveniri tantum poſſunt: ipſoque jure inter eos obligatio dividitur. At ceterarum rerum ſi volent hæredes diviſionem faciunto: ad eam diviſionem Prætor tres arbitros dato.

Si paterfamilias inteſtatus decedat, cui ſuus hæres extabit impubes, Agnatus proximus tutor hujus ſui hæredis eſto.

Si qui furioſus, aut prodigus eſſe incipiat, neque is curatorem habeat, agnatorum, iiſque deficientibus, gentilium curæ tam ipſe, quam ejus bona committuntor.

Digitized by Google

1. De nexu mancipio.	QUm * NEXUM FACIET MANCIPIUMQUE, UTI LINGUA NUNCUPASit ITA JUS ESTO. SInficias ierit, duplione damnator. Statuliber, EMPTORI dando, liber eſto. Res vendita TRANSQUEDATA emptori non adquiritor, donicum ſatisfactum eſcit.	Caji *lib. 3. ad leg. XII. tab. cujus pars poſterior huic 6. tabulæ reſpondet.* *Cajus *l. in traditionibus 48. ff. de pactis.*
2. De uſu auctorit id eſt de uſucapione.	USus AUCTORITAS FUNDI, BIENNIUM: ANUs Usus ESTO. Mulieris, quæ aNum matrimonI ergo apud virum remanſit, ni trinoctium ab eo uſurpandi ergo abeſcit, uſus eſto.	*Cajus *l. ferri 235. in princ. ff. de V. S.*
3. De vindiciis, de jure poſſeſſionis.	SI QUIN JURE MANUM CONSERUNT, ſecundum eum qui poSidet. Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem Vindicias dato.	
	TIGNUM JUNCTUM ÆDIBUS VINEÆVE NE CONCAPET NE SOLVITO. Aſt qui junxit, duplione damnator. Tigna QUANDOQUE SARPTA, DONEC DEMTA ERUNT, vindicare jus eſto.	Cajus *d. l. 235. §. fabros lignarios 1. ff. de V. S.*
4. de repudiis.	Si vir mulieri Repudium miTere volet, cauſam dicito harunce unam. - - - - - - - - - - - - - -	Caj. *l. § ſi ex leg. repudium 43. ff. ad l. Juliam de adulter.*

Cum dominus rei ſuæ nexum faciet, vel mancipium uti nominarit, locutus pactusve erit, ita jus eſto.

Statuliber ſub hac conditione liber eſſe juſſus, ſi hoc, vel illud dederit, *ſi venditus poſtea fuerit, emtori dando liber eſto.*

Res vendita traditaque non ante emtori acquiratur, quam ab emtore venditori aliqua ratione ſatisfactum fuerit.

Fundi biennio: cetera res anno uſucapiuntor.

Mulier, quamvis ſine legibus viro juncta, ſi viro anno ſine uſurpatione, id eſt interruptione trinoctii apud unum virum fuerit, uſucapta eſto.

Si de qua re in jure apud Prætorem diſceptatur, ſecundum eum qui poſſidet Prætor vindicias dato: excepta liberali cauſâ, in qua ſecundum libertatem Prætor vindicias ſemper dato.

Omnis materia juncta ædibus, aut vineæ ne vindicator, neque ſolvitor; qui alienam junxit, duplo damnator; certe ubi ſoluta, demtaque fuerit, tum eam vendicare jus eſto.

Si vir ab uxore divertere voluerit cauſam divortii dicito.

Digitized by Google

De Pauperie.	SI QUADRUPES PAUPERIEM faxit, dominus noxi æſtimiam oFerto: ſi nolet, * quod noxit dato.	Caji *lib. 4. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic VII. tab. reſpondet.*
De damno dato.	sInjuria RUPITIAS. - - - - - - - - - - - - - -	
1. in genere.	Aſt ſi caſu, SARCITO.	
	QUI FRUCES EXCANTASIT.	
2. frugibus dato.	Qui frugem aratro quæſitam furtim nox pavit ſecuitve ſuſpenſus Cereri necator: Inpubes Prætoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.	* *ut tab. 1.* ſi nolet arceram ne ſternito.
	Qui pecu ENDO ALIENO IMPESCIT. - - - - - - - - - - - -	
3. incendio facto.	QUI ÆDES acervumve frumenti ad ÆDES poſitum dolo ſciens INCENSIT, victus * verberatus igni necator; Aſt ſi caſu, NOXIAM SARCITO. Si nec indoneus eſcit, levius caſtigator.	Cajus *l. qui ædes 9. ff. de incendio.* * *vinctus.*
De injuriis.	SI QUI INIURIAM ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ SUNTO.	
1. levioribus.	SI QUI PIPULOCENTASIT CARMENVE CONDISIT, QUOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIUMVE ALTERI fuſte ferito.	
2. atrocibus	SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PAICIT, TALIO ESTO.	
1. loco: ſeu publicis. 2. re.	QUI OS EX GENITALI FUDIT LIBERO, CCC. SERVO CL. ÆRIS POENÆ SUNTO.	
	QUI SE SIRI TESTARIER LIBRIPENSVE FUERIT, NI TESTIMONIUM FARIATUR, IMPROBUS INTESTABILISQUE ESTO.	
De falſo. 1. λείπο-μαρτυρία.	Si falſum teſtimonium DICASIT ſaxo deIcitor.	
2. ψευδο-μαρτυρίας.	Si qui hominem liberum dolo ſciens morti duit.	
De parricidio.	QUI MALUM CARMEN INCANTASIT, MALUM VENENUM faxit duitve PARICIDA ESTO.	
1. hominis cujuslibet 2. Parentis.	QUI PARENTEM NECASIT, CAPUT OBNUBITO, CULEOQUE inſutus in profluentem mergitor.	Cajus *l. qui venenum 236. in pr. ff de V.S.*
De Fraude. 1. Tutoris.	Si tutor DOLO MALO gerat, vituperato * quandoque finita tutela eſcit, furtum duplione luito.	* *vel ſi patronus.*
2. patroni.	PATRONUSI * CLIENTI FRAUDEM FAXIT, SACER ESTO.	

Digitized by Google

SI quadrupes damnum dederit, dominus quadrupedis damni æſtimationem offerto: vel ſi malit, quadrupedem ipſam noxæ dato.

Si per injuriam damnum dederit: ... Aſt ſi caſu, damnum ſolvito, præſtato.

Qui fructus alienos, alienamve ſegetem incantamentis in alias terras tranſtulerit, pellexerit: vel ne creſcerent obligaverit...

Qui frugem induſtrialem, aratro videlicet partam, furtim noctu paverit immaturam, vel maturam ſecuerit, Cereri ſacer, & devotus ſuſpendio necator. Impubes tamen ſi id fecerit, arbitrio Prætoris verberator, damnumque datum in duplum ſarcito.

Qui pecus in alienam ſegetem, vel frugem immiſerit paſcendi gratia....

Qui ædes aut acervum frumenti juxta domum poſitum ſciens prudens dolo incenderit, vinctus verberatus igni necator: ſi vero caſu, id eſt negligentia, damnum datum ſarcito: aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigator.

Si quis injuriam leviorem ſive re, ſive verbis alteri fecerit 25. aſſibus multator.

Si quis publice aliquem diffamaverit, eique convicium fecerit, vel carmen famoſum condiderit ad alterius injuriam, ſeu infamiam, fuſtibus feriatur.

Si quis alteri membrum aliquod ruperit, ni cum eo paciſci velit, membrum ei pariter rumpere injuria affecto jus eſto.

Qui dentem ex gingiva excuſſerit libero homini, trecentis aſſibus multator: qui ſervo CL.

Qui alicui actui teſtis adfuerit rogatus, vel libripens, ſi poſtea teſtimonium ferre detrectet, infamis habetor, neque ejus teſtimonium deinceps admittitor, neve ipſi teſtimonium dicatur.

Si quis falſum teſtimonium dixerit, Saxo Tarpeſo dejicitor.

Si quis hominem liberum dolo ſciens occiderit, capitalis criminis reus eſto.

Item qui magico carmine, ſeu incantamentis alium defixerit. Item qui malum venenum fecerit dederitve. Qui parentem necaverit capite obvoluto, culeo inſutus in aquam abjicitor.

Si tutor dolo malo tutelam gerat ſuſpectum eum facere cuivis liceto: Si quid de rebus pupilli furatus fuerit, eum finita fuerit tutela, duplum præſtato. Si quis quo tutor eſſet a vi, & injuria alterius ſeſe patrocinio commiſerit, patronus autem eum fefellerit, exetrabilis eſto.

Digitized by Google

1. De jure parietis.

AMBITUS PARIETIS, SEXTERTIUS PES ESTO.

2. De jurib. ruſtico-rum prædiorum.

SODALES, legem * quam volent, dum ne quid ex publica coRompant, ſibi ferunto.

- - - - - - - - -

1. De jure finium.

de FINIUM ratione lex * incerta, ad exemplum legis

- - - Atticæ Solonis. - - -

Intra V. P. æternAuctoritas eſto.

SI JURGANT adfines, finibus regundis Prætor arbitros tris aDicito.

2. De jure poſſeſſionum.

- - - HORTUS - - -

- - - HÆREDIUM - - -

- - - TUGURIUM - - -

Si arbor in vicini fundum impendet, xv. P. altius ſublucator.

Si GLANS in EM caduca fiet, domino legere jus eſto.

3. De jure aquarum.

SI AQUA PLUVIA MANU NOCET, Prætor arcendæ aquæ arbitros tris aDicito, NOXÆQUE DOMINO CAVETOR.

Via in poRecto VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. lata eſto.

4. De jure itinerum.

SI via AMSEGETES iMunita eſcit, qua volet, jumentum agito.

- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -

Caji *lib. 4. ad leg. XII. tab. cujus pars poſterior huic VIII. tab. reſpondebat.*

* Cajus *l. ult. ff. de collegiis. Hæc porro lex referri poſſet ad tabulam ſuſp. 7. de delictis, de quo in notis.*

* *vel paciſonem.*

Cajus *l. ult. ff. finium regund. Hæc tria vocabula forte pertinent ad junctam illam legem de finium ratione.*

Inter viciniorum ædificia ad circumeundi facultatem ſpatium vacuum duorum pedum, & ſemis relinquitor.

Sodales, id eſt collegiati (quorum certa fuerant corpora) leges inter ſe ferre liceto quas volent, dummodo publicis legibus contrariæ non ſint.

Spatium quinque pedum (quod vacuum inter duos agros erat ad acceſſum, & circumductum aratri) uſucapere jus non eſto.

Si vicini de finibus diſceptent, decertent, Prætor dirimendæ controverſiæ tres arbitros dato.

Si arbor ex vicini fundo in vicinum impendeat, arboris illius rami XV. pedibus altius circumcidantur.

Si fructus e vicini arbore in vicini fundum cadat, domino arboris legere fructum jus eſto.

Si aqua pluvia opere manufacto nocere poterit, Prætor ad arcendam aquam ne noceat, tres arbitros dato: damni infecti nomine caveto.

Latitudo viæ qua ſe recte porrigit via VIII. pedum eſto: at ubi flexum eſt ſedecim.

Si via ab iis qui vicinia prædia poſſident munita non ſit, jumentum agere quo quis velit jus eſto.

Digitized by Google

Caji lib. 5. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic XI. tabulæ reſpondebat.

1. De æqualitate, & juris æquitate.

PRIVILEGIA NE INROGANTO.

NEXO SOLUTO, FORTI SANATI ſiremps jus eſto.

Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam aCepſit, capital eſto.

2. De capite civis.

DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMUM COMITIATUM NE FERUNTO.

QUÆSTORES PARICIDI, qui de rebus capitalibus quærant, a populo creantor.

3. De pace publica.

Si quIn urbe cœtus nocturnos agitaSit, capital eſto.
Si qui perdueLem concitaSit, civemve perdueLi transduit, capital eſto.

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .

In ſingulos homines leges juraque ne feruntor.

Nexo ſoluto, item ei, qui in fide conſtanter manſit, & ei qui ſanata veluti mente ad obſequium redsit, jus idem eſto.

Si judex aut arbiter jure datus ob rem judicandam, pecuniam acceperit, capite luito.

De vita, libertate, civitate, familia adimenda civi Romano populi judicium eſto centuriatis comitiis.

Judices rerum capitalium a populo conſtituuntor.

Si quis in urbe coitiones agitaverit, capite luito.

Si quis hoſtem in populum Roman. ſeu patriam concitaverit, vel civem hoſti tradiderit, prodiderit, capite punitor.

2. De jure jurando.

. . . .
. . . . de jurejurando . . . .
. . . .

Caji *lib. V. ad l. XII. tab. cujus pars poſterior huic X. tab. reſpondet.*

2. De jure ſepulchrorum.

HOMINEM MORTUM IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO.

SUMPTUS ET LUCTUM A DEORUMANIUM JUREMOVETO. *

Cicero *lib. 1. de legib.*

* pro jure removeto.

HOC PLUS NE FACITO.

ROGUM ASCIA NE POLITO.

Tribus riciniis, & X. tibicinibus foris eFeRe jus eſto.

MULIERES GENAS NE RADUNTO: NEVE LESUM FUNERIS ERGO HABENTO.

HOMINI MORTUO OSA NE LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAS, extra quam ſi beLi endove hoſtico mortUs eſcit.

SERVILIS UNCTURA, OMNISQUE CIRCUMPOTATIO auferitor.

MURRATA POTIO MORTUO NE INDITOR.

NE LONGÆ CORONÆ, NEVE ACERÆ PRÆFERUNTOR.

QUI CORONAM PARIT IPSE PECUNIAVE, EJUS VIRTUTIS ERGO, ARGUITOR: * ET IPSI MORTUO PARENTIBUSQUEJUS DUM INTUS POSITUS ESCIT EORISVEFERTUR, SE FRAUDE IMPOSITA SIET.

* *id eſt* honoratos.

Uni plura funera ne facito, neve plures lectos ſternito.

NEVE AURUM ADITO: AST SI CUI AURO DENTES VINCTI ESCINT, IM CUM ILO SEPELIRE UREVE SE FRAUDESTO.

Rogum buſtumve noUum propius LX. P. ædis alienas, ſi dominus nolet, * ne adIcito.

Fori buſtive æternAuctoritas eſto.

* *Cajus l. 237. ff. de V. S.*

Hominem mortuum in Urbe humare, vel urere jus ne eſto.
Sumtuoſa, & magnifica funera, & lamentabilia prohibentor.
Funerum modus, qui nunc definitur, deinceps eſto, neque eum excedere liceto.
Ligna ex quibus rogus comburendo cadaveri conſtruitur, dedolando ne levigentur, ſed rudia, & impolita rogo adhibentor: tribus vinculis purpuræ; neque pluribus, componi, vel uri mortuum jus eſto: X. tibicines neque plures funeri adhibere jus eſto.
Mulieres ne genas unguibus dilanianto, ſeu faciem carpunto.
Neque lugubrem ejulationem, ſeu fletum in funeribus adhibento.
Homini mortuo e cadavere membrum aliquod ne adimito, cujus cauſa poſtea funus, funeriſque impenſæ de novo iterentur, niſi ſi quis in bello mortuus eſſet, vel peregre.
Servorum cadavera ne unguntor. In funeribus epulæ omnes prohibentor.
Sumtuoſa adſperſio omnis in mortuum, & rogum amovetor.
Ne longæ coronæ, vel longæ coronarum ſeries, neve aræ thuri adolendo, aliiſve odoribus funeri præferuntor.
Qui coronam meruerit in ludicris, ſive ipſe, ſive ſervi ejus equive in funere ob virtutem laudator, ipſique mortuo & ejus parentibus, & quamdiu domi per novem dies collocatum eſt cadaver, & cum effertur, coronam illam imponi jus eſto.
Unius hominis cadaveri funus unum fiat, & unus lectus ſternitor.
Aurum a funere omnino removetor: excipitur aurum, quo dentes vincti, id enim cum cadavere ſepelire, aut urere jus eſto.
Rogum vel ſepulchrum deinceps ædibus alienis domino invito propius 60. pedes admovere jus ne eſto.
Veſtibulum ſepulchri, ſepulchrumve uſucapere jus ne eſto.

Digitized by Google

Quartæ tab. ſupplementum.

QUOD POSTREMUM POPULUS JUSIT, ID JUS RATUM ESTO.

Patribus cum PLEBE * coNubI jus eſto.

- - - - - - - - -

Quintæ tab. ſupplementum.

- - - DETESTATUM - - -

ſeu de SACRIS DETESTANDIS.

- - - - - - - - -

Caji *lib. 6. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic XI. tabulæ reſpondet.* Cajus *l. 238. in pr. ff. de V. S.* Dionyſ. Halicarn. *in fin. l. 10.* Tonaras *tom. 2.* Cajus *l. 238. §. 1. ff. de V. S.*

Digitized by Google

POſteriores populi leges prioribus potiores ſunto.

Inter patricios, & plebejos matrimonia ne contrahuntor.

Digitized by Google

Sextæ tab. ſupplem.

\- - - - - - - -

\- - - - - - - -

\- - - - - - - -

\- - - de PIGNORE. - - -

Si qui rem, de qua ſlis fiet, in ſacrum dedicaSit, duplione decidito.

Caji lib. 6. ad leg. XII. tab., cujus pars poſterior huic ultimæ tabul. reſpondet.

Cajus *L.* 238. §. 2. *ff. de V. S.*

Caj. *l. ult. ff. de litigioſis.*

Cajus *l.* 19. *ff. de uſuris, & fruc.*

Septimæ tabul. ſupplemen.

SI VINDICIAM FALSAM TULIT, PRÆTOR REI SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO: FORUM ARBITRIO FRUCTI DUPLIONE DECIDITO.

SI SERVUS SCIENTE DOMINO FURTUM FAXIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXÆ DEDITO.

Cajus *l.* 238. §. 3. *ff. de V. S.*

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

Octavæ tabul. ſupplemen.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

Nonæ tab. ſupplementum.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

Decimæ tabul. ſupplemen.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

REm de qua controverſia eſt, in ſacrum dedicare ne jus eſto: qui dedicaverit, dupli pœna multator.

Mala fide poſſeſſionem ſi quis nactus ſit, Prætor ei rei definiendæ tres arbitros dato, eorumque arbitrio malæ fidei poſſeſſor fructus in duplum præſtato.

Si ſervus domino ſciente furtum fecerit, damnumve aliter dederit, dominus eum pro delicto, injuria vel damno affecto dedito.

Digitized by Google

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINÆ

ORIGINUM JURIS CIVILIS

LIB. III.

QUI EST

DE

LEGIBUS ET SENATUS-CONSULTIS,

NEC NON

DE ROMANO IMPERIO

LIBER SINGULARIS,

SEU

OPERUM TOMUS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

INITIO ſuperioris libri, CLEMENS MAX. ab ipſomet hominis ingenio exordia juris naturalis, & gentium excitavimus: nunc iisdem ab hominibus, non quidem ſparſis, & ſegregatis, verum convenientibus una inter ſe, inque communem vivendi ſocietatem coëuntibus civilis regiminis cauſas, & fundamenta, varietatesque rerumpublicarum eruemus. Cum enim civitas ſit corpus ex hominibus coactum, atque compoſitum, ſi quid in corpus diffundatur univerſum, ex ejus oportet emanare partibus, ſtatumque, aut mutationem, & vicem civitatis totius ex natura, & motu, moribusque ſingulorum hominum evenire: nam ſi neque in civitatem extrinſecus migraverint, neque introrſus ex ipſismet hominibus oriantur: eas ex nihilo contra naturalem rationem arceſſere compellemur.

I. DE JUSTITIA CIVILI.

CAuſas igitur ſive tranquillitatis, ſive perturbationis, item interitus, mutationisque civilis, atque imaginem civitatis utcunque conſtitutæ, tanquam in ſpeculo in ipſamet natura humana ſpectabimus. Motibus enim partium eodem ſimul incumbentium, atque flectentium, totum etiam corpus una circumagitur: iisdemque putreſcentibus partibus una diſſolvitur. Quamobrem affectio, quæ hominis naturam ſedat, aut exagitat, eadem ſi ſingulis in civibus multiplicetur, univerſam componit, evertitve civitatem. Quæ eatenus coaleſcit, quatenus partes in communem aliquem ſenſum conveniunt, & ad optimum tum adducitur ſtatum, quando cives ita cohærent inter ſe, quemadmodum hominis membra toto cum corpore congruunt. Quam partium in civitate convenientiam, atque conſenſum inducit ſola juſtitia: cum juſtorum ſit unus concorsque ſenſus: injuſtorum vero diſcors, & varius: unde non mirum, ſi ut juſtorum animus affectionum concordia componitur, atque ſedatur, injuſtorum vero vita perturbationum diſcordia miſerrime circumvolvitur; ita & civitas juſta ſibique conveniens perpetuo conſervetur; injuſta vero, ſibique repugnans cum ſuarum partium variatione turbinis more verſetur. Beata igitur civitas eſt, in qua unaquæque portio munus perfecte obeat ſuum, concordique miniſterio partium, hominis bene valentis, optimaque horum temperie gaudentis reddit imaginem. Quamobrem ei naturæ, quæ imperio ſuo regit hominem atque tuetur, imperium eſt atque tutela committenda civitatis; menti videlicet, quæ non corpori tantum humano, ſed & naturæ rerum præſidet univerſæ.

II. DE MENTE HUMANA, ET EJUS JURE IN CORPUS.

Etenim a mente divina, & infinita, quæ corporea omnia, & incorporea volvit, procreata eſt mens humana, & finita, quæ membris noſtris, corporique præeſſet: cui motus e mente, ac vita ſingulis momentis ingeneratur. Motus namque unde oriuntur, intereunt, & mutantur omnia, non in corporis, verum in animæ natura continetur: corpus enim nullum edere poteſt, atque ab ſe ciere motum, niſi aliunde acceperit: cum corporis notio quantitatem quidem, ſoliditatem, & figuram, non vero motum involvat: corpus enim ſi motu ſpolietur, tamen manebit idem: at quantitate, ſoliditate, figuraque detracta, periiſſe intelligeretur. Mens

vero in percipiendo, cogitandoque adeo ex ſua natura verſatur, ut ſublata cogitatione, mens tibi diffugeret: at cogitatio unde animi natura profertur, actus eſt a mente continenter exoriens, qui, ut permaneat, opus habet aſſidua productione ſui ipſius; productionem vero ſine motu nullam intelligimus. Unde ſive cogitatio verſetur eodem, ſive de re una in aliam perlabatur, aſſiduo motu cietur; quia mentis eſt actio perpetuo fluens. Vivit enim, atque alitur ex novis perpetuiſque animi nixibus, qui ſingulis momentis multiplicati pereunt continuo, atque identidem regignuntur. Quos novos perpetuo percipiendi actus, mens quomodo protulerit, ſine ingenito, inditoque propriæ naturæ motu? Quamobrem exuere motu mentis naturam nequimus; quia eo ſublato, cogitatio extingueretur. Quia igitur motu, qui eſt ab incorporea natura, animantur omnia, colligere hinc licebit, incorpoream naturam eam eſſe, quæ ſive poteſtate ſua procreans, volensque omnia, qualis voluntas eſt divina, ſive ab Deo creata, Deique juſſu ſubiens ipſa certum, ac peculiare corpus, lumen rebus ferat & vitam: corpus vero per ſe, ſi ea luce, ac vita caruerit, pondus eſſe tantum, & umbram intelligimus. Unde imperium animæ in corpus humanum ab ipſa natura fuit inſtitutum, quia corpus a mente ducitur, ac ſuſtinetur: & ei ſunt rerum gubernacula tradenda, unde res ipſæ vitam accipiunt: ne ſi ab illius imperio eximantur, non ad libertatem, ſed ad interitum potius tendant. Sicut autem ratio infinita motum ubique diffundens, rebus imperat univerſis; ita debet & ratio finita, in qua imago infinitæ rationis inſculpitur, nempe mens humana, motu a Deo accepto imperare corpori humano, & rebus omnibus ex humana facultate pendentibus. Hinc homini, utpote ratione prædito, & naturæ præſtantiori ſubjiciuntur muta, inanima omnia, itemque ratione carentia, quibus hominis dominatio prodeſt, quia cuſtodia, curaque noſtra ferociam effugiunt animantium aliorum; ut hoc etiam nomine longe ſint feliciores manſuetæ animantes, & cicures, quam feræ, atque indomabiles.

III. DE NATURA SERVIS, ET NATURA DOMINIS.

Hinc rudibus, agreſtibusque hominibus plurimum conducit parere ſapientibus. Hinc & lege naturæ, quæ mentem imbecilliorem præſtantiori ſubjicit, fœmineus virili ſexui ſubjicitur, cum virilis ſuperet ea parte, qua divinitatem attingimus, & res corporeas antecellimus. Cum igitur viri, & mulieris conjunctionem natura ipſa inveniat, & machinetur, & mulier a viro ratione vincatur; minori autem rationi ratio major lege naturæ dominetur; palam eſt, mulierem traditam eſſe in poteſtatem viri ab ipſa natura, tanquam in cuſtodiam, & conſervationem ſui. Ob eandemque rationem filii naturaliter veniunt in poteſtatem patris, quia liberis utilius eſt, ut a patre regantur, quam a ſemetipſis: atque hinc imperium oritur domeſticum. Denique univerſe, quia propter mutuum uſum rerum, & operarum ad vitæ diuturnitatem, atque ſecuritatem inter homines lex ipſa rationis, & natura ſocietatem inſtituit; neque ulla conſtare ſocietas inter eos poteſt, qui prudentia inter ſe, ac ratione diſcrepant; niſi prudentia, & ratio minor prudentiæ ſubdatur, ac rationi majori, quæ proſpiciat imbecillioribus: nemo non viderit eos, qui mente ſunt hebetiores, & ingenio pinguiores fuiſſe creatos ad parendum, tanquam natura ſervos; præſtantiores vero, & ſapientiores tanquam natura dominos ad imperandum;

dum; non quidem propter propriam, ſed propter imbecilliorum potiſſimum utilitatem. Quia natura non aliam ob cauſam ſubeſſe homines hominibus patitur, niſi ut qui ſecuritatem, & utilitatem nequeunt parare ſibi, eam præſtantioris mentis imperio conſequantur: unde ſapientum in ceteros dominatio, utpote nexus humanæ ſocietatis, & radix publicæ ſalutis in commune commodum ab ipſa natura, & a rationis lege procedit. Nam ſi jus imperii ducamus a potentia corporis; continuo in diſcordiam, & mutuam, infinitamque cædem delabemur. Cum enim abſit a corpore conſilium; niſi motus illius ratione, ac regula gubernentur; homines feris miſerabiliores affectionibus propriis aſſiduo inter ſe pugnantibus invicem dilaniaremur. Quid præterea tam præpoſterum, atque aberrans a natura, quam poteſtas corporis in mentem, a qua corpus, accepto motu, ſuam vim, & poteſtatem perpetuo trahit? Quid igitur poſſunt ad humanam ſocietatem, & civilem vitam corporis vires? Num ad fabrilia tantum, arteſque rudiores; ad prudentiam vero, & cuſtodiam publicam erunt proſus inutiles? Et ſane niſi metus nobis impenderet ab hoſtibus externis, aut a motibus inteſtinis, ad regimen civile corporis robur nullius forſan eſſet uſus: utique ſi ſuæ omnes, aut alienæ rationi ſponte parerent: intelligentes aberrantem a ratione, dum ab ea deflectit, & a virtute ad vitium dilabitur, erroris pœnas dare ſine carnifice, cum omne vitium ſit ultor ſui.

IV. DE MERO MISTOQUE IMPERIO.

Verum quia homines non tam cognitione, quam ſenſu ducuntur, ac raro cauſas miſeriarum adſcribunt ſibi ipſis, & propriis cupiditatibus, ex quibus tantum voluptates percipere ſibi videntur, ignari, eas fontem eſſe malorum, cum nunquam voluptates a vitiis veniant ſine longa, & ſæva cohorte miſeriarum; propterea qui latentibus in animo pœnis minime reprimuntur, pœnis compeſcendi ſunt exterius accitis, viſuique patentibus; ut cum viribus rationis minime regantur, viribus cohibeantur corporis. Unde corporis, cujus pernicioſiſſimum eſt imperium, ſervitium tamen eſt utiliſſimum, dum eo veluti miniſtro, atque ſatellite rationis utamur. Hæc autem vis legitima, ſive civilis, ſi atrocioris pœnæ facultate polleat, imperium merum: ſi vero levioris coërcitionis poteſtate finiatur, miſtum appellatur: quorum hoc jurisdictioni ſemper, & Magiſtratui; illud Principi tantum & ſupremæ poteſtati cohæret, de quibus fuſius, & ſubtilius in noſtro *de juriſdictione* tractatu.

V. DE TRIBUS CIVITATUM GENERIBUS, ET PRIMO DE SIMPLICI, SIVE DE OPTIMO STATU CIVITATIS.

Qua juſta diſtributione munerum, & collocatione, ac temperamento partium ſecundum ſuam cujusque naturam ad imperandum, vel ad parendum, & ad indicendas, vel ſubeundas pœnas, civitas recte componitur. Ac ſane ſi homines in mutuam cuſtodiam incumbentes, communibus uterentur opibus, ad externas repellendas injurias; inteſtinas vero diſcordias nullis neque ſingulorum, neque univerſorum reprimerent viribus; ſed ſolo conſilio, ac publico, privatoque uſu perfectæ virtutis ita favillas quaſcunque diſcordiarum extinguerent; ut pacem ubique partam pro ſe quis-

que aleret, eamque abſtinentia injuriarum, ac mutua benevolentia, ſtudioque publicæ, ac privatæ utilitatis tueretur; hæc eſſet beatiſſima civitas, atque omnium præſtantiſſima, quippe quæ ad ſui præſidium ſolam rationem, ſine ullo corporis miniſterio adhiberet; & virtutibus privatorum, tanquam publicis legibus inſtitueretur. Unde opus hæc non haberet corporeis viribus, ut alios ad rectam vivendi normam traheret; quia ſuam ſibi quiſque rationem haberet ducem. Ratio vero, ſi omnibus affectionum nubeculis explicetur, una eademque in ſingulis emicabit, unicamque in mentibus hominum boni notionem excitabit: in quam omnes uno eodemque animi ſenſu conveniunt. Ratio enim parit ſcientiam: ſcientia vero ſimplex eſt, & unica, quia non deſcendit a rebus fluentibus, & variantibus, nempe a rebus creatis, & corporeis, a quibus producitur varia, & inconſtans opinio; ſed a notionibus æternis, & incorruptis divinæ immortaliſque naturæ illabitur in animos noſtros, participeſque ſui ad mentium ſimplicitatem adducit, atque concordiam. Qui homines civilem ſocietatem ineuntes a ſola mente regerentur, ſine ullo miniſterio corporis; quia unus idemque ſenſus, atque conſilium in omnes effunderetur; ideoque civitatem hanc, ſi talis unquam civitas inter mortales exiſteret, merito civitatem ſimplicem appellaremus.

VI. DE CIVITATE MISTA.

Quando vero civium potior pars a ratione gubernatur; aliæ vero partes a ratione diſſentientes trahuntur a ſenſibus, quorum varia perceptio eſt, atque tempore, regionibus, morbiſque mutabilis: tum oportet partem rationabilem, quæ natura imperat ceteris, adhibere collectas vires multorum, & miniſterium publici corporis, ad coërcendas aberrantes a ratione partes. Unde quia in hanc civitatem ſcientia, & opinio confluit; quarum illa in imperantibus inſidet, hæc in multitudine, quæ prudentioribus obtemperare compellitur, ita ut ſtatus ejus in imperio mentis, & obedientia minime voluntaria ſenſuum conſtituatur; non abſurde miſta civitas nuncupabitur.

VII. DE CIVITATE PERTURBATA.

Verum quando in ſocietatibus civilibus prudentiorem partem ſtultior, & virtutem vitium, ac rationem opinio ſuperaverit; ibi vis, & error agitabit, vertetque omnia, regimenque deferet ei, qui ſuorum, & alienorum vitiorum ſatellitio ſeſe, melioribus deprimendis, ad ſublimiorem poteſtatis gradum extulerit. Unde quia hic natura domini ſubjiciuntur natura ſervis, & opinioni ſcientia in extrinſecis actibus famulatur, ac naturalis ordo miſcetur, atque pervertitur: propterea recte, meo judicio, vocabitur civitas perturbata. Civitatem igitur ſimplicem ad unam boni, rectique rationem ſeſe convertentem, deſcriptam, & informatam inveniemus in animis eorum, qui una eademque boni notione ducuntur: qui ſimul convenientes continebunt ſuam intra ſe quiſque legem, ſuos magiſtratus, ſuos milites, ut imperio exteriori non indigeant: cum propria ipſi ratione provideant, reliquaſque animi partes, quarum quæque munere ſuo ſungitur ad uſum, & miniſterium, rationis adhibeant. Nam ſicuti occurrentia viſa oculi confeſtim excipiunt, ita & ratio ſtatim complectitur cognitionem: quæ ſi lucidior fuerit ad rationis legem

legem deſciſcentes ab ea revocabit cupiditates: quibus in officio continendis ſuſcitabit iram diſciplina rationis imbutam, & propria, nativaque feritate ſpoliatam: ut quæ animæ partes liberæ, atque ſolutæ bellum ciebant inteſtinum, ex rationis imperio parentes, pacem civitatis pariant interioris. Verum neſcio, an civitati illi ſimplici ullus pateat in humana vita locus, * quia nulla neque plurium, neque unius hominis ratio perpetuo vigilat. Cui aliquando torpeſcenti, ſi frena deffluxerint, iis tantiſper laxatis, affectiones, & cupiditates exilient, & exultabunt: atque iuſtar Phaëthontis equi rectorem trahent ipſæ ſuum, ut poſtremo atterant, atque conculcent. Unde quia non omnes, ſed ſoli ſapientes eſſe ſibi queunt rectores ac duces, iique non gregatim, ſed ſparſim inveniuntur; non mirum, ſi nulla ex hoc genere civitas, quam ſimplicem diximus, componatur. Cum itaque rari ex hominum turbis propria ratione reguntur, opus eſt, ut univerſi ratione gubernentur aliena, & mente paucorum, cum pauci ſint admodum in qualibet natione ſapientes. Itaque oportet iisdem luminibus atque conſiliis regere civitates, quibus quiſque ſapientum cupiditates ſuas, iramque gubernat, ut quemadmodum ira, & cupiditas in ſingulorum animis recte compoſitis obtemperat rationi privatæ; ſic potentia, numerusque major, nempe proceres, & multitudo pareant ſapientum ſententiis, quæ ſunt mens civilis corporis, a qua in univerſam rempublicam ratio propagatur: eaque civilis vitæ conſtitutio erit miſta civitas: quo etſi paucorum virtutes conveniant, & vitia plurimorum; tamen quia plurium affectiones paucorum rationi ſubjiciuntur; evenit, ut a virtutibus vitia ſuperentur, & civitatis conſtituatur ſtatus, quatenus mortalis vita patitur, omnium optimus.

VIII. DE LEGIBUS CIVILIBUS, ET EARUM CAUSIS.

Verum inſolentia, & livor opulentiorum adverſus eos, a quibus prudentia vincuntur, itemque multitudinis amentia, quæ magis divitias, quam prudentiam admiratur, ſapientum conſiliis nunquam cederent; neque populus ſeſe regendum iis traderet adhuc viventibus, niſi propriam ſibi perſonam ſubtraherent, atque divinum numen, quæ ſuprema certe ratio eſt, ac ſumma lex creatarum, & æternarum rerum inducerent, rationemque ſuam viventem, & loquacem converterent in rationem inanimem, & ſcriptam, omnique affectione ſpoliatam, quæ leges appellantur. Quamobrem primævæ leges; vel revera ipſum Deum habuerunt auctorem, quales fuerunt Hebræorum; vel ad Deum revocatæ fuerunt a ſuis cujusque legiſlatoribus, ut adjecta legibus auctoritas divina, legiſlatores ab invidia, &

* Poterat addere, quod Tullius olim ad Atticum ſcribebat *l. XV. ep. 4. Rubeo (mihi crede) ſed jam ſcripſeram, delere nolui.* Eſt enim hæc civitas ſimplex, in qua ſtulti ſapientibus parent, civitas Platonica. In libro ſuperiori exordia juris naturalis & gentium ab honeſtate naturali repetierat, ſeu ab ipſomet hominis ingenio; hoc autem loco ex unione voluntatum, ejusque diverſis rationibus diverſis gradibus jus publicum exponit. Quod in *c. 3.* dicitur, mulieres a viris ratione vinci, forſitan negent mulieres, & diſcrimen omne diſparitati educationis tribuant. Imperium merum & miſtum quoque, utrumque proprium Juri Romano, minus bene miſcetur tractationi Juris univerſalis.

leges

leges a contemtu, & contumelia vindicaret. Easque in animis etiam defixere jurejurando, quod vinculum erat in veterum inſtitutione tenaciſſimum, ita ut eo delato Rhadamanthus judicia omnia ſanctiſſime, ac celeriter expediret. Non enim in priſca innocentia, & integritate morum opiniones illæ deterrimæ ad religionem, & fidem commerciorum evertendam eruperant: quarum aliquæ non minus impie, quam inſane Dei naturam funditus tollunt; aliquæ a gubernatione rerum eam ſtolide abjiciunt; aliquæ nihilominus perfidæ, mortalibusque noxiæ, ſummoque Numini contumelioſæ permittunt quidem Deo rerum univerſarum regimen, & pœnarum, atque præmiorum arbitria; ſed eum velut in ſocietatem criminum nefarie vocantes, muneribus a rapina, & fraude, atque alienarum opum uſurpatione venientibus, & motibus corporis, verbisque nullo animi ſenſu pronunciatis, ac mentitis obſequiis placabilem ponunt.

IX. DE AUCTORITATE JURISJURANDI, ET JURIS DIVINI.

Nihil autem religioſum & civilem hominum ſtatum facilius diſſolvit, quam remiſſio, & laxamentum quantulumcunque jurisjurandi, quo publica fides, & legum obſignatur auctoritas. Quamobrem Lycurgus, ut perpetuo jurejurando ſuas muniret leges, redire ad cives noluit, quos ad legum ſuarum cultum ſacramento usque ad reditum ſuum obligarat. Atque is Apollini leges adſcripſit ab ſe conditas, Minos vero Cretenſium legislator Jovi, Numa Ægeriæ Deæ, quicum in ſilvarum receſſibus colloquium habere ſimulabat: & ne percurram ſingulos legum auctores, nefas fuit apud Romanos ferre leges, antequam captis auſpiciis Deos conſuluiſſent, ut ab eis adprobatæ viderentur. Nunquam enim recta ratio publice imperaverit, niſi vel a Deo mittatur, vel ab hominibus nomine, atque auctoritate divina conſecretur. Quomodo enim ſententiæ unius hominis, voluntates parerent univerſorum, atque ad illius obſequium converterent publicas vires, nempe imperium, & jurisdictionem: niſi cultum illum exhibere ſe crederent præſtantiori naturæ. Hinc Ægyptii non modo publicas civilis regiminis inſtitutiones, verum & privatas artes, atque doctrinas, & eorum exemplo Pythagoræi philoſophiam omnem ſuam in religionem convertebant, ut quos ratio non poſſet, divina emendaret auctoritas. Nos igitur, & ante nos Hebræi unice inter mortales beati: ad quos Dei Filius rationem ſimul attulit, auctoritatemque divinam: quibus corruptelam humanæ rationis emendavimus, & falſum divinitatis colorem ab humanis inſtitutis abſterſimus: legislatorem accipientes eum, qui non certis populis, aut regionibus, ſed naturæ hominum univerſæ leges tulit æternas inſinuatas, atque entritas conſilio ſapientiæ illius, quæ omnium creatori adfuit, dum extenderet cœlum, ſuſpenderetque fundamenta terræ, quæ illi ſemper, etiam ante rerum certarum exordia, præſto fuerat.

X. DE VARIIS CIVITATIS MISTÆ FORMIS.

Sed jam ad formas civitatis miſtæ, cujus exordia poſuimus, tranſeamus: ac deinde ad alias, in quas civitas miſta convertitur, quando paucorum quidem opulentia; & ſatellitium unius, atque potentia, vel licentia multitudinis redegerit leges

in

Digitized by Google

in ſuam poteſtatem, ut vis rationem ſibi ſubjecerit, atque utilitas publica ceſſerit unius, aut paucorum commodis, aut multitudinis effrenæ libidinibus; tum enim, quia naturalis, atque civilis perturbatur ordo, & ratio ab affectionibus, leges a violentia ſuperantur, merito civitas nobis perturbata nuncupabitur, in qua perinde atque in civitate miſta tres itidem erunt ſtatus, invicem ſibi oppoſita ratione reſpondentes: nempe unius, paucorum, & multitudinis; quorum quisque optimus delabitur in peſſimum ſibi oppoſitum, habentque ſinguli diſtinctum ſimul cum natura nomen. Etenim in civitate miſta poteſtas unius regnum appellatur; poteſtas paucorum dicitur ſtatus optimatum; poteſtas multitudinis respublica nuncupatur; quorum nomina ſimul cum natura eorum civitatis perturbatione mutantur. Namque ſi leges ab uno ſuperentur, cadit regnum in tyrannidem; ſi a paucis, optimatum ſtatus tranſit in dominationem paucorum, quam græce dicimus ὀλιγαρχίαν; ſi a multitudine, reſpublica defluet in ſtatum popularem, ſive δημοκρατίαν, quæ duæ poſtremæ poſſent etiam appellari tyrannides, hæc plebis illa paucorum.

XI. DE REGNO.

Exordiamur autem ab imperio unius, quæ optima eſt certe reipublicæ ſpecies, ubi legibus famuletur. Siquidem ſemper ineſt in humana natura ferinum illud a nobis antea ſignificatum, quod pacandum, & compeſcendum eſt verecundia legum, in quibus humanitas feritatis expers includitur. Etenim ut probo quisquam ſit ingenio præditus, tamen ſi procul a legum conſpectu receſſerit, proprioque indulſerit arbitrio, liberam, ac ſupremam rerum poteſtatem adeptus, in poteſtatem deveniet propriarum cupiditatum: a quibus exutus dominio ſui ipſius, in aliorum vitam, & opes veluti lupus impelletur. Neque enim difficile fuerit hominem in lupum immigrare, ſi ſanguinem lambere cœperit alienum, atque vitæ unius inſidiatus, cogatur deinceps modo unum tollere, modo alium, a quo vel vivente, ultionem injuriarum timeat, vel moriente, prædam ſperet pinguiorem. Unde is ibi majus peccatum inveniens, ubi magis opes abundant, criminandis aſſiduo divitioribus alieniſque ſubſtantiis devorandis, ſuam in dies augebit famem: quales fabula fingit eos, qui comedendis humanis viſceribus ad aram Lycæi Jovis in lupos mutabantur. Hinc eum optimum dicemus regem, qui norit regere ſemetipſum, rectoremque propriarum cupiditatum rectorem aliorum quoque fore beatiſſimum, exiſtimamus. Unde merito Plato philoſophicam exigit in rege naturam: qui propriæ ſecuritatis arcem non in præruptis rupibus ædificet, ſed in faſtigio virtutum ſuarum; neque ſatellitio, ſed juſtitia ſibi ſubjiciat animos civium; & admiratione, ac laude probitatis latentes inimicos exarmet, atque proſternat. Quales feliciſſimis hiſce temporibus Chriſtianos Europæ reges omnes habemus, qualesque horum exemplo evaſuros confidimus, quotquot intellexerint, eam inter homines vitam eſſe beatiſſimam, quæ dolorum pariter, & voluptatum participet minus, quæque levioribus motibus impellatur, ſive moleſtis illis, ſive jucundis: cum nulla ſit vehemens ſine vehementiori perturbatione voluptas: ac neminem tutò, & tranquille poſſidere ſuum, qui perpetuo cupiat aliena. Quarum ſententiarum homo ad imperium non ambitione, ac ſponte ſua; ſed partim rogatu aliorum perget, partim vero metu, ne ſi poteſtatem ipſe publicam detrectet, ſe ſimul, civesque ſuos relinquat in poteſtate deteriorum. Atque huic non aliunde profecto

Rr ſatelli-

Digitized by Google

ſatellites ad corporis cuſtodiam capiendi erunt, quam a ſuorum numero civium: cum enim pro civibus, non vero contra cives muniatur; opus minime habebit ſatellitio exterorum. Quo autem tale quis ingenium adferat ad regnum, & regnando retineat, oportet, ut quod optimum natura tulit, educatione diligenter enutriat. Excelſum enim omne, ac generoſum ad vitiorum, æque ac virtutum fertur extrema, prout bonam, aut malam educationem nanciſcatur; aut rectæ, vel pravæ conſuetudini dedatur. Mentis enim ſolertia, & acumen optimas pariter, ac peſſimas artes præ ceteris facilius, ac celerius arripit. Unde nihil deterius homine injuſto, qui ſimul artes, & ſcientias calleat: eas enim torquens ad pravitatem, quo majori facultate pollet, quoque acutius cernit, eo ſcelera cautius, atque in graviorem aliorum perniciem exorditur. Quales Alcibiades fuere, ac Julius Cæſar, qui cum ſummam dicendi, atque agendi felicitatem accepiſſent a natura; propter depravatos tamen ſuorum temporum mores ab ſe prava educatione, pravaque conſuetudine contractos, ſe ſimul, ac patriam perdiderunt. Animus vero tenuis, & imbecillis nihil adeo magnum publice, aut privatim, ſive boni, ſive mali promoverit. Quo magis is, quem propter præſtantes animi dotes natura eduxit, atque adornavit, ad regnum vinciendus eſt legibus, & laudis amore, infamiæque metu aliorum judicio ſubjiciendus. Neſcio enim, an quis juſtitiam magnifaciet, niſi hominum de ſe opinionem, aut potentiorum injuriam vereatur. Hinc videmus, humiliores de juſtitia eſſe ſollicitos, potentiores vero minime: quia illi damnum, hi lucrum ab injuſtitia ſperant, neque ob animi cæcitatem intelligunt, juſtitiam componere partes interiores hominis, & civitatis univerſæ: injuſtitiam vero tum has, tum illas diſtrahere, atque lacerare: ita ut ne malitia quidem ulla conſiſteret ſine aliqua parte juſtitiæ. Siquidem latrones neque contrahere, neque conſervare ſocietatem ſcelerum poſſent, niſi fidem inter ſe datam colerent, & ex legibus, pactionibusque mutuis rapinas diſtribuerent: alioquin ſi ſecum etiam injuſte agerent, alter in alterum irrueret, & ſocietas illico ſolveretur. Is igitur princeps una ſecum, ſuiſque cum ſubjectis mire conveniet, eritque feliciſſimus, qui ſe juſtitia munierit, & ſibi pro muris circumdederit leges patrias: quarum cultu ſibi ſecuritatem, & concordiam regno parabit. Sub incerto enim jure nemo bonorum, aut animæ ſecurus vivit. Ideoque cogitur infidus eſſe principi, quiſquis principem ſuſpicatur infidum fore legibus, ſub quibus ei ſe cives concrediderunt. Ut autem impellat alios ad perpetuam reverentiam legum, quibus & ipſe una cum ceteris cuſtoditur: cultum, & ſtudium earum oportet a ſemetipſo exordiatur. Legibus enim, quibus ipſe obtemperat, ceteri libentius obtemperabunt: nulla namque vi facilius animi populorum, quam principis exemplo circumaguntur. Tum vero altius in animos regia juſſa deſcendunt, cum e legum voluntate depromuntur: ita ut rex caput videatur eſſe magiſtratuum; imperiumque illius fons appareat legitimæ juriſdictionis, quæ in principum placita, velut in rivulos traducatur. Hinc prudentiſſime Romani cum gravem capitis animadverſionem in reum decernebant, utebantur formula illa: *Lictor lege age*; ut non hominis, ſed legis imperio adimi vita videretur. Ideo qui principum velit eſſe potentiſſimus, quam fieri rarius poteſt, legum veniam concedat; cavebitque, ne populus mutabiles cenſeat leges: utpote in quibus & ſalus communis, & ſecuritas principis nititur. Quid autem ſtultius, quam crebra legum venia relaxare imperii vincula, & variabilem oſten-

Digitized by Google

oſtendere auctoritatem earum, quarum poteſtate ipſe princeps aliis dominatur? Quo plura enim a legibus ad ſuum trahit arbitrium, eo redditur imbecillior, quamvis potentior evadere ſibi videatur. Poſtquam enim homines crebra remiſſione legum abjicere cœperint metum earum, atque reverentiam, facile ſibi exuunt reverentiam hominis, cujus omnis e legibus fluit auctoritas. Legibus enim homines obligat imago ipſa juſtitiæ, per naturam impreſſa mentibus, & per leges explicata: ita ut dum lex dominatur, divina ratio putetur imperare: cum nihil aliud ſint leges, quam diſtributio mentis affectionibus prorſus expertis. At homini homines tantum vi ſubjiciuntur, quæ niſi lateat ſub ſpecie ſaltem adumbrata juſtitiæ, aut publicæ utilitatis, diu minime tenebit: quia ſublata lege non homo, ſed fera, quæ in homine admiſcetur, imperabit: unde ſicuti homo ſine ulla ratione duce per ſe corruit; ita & civitas absque lege, ſive ratione publica diſſolvetur: & qui publicum omne ad privatam deflectit utilitatem; in diſcrimen adducet utrumque; ut ſummæ prudentiæ plerumque ſit velle infra quam poſſis: nec ſatis unquam laudetur Heſiodus docens, dimidium plus eſſe, quam totum: jureque commendetur Spartanus ille Theopompus, qui regiam, quam obtinebat, poteſtatem extenuavit, objecto ei Ephororum imperio: quo conſilio quantum poſterioribus regibus poteſtatis ademit, tantum dominationi eorum ſecuritatis adjecit & vitæ. Unde ab uxore correptus, quod regnum filio imminutum traderet: minime, inquit, reddidi enim diuturnius. Regum enim is minus invidiæ, periculique ſubierit, qui ſe ſupra ceteros minus extulerit: quique multos ad exercitium publicæ poteſtatis admiſerit, plures adjunget ſibi pedes, & oculos, & manus: cujusmodi ſunt a rege creati magiſtratus, qui ſi liberum ſibi ſuæ jurisdictionis exercitium permittatur, cum ſalute regis propriam auctoritatem putabunt eſſe conjunctam. Unde non regis tantum, ſed & propriæ utilitatis cauſa curabunt populos in fide continere. Quo ſtudio minime tenebuntur, ſi viderint minus eorum regis arbitrio ſæpius interceptum, atque turbatum. Quo magis cavendum principibus, ne attingant Magiſtratuum auctoritatem, neve cognitiones illorum ad ſe trahant: niſi quando per gradus res ab eorum judicio ad ſupremum principis ex provocationis lege devolvatur. Hinc plurimum profuerit futuro regi plures antea geſſiſſe minores, & majores magiſtratus, & majorum juſſibus parere didiciſſe: ut ex proprio experimento ſenſum colligere valeat ſubjectorum. Propterea illi ſunt imperio aptiores, qui diu parere aſſueverint: quia tolerabilium, & intolerabilium onerum argumentum a ſemetipſis capiunt, & a recordatione præteriti temporis: ac probe ſciunt, quantum ſubjectis ſuis tuto ſit imponendum: ne alias de eo prædicetur, quod de domino ſuo Plautinus ille Soſia:

Æquum eſſe putat, non reputat laboris quid ſit,
Neque æquum, anne iniquum imperet cogitabit.

XII. DE TYRANNIDE. *

Quod ſui tædium, atque offenſionem populorum nullo pacto ſuſpicabuntur ii, quibus adhuc pueris dum adoleſcerent, multaque ſtulte, atque immodeſte appete-

* Deſcribuntur hoc capite, quod reliquis ejusdem penſi facile palmam præripit, vividiſſimis coloribus artes tyrannorum, captis experimentis ex uſu veteris & hodierni

rent, omnia permittebantur a nutricibus, præceptoribusque ſuis: qui plerumque regum filios curæ ſuæ concreditos adulando, & blandiendo e ſtultis reddunt ſtultiores; ut non immerito regni Perſici ruinam Plato mulieribus adſcribat, & eunuchis, qui Cambyſem a puero, dum Cyrus procul bellis diſtineretur, aſſiduis delinimentis, atque aſſentationibus non ad prudentiam, ſed ad inſignem amentiam inſtituerunt. Hinc non mirum, ſi qui ab ineunte ætate appetere omnia, & omnia pariter obtinere conſueverint, reliqua vita nihil ſibi negandum unquam, nulli ſumtui ſua cauſa parcendum, ac ne pauxillum aliis relinquendum opinentur eorum, quibus ipſi delectantur. Atque his ex moribus eveniet, quod prædicit Xenophon, *a*) ut non raro qui optimam beatarum rerum portionem poſſiderent, cum reliqua invadere conarentur, ſuarum quoque rerum poſſeſſione deciderint. Adeo autem in animis hominum pollet æqualitas, ut ſicuti juſta imperia inæqualitate ſubvertuntur, ita e contrario injuſtæ dominationes æqualitatis, atque juſtitiæ ſimulatione conſerventur. Quamobrem nulla tyrannis diuturnior ea, quæ regiam probitatem imitatur. Quo de genere apud Græcos plures fuere tyrannorum: qui præter potentiam illam vi, & fraude quæſitam, qua volentibus pariter, & invitis dominabantur; in ceteris regias virtutes, & artes partim re ipſa exercebant, partim in ſpeciem uſurpabant; ut injuſtitiam dominationis juſtitiæ uſu, ac ſimulatione tuerentur: fingebantque omnia non ſua, ſed reipublicæ cauſa ſuſcipere, pecuniamque alienam non in proprias voluptates, ſed in communes utilitates multitudine vectigalium exhaurire: atque ita invidiam elabebantur eorum, quorum labores, ac tenues opes depaſcerentur. Immo & publicarum quoque rationum inſpiciendarum copiam omnibus faciebant: ut non dominos, ſed patresfamilias agere viderentur; quam opinionem alebant humane, ac familiariter cum civibus agentes, atque ab eorum præcipue uxoribus, & cognatis abſtinentes, parcentesque pudori fœminarum; ac publicis monumentis augentes, ornantesque civitatem; ut procuratores, & cuſtodes exiſtimarentur illius. Immo auctoritatem rerum divinarum per ſummam perfidiam ad ambitionem propriam detorquentes, templa ſedulo inſtaurabant, ſacrificia ſolennia inſtituebant, ſatagebantque ſacrorum: ut iis obeundis pietatis opinione, avaritiæ, atque ſævitiæ ſuſpicionem declinarent, arcerentque ab ſe inſidias, & odium ſubjectorum eum maxime verentium, qui pietatis exercitatione numinibus carus, Deum ipſum videretur adjutorem, ac vindicem adverſus aggreſſores tam ſancti capitis habiturus. Quos autem inter cives præſtare viderent, eos evehebant ad honores, ne majus quid in libero populo, quam ſub domino ſeſe aſſequi poſſe ſperarent. Honores autem in plurimos homines parti-

xvi. Diſtat autem Gravinæ, ut ex antecedenti & ſequentibus capitibus conſtat, tyrannus a rege in eo, quod ille legibus, puta humanis, ſolutus agit, hic contra iisdem adſtrictus eſt. Sed cum & princeps legibus humanis ſolutus juſte & probe ſuis imperare poſſit, ſi iis imperet ad legem naturalem, manifeſtum eſt, formas imperii limitatas primum diſtinguendas eſſe ab abſolutis, dein, in illis quidem tyrannum dici, qui leges migret civitatis, in his eum hoc nomine venire, qui leges migret naturales. Sic quoque collineare ad ſcopum ſuum poterat Auctor, qui in libro de Imperio Romano principes, qui legem regiam obſervarunt, pro bonis principibus, eos contra, qui eam inſuper habuerunt, pro tyrannis habet. *a*) *in Cyropæd. l. 1. in fine.*

culatim

Digitized by Google

culatim tribuebant: ut ſe ipſos æmulando cum principis majore ſecuritate alter alterius facta viciſſim ſpecularentur: cavebant vero maxime, ne unum præ omnibus extollerent; præcipue quem confidentiorem noſcerent, & ingenioſum: ne ſibi periculum augenda nimis illius auctoritate crearent; ac ſi quem altius, quam propria utilitas, aut ſalus poſtulabant, extuliſſent, eum non repente, ſed paulatim, ac ſenſim e ſummo inferius detrahebant. Porro voluptatibus nimiis aut ſe nunquam explebant, ne per eas enervarentur; aut ſi modum aliquando tranſirent, vel inhoneſtas appeterent, omnium, atque etiam domeſticorum oculos effugiebant. Præterea vel ſupplicia raro conſtituebant, vel invitos, & paterno in filios animo eo ſe adductos eſſe ſimulabant: ac delictorum veniam quidem per ſe, pœnas vero per magiſtratus decernebant: ut amorem in ſe transferrent, & odia refunderent in magiſtratus. Injurias vero ab iis potiſſimum abſtinebant, quos iracundiores experirentur ſimul, & honeſtiores: hi enim & quia facilius mortem, quam contumeliam tolerant, & quia præ ira periculum omne contemnunt, minime dubitabunt, ſuamet anima emere quod cupiunt: propriamque vitam in precium offerre mortis alienæ. Divitibus præterea, & egenis contraria ratione placere ſtudebant: illis quidem propter conſervationem divitiarum, quibus rerum commutatio nunquam eſt ſine periculo: iſtis vero propter defenſionem ab injuriis potentiorum, quos a pauperiorum corporibus prohibebant. Una tandem erat eademque ars juſte, atque injuſte regnantium: quam reges quidem publicæ, tyranni vero propriæ utilitatis cauſa exercebant: diverſo conſilio virtutes præferentes easdem, contrarioque animo paria ſtudia ſuſcipientes. Qui vero ſimulatione virtutis injuſtam dominationem retinere nequirent, vel propter impotentiam animi nullum patientis frænum; vel quia ſcelere parta ſæpe ſunt ſceleribus munienda gravioribus; ii ut ſibi caverent, præſtantiores viros deprimebant, e medio tollentes eos, qui ſubliniora cogitarent, publicoſque cœtus, & frequentiam hominum prohibentes, ne dum convenirent, fidem inter ſe viciſſim darent, atque acciperent, animoſque jungerent, atque conſilia communicarent; præcipue vero excludentes facultates illas omnes, atque ſcientias, unde aluntur in mentibus honeſtiora & libero homine digniora. Enutritus enim inter ſtudia literarum, gravibusque doctrinis inſtitutus, neque ad vile obſequium, neque ad ſervitium eſt opportunus. Quamobrem ingenia extollebant humiliora, tenueſque animos, atque jejunos; præſertim vero indoctos, & qui doctrinæ inopia laudem vili obſequio captarent, præ ceteris ad magiſtratus evehebant. Proceres vero frequentes in ſuo comitatu adeſſe jubebant: ut ſub principum oculis nutus eorum, & motus taciti, qui ſunt indices animorum, ſubjicerentur; ac dum occuparentur circa principes, nil temporis eis ad ſervitutem recogitandam, & res novas moliendas omnino ſupereſſet. Ut autem latentes, atque abſtruſos omnium ſenſus eruerent, crebros, & frequentes exploratores clanculum dimittebant, atque ad publicos cœtus, & ad privatos pariter hominum conventus ablegabant: ut etſi ab aliis internoſcerentur, tamen metum incuterent, præſentiaque ſua ſermones principi noxios cohiberent. Ob eandem cauſam fœminis fræna laxabant, eisque per ſpeciem urbanitatis imperium in viros permittebant, ut domi ſuæ mulieres ad loquendum, & familiariter ſecum agendum quoſcunque vellent admitterent; ex quorum ſermonibus plurium cogitationes retegerentur principibus per fœminas, quæ tanquam hamo in virilibus animis piſcantur: nulli

 enim

Digitized by Google

enim facilius, quam mulieribus nobis blandientibus, roburque noſtrum diſſolventibus præcordia reſeramus: nihilque ſervis tyranno fidelius, & mulieribus, quæ abjecto ſunt ingenio, & ob ſervitium, cui perpetuo eas mancipavimus, nullo ſenſu ſervitutem a libertate diſtinguunt, eædemque nuſquam vitam ducunt, quam ſub tyranno jucundiorem: Luxu enim potiſſimum delectantur, quem tyranni illi impendio alebant, quia luxus depopularetur opes civium: qui cum inter ſe de magnificentia ædificiorum, atque menſarum apparatu, & veſtium, & ſupellectilium ſplendore ſtulte contenderent, ſumtuum æmulatione proprias opes extenuabant, ac principis potentiam extollebant, non ſolum propter diſcordias, quæ inter eos naſcebantur, & offenſiones animorum, dum ſecum faſtu, & magnificentia certarent; verum etiam quia dum opes abſumerent, minus idonei ſenſim reddebantur ad reſiſtendum injuſtis imperiis: ac demum quia portoria, & vectigalia, quæ ſunt principum opes, augerent arceſſendis exterius peregrinis mercibus: quibus in urbem convehendis vectigalium, atque portoriorum ſolutione, bona privatorum ab ærario principum abſorbebantur: ita ut Dionyſius ille Syracuſius quinto quoque anno rem familiarem ſingulorum tributis, & vectigalibus exhauriret. Multi vero initio tyrannidis majorem partem privatorum bonorum proſcriptionibus, & multis rapiebant: eademque civibus reddebant præmiorum nomine, dum modo unum, modo alium honorarent: atque ita reſtituendis bonis avitis civium, ac largiendis alienis liberales, & benefici vocabantur. Hinc Polycrates, Herodoto teſte, dicere ſolebat, gratius amicis fore, ſi ſua eis redderentur, quam ſi nihil omnino illis fuiſſet ablatum. Servis præterea in publicis privatisque negociis utebantur, eorumque maxima familiaritate gaudebant: effuſiores enim ſervi ſunt ad adulationem, qua mire tyranni capiuntur: ac rerum adminiſtrationem aut liberis hominibus prorſus auferebant; aut illis tantum ex liberorum numero tradebant, quos propter animi ſubjectionem, ac turpitudinem ſors ad libertatem, ad ſervitutem vero natura tuliſſet. Ad res enim injuſtas, atque turpes, juſti homines, & honeſti præcipue ingenui, atque veraces nullius omnino ſunt uſus: quippe qui diſciplinam eam ultro ignorant, ac vehementer abhorrent. Ideo ſub tyrannis illis jacebant elevatiores animi, atque omnium contumeliis patebant, cum animi magnitudo pro furore haberetur. Unde Horatius aſſentandi ſtudio Labeonem adverſus Auguſtum contumaciorem, & immoderatam dominationem liberius accuſantem inſanum appellavit. Nec mirum, ſi dominatores injuſti hoſtium numero habeant juſtitiæ cultores, quibus propter injuſtitiam ſunt odioſi. Honorem autem exteris, quam civibus habebant majorem, & cum illis potius, quam cum his amicitiam jungebant: propterea quod minus fidos putabant ſibi fore, quos opprimerent, quam illos, quos honore, ac donis afficerent. Ingenti præterea magnificentia ludos apparabant, feſtosque dies crebro celebrabant: ut ſpectaculis illis populus a cogitatione rerum novarum abſtraheretur, & amore præſentis ſtatus, ac mutationis odio caperetur deliciis irretitus, & cantibus, quibus eorum animi laxabantur. Adulteria vero, aleam, ceteraque peccata graviora libenter diſſimulabant, immo & conſulto nutriebant; ut ſi aliquando aliquem oderent, illius perdendi cauſam in promtu haberent, ſummiſſis accuſatoribus, qui crimen in oblivione jacens opportune ſuſcitarent. Quamobrem tyrannis leges non ſunt utiles niſi cum violantur, & negliguntur: ut non mirum, ſi eas non educatione in pectoribus hominum, ſed-

tantum

Digitized by Google

tantum in voluminibus atramento curent imprimendas: quo ſeminarium fiant pœnarum dominorum lucro cedentium. Unde iis tanquam retibus muntur, non ad emendandos mores, ſed ad involvendos eos, quorum vitam in ſua poteſtate habere concupiſcunt. Ideoque legum cultores tyrannis omnino ſunt inutiles, immo & exoſi: quia innocentia vitæ cauſam eis adimunt rapinarum. Præterea veteres illi, quorum ſtudia referimus, tyranni, ſolo metu populum in fide continentes, cogebantur,paratam ſemper ſecum habere militiam: ac ne ocio milites tumultuarentur, eos omnino ducere compellebantur adverſus hoſtes: ideoque levem quamcunque belli cauſam arripiebant. Crebris autem bellis, ut quiſque principi eſſet inviſus, propoſita dulcedine laudis gravioribus periculis objiciebatur: & milites propter ſpem prædæ mercedes deſinebant expectare promiſſas; populus vero tributa, & vectigalia, quæ duriter, ac miſerrime pendebat, non in privatam principis rem, ſed in communem nationis gloriam, & publicam ſecuritatem, prorogatis imperii finibus, ac debellatis hoſtibus verſum iri opinabatur. Ac milites quidem bello, cives vero in opere publico magnificis monumentis ædificandis, atque inſanis molibus extruendis occupabant, opes illorum ſimul, & corporis vires atterentes. Hinc Ægyptiorum regum pyramides, & Piſiſtrati ædes Jovis Olympii, & Tarquinii ædificia ſupra ſumtus aliorum ante ſe regum, quibus cum artibus tyranni uterentur, amovere procul a ſe cogebantur omnes, qui pravitatem eorum intelligentes averſabantur: quales profecto ſunt ingenioſi homines, ac honeſtiores & generoſi, ut contra quam medicus, qui e corporibus conatur ejicere deteriora; illi e corpore civili, ſive de regno ejicerent partem hominum præſtantiorem. Quamobrem tyrannis illis, vel omnis vita repudianda erat, ſi verſarentur inter bonos, unde impendebant inſidiæ; vel miſerrima vivendi ratio eligenda, ætasque tranſigenda inter ſtolidos, viles, & abjectos, atque propudioſos, & infames: maximoque felicitatis humanæ alimento carebant, amicitia: & qui tam inſane venereas voluptates concupiſcebant,ut earum plerumque cauſa pericula principatus adirent; potiore tamen libidinis condimento privabantur, amore videlicet, cujus nunquam compotes fuerint,quicunque percipiunt a mulieribus id, quod cum capitis diſcrimine negaretur: neſciunt enim illi, formidine, an amore mulier eo inducatur. Unde tyranni, qui vitioſarum voluptatum cauſa virtutes dereliquerunt, vix tamen aliquam inveniunt in vitiis voluptatem, eamque turbatam capiunt, & ancipitem, atque ſollicitam, & angore, pœnitentia, metuque circumdatam. Quibus moleſtiis omnino liberior ſtatus eſt privatorum quietus, atque tranquillus: quem opinione, ac ſpe longe majoris felicitatis in periculoſam, & inquietam dominationem tanto ſtudio, atque labore commutarunt, in occupanda libertate aliena propriam amittentes: cum is tantummodo potiatur libertatis, qui neque ſerviat ulli, neque dominetur. Non magis enim ſervus ab imperio pendet herili, quam dominus a fide, ac voluntate ſervorum. Et hæc quidem de regno, quod in oppoſitam ſibi tyrannidem degenerat.

XIII. DE REGIMINE OPTIMATUM, ET DE NOBILITATE.

Alter a regno gubernationis gradus, regimen eſt optimatum; eorum nempe, qui ad honores, & magiſtratus non opibus, & potentia, ſed potiſſimum nobilitate generis attolluntur, & opinione virtutis concepta in animis a generis antiquitate,

tate, atque illuſtri ſerie majorum, quorum præclaræ animi dotes creduntur in poſteros exemplis, & educatione deſcendere. Ideoque a civibus nobiles præferuntur aliis, quorum nondum ullis egregiis facinoribus virtutes in lucem exierint. * Etenim ubi quis rebus præclare geſtis, aut ingenii ſublimitate, atque doctrinarum eximiis laudibus innotuerit, quamvis nullis majorum factis commendetur, tamen in ordinem nobilium inſeritur ab ipſa natura. Siquidem duplicem eſſe nobilitatem intelligimus, naturæ alteram, alteram locorum. Nobilitas naturæ ab extrema virtute procedit, qua præditus ubique terrarum, & omnium opinione, ac gentium jure clareſcit; nobilitas locorum anguſtior eſt, ac certarum regionum finibus clauditur, patriisque definitur legibus, quibus in nobiles referuntur, quotquot e certis creantur, notisque familiis. Cujus nobilitatis barbaræ quoque gentes potiuntur, apud quos, uti & apud nos plures nobiles, quos natura propter animi tenuitatem, atque ignaviam ad perpetuam oblivionem, atque contemtum, ex illuſtribus familiis in ſuæ gentis dedecus procreavit. Quæ locorum nobilitas honorum, atque opum continuatione ſuſtentatur; iis vero defluentibus, nobilitas etiam dilabitur; quia non in præſenti virtute, ſicut alia, ſed in hominum opinione, atque admiratione fundatur: quæ opinio, & admiratio una cum memoria veterum facinorum ſenſim extinguitur, ubi ea, quibus fulciebantur exteriora ornamenta, & antiquæ virtutis indicia diſperierint. Quapropter ſtatus optimatum recte conſtitutus erit, quando ibi honores invenerit, non modo id, quod opinione ducitur optimum, nempe propago nobilium, ſed illud maxime, quod natura optimum fuerit, homines nempe ingenio, doctrina, & moribus illuſtres: qui ſi nobilitatem transferunt in filios, multo majorem certe præferunt in ſemetipſis. Verum ſi eo in regimine magiſtratum capiunt non ſolum, qui ſunt nobiles a majoribus, verum etiam qui a ſuis virtutibus, quamvis plebei generis; quonam argumento regimen optimatum a populari ſtatu diſcernemus? Ita nimirum, ſi magiſtratuum creationem non populo, ſed nobilium ſuffragiis committemus; ut quem ad magiſtratum perducere velint, etiam ſi e plebe ſit ſuſcipiendus, in numerum cooptent ſuorum. Nam & inter Romanos, qui Curules magiſtratus geſſerant, etſi patricii non eſſent, ſenatorium tamen ordinem, & jus imaginis, nempe nobilitatem aſſequebantur. Eſt & alia optimatum reſpublica huic ex adverſo reſpondens, ubi etſi magiſtratus, & honores certis familiis, nempe ſolis nobilibus deferantur: tamen plebs una cum ceteris ad ſuffragium admittitur; ut Romæ primis Conſulum temporibus uſitabatur. Data enim populo magiſtratuum creandorum poteſtate, prohibetur nobilibus, ne per factiones ad ſe omnia convertant. In optimatum igitur ſtatu minime alterutri * ex partibus committitur utrumque: ita ut vel nobiles jus habentes ſuffragiorum ſuffragio excluſis plebeis, tamen ex eis aſſumant ad magiſtratus, quos virtutibus noverint illuſtres; vel ſi ſolis nobilibus magiſtratus pateat, jus eorum creandorum populo tribuatur.

* Hoc quidem loco Gravina ad exemplum ſolius Reipublicæ Romanæ totius juris publici univerſalis ambitum metitur. Nihil autem obeſt, cur in Ariſtocratia magiſtratus & a nobilibus & e nobilibus ſolis legi nequeant.

Digitized by Google

XIV. DE ORDINE MEDIO CIVIUM.

Verum quia plebei plerumque animo ſunt abjecto, & ad civile ſervitium proni, vel ad inſolentiam præcipites; nobiles vero in ſuperbiam elati facile ad injurias impelluntur; ideo ſi nihil inter plebejos, & nobiles interponatur, ipſique invicem committantur; aut alterum genus ab altero deprimetur, aut aſſiduis ſeditionibus miſere fluctuabunt. Hinc numerus augendus eorum, qui medii ſtatus cives appellantur: quorum propter mediocritatem divitiarum, & educationem inter literas, & liberales artes animus ita componitur, ut neque vileſcat egeſtate, neque opulentia tumeat, neque communi plebejorum, & nobilium morbo ignorantia obſtupeſcat. Hujusque ſtatus cives libramentum ſunt plebis, & nobilitatis: nam contra exultantem nobilitatem ordo hic plebi adjunctus utiliter opponetur: & contra inſolentiam plebis nobilibus opportune adjungetur: ita ut, utroverſum ordo iſte flexerit, lances exæquentur; quam Romana reſpublica utilitatem ab Equitibus capiebat. Atque is ordo medius hanc etiam egregiam reipublicæ navabit operam: nam in qua civitate honores tantum nobilibus mandantur; plebejorum ſuffragiis admiſtus eos impellet in partem nobilium ſaniorem, habebitque plebs, quorum conſilio judicia ſua regantur: ea vero in urbe, ubi nobiles tantum ſuffragium habent, honores vero etiam plebeis aperiuntur, erit ordo iſte, unde viri ſuſcipiantur idonei, honoribusque digni quaſi e ſeminario bonorum, & vena virtutis.

XV. DE DOMINATIONE PAUCORUM.

Quæ temperies paullatim diſſolvitur, & ſtatus optimatum, ſive Ariſtocratia tranſit in ſtatum paucorum, ſive oligarchiam; ſi ordo iſte medius langueſcat, & contemnatur, honoresque tantum tribuantur divitioribus: ita ut cogendarum pecuniarum ſtudium quotidie augeatur. Quod facile contingit, quando præſtantium virorum filii parentum opes, vel ſuſtinendis falſis criminationibus, vel gerendis honoribus exhauſtas, ac ſe ob tenuitatem patrimonii, ſpe illorum adipiſcendorum, depulſos animadverterint. Etenim tum ſeſe totos mercimonio tradunt, & quæſtui, atque ſtudio rei familiaris. Qua via redeuntes ad avitam potentiam, ubi ad magiſtratus pervenerint, eandem aviditatem adferunt ad judicia, quam tota vita mercimoniis exercendis aluerunt; ut quemadmodum antea in contractibus lucrabantur, ita quæſtum facere ſtudeant ex jurisdictione, potentiam, quam emerunt vendentes aliis, qui pecuniam eis, vel judicantibus offerunt, vel ſuffragia ineuntibus: atque ita ſenſim in pecuniæ poteſtatem univerſa devolvuntur: quia per eam omnes, aut judiciis, & pœnis eximuntur, aut licitatione ſuffragiorum attolluntur ad magiſtratus. Quamobrem ubi mercatores illi judiciorum, & poteſtatum gubernacula civitatis arripuerint, invidentes aliis præmium virtutis, & ſumtus in adipiſcendis honoribus factos a novis petitoribus repetentes; tandem lege lata conſtituunt, ut publica miniſteria deferantur ex cenſu; ex eoque prout major erit, aut minor augeatur, aut decreſcat gradus dignitatis. Qua lege fundatur ſtatus paucorum, ſive oligarchia, quæ tyrannis eſt plurium; perinde atque ſtatus optimatum regnum apparet eſſe multorum. Quantum autem in paucorum ſtatu pecuniæ accedit honoris, tantum decedit virtutibus; quæ ibi magis contemnuntur, ubi divitiæ plurimum honorantur, veluti ſi appendantur in libra, cujus dum altera pars

Digitized by Google

attollitur, altera declinat. Cujusmodi civitas, quam non prudentior, ſed opulentior moderatur, eandem fortunam ſubierit, quam navis, cujus clavus non nautæ, ſed inſtitori utpote opulentiori tradatur. Cum igitur hujus civitatis proceres, duplici affectione, & contraria diſtrahantur, ſuperbia nempe, quam ex potentatu concipiunt, & avaritia, quam ab ineunte ætate induerunt: neque ſuæ rei parcunt, ut alios magnificentia ſuperent, neque alienæ, quam illico ubi rapuere, profundunt. Æmulantur enim alius alium, & alter ab altero ſumtibus provocatur; ita ut opulentior mediocrem ſecum certantem, & pecuniam ſub uſuris a ſe mutuantem ſenſim abſumat, & creſcente quotidie fœnore, patrimonium devoret illius. Unde paucis diteſcentibus, plurimi ad inopiam in dies rediguntur: qui ſubſtantias avitas ad alienos tranſlatas intuentes, & in memoriam revocantes majorum fortunas, ac dignitates; indignantesque ſe ceſſuros novis hominibus ab ſe ditatis, una cum reliquo inopum innumerabili cœtu potentioribus inſidiantur: ita ut unius civitatis muris, cives cum hoſtibus concludantur, nec una, ſed duæ videantur eſſe civitates animis inter ſe pugnantes; altera divitum, altera pauperum: quos proceres illi, utpote ſibi ſuſpectos, atque infenſos metuunt adſcribere in militiam, ſi exercitum ducere oporteat adverſus hoſtes: ac peregrinis, & mercenariis copiis uti coguntur, partim publicis, partim privatis ſumtibus eos alentes, neque tamen imperii fines unquam proferentes; pectoribus enim civium propriam vitam pro communi ſalute, atque gloria opponentium, non emtis militibus imperium in alios populos extenditur: ideo qui principes publicam omnem ad ſeſe attrahunt potentiam, eam oppido extenuant: ceteri enim iique innumeri publicæ utilitatis minime participes, nihil de ſuo conferre in commune laborant: quia ſibi non videntur haberi pro civibus, cum incommodorum tantum, non autem commodorum, honorumque participent; ſed pro ſervis, quorum proprium eſt odio habere dominos. Ideo qui præeſſe diu, ac ſecure cupiunt, curabunt, ne cives ademtam ſibi libertatem, & magiſtratuum capiendorum facultatem ſuſpicentur. Alioquin uti ſervi adverſus dominos, ita & plebei adverſus proceres, furtim inſidias moliuntur. Quo plus enim hominibus timoris injicitur, eo magis ingenium eorum ad fallendum exacuitur. Hinc nihil aſtutius, & fallacius pueris, fœminis, & ſervis; qui parentum, & maritorum, & dominorum imperium expaveſcentes, latendi, aut fraudandi artem aſſiduo meditantur. Juvabit igitur, eſſe in hos, præcipue in uxores, & liberos aliquanto indulgentiores, ut animus eorum ſit nobis apertior; indeque aut facilius caveamus illos, aut fallendi neceſſitate liberemus: ac ad ingenue, & liberaliter cogitandum inducamus.

XVI. DE REPUBLICA, ET STATU POPULARI.

Igitur in ſtatu paucorum, leges divitibus obtemperant, potentiores voluptuoſe, ac molliter educantur, & luxu, crapula, ludis, cantibus, meretricibus, pueris ſymphoniacis diſſolvuntur; pauperes vero victus duritie, atque immenſis laboribus exercentur: ita ut illi propter vitam deſidioſam, & muliebrem ignaviam obſtupeſcant; hi vero propter egeſtatem, & invidentiam aſſiduo vigilent, & occaſione data, ſi aliqua ſeditio interius excitetur, aut exterius auxilium eis adjungatur, fame, ac rabie veluti feræ in prædam agantur, divitum bona diripientes, eoque majori confidentia irruentes, quo ſe numero, & robore, ac deſperatione valentiores,

illos

Digitized by Google

illos vero paucitate, fœmineoque cultu fractos, & enerves, atque divitiarum cauſa exterritos intuentur. In qua fluctuatione civitatis, vel divites, ut multitudo placetur, cum plebeis partiuntur honores, magiſtratus, & agrorum diviſione, aut æris alieni remiſſione divitias: & hac potentiæ, pecuniæque partitione naſcitur inter eos æqualitas, mater ſtatus illius, qui peculiari, & anguſtiori ſignificatione respublica nuncupatur; * vel iidem divites pertinacius contendunt, pugnantque acrius cum plebeis; & tum quia partem nullam ſibi avelli patiuntur, coguntur, juxta illud Heſiodi, totum tandem amittere. Superati enim a numero, & robore, ac deſperatione plebejorum, veluti deditiii a plebe conditiones, ac leges accipiunt, exutique potentia partim ex urbe, partim ex propriis patrimoniis, partim etiam e vita cedere compelluntur: atque ita publica omnis adminiſtratio, & imperium, & ſummus honos devolvuntur ad plebem, indeque conſtituitur ſtatus, atque gubernatio popularis. Ac prior quidem ille ſtatus, qui anguſtiori ſignificatione generalis vocabuli respublica dicitur, maxime convenit naturæ tum univerſæ, tum humanæ peculiari: quæ miſtæ profecto ſunt, ac variæ, plurimisque temperatæ corporum generibus; quorum ſi quid præ aliis dominetur, humores corrumpit ceteros, & corpus poſtremo putrefacit. Igitur in republica, quæ perfectam hominis temperiem imitatur, exprimitque rerum naturam & humanam, quælibet populi portio tum in magiſtratibus, tum in judiciis partem juris, atque poteſtatis habebit ſibi congruentem: ſicuti quælibet hominis portio ſuum accepit munus a natura præcipuum. Quemadmodum igitur conſilium Deus in mente locavit, vires in corpore; vires autem conſilio ſubjecit, & menti potentiam tribuit in corpus; ita & in republica Senatus non tantum e nobilibus, ſed e plebejis ſapientioribus, & ob longam honorum geſtionem rerum humanarum peritioribus coactus, veluti mens, & ratio civitatis, conſultandi, deliberandique munus obibit, certosque ſibi magiſtratus vindicabit, quorum auctoritate jus conſultandi, providendique tueatur. Et quoniam lex ſola respublicas, ſive ſub uno, ſive ſub optimatibus, ſive ſub univerſo populo conſtitutas diſtinguit a tyrannide, quæ non modo in dominatione unius, ſed in imperio paucorum, & univerſæ plebis deprehenditur, quando pro legibus imperant hominum voluntates; ideo certis legibus, juſſuque publico a prima civitatis inſtitutione munienda ſunt conſulta Senatus: ut ſi certis de rebus in publicam, non in privatam utilitatem ad judicium ejus adductis Senatus decreverit, univerſam obliget civitatem, ſi de negociis, & judiciis iis agatur, quæ longe rectius quieta paucorum, atque tranquilla deliberatione, quam tumultuoſa contentione multitudinis tranſigantur. Atque ut Senatores attributos ſibi magiſtratus, & certorum judiciorum poteſtatem ſibi retineant, arceantque inconſultam inde plebem, oportet eos magiſtratus, eaque judiciorum exercitia magnis onerare ſumtibus, ut plebeis plerumque tenuibus deſiderium ſui minime commoveant. Ita enim ſolis opulentis una, &

* Etiam hoc loco Auctor regulam ex exemplo ſolius Reipublicæ Romanæ ducit, ejusdemque formam mixtam ex Ariſtocratia & Democratia, ſeu potius patrum & plebis colliſiones pro Republica, vel ſtatu vendi-tat populari, cum Reipublicæ nomen imperiis omnibus tribui poſſit; Respublica popularis vero, ſive Democratia ſit, in qua populus univerſus de ſumma Reipublicæ conſulitur.

 melio-

melioribus in eo munere patebunt, abſtinebuntque iis ultro tam qui e Senatoribus, quam qui ſunt e plebe deteriores, nempe tam pecunioſi, & avari; quam tenues, & viles; neque in campum deſcendent; niſi honeſtiores, qui divitiis gloriam anteponunt, ut in Ædilium Curulium creatione contigit; quem honorem ultro patriciis plebeji remiſerunt, ne ludorum ſumtibus premerentur. Certos quoque plebeis oportet paratos eſſe magiſtratus, qui nunquam ad Senatores transferantur: ut habeat plebs, quos publica poteſtate ſemper armatos adverſus inſolentiam nobilium opponat, quales Tribuni fuere Romanorum. Creabuntur tamen tum ii, tum ſenatorii etiam magiſtratus univerſorum ſuffragiis, judiciaque illa majoris prudentiæ indiga, ſenatoribus quidem, ſed a populo mandabuntur: ne quid in republica geratur, cujus univerſi aliqua ratione non participent. Et ne multitudine comitia perturbentur, neve civitas ſeditioſis redundet hominibus, occupanda plebs eſt opere ruſtico, majorque pars promota re agraria in agros deducenda, ut minus habeat in urbe negociorum, ac minus in ea permaneat inopum, & ocioſorum: quorum hi propter deſidioſam vitam, illi propter deſperationem, & egeſtatem ſtudio tenentur aſſiduo rerum novarum. Hinc etiam eveniet, ut minus in urbe naſcatur opificum, qui artes tractant luxuriæ miniſtras, novisque ſenſuum oblectamentis inveniendis, & civibus ad inſanas rerum inutilium emtiones provocandis aliena patrimonia, vel in mundum muliebrem commutant, ut

bene parta patrum fiant anademata mitra,

ut Lucretius ait; vel in ſcænicos apparatus, aut in pudenda præmia muſicorum. Optimus vero populus eſt agricolarum, atque paſtorum, atque ibi civilis, & militaris virtus hærebit firmius, ubi plurimum eſt rei agrariæ, atque pecuariæ ſtudium. Paſtores etenim, & agricolæ, quia urbe abſunt propter laborem ruſticum, quo exercentur, & quia ſpem victus ducunt a proventu agrorum, & pecorum, neque fame ad deſperationem aguntur, neque ocio conciones frequentant, neque ducuntur ſtudio rerum novarum: & ſi ducendi fuerunt in bellum, erunt milites validiores: utpote parce, ac duriter vivere aſſueti, frigus, & æſtum tolerantes, ac ſub dio nocte, atque interdiu manentes. At ſi de rebus iis agatur, quæ non tam conſilio, quam viribus expediuntur, eæ ita deducentur ad multitudinem, ut ipſi per ſe ſtatuiſſe videantur, quod viribus tolerandum, atque opibus eſt ſuſtinendum univerſorum: ne quid ſibi ſupra vires ab aliis impoſitum conquerantur, qualia ſunt vectigalia, tributa, opera publica, & onera tum civilia, tum & militaria, quibus ſuſcipiendis auctores fieri oportet plebejos magiſtratus, ad quos, uti diximus, aditus nobilibus obſtruetur; quamvis magiſtratibus plebeis ſenatus conſulendi, & ſententiæ dicendæ cauſa minime claudatur. Atque ita ſicuti Senatores ſeorſum a plebe, ita & plebei ſeorſum a Senatoribus certos ſibi magiſtratus attributos retinebunt: præter magiſtratus alios, & honores, ac ſacerdotia, quæ promiſcua eſſe oportet plebeis, & Senatoribus. Ac ne dum quis magiſtratu fungitur, movere quid audeat e publicis inſtitutis, vimque ſibi parare ad extraordinarium imperium, publicæ adminiſtrationis rationem reddere cogentur omnes magiſtratu exeuntes. Nam & mitiſſima, optimaque ingenia pervertuntur, niſi ab arbitrio pendere compellantur alieno; alioquin homines nacti ſummam poteſtatem, abſtinere nequibunt ab injuriis, atque in odium devenient plurimorum, a quibus ut caveant, velint nolint, neceſſitate ſaltem ſui muniendi ad appetendam tyrannidem adducentur. Optimus autem

Digitized by Google

autem hic reipublicæ ſtatus, quem deſcripſimus, cujus cives, neque propriæ, neque alienæ cupiditati, ſed tantum legibus, nempe rationi divinæ parent, partim ex optimatum regimine trahit, partim ex dominatione plebis; in cujus effrenam poteſtatem omnino dilabetur, quando temperie iſta perturbata, leges ſub imperium furioſæ multitudinis redigentur: quæ nimio deſiderio libertatis decidet in miſerrimam ſervitutem, in quam convertitur pernicioſa licentia; qua plebei exultantes, atque omnia ex libidine gerentes, ac ſemet ipſos invicem oppugnantes, publicasque vires, & opes in diverſum amentiſſime trahentes dirimuntur in factiones; ac plerumque in binas majores; meliorum alteram, alteram vero multorum: quorum priores illi vincuntur a poſterioribus iſtis: quia in ſumma illa perturbatione rerum, facile conſilium a violentia, & ratio ab impetu, & numero ſuperatur; præcipue quia quando deteriores in meliores irruunt, ſemper fere ab aſtutiori aliquo incitantur, qui ſeſe ducem illorum obtulerit, quique viribus multitudinis uſus ad optimates deprimendos, ubi calumniando apud populum, inſidiasque tendendo, modo unum, modo alium, aut bonis omnibus multaverit, aut in exilium egerit, aut pœnis capitalibus ejecerit e vita, hisque fraudibus adverſarios omnes ſuæ cupiditatis callide, crudeliterque ſuſtulerit; metuens inſidias ab iisdem, aut ab eorum filiis, quos tot injuriis exagitavit, poſcit a populo cuſtodes corporis, ut ſenſim, atque paullatim exercitum ſibi comparet familiarem ex exteris, quem alit bonis proſcriptorum: donec ad eam potentiam perveniat, qua ipſum auctorem potentiæ ſuæ populum novis militibus perterrefactum, omni potentia ſpoliet, imponendis vectigalibus, convertendisque in prædam ſuam opibus illorum, cum quibus una olim ſubſtantias prædabatur aliorum, ut in hanc plebis amentiam recte illud Hieremiæ conferatur:

Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?

Atque ita populus legibus parere antea recuſans, carnifici ſuo, quem proprio ſanguine alit, obtemperare compellitur: & multitudo inconſulta, quæ libertatem ſupra modum concupivit, a cupiditate illa ſua in ſervitium deducitur illius, quem pro vindice communis libertatis extulerat. Is enim jam e populi ductore tyrannus, humano ſanguine cruentatus, dentes tabo manantes, in plebem retorquet nutricem ſuam; viſcera, quæ illum peperere voraturus, iisque artibus crudeliter uſurus, quas in deſcribenda tyrannide ſuperius expoſuimus.

XVII. DE CIVILI CONVERSIONE RERUM ROMANARUM.

His de civitate traditis, ratio, atque converſio Romanæ reipublicæ facile patebit: cujus in viciſſitudine cauſas licet omnes, & eventus rerum humanarum introſpicere. Percurrit enim, obiitque res Romana ſtatus civiles omnes, utpote creberrimis agitata motibus: ideoque non mirum, ſi diverſis temporibus in varias, ac denique univerſas reipublicæ formas aſſidua circumvolutione migraverit. Orta enim reſpublica ſub regimine unius, atque a Romulo in ſumma juris æquabilitate concordiaque ordinum conſtituta, perque manus regum aliorum ad Tarquinium ſuperbum usque traducta, ſub hoc poſtremo decidit in tyrannidem. Quo de ſtatu per Brutum erepta & Valerium Conſules, tradita eorum conſilio fuit optimatibus, ſub imperio conſulari tantum a patriciorum ordine ſuſcipiendo. Irrumpentibus autem in patriciorum potentiam Tribunis, quos a Senatu per ſeditiones plebs impetra-

Digitized by Google

petraverat, plebeji partem reipublicæ a patriciis ad ſe traduxerunt, impetrata non
modo conſulatus, ſed & honorum fere omnium, & connubiorum, atque ſacro-
rum communione. Unde cum plebs patribus par muneribus eſſet, numero ſupe-
rior; facile tandem & Senatum in poteſtatem adduxit ſuam: excitatis ex ſe fre-
quenter ſeditioſis Tribunis plebis, præcipue Gracchis, qui commota in libertatis
perniciem ſub ipſa libertatis recuperandæ imagine, agraria lege, plebem inopem
in optimatum, & opulentiorum agros, velut in prædam agebant hoſtilem. Cum-
que contentiones hæ rempublicam lacerarent, conſiliumque prudentum violentiæ
ſubjicerent plurimorum, plebisque odium, iramque perpetuo in patricios accen-
derent; plebei palam ſuos vindices, ac tutores contra patriciorum injurias extolle-
bant: patricii contra ſuſcitabant ſuos, quos utrimque cum propriis factionibus inter
ſe committebant. Atque cum plebejus modo, modo patricius aſſertor ſuperaret;
reipublicæ vires atterebantur. Nam ſi Marius viciſſet patricios, ſi vero Sylla plebe-
jam factionem trucidabat, donec, quieſcente Syllana proſcriptione, odia civium
non placata, ſed malorum diuturnitate laſſata tantiſper deferbuerunt, quoad re-
deuntibus viribus, novisque ſibi ducibus injuriarum oblatis, iterum in certamen
civile ſub Cæſare ac Pompejo devenerunt. Victor autem Cæſar a plebe inauſpicato
nutritus, atque in Reipublicæ peſtem, extraordinariis imperiis, ad ſummam po-
tentiam eductus, evertit omnino rempublicam, & plebem, cujus vindicem ſe præ-
ferebat, ipſam oppreſſit ſimul & Senatum, eosque traduxit in ſatellitum, & ſua-
rum copiarum poteſtatem. Qui ſatellites cum Cæſarem amiſiſſent, conſpiratione
ſua paternarum opum, & odiorum hæredem Auguſtum ad eandem, ac majorem
potentiam, extinctis Bruto, & Caſſio liberatoribus orbis terrarum extulerunt. En
brevi fatalem Romanæ viciſſitudinis orbem e cauſis a nobis ſuperius expreſſis im-
pulſum, atque circumactum. Quo vertente, Romanæ nobis natæ ſunt leges, poſt
conditas leges XII. tabularum latæ, quas hoc tertio libro complectemur; utile ar-
bitrantes ingenia ſtudioſorum ad generales imperiorum, & legumlationum addu-
xiſſe cauſas, antequam converterentur ad leges: quarum vis omnis atque poteſtas
ex imperiorum, ac civilis regiminis, unde naſcuntur, vi, ac poteſtate cognoſcitur.
Ea porro eſt Romanæ Jurisprudentiæ dignitas, atque majeſtas, ut nemo Romani Ju-
risconſulti nomen mereatur, niſi ubi e re fuerit publica, norit etiam agere legisla-
torem. Ad quod munus, & nos ſtudioſos noſtros, quantum tenuis facultas noſtra
tulit, inſtituere curavimus. Quod haud difficulter philoſophorum hæc a nobis ex-
poſita ratio, & primævæ Romanorum leges cum ea contextæ præſtiterint: ſi ad con-
templandarum ſimul, & gerendarum, atque ad divinarum, & civilium rerum artem,
ingenium nanciſcentur idoneum.

Igitur more noſtro Caji, & Juſtiniani diviſionem amplectentes a legibus ad
perſonas pertinentibus exordiemur. Perſonarum autem aut liberi ſunt, aut ſervi,
quorum conditio quemadmodum vetuſtis legibus conſtituta, immutatave fuerit, pa-
tebit ex legibus, & S. C. quæ proferemus.

XVIII. DE LEGE FUSIA CANINIA.

Ac celeberrima eſt lex Fuſia Caninia, quæ & Furia non paucis dicitur, ſubſti-
tuta; poſt inventam ab Appio literam R, in veteribus nominibus R pro S; unde
[illegible] utrum-

utrumque, & *labos* dicitur, & *labor*, *vapos*, & *vapor*. *a*) Hanc autem legem Auguſti temporibus latam eſſe colligitur ex Suetonio, *b*) qui etſi legislatoris nomen reticeat, Auguſti tamen ſollicitudinem de tuenda Romani nominis dignitate, ac legis ejus ſententiam prodit. *c*) Latores legis plerique ponunt * Furium Camillum, & C. Caninium Coſſ. anno A. V. C. DCCLII, quo anno inter omnes non conſtat an hi Conſules fuerint; reperio enim Cornelium Lentulum, & Lucium Calfurnium Piſonem. Furius autem Camillus anno DCCLIX. aliquorum ſententia Conſul fuit cum Nonio Quintiliano. Rævardus *d*) in antiquo exemplari *Fuſſiam Caniniam* legi teſtatur; ex qua lectione adducitur, ut credat, latam Q. Fuſio Caleno & P. Vatinio Coſſ. anno DCCVI; ac retractatam, & expenſam, atque amplificatam ſub Auguſto a Cajo Caninio Gallo, conjunctaque fuiſſe Fuſii, & Caninii nomina, ut in aliis legibus obſervamus, quibus cum veteris auctoris, tum inſtauratoris nomina præfixa legimus. Quoquomodo ſe res habeat (quis enim ſi bona fide agere velit in tot vetuſtatis tenebris caligare ſe non fatebitur?) hanc diſputationem de ſervorum libertate Auguſti tempore aut inſtitutam eſſe conſtat, aut certe ſuſcitatam. Ea vero lex effuſam morientium in manumittendo facilitatem ad certum modum, & præſcriptum numerum coërcebat; viventibus liberam facultatem permittebat. Hominum enim liberalitatem dum vivunt rei familiaris ratio, & egeſtatis periculum ſatis per ſe moderatur; morientes vero facile diſſipant ea, quorum uſum brevi ſunt amiſſuri. Illa vero parte lex occurrit, qua vergit hominum inconſulta facilitas. Unde intercedenti mulieri Vellejanum ſuccurrit, non donanti: liberius enim mulieres promittunt, quam donant. Præterea Romani facile patrimonium ſuum in funeris ſumtus effundebant; quoque poſteris ** opulentiam oſtentarent, ſervos liberabant, ut pileati liberti funebrem pompam comitarentur. Unde, ne libertorum numero ſupra modum aucto, ſervili ſanguine urbs pollueretur; inhibendam eſſe cenſuit Auguſtus manumittendi licentiam. Quominus aſſentior iis, qui negarunt lege Fuſia Caninia comprehendi fideicommiſſarias libertates; propterea quod hæredibus in ſervis dominii pars aliqua ſuperſit, nempe jura patronatus, quæ danda fideicommiſſaria libertate, adhuc in hærede permanent. Huic enim conjecturæ Papiniani *e*) auctoritatem opponimus, apud quem *lib. 22. quæſt.* teſtator ab hæredibus petit, ut ex tribus, quos habebat, ſervis, unum & alterum manumittat; itaque in jubendo ſervat legis modum. Cur præterea Paullus *lib. ſingul. ad l. Furiam Caniniam*, *f*) negat ſervum, quem per legem (ſcilicet Caniniam) manumittere teſtator non poterat, quemque alteri, ut manumitteret, legaverat, poſſe a legatario manumitti, quia in fraudem legis parendum

a) Quintil. *lib. 1. cap. 4.*

b) *in Aug. cap. 40.*

c) Cujac *paratit. C. de L. Fuſia Canin. toll.*

* Noviſſime Ephraimus Gerhardus in diſſertatione ſingulari *de lege Fuſia Caninia* hanc legem A. V. 756. latam conjecit, Heineccius *Hiſt. jur. p. 138.*

d) *conject. cap. 1. lib. 2.*

** Quod minus commode dictum videtur, etiamſi poſterorum vocabulum, cum Caligula apud Suetonium in *vita ejus. c. 38.* de iis ſolis accipere velimus, qui filii ſint, neque poſteros ultra hunc gradum appellare ſuſtineamus.

e) *L. 22. ſi legatario ff. de fideicom. libert.*

f) *L. ſi quis eum 37. ff. de condit. & demon.*

volun-

voluntati non eſſet, ideoque cenſet ſervi commodum ad legatarium pertinere? Unde ingenue pro ſua doctrina, & gravitate Cujacius errorem ſuum recognoſcit, & corrigit, *a*) receditque a veteri ſententia. Negarat enim alibi, fideicommiſſarias libertates lege Fuſia Caninia comprehendi: igitur non directas libertates tantum, ſed & fideicommiſſarias hunc ad modum lex Fuſia Caninia redigit, ut qui duos ſervos habet, manumittere poſſit ambos; ex tribus vero ſervis, non plures, quam unus, & alter manumittantur: *b*) ſubductis autem duobus usque ad decem pars dimidia, a X. usque ad XXX. pars tertia; a XXX. usque ad C. pars quarta; a C. usque ad D. pars quinta, nempe C. ut non liceat hunc numerum excedere, etſi plures, quam D. ſervi poſſideantur. *c*) Unde Vopiſcus in *Tacito*, * *ſervos*, inquit, *manumiſit intra centum, ne Caniniam tranſiiſſe videretur*. *d*) Conſtat autem, Romanorum non paucos patrimonium omne ſuum in ſervis habuiſſe conſtitutum. Pedanio enim quadringentos ſervos tribuit Tacitus. *e*) Plinius vero Cæcilio Iſidoro quatuor mille. Laurentius denique apud Athenæum refert *f*) viginti millia ſervorum fuiſſe, qui Romæ poſſederint. At ſi ultra modum danda libertate teſtator excurriſſet, tum ſcripturæ ordo ſervabatur, ut qui primi ſcripti eſſent, ſi numerati legitimum modum conficerent, liberarentur; qui vero a juſto numero ſupereſſent, in ſervitute manerent. *g*) Altero ejusdem legis capite continebatur, ut ne confuſe, & permiſte, veluti, *ſervos meos*, *ancillas meas liberos eſſe volo*, ſed nominatim, & diſtincte manumitterentur ſervi, veluti, *Stichus*, *Dama*, *liberi ſunto*. Quamobrem ſi legitimum quis numerum manumittendo exceſſiſſet, ** eorumque nomina in orbem, confuſoque ordine ſcripturæ locaſſet, ac in ejus orbis area, ſive ſpatio ſcripſiſſet, *liberi ſunto*: neminem eorum placuit eſſe liberum, cum in circulo non pateret, unde duceretur legitimus numerus, aut ubi tandem aliqua ex parte ductus inſiſteret, ut enim Ocellus Lucanus ait, *Circulus undique ſimilis*, & *æqualis*, *ideo ſine principio*, & *fine*. At ſi communibus notis teſtator uſus fuiſſet, veluti *coquus meus liber eſto*, cum unum haberet coquum; perinde eſt ac ſi nominatim manumiſiſſet. Officiorum enim, ut inquit Paullus, *h*) & artium appellatio, nihil nominum de ſignificatione mutat; niſi cum plures ſunt ejusdem artificii. In numero autem ſervorum ineundo computabantur, & fugitivi, quorum poſſeſſio animo retinetur. Juſtinianus vero hac lege veluti libertatis im-

a) *tit. C. de fideicom. libertat.*

b) Paullus *ſent. lib. 4. tit. 14.* Ulpianus *fragm. tit. 1.*

c) *diſtincte* Cujac. *ad lib. 4.* Paull. *ſent. tit. 14.*

* Quod is ex ſuperabundanti feciſſe videtur; cum enim lex ad ſolam manumiſſionem per ultimam voluntatem pertineret, inter vivos autem etiam integræ familiæ manumitti poſſent, mentem legis etiam in manumiſſione inter vivos ſervavit.

d) *Vide* Cajum *in lib. 2. tit. 2. Inſtit.*

e) *annal. 14. cap. 43.* Plin. *lib. 37. cap. 10.*

f) *l. 6. n. 137.* Seneca *de tranquill. cap. 8.*

g) Cajus *Inſtit. lib. 1. cap. 2.*

** Quodſi intra numerum manumiſſi eſſent, omnes liberi fuiſſe videntur, quia certi omnes & nominati. Dicebantur autem in circulo manumiſſi etiam manumiſſi in orbe tereti, Græce διαζωδιῶς καὶ ἐν κύκλῳ, de quibus videndus Merillius *Obſ. VII. c. 40.* qui tamen in circulo, & confuſe manumiſſos confundit, recte ideo notatus ab Antonio Schultingio *ad Cajum I. 2. 2. 13.*

h) *lib. 4. ſent. tit. 14.*

pedi-

pedimento ſublata, priſtinam manumittendi facultatem reſtituit, *a*) eo tantum ejus legis capite probato, quo ſervos nominatim * manumittere jubemur.

XIX. DE LEGE ÆLIA SENTIA.

Sed alia manumiſſionibus impedimenta obtulit lex Ælia Sentia pluribus ſane capitibus; lataque fuit Auguſti ævo, *b*) nempe Sex. Ælio, & C. Sentio Coſſ. A. V. C. DCCLVI. vel potius DCCLV. in quem annum horum conſulatum emendatior temporum ratio confert. Alia enim lex eſt ab ea, cujus Cicero meminit; ** in qua turpiter labitur Mynſingerus. Ex hac autem lege quo ab honeſtiſſima civitate averterentur maculæ hominum flagitioſorum, pudendæque famæ, qui vel ob turpem fugam inuſti eſſent in fronte notis, a quibus ſtigmatiæ, ac ſubverbuſti dicebantur, *c*) vel aliquo in crimine deprehenſi eſſent, deinde torti, aut ad ferrum dati, aut objecti beſtiis, aut in publicam cuſtodiam ducti; conſtitutum fuit, ne hi manumiſſi commercium, aut connubium, aut teſtamenti factionem, aut ulla civitatis jura conſequerentur; juſſumque, ut ad eam conditionem redigerentur, qua peregrini, qui abjectis armis ſe, ſuaque omnia vinctos dediſſent in ditionem populi Romani. Unde ſervi illi manumiſſi, ut conditionem, ita & nomen deditiorum conſequebantur, ſine ulla ſpe Romanæ civitatis adipiſcendæ. *d*) Verum obſcurato ſenſim decore urbis, lex etiam Ælia Sentia languebat, ut reddito cunctis pari manumiſſionis jure Juſtinianus eam ſuſtulerit. *e*) Alterum libertatis impedimentum excitavit lex Ælia Sentia ex ætate cum ſervorum, tum dominorum: nam nec ſervus triginta annis minor vindicta manumitti, nec minor viginti annis dominus manumittere poterat; niſi adducta, probataque cauſa in urbe apud conſilium quinque Senatorum, & quinque Equitum Romanorum: in provincia vero apud conſilium XX. Recuperatorum, ſive judicum, per quos debitum, & jus quisque reciperet ſuum; eosque judices cives Romanos eſſe oportebat. *f*) Quod optima ratione fuit conſtitutum. Qui etenim manumittit, civem dat Reipublicæ. Quod jus ſane maximum privatis eſt libertatis gratia tributum. Unde illud lenonis apud Plautum: *g*)

Sumne ego probus, ſum lepidus civis,
Qui Atticam hodie civitatem
Maxumam majorem feci, atque auxi civi fæmina?

liberaverat enim mulierem.

a) *C. de lege Fuſ. Can. toll.* Cujac. *ibid. in parat.*

* Imo etiam non nominato ſervo libertas jure novo dari poſſe videtur, cum ſufficiat, perſonam ejus aliunde innoteſcere arg. §. *27. J. de legatis.*

b) Dion. *lib. 55. pag. 557.*

** Imo verba, *Aelia Sentia*, in optimis codicibus Ciceronis deeſſe, jam ſupra monitum fuit. Uteremur alias conſilio Auctoris & legem hanc a noſtra diverſam diceremus. Utique enim eadem eſſe nequit, quia Cicero libros Topicos, quorum auctoritate Mynſingerus utitur, multo ante latam legem noſtram, A. U. 710. ſcripſit, ut ſupputat Noriſius ad *Cenotaph. Piſ. diſſ. III. c. 9.*

c) Tertull. *de Pall. c. 4.*

d) Ulp. *inſtit. c. 1. ubi* Goth. Cujac. *parat. C. de dedit. libert. tollenda.*

e) *C. de dedit. lib. tol.*

f) Ulp. *tit. 1. Inſtit. §. 11.*

g) *in Perſ. act. 4. ſc. 3.*

Hinc ne lubrici plerumque conſilii adoleſcentibus liceret civem aliquando turpiſſimum dare Reipubl. lex reſtitit eorum conſilio parum firmo; *a*) nam & noſtris temporibus in urbe uſu venit, ut nobiliſſimus quisque adoleſcens a vaferrimis, & deterrimis famulorum dolis circumducatur, quibus ætas ea maxime patet; etenim rei parandæ difficultatem nondum experta, præceps ad liberalitatis officia fertur. Et quoniam libertatem non vitiorum; ſed virtutis præmium eſſe, majores noſtri voluerunt; ideo ne libidinoſis illecebris candor, & liberalitas aliena captaretur; juſtas, & honeſtas cauſas probari oportebat: *b*) quoque omnis fraus amoveretur, irritæ erant hac lege manumiſſiones ex, quas minor XX. *c*) annis faceret per interpoſitam perſonam alterius, qui major eſſet annorum XX. Quod ex ſententia legis S. C. fuit evocatum, ut patet ex Alexandri reſcripto. *d*) Plura enim S. C. legem hanc comitabantur, nempe; *Ut ſi quis apud unum Conſulem ediderit nomina manumittendorum; ut apud eundem expediat manumiſſionem, peragatque ſolemnia, niſi Conſul ille, juſta cauſa, impediatur*; tum enim licebit alterum adire. *e*) Eſt & illud, ne in fraudem civitatum manumiſſi ad libertatem venirent. *f*) Atque ad hanc legem etiam ſpectabat S. C. aliud, ne capitalium criminum reis ſervos ſuos manumittere liceret. *g*) Et illud, quo inter juſtas cauſas manumiſſionis habetur, ſi minor XX. annis ancillam ſuam matrimonii cauſa manumittere cupiat, & juret ducturum intra ſex menſes. *h*) Juſtas autem cauſas Juſtinianus recenſuit haſce: ſi quis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, ſororesque naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut collectaneum, * manumittat, aut ancillam; ſi eam, ut diximus, intra ſex menſes ducere ſit paratus; aut ſervum non minorem decem, & ſeptem annis, quem procuratorem ſibi conſtituat. Quas cauſas exigit Juſtinianus a minori XX. annis, ſi vindicta manumittat, non ſi teſtamento. Nam adoleſcenti annorum XVIII. liberam tribuit facultatem in teſtamento manumittendi. *i*) Quod poſtea laxavit ad annum XIV. *k*) Aliud legis Æliæ Sentiæ caput vetabat manumiſſiones, quæ obligatos ſervos creditoribus eximerent; partemque detraherent pignorum, aut portionem patronis debitam imminuerent. Hinc revocavit, ac ipſo jure irritas fecit *l*) manumiſſiones ab eo conſilio, fraudeque profectas, etiam ſi manumiſſiones a militari teſtamento

a) *L. 4. ff. de ſervis export.*

b) Ulp. *ad l. illud ff. de manumiſſ. vindict.*

c) *L. 4. C. qui manumitti non poſſ.* & Cujac. *ad eundem tit.*

d) *d. L. 4. C. qui manumitti non poſſunt.*

e) *L. 1. ff. de offic. proconſ.*

f) *L. in fraudem 11. ff. qui & a quibus manum. per l. Æl. ſent.*

g) *L. qui pœnæ 8. ff. de manumiſſ.*

h) Cujac. *obſ. 4. cap. 31. lib. 3. tit. 11. C. l. ſi collactaneus in fin. de manum. vindict. Inſt. lib. 1. tit. 6.*

* Sive σύντροφον, cujus mentio fit in Actis Apoſtolorum *cap. 13. v. 1.* Additur in *L. 13. D. de manum. vindicta* capſarius. Capſarius vero eſt, qui libros adoleſcentis ingenui, in ludum euntis, portat, quo ſenſu Auguſtinus *Comment. in Pſ. XLI.* Judæos Chriſtianorum capſarios vocat, item contra Fauſt. *XII. 23.* ſcriniarios bajulantes legem & Prophetas.

i) *Inſtit. lib. 1. tit. 6.*

k) *Novell. 119. c. 2.*

l) *L. ſi libertus ff. de jure patron.* Tacit. *annal. lib. 15. cap. 55.*

deſcen-

deſcendant; *a*) ſimiliter atque alienationes in fraudem creditorum factæ per Paullianam reſcinduntur; *b*) factæ autem in fraudem patronorum a teſtato liberto, per Fabianam; *c*) ab inteſtato vero, per Calviſianam actionem revocantur: *d*) quamvis hæ ab initio valeant; manumiſſiones vero lex Ælia Sentia in ipſis initiis irritas reddat. Non eadem enim eſt in Prætore, quæ in lege poteſtas. Porro per hanc legem iis etiam proſpicitur creditoribus, quibus ſub conditione debetur, *e*) cum & is etiam creditor obligationem transferat in hæredem, *f*) & poſſit in poſſeſſionem mitti bonorum debitoris: ideo recte Cujacius e veteri lectione *g*) negationem expunxit, * ac pro *locum non habet*, reſtituit *locum habet*: cui emendationi favet Hermogenianus. *h*) Verum ne dominus, qui ſolvendo non eſt, diſtractionis bonorum ignominiam poſt mortem ſubeat, permiſſum eſt ei hac lege, uni ſervorum libertatem, & hæreditatem teſtamento relinquere, ut is in ſeſe infamiam domini ſuſcipiat, ac non domini, ſed ſervi nomine bona diſtrahantur: ſimiliter atque ne Senatorium nomen infamia polluatur, ex S. C. curator conſtituitur diſtrahendis bonis Senatorum, quibus actiones creditorum immineant. *i*) Verum etſi ſimpliciter hæres ſervus ſit inſtitutus absque libertate, nihilominus tamen eſſe liberum Juſtinianus voluit; *k*) cum hæredis nomen nequeat niſi in liberum hominem cadere. Item Adriani temporibus proditum eſt S. C. *l*) ad hanc legem ut pluribus liberatis ab eo, qui ſolvendo non erat, & per fideicommiſſum inſtitutis ſervis, qui priori loco ſcriptus eſſet, libertatem, & hæreditatem aſſequeretur; niſi prior nominatus majoris ſit precii, ex quo poſſit creditoribus ſatisfieri; alter autem ſit minoris, nec ex eo poſſint creditores debitam ſibi pecuniam redigere: tum enim ſequenti loco ſcriptus perveniet ad libertatem. *m*) Si tamen ſervus ſit inſtitutus, ſubſtitutus vero liber homo, rejecta inſtitutione ſervi, in libero ſubſtituto conſiſtet hæreditas. Servi enim inſtitutio tum demum valet, cum deeſt homo liber, a quo hæredis nomen ſuſtineatur. *n*) Directas autem libertates tantum coërcet lex Ælia Sentia: nam fideicommiſſarias moderatur jus ante receptum, quo vetatur fideicommiſſum præſtari, niſi deducto ære alieno. *o*) Cautum præterea eſt hac lege, ut ſi patronus libertum inopem alere neglexerit, ipſe liberique ejus excidant non ſolum juribus, quæ manumittendo ſibi retinuit; verum etiam hæreditate liberti, ac bonorum poſſeſſione; niſi vel hæres ſit ipſe dominus inſtitutus, vel bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas petat. *p*) Et contra ex eadem lege actio prodita eſt adverſus ingratos libertos. Optimo ſane conſilio, ne qui contemneret libertatis

a) *L. 8. §. 5. ff. qui & a quibus. L. in fraudem in princ. ff. de milit. teſtam.*

b) *§. item ſi quis in fraud. credit. Inſtit. de action.*

c) *tit. ff. & C. qui manumitt. non poſſ.*

d) *vide* Cujac. *C. qui manumitt. non poſſ.*

e) *L. 8. ff. qui & a quibus manumitt.*

f) Cujac. *lib. 3. ad Afric. lib. 3.*

g) *L. 8. ff. qui & a quibus.*

* Quæ negatio fugit diligentiam Siegm. Reich. Jauchii de *Negationibus Pandectarum.*

h) *L. 27. eod. tit. & lib. Baſilic.*

i) *L. 5 & 9. ff. de curat. furioſ.*

k) *Inſtit. lib. 2. tit. 6. §. 2.*

l) *L. 83. ff. de hæred. inſtit.*

m) *L. ſi quis habens 24. ff. qui & a quibus manumitt.*

n) *L. 57. ff. de hæred. inſtit.*

o) Cujac. *ad tit. 11. C. lib. 7.*

p) *L. 33. ff. de bon. lib. L. 6. ff. de liber. agnoſc.*

auctorem, turpi vita, fœdisque, quorum indicium præbuit, morbis civitatem labefactaret. Hæc apud Athenienſes formula ingratus libertus in ſervitutem retrahebatur: *Superſedeo te habere civem, tanti muneris impium æſtimatorem; nec adduci poſſum, ut credam urbi utilem, quem domi ſceleſtum cerno: abi igitur, & eſto ſervus, quoniam liber eſſe neſciviſti: a*) apud Romanos vero damnabatur in latomias, ſive *lapicidinas.* * Quanquam enim *in l. 30. ff. qui, & a quibus*, legitur, ut in *ſervitutem revocentur*, & apud Donatum invenitur, libertos in ſervitutem revocari; tamen in ea lege gloſſema eſt, quod irrepſit ex Conſtitutionibus. Siquidem poſterioribus temporibus, ad quæ forſan & Donatus reſpexit, non ex l. Ælia Sentia, ſed ex reſcripto Principum, patroni extra ordinem libertos in ſervitutem revocabant. *b*) Hæc autem actio ex lege Ælia Sentia deſcendens, competit dominis, vel ejus filiis, hæredibus etiam, ſi ſe abſtinuerint hæreditate; non autem hæredibus hæredum, *c*) vel filiis exhæredatis, deinde per alium hæredem, vel per ſervum ad hæreditatem paternam admiſſis. Et recte Cujacius in l. *cum patronus*, conjungit actionem ingrati cum jure operum ** exigendorum. *d*) Ne vero in libero homine nota hæreret ſervitutis, eadem l. Ælia Sentia, dominus, qui a liberto mercedem operarum ſtipulabatur, ab omni jure, quod ſibi ex manumiſſione ſupererat, excidebat. *e*) Secus vero erat, ſi a ſponte præſtantibus libertis dominus acciperet, aut operarum mercedem exigeret: potius enim a conductore operarum liberti capere videretur, quam ab ipſo liberto: niſi ea conditione ſit patronus, ut pecunia non indigeat, & ſatis operibus ipſius liberti juvetur: ne quod accepti beneficii prœmio libertus ex legibus præſtare tenetur, ad explendam domini avaritiam deflectatur. *f*) Cum autem nihil tam reip. conducat, quam liberorum procreatio; ideo hac lege jus patronatus adimebatur ei, qui ſtipulatione, vel jurejurando libertum, libertamve obſtrinxiſſet, ne nuberet, neve liberos tolleret, *g*) niſi non perpetuam viduitatem pa-

a) Val. Max. *apud* Cujac. *ad l. commun. 24. ff. de bon. libert. ſive ad lib. 65. ff. Salvii Julian.*

* Malim lapidicinas, eſt enim vox compoſita a lapide cædendo. In mox ſequente *l. 30. ff. Qui & a quibus* verba, *In ſervitutem revocentur*, contra Cujacium tuetur Suerinius, *repetitarum lectionum juris civilis c. 3.* Mediam inter utrumque viam init Celeb. Otto *Pr. Tom. IV. p. 3.* qui dicta verba ad Principum Conſtitutiones refert, quibus liberti ingrati extra ordinem in ſervitutem revocati fuerint.

b) Cujac. *ad L. comm. 24. ff. de operib. libertor. & obſervat. 21. cap. 6. L. 7. ff. ad S. C. Syllanian. L. 1. C. de libert. & eorum liberis.*

c) *L. ſciendum 70. ff. de V. S. L. ſi operarum ff. de oper. libert. & L. cum patron. §. cum libert. eod.*

** Scilicet, ut qui operas exigere poteſt, etiam actionem ingrati inſtituere queat.

d) *d. l. cum patronus* Cuj. *in ff. ad l. ſciendum 30. ff. de V. S. quæ conjuncta eſt cum l. 65. 68. 69. & l. penult. C. de libert. & eorum liber.* Cujac. *obſ. 27. cap. 14.*

e) *L. ult. ff qui, & a quib. L. 5. ſi quis a libertis ff. de agnoſc. liber. L. 25. ff. de oper. libert.*

f) *L. 25. ff. de oper. liber. ubi* Cujac. ad *Julian. lib 65. ff. L. penult. & ult. ff. qui, & a quib.* Cuj. *l. communi 24 ff. de oper. liber. & ad l. 6. ff. de jur. patron. ad l. 24. ff. de oper. libert.*

g) *L. 6. ff de jure patron. L. penult. & ult. ff. qui, & a quib. L. communi. 24. ff. de bon. libert.*

tronus,

Digitized by Google

tronus, ſed magis curam ſuſceptorum jam liberorum injunxiſſe videatur. *a*) Verum ſi jurejurando patronus adegerit, ne uxorem ducat, libertum, qui ſuſcipiendorum liberorum ſpe deſtituatur, veluti caſtratum, certe in legem non incidet: neque ſi libertam patronus adegerit, ut ſibi patrono nubat, dummodo ex animo matrimonium expetat. *b*) Erat, & aliud hujus legis caput a Juſtiniano commemoratum in Novellis, quo donatione facta inter virum, & uxorem; & viro mortuo antequam rem donatam traderet; vetabatur mulier eam vindicare; ſed ſi mariti hæredes eam rem a muliere peterent, mulieri, ſi non poſſideret, * tantum exceptionem contra petitores opponere permittebatur. *c*)

XX. DE LEGE JULIA MANUMISSIONIS.

Manumiſſionis quoque legem Auguſtus condidit amplificandis juribus majeſtatis. Noluit enim, principem libertatem dantem teneri legibus manumiſſionis; ſed ſine ulla ſolennitate, ſive vindicta, ſoloque nutu perducere poſſe ſervos ad libertatem voluit: quæ lex Julia dicta eſt de manumiſſionibus, eamque Auguſto tribuit Paullus. *d*) **

XXI. DE LEGE PETRONIA DE SERVIS.

Favit quoque manumiſſionibus lex Junia Petronia, qua conſtitutum eſt, ut diſcrepantes pares Judicum ſententiæ ſervo libertatem pariant: *e*) ſententia enim ſemper eſt præferenda clementior. Alia quoque lege, ſive, ut ego ſuſpicor, alio ejusdem legis Petroniæ capite ſubventum eſt ſervis, ne arbitrio domini ad beſtias depugnandas tradantur, ſed a judice, cauſa apud eum probata, *f*) Auctores Petroniæ legis Hottomannus facit Cajum Junium Cæſonium Pætum, & Petronium Turpillianum Coſſ. an. 813. A. V. C. ***

XXII. DE LEGE JUNIA NORBANA, ET S. C. LARGIANO.

Auguſti ſtudium emendandæ civitatis, ac ſervilium ſordium eluendarum, viguit etiam in Tiberio, cujus quinto imperii anno A. V. C. DCCLXXI. lata eſt lex

a) *L. penult. ff. qui, & a quib.*

b) *L. 6. ff. de jur. patron.*

* Imo ſi poſſideret, quod tamen caput magis legis Cinciæ, quam Sentiæ fuiſſe, videtur. Quare & Cinciæ nomen illius loco Novellis inſertum in noviſſimis editionibus corporis juris.

c) Hottom. *hac leg. in ſerie leg. Rom.*

d) *L. apud eum ff. de manumiſſ. §. 1.*

** Principem ſine vindicta manumittere poſſe, lege Auguſti cautum dicit Paullus loco laudato, ſed hanc legem Juliam de manumiſſionibus dictam eſſe, non dicit.

e) *L. 24. ff. de manumiſſ.* Paul. *lib. 4. ſent. 12. §. 5.*

f) *L. circumcidere 11. ff. ad l. Corn. de Sic.*

*** Aliud viſum Cl. Noordkerk in *diſquiſitione de lege Petronia c. 2.* qui legem de paribus judicum ſententiis Julio Cæſari acceptam ferre maluit, & legem Juliam patronorum dictam fuiſſe, cenſet. Idem legem Petroniam de ſervis non amplius arbitrio domini ad beſtias depugnandas dandis, erudite & ingenioſe ætati Auguſti, latori P. Petronio Turpiliano vindicavit; legem autem Petroniam de abolitionibus, quæ dein in Senatusconſultum Turpilianum transfuſa ſit, eodem anno latam putat, quo hæc de ſervis non temere ad beſtias dandis vulgo lata fertur.

Digitized by Google

Junia Norbana a M. Junio Sylano, L. Norbano Baldo Coſſ. * Eaque medium quendam gradum inter libertatem, & ſervitutem interjecit, iisque paravit, qui neque vindicta, neque cenſu, neque teſtamento, ſed per epiſtolam, aut inter amicos, aut adhibitione ad convivium manumitterentur. Siquidem, qui aliquem ſua menſa participaſſet, is propria quodammodo illum dignitate impertire videbatur, ut ſignificat Agamemnon, dum Idomenæum ad pugnam apud Homerum adhortatur. *a*) Verum ita demum adhibitione convivii, ſervus libertatem aſſequebatur, ſi eo conſilio ad menſam a domino vocatus appareret. *b*) Et quoniam in conviviis, aut congratulationibus, atque hilari conſuetudine amicorum homines animo ſoluto ſunt, & remiſſo, conſilioque languentiori; propterea lex minus hujusmodi manumiſſionibus tribuit. Et cum procul ſumus, nec ſervi utilitatem præſentem habemus, facilius manumittimus: ideo libertas data per epiſtolam, minor eſt libertate data ſolenniter: Igitur his rationibus manumiſſos lex exæquavit iis, qui nomina dabant latinis coloniis deducendis, *c*) in quibus eſſe impune licebat etiam interdictis aqua, & igni; tum autem hi, cum illi, qui ſponte nomina dabant, in easque colonias confluebant latini facti Romanam civitatem amittebant, ut neque connubii, neque teſtamenti, neque nexus mancipiique, neque patriæ poteſtatis jus retinerent, ac dicebantur Latini colonarii. Cum autem lege, ut Cicero teſtatur, *d*) Julia, fortaſſe lata a S. Julio Cæſare, qui primo anno Italici belli, Conſul cum L. Martio Philippo fuit, latinis omnibus civitas data fuerit; conditio veterum latinorum tranſiit ad hoſce libertos, *e*) qui cum viverent liberi, tamen mortui ſervilem

* Maluit hanc legem noviſſime C. Junio Norbano Balbo acceptam ferre Cl Noordkerk, qui cum L. Cornelio Scipione conſul fuerit, A. V. 671. Cauſſatur, hanc legem, qua melior facta ſit conditio libertorum modis minus ſolennibus manumiſſorum, ut apparet ex fragmentis veteris Juriſconſulti, apud Schultingium *p. 804. ſeq.* non convenire genio Auguſti, ſervis infenſi, multoque minus moribus Tiberii, hoſtis generis humani, nec tempore Auguſti Latinis Junianos æquiparari potuiſſe, quia hi juris jam Romani fuerint participes. Verum, utut hæc ſpecioſa ſint, tamen non eſt, cur temere vadimonium receptæ ſententiæ deſeramus. Quamquam enim hoc intuitu ſervis benigna eſt lex, quod etiam minus ſolenni modo manumiſſi in ſervitutem temere revocari nequeant, alia tamen ex parte has libertates cohibet, perinde ac leges Aelia Sentia & Fuſia Caninia indubitanter iisdem circiter temporibus latæ. Liberti enim Juniani moriebantur ut ſervi, bonis eorum jure peculii apud dominum remanentibus §. 4. *J. de ſucc. lib. pr.* & §. *ult. L. un. C. de Lat. lib. toll.* Quodſi porro Trajanus hominem invito, vel ignorante patrono beneficio principis ad libertatem feſtinantem, etſi vivum eſſe ſinat civem Romanum, tamen *Latinum facit morientem*, & Latina libertorum conditio Juſtiniani tempore nondum abolita erat, minus mirabilis videbitur libertus Latino tempore Tiberii aſſimilatus. Illud notabile, libertos Junianos tempore mortis pro ſervis habitos fuiſſe, quod utique non contigit Latinis Colonariis. unde apparet, neque his eos ſimiles fuiſſe omnimodo.

a) *Iliad.* Δ.

b) *vide* Loon. *Eleut. c. 4. lib. 2.*

c) *de quibus* Cicero *pro Cæcin. & in orat. pro domo.*

d) *in orat. pro Balbo.*

e) *hac de re fragmentum extat veteris* S. C. *apud* Petrum Pithœum.

in

in ſtatum relabebantur; niſi ad plenam libertatem teſtamento, aut cenſu, aut vindicta perveniſſent. Si vero in hac media libertate manſiſſent, eorum bona dominus occupabat jure peculii: cum ipſe, tum liberi ejus, qui exhæredati non fuiſſent. Nam hæredes inſtituti vel ſoli, vel cum extraneis in horum libertorum bonis præferebantur ceteris ex S. C. Largiano. *a*) * Erant & aliæ rationes latinæ libertatis adipiſcendæ: quæ nunc ex Juſtiniani conſtitutione ad veram, plenamque libertatem perducunt. Itaque ſervus infirma valetudine, quem dominus expoſuit, habuitque pro derelicto, ubi convaleſceret, ex edicto Claudii latinam libertatem aſſequebatur. *b*) Item & qui defuncti, hæredisve voluntate, ut pompam augerent funus pileati præcederent, aut lectum circumſiſterent, aut ventum cadaveri facerent; quod officium Achilles Patroclo præſtabat; vel quibus ex teſtamento latina libertas obveniebat, quique pendente conditione libertatis teſtamento datæ ab hærede vindicta manumittebantur; vel quos dominus, accepto ea cauſa pretio manumittere abnueret; vel ancilla, quæ fuiſſet in matrimonium libero homini a domino collocata; vel is, quem dominus inter acta judicii filium appellaſſet, cuive dominus inſtrumentum emtionis, & ſervitutis reddidiſſet. Qui omnes ad latinam tantum libertatem vocabantur; nunc ſublata ex Juſtiniani conſtitutione non modo latina libertate, ſed diſcrimine omni libertos inter, & ingenuos, omnes æque ad plenam, & integram libertatem perveniunt. *c*) Cum ante Juſtinianum latini liberti, tum demum Romanam civitatem aſſequerentur, cum reſcripto principis jus Quiritium impetraſſent, *d*) vel cauſa liberorum. Etenim refert Ulpianus, *e*) lege Junia Norbana ** cautum fuiſſe, ut ſi latinus libertus civem Romanam, vel latinam duxiſſet uxorem, interpoſita ſolenni formula, *f*) quod liberorum quærendorum cauſa uxorem duceret, ex eoque conjugio prolem ſuſcepiſſet, filio anniculo facto, & cauſa, vel apud prætorem, vel apud præſidem provinciæ probata, parentes ſimul, ac liberi cives Romani fierent: ſiquidem uxor latina fuiſſet; *g*) nam ſi eſſet civis Romana, filius naſceretur civis Romanus ex reſcripto Adriani. At quomodo potuit uxor eſſe civis Romana, ſi nullum latinis cum civibus Romanis

a) *L. unica C. de lat. libert. toll.*

* Vocem ceteris de heredibus intelligo liberti. Vinnius in *Comm.* ad §. 4. *J. de ſucceſſ. lib.* hæredes manumiſſoris vocari cenſebat. Sed ſic Tribonianus extraneis heredibus *ejus* non *eorum* dicere debuiſſet. Nunc ita ſcripſit: *Poſtea vero Senatusconſulto Largiano cautum fuerat, ut Liberi manumiſſoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur.* Vocantur autem liberi non nominatim exheredati facti, unde manifeſtum, heredes liberti extraneos, non ab inſtitutis tantum, verum etiam ab exheredatis inter ceteros excluſos fuiſſe, adeoque SCtum in favorem familiæ patroni latum eſſe.

b) *L. 2. ff. qui ſine manumiſſ. ad libertat. perven.*

c) *C. de lat. lib. toll. Novell. 78. cap. 1.*

d) Ulp. *Inſtit. tit. de lat.*

e) *ibidem.*

** Imo Ulpianus omiſſo nomine Norbanæ Juniam ſolam laudat. Unde Cl. Noordkerk nata occaſio ſuſpicandi, Ulpianum de alia lege Junia loqui. Laudatur quoque lex Junia ſine adjectione Norbanæ in §. 4. *J. de ſucceſſ. lib.* & alibi ut obſervat *Otto ad l. §.*

f) Gothofr. *ad l. 220. ff. de V. S.* Tacit. *lib. 2. Aug. 3. contra Julian.*

g) Ulpian. *tit. de lat. §. 3.*

erat

erat jus connubii? Nimirum id impetratum fuerat a principe: nam tit. ſeq. ſcribit Ulpianus *a*) connubium habere peregrinos & latinos cum civibus Romanis, ſi fuiſſet conceſſum, ut intelligas conſueviſſe concedi. Ceterum ſi civis Romanus latinam duxiſſet ſine venia, partus latinus ederetur. Etenim connubio interveniente liberi patrem ſequuntur; nullo autem interveniente connubio, liberi conditioni matris accedunt.

XXIII. DE LEGE MENSIA.

Quod aliqua ex parte * immutatum fuit lege Menſia, *b*) quæ natum ex alterutro conjuge peregrino, juſſit ſequi deterioris parentis conditionem. Plenam quoque libertatem aſſequebatur libertus latinus, qui annis XXX. major iterum manumitteretur. Ejusdem autem liberis a prima manumiſſione, dum libertus pater eorum eſſet minor, jus Quiritium quærebatur ex l. Junia; poſt eam autem ætatem, qui latinitatem adipiſcitur, liberis jus Quiritium conſequitur ex S. C. quod Cujacius obſervavit. *c*) Præterea Claudius rei navali ſtudens, ejus amplificandæ gratia, civitatem Romanam præmio ei liberto latino conceſſit, qui decem mille modiorum navem conſtruxiſſet, & ſex annos frumentum transportaſſet. Hinc Suetonius ingentia præmia ſcribit a Claudio propoſita fuiſſe iis, qui navem fabricarent, ut Latinis jus Quiritium, & mulieribus, qui navem adornaſſent, conceſſerit jus quatuor liberorum. *d*)

XXIV. DE LEGE VISELLIA.

Latinus pariter conſequebatur jus Quiritium militia, ex lege Viſellia, *e*) de qua commodum hic agendum occurrit. Aliquibus in codicibus legitur Miſcellia, vel Miſcella, vel Viſcellia, vel Viſillia, non recte: cum Viſelliorum familiam jam notam habeamus ex Cicerone in Bruto, ex qua fuit C. Viſellius Varro Ciceronis conſobrinus. *f*) Lata igitur fuit ** lex hæc anno A. V. C. DCCLXXVI. L. Viſellio Varrone, Sext. Cornelio Coſſ. ſub Tiberio. Inter capita hujus legis, quæ perierunt, illud extabat; quo latinis libertis civitas Romana dabatur, ſi ſex annos militaſſent inter vigiles, quorum ſeptem cohortes Auguſtus præfecit regionibus urbis, binasque regiones ſingulis cohortibus cuſtodiendas mandavit. *g*) Senatusconſulto

a) *tit. 5. §. 4. & 9.*

* Imo legem Menſiam ad Latinos non pertinuiſſe, alii cenſent. Peregrinos quoque ſejungi interdum videas a Latinis, ut apud Ulpianum *tit. V. §. 4. tit. XIX. §. 4.* & Marcianum in *L. 17. §. 1. D. de Pœnis.* Neque tamen ideo ſententiam Noſtri deſerendam eſſe putamus. Si enim homines dividuntur in cives & peregrinos, & peregrinus eſt, quisquis non eſt particeps juris Quiritium, Latinus etiam peregrinus erit. Conf. Schultingium *ad Ulp. tit. V. §. 8.* & Heineccium *ad L. Papiam p. 226.*

b) *de qua* Ulpian. *tit. 5. §. 8.* Briſſ. *de jure connubii p. 104.*

c) *ad tit. 3. Ulpian.*

d) Sueton. *in Claud. cap. 18.* Gottofr. *ad Ulpian. tit. 3. n. 12.*

e) *C. ad l. Viſell. l. 1. C. quando civil. act. crim. præjud.*

f) Hottomann. *de l. Viſellia.*

** Imo lata creditur; contra Auguſti eam ævo, a C. Viſellio Varrone, Conſule ſuffecto latam fuiſſe, ſuſpicatur Cl. Noordkerk *de lege Petronia p. 92.*

g) *l. 3. ff. de offic. præf. vig.* Cujac. *ad Ulp. tit. 3.*

deinde

deinde ad hanc legem facto, contractum fuit legis ſpatium, juſſumque, ut triennium ad libertatem integram adipiſcendam ſatis eſſet. *a*) Aliud erat legis Viſelliæ caput, quo libertina conditio a civium, & ingenuorum honoribus arcebatur, niſi liberti jus aureorum annulorum, quod divitioribus plerumque concedebatur, vel reſtitutionem natalium a principe impetraſſent. Itaque libertus ad eam conditionem evehebatur, qua erant, qui naſcerentur ingenui. Etenim ſervi annulos geſtare prohibebantur, & libertus aureo annulo ex indulgentia principis utebatur; quod jus adeptus habebatur ingenuus: nec quidquam patrono debebat, præter reverentiam, quam etiam liberi parentibus exhibere tenentur; *b*) moriens autem ad libertinam conditionem redibat, ac integra patronatus jura reviviſcebant. Hinc Ulpianus hunc hominem vivere ait ut ingenuum, mori ut libertum: etenim patronus bonorum poſſeſſionem contra tabulas recte petebat. *c*) At ſi non modo jus aureorum annulorum, quod etiam fœminis concedebatur, *d*) libertus impetraſſet, ſed aureo etiam annulo rite, ac ſolenniter a principe donatus fuiſſet; locus etiam in equeſtri ordine donatus eidem putabatur: *e*) unde ne umbra quidem juris patronatus ſupererat, ac jura omnia manumiſſionis extinguebantur: ut hinc appareat, quid interſit jus habere aureorum annulorum, quæ erat imago libertatis, *f*) & aureo annulo donari, quæ nota erat equeſtris ordinis. *g*) Idque miror, Cujacium antiquitatis poſt extinctam Rempub. peritiſſimum promiſcue accepiſſe. *h*) Peribant etiam patronatus jura reſtitutione natalium, ut ne actione quidem ingrati deinceps libertus teneretur: *i*) ideo niſi conſentiente patrono, nemo natalibus reddebatur. Verum Juſtinianus Novell. 78. ſublata l. Junia Norbana, & l. Viſellia, libertos per omnia ingenuis exæquavit, remiſitque onus impetrandæ reſtitutionis natalium, & juris aureorum annulorum; ac in ſolam manumiſſionem hæc omnia jura congeſſit. Atque hæ leges pertinent ad directas libertates; nunc ad S. C. progrediemur, quæ fideicommiſſarias complectuntur. Teſtamento enim, præter directas, fideicommiſſariæ quoque libertates relinquebantur verbis precariis: *Peto, Rogo, Volo, Mando, Fideicommitto; k*) minime vero per verbum *commendo*, quod animi deſiderium potius præfert, quam præceptum, niſi adjectum fuerit, *ne cui alii ſerviat:* quod & ſine commendatione manumiſſionis onus imponit hæredi. *l*) Et quoniam directæ libertates ipſo jure competunt; fideicommiſſariæ vero præſtandæ ſunt ab hærede, vel a fideicommiſſario, vel a legatario, ut qui ab iis libertatem petere negligat, maneat in ſervitute cum liberis; *m*) ideo ne fraude, culpa, vel abſentia hæredum, vel legatariorum injiceretur mora libertatibus, varia prodita ſunt S. C. quorum vi, quod accipiendum erat ab homine, præſtabatur a jure.

a) Vlpian. *tit. 3. in fine.*
b) *L. 10. §. 3. ff. de in jus voc.*
c) *L. 3. ff. de bon. libert. L. 4. ff. de jur. aur. ann.* Hottom.
d) *L. 4. ff. de jur. aur. annul.*
e) Plutarch. *in Galba* Dion. *lib. 48.*
f) *L. unic. C. ad l. Viſell.*
g) Briſſ. & Hottom. *in Lexic.*
h) *ad tit. C. de jur. aureor. annul.*
i) Cujac. *ad C. de jur. aur. annul. L. penul. ff. de bon. libert. L. 10. §. ſed & jus ff. de in jus voc.*
k) *§. ult. Inſtit. de ſing. reb. per fideicom. relict.* Cujac. *lib. 18. obſ. 5. & 20.*
l) *L. 12. ff. de fideicommiſſ. libert.*
m) *L. 4. C. de fideicomm. libert.*

XXV. DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTAT. ET S. C. DASUMIANO.

Igitur S. C. Daſumiano cautum eſt, *a*) ut ex quacunque cauſa * abeſſent ſi, qui fideicommiſſam libertatem debent, ſervi expectare non cogerentur, ſed perinde haberentur, ac ſi, ut oportet, ex cauſa fideicommiſſi manumiſſi fuiſſent. Quod S. C. ad fictam abſentiam utilitatis cauſa porrectum fuit. Nam ſi teſtator tutores liberis ſuis dediſſet ſervos, quos manumitti juſſerat, quoniam nec ſervi tutores eſſe poſſunt, antequam manumittantur; nec filii, a quibus libertas relicta eſt, per ætatem manumittere queant, ſi ſint impuberes; ideo Paullus abſentium vice haberi tradit filios; ut S. C. Daſumiano includantur, ac a S. C. accipiant libertatem, quam ab impuberibus conſequi nequeant; ut liberi jam facti, tutelam puerorum capeſſant. *b*) ** Quamvis autem, abſente domino, ſine illius facto, ſervus manumitteretur, integra tamen ei patronatus jura relinquebantur. *c*) ***

XXVI. DE S. C. RUBRIANO.

Verum Trajani temporibus A. V. C. DCCCLIV. Rubrio Gallo, & Cœlio Hiſpone Coſſ. ſuffectis coërcendis fraudibus hæredum, aut aliorum, qui rogati ſunt manumittere, ne ad manumittendum evocati a Prætore laterent, aut dolo abeſſent, **** callidoque conſilio protraherent, aliave arte, qua ſpem libertatis eluderent, factum eſt S. Conſ. a Rubrio Conſ. Rubrianum appellatum, *d*) ex quo ſi qui erant rogati a teſtatore manumittere, evocati a Prætore adeſſe noluiſſent; ſervi, pro quibus Prætor pronunciaſſet, perinde libertatem adipiſcebantur, ac ſi directo manumiſſi fuiſſent; adeo ut partus ex ſerva illa, cui fideicommiſſaria libertas relicta eſſet, liber naſceretur. Et hæredi eripiebatur libertus, & fiebat orcinus; quia hæres, quantum in ſe fuit, omnem ſpem libertatis præcidit: unde nec ei jus patronatus relinquitur, neque ejuſdem impuberis liberti tutela; ſed ad familiam teſtatoris ea defertur, *e*) niſi vel pupillus hæres fuiſſet rogatus, tutor autem adeſſe noluiſſet;

a) Paull. *ſent. 4. tit. 13. L. neq. 36. L. non tantum §. 4. ff. de fideicommiſſ. libert. tit. C. eod.*

* Imo ex SCto Daſumiano tum demum libertas ſervo competit, ſi dominus ex juſta cauſa abſit, *L. 36. pr. D de fideicomm. libert.* ut paullo poſt plenius dicemus.

b) Paull. *ſent. 4. tit. 13.*

** Quod SCto Daſumiano deberi, ex verbis Paulli non intelligitur, ſed eo inductum Rittershuſius conjiciebat, quamvis ſatis verisimiliter.

c) Cujac. *ad tit. C. de fideicomm. libert.*

*** Daſumianum SCtum poſt SCtum Rubrianum & Articulejanum latum eſſe, ſuſpicatur Antonius Auguſtinus de *Nom. propr. Pand. c. IV. col. 325.*

**** Latet in his verbis differentia SCti Rubriani & Daſumiani. Ex hoc, qui rogatus eſt manumittere, abeſt ex *juſta cauſa*, veluti propter abſentiam Reipublicæ cauſa, quo caſu ſervus manumiſſus etiam abſentis fit libertus; ex Senatusconſulto contra Rubriano is, qui manumittere rogatus eſt, abeſt *dolo malo*, ideoque jure patronatus excidit. Verba enim *L. 51. §. 6. Ex quacunque cauſa* ad juſtam abſentiæ cauſam reſtringenda eſſe, apparet ex *L. 36. pr. D. de Fideic. libert.*

d) *L. cum vero 26. §. ſubventum 7. ff. de fideicomm. libert.*

e) *L. 3. §. plane ff. de legit. tut.*

(iniquum

(iniquum eſt enim obeſſe pupillo tutoris fraudem,) *a*) vel hæres major quidem ſit, ſed abſit cauſa rei familiaris, aut religionis aut ſervitutis apud hoſtes, aut aliqua calamitate, aliaque juſta cauſa detineatur; *b*) quæ cauſæ comprehenduntur Daſumiano S. C. quo nec libertas impeditur, nec libertus eripitur fraude carentibus, *c*) Item retinebat jus patronatus hæres, qui evocatus adeſſe neglexerat, ſi non teſtatoris ſervum, ſed proprium rogatus eſſet manumittere: quamvis enim pronunciatione Prætoris, ſervus libertatem obtineret; tamen veluti a fideicommiſſario libertatem accepiſſet, ejusdem permanebat libertus, cujus fuerat & ſervus. *d*)

XXVII. DE S. C. JUNCIANO.

Quod cautum * fuit S. C. Junciano, vel Æmiliano, ab Æmilio Juncio, & Julio Severo Coſſ. *e*) de quo & infra. Alioque S. C. cujus nullum nomen ſuperest, Adriani temporibus cautum eſt, ut ſi antequam Prætor pronunciaſſet, fideicommiſſarius ſine ſucceſſore deceſſiſſet, non impediatur libertas, ſed illius ſit libertus orcinus, cujus ſervus antea fuit. *f*) ** Et generaliter S. C. vetitum eſt, libertates intercidere, ſi quis ſine hærede, vel alio ſucceſſore deceſſerit, qui fideicommiſſam libertatem præſtare debebat; vel ſi ſuus hæres ſe abſtinuerit. *g*)

XXVIII. DE S. C. ARTICULEJANO.

In provinciis vero ea cognitio erat Præſidum eorum, quorum jurisdictioni ſuberat teſtator, & ſervus: qua de re ſub Trajano prodiit S. C. Articulejanum, ipſo Trajano, & Articulejo Pæto Coſſ., quo continebatur, ut in provinciis præſides provinciæ cognoſcerent, licet hæres alterius ſit provinciæ. *b*) Item ſenatusconſulto Junciano *** non modo de ſervo hæredis proprio, ſed de quovis alio, qui

a) *L. neque 36. ff. de fideicomm. libert.*

b) *L. neque ff. de fideicomm. libert.*

c) *ibid. ubi ſupra* Cujac. *ad tit. C. de fideicomm. lib.*

d) *L. non tantum 51. §. ſed ſi, & L. 28. §. 4. ff. de fideicomm. lib.*

* Quomodo igitur diſtat Senatusconſultum Juncianum a Rubriano & Daſumiano? Ita quidem quod ex Junciano liberatur ſervus, qui mortis tempore ejus. qui rogavit, non fuerit, *L. 28. § 4. D. de fideicomm. libert.* veluti proprius ejus, qui manumittere rogatus eſt, *L. 51. §. 8. D. eod.* ſalvo eidem jure patronatus, *d. l. 28. §. 4. D. de fideicomm. libert.* cum ex Daſumiano liberetur ſervus hereditarius, ex Rubriano vero deſtinatus manumiſſor jure patronatus penitus excidat, quia in fraudem libertatis abeſt.

e) *L. ſi cum ſervum 28. §. 4. ff. de fideicomm. libert.* Cujac. *C. eod. & ad lib. 58.* Paull *ad edict. ſive l. 5. ff. de fideicomm. liber.*

f) *L. 5. ff. eodem.*

** Defuncti puta, ſi defuncto, heredis, ſi heredi ſerviebat. Quid ſi tertio ſerviiſſet? tunc orcinus heredis erat, quia &, ſi ab herede redemtus & manumiſſus eſſet, libertus ejus fuiſſet. Verba, *Antequam Prætor pronunciaſſet, fideicommiſſarius ſine ſucceſſore deceſſiſſet*, hoc SCtum a ſuperioribus ſeparant.

g) *L. cum quaſi §. ſed et ſi quis 9. ff. de fideicomm. lib.*

b) *L. non tantum 51. ff. de fideicomm. lib.*

*** *De auctore* SCti Articulejani conferendus vetus lapis apud Gruterum *pag. 35. n. 1.* & Spartianus ad *Hadrianum c. 3.* Quæ de SCto Junciano deinceps dicuntur, commodius ſubjecta fuiſſent ſuperiori rubricæ. Servum ex SC. Junciano manumiſſum heredis libertum fuiſſe, Gravinæ libenter credimus, propter laudata verba *l. 28. §. 4. D.*

nec hæredis eſſet ſervus, nec teſtatoris, cautum erat, ut ſi Prætor pronunciaſſet, *in ea cauſa eſſe ſervum, ut ſi adeſſet hæres, cogendus eſſet illum manumittere; perinde eſſet, ac ſi ſervus fuiſſet ex fideicommiſſo manumiſſus*, ex quo intelligitur, quod ſupra innuimus, ſervum hunc ex S. C. liberatum, hæredis libertum permanſurum: quia enim lex præſtitit factum hæredis, videtur tanquam ex fideicommiſſo ipſe hæres liberaſſe. *a*) Ceterum non video, cur hoc caput aliqui ſubjecerint Æmiliano S. C. & Æmilianum a Junciano diſcreverint, atque hæc nomina, quæ unius hominis ſunt, ad duos diſtraxerint; cum omnia hæc ab uno Æmilio Juncio profluxerint.

XXIX. DE S. C. VITRASIANO.

At cum aliquando contingeret, ut teſtator libertatem ex fideicommiſſo relinqueret pluribus hæredibus inſtitutis, inter quos aliquis erat infans, qui manumittere non juberetur; abſurdum videbatur, ut quod is fari non poſſet, atque aliis hæredibus vendere partem ſuam impediretur, *b*) libertas, quæ ab aliis præſtari poterat, tantum ab infante non poterat. *c*) Idcirco Sulpitio Galba, Vitraſio Pollione Coſſ. * Senatus juſſit, ut perinde eſſet, ac ſi infans partem dominii ſuam vendidiſſet. Ideo cohæredes, liberato jam ſervo, precii nomine infanti tenebantur, ac ſi ex cauſa judicati cum iis ageretur. Itaque quod natura negaret, lex præſtabat: lex enim pro infante loquebatur, ac partem dominii cohæredibus vendebat.

XXX. DE S. C. NONIANO.

Et hæc quidem S. C. pertinent ad eos ſervos, qui aliena beneficentia redeunt ad naturalem libertatem. Sed non raro ſervus ad libertatem, libertus ad ingenuitatem in judicio proclamabat, ut ex ſententia judicis in meliorem ſtatum ſe revocaret: dominus autem, cujus intererat, ſervum, aut libertum, in ſervili, aut libertina conditione permanere, propter benevolentiam erga ſervum, erat indulgentior, & contendebat quidem in judicio, ſed leniter, ac remiſſe, ut ſcilicet a ſervo, qui cum de compacto agebat, ac luſorie confligebat, in judicio ſuperaretur. Qua arte peſſimi quique ſervorum ignavia, & imbecillitate dominorum civitatem Romanam aſſequebantur; nominis autem Romani dignitas peſſimorum civium turpitudine polluebatur. Ideo Domitiani temporibus has fraudes Senatus reſecuit; obſcurum, quo anno, quibusque Coſſ. Siquidem hoc S. C. alicubi Juniani nomen præfert, & adſcribitur Domitiano Cæſari, & Appio Junio Sabino Coſſ. an. A. V. C. DCCCXXXVI. alicubi vero Numianum appellatur, ut in titulo Codicis de *colluſione detegenda*, Quam lectionem Cujacius in *parat. d*) emendavit ex Baſilicis, ubi legitur: τὰ τῶν ννιίων δόγματι ἐγγεάφως ὁρισθέντα: & repoſuit *Ninnianum* a Ninnia gente, de

de fideicomm. libert. etſi jus patronatus in ſervum hunc priſtino domino tribuat Mezillius *Obſ. IV.* 24. Si is ab hærede diverſus ſit, qualis eſt emptor ſervi.

a) *L. 28. §. ſi quis ff. de fideicom. libert.*

b) *L. cum quaſi 30. §. ſi plures ff. de fideic. lib.*

c) Hottoman. *de S. C.*

* Adi viros Eximios, Ottonem in *Præf. T I. Th. jur. p.* 34. & Heineccium in *Hiſtoria juris. p.* 194.

d) *tit. C. de colluſ. deteg.*

qua

qua fuit Trib. plebis ille, qui interceſſione ſua reſtitit Clodio, iniquas rogationes in M. Tullium ferenti. *a*) Poſſumus ex Haloandro levi mutatione legere Nonianum, *b*) * illudque referre ad T. Nonium Aſprenatem, & M. Arricinum Clementem Coſſ. ſub Domitiano anno V. DCCCXLVI. Hoc autem S. C. is, qui liber, vel ingenuus in judicio pronunciatus fuit colludente domino in judicio cum ſervo; delationis prœmio ſervus vel libertus fiebat delatoris, qui abditam fraudem prodiderat: exemplo graſſatoris, qui principis liberalitate ſervus illius fit, a quo captus fuit, & vinctus. *c*) Eam vero fraudem deferre ac detegere licebat omnibus quamvis extraneis *d*) ex oratione Marci. Et quoniam qui captat injuſta, merito ſibi reditum intercludit ad juſta; ideo libertus, qui ſe ingenuitatem petiiſſet, deinde reſciſſa ſententia ingenuitatis ad libertinam conditionem rediiſſet, non recuperabat amiſſum jus aureorum annulorum, quod poſt manumiſſionem impetrarat. *e*) Porro ſi ſervum plures dominorum ſibi vindicent, dicentes eſſe communem, S. C. decretum eſt, ut ad eundem judicem eatur, ne cauſa ſententiarum varietate laceretur. *f*) Hæc autem actio poſt quinquennium continuum perimebatur. Nec enim licet, niſi intra quinquennium, ſententiam ſtatus retractari, *g*) ac vivente tantum eo, cujus de ſtatu agitur: nam mortuo eo, qui fuerat ingenuus pronunciatus, deinde in ſtatus controverſiam vocatus, inſtitutum judicium ſtatim diſſolvitur; idque conſtitutum fuit S. C. quod Marci orationem excepit. *h*) Nefas enim viſum eſt, retractatione ſententiæ atque quæſtione *προηγουμένως* mota lædere manes, & turbare cineres defunctorum. Quamobrem tum poteſt de ſtatu defunctorum *i*) quæri poſt mortem, ſi quæſtio ad augendam defuncti conditionem inſtituatur; velut ſi qui libertinus fuerat pronunciatus, petatur, ut ingenuus, priori ſententia retractata, declaretur; vel ſi quæſtio ea præcipua non ſit, ſed ad aliud judicium dirigatur, veluti ſi in judicio ſucceſſionis de ſtatu defuncti quærendum occurrat: ut quæſtio ad illius ſtatum evertendum minime tendat, dum ne tamen quinquennium exceſſerit; nam poſt quinquennium ne incidens quidem quæſtio de ſtatu defuncti tractari poteſt, quod omnium primum edixiſſe Nervam, Calliſtratus tradit. *k*) Idque

a) Dion. *lib.* 38. Cicero *epiſt.* 23. *lib.* 3. *ad Atticum.*

b) Gothofr. *ad l.* 1. *C. de colluſ. detegen.*

* Imo, nihil obſtat, quo minus receptam lectionem tueamur in tot SCtis, dictis a Conſule ſuffecto. Domitiani temporibus SCtum contra colluſiones latum conſtat ex *L.* 1. *D. de colluſ. deteg.* Factum id a Numio quodam, Conſule ſuffecto, non minori ſimilitudine quiſquam conjiciat, quam qua alii Nonianum malunt vel Junianum, quia in Faſtis præſto ſunt nomina Noniorum & Juniorum. Neque enim Juniani nomen, quod prodere Auctor videtur, uſpiam diſerte SCto noſtro tribuitur. In nominibus propriis auctoritati Baſilicorum præferendi videntur codices Latini, quare Cujacium non immerito Gravina hoc loco deſeruit.

c) *L.* 2. *C. quibus ad libert. proclam. liceb. ubi* Cujac. *in enarrat. C. L.* 1. *ff. de colluſ. deteg.*

d) *L.* 2. §. 4. *ff de colluſ. deteg.*

e) *L.* 3. *ff. de jur. aur. annul. ubi* Cujac.

f) *L. cognitio* 8. §. *ſi plures.* 1. *ff. de liber. cauſ.*

g) *L.* 2. *ff. de colluſ. deteg.*

h) *L.* 1. §. *ſed interdum ff. ne de ſtat. defunct.* Cujac. *ad l.* 1. *ff. de jur. aur. annul. ſive* 15. *reſp. Papin.*

i) *L. principaliter* 13. *C. de liber. cauſ.* Cujac. *d. l.* 2. *ff. de jur. aur. annul.*

k) *L.* 4. *ff. ne de ſtat. defunct.*

Marci Antonini temporibus S. C. comprehenſum fuiſſe, colligitur ex Capitolino, ac ex libris juris. *a*) Quod etiam Tito Veſpaſiano, Suetonio teſte, tribuitur. Poterat autem libertus ad ingenuitatem proclamare etiam poſt manumiſſionem, quæ minime officiebat ingenuitati, ſi ea repeteretur per quinquennium, atque in judicio probaretur; vel ſi poſt quinquennium emerſerint inſtrumenta, & probationes ingenuitatis: eoque judicio liber homo generi, atque origini ſuæ reddebatur: dum ne cum ingenuitate quidquam e domo manumiſſoris efferret, quod ei tanquam liberto, aut ex bonis manumiſſoris fuerat adquiſitum; nam ſi ex poſſeſſione ſervitutis quis ſe in libertatem vindicaſſet, ea tantum exportare poterat, quæ in domum cujusquam intuliſſet. *b*) Quod cautum fuit S. C. cujus vetuſtate nomen intercidit. Qui vero liber, aut libera ſe venumdari precii capiendi cauſa patiuntur, iis odio turpitudinis ex S. C. prohibetur ad libertatem proclamare. *c*)

XXXI. DE S. C. CLAUDIANO.

At quoniam Claudianis temporibus gliſcebat ſupra modum amor ingenuarum mulierum erga ſervos alienos, atque hi fœmineis illecebris ab operibus, & ſervitio abducebantur; ingenuarum autem mulierum fama, & proles ſervilis libidinis labe ſuffundebatur; Pallantis liberti monitu inventa ratio eſt, qua ingenuarum turpia cum ſervis commercia dirimerentur. Itaque Sylla, & Othone Coſſ. an. A. V. C. DCCCIV. Claudius Cæſar in Senatu ea de re orationem habuit, & in illius ſententiam S. C. factum eſt, quod Claudianum ab auctore, & ſuaſore Claudio fuit adpellatum. Id mirum, cur Veſpaſiano Suetonius tribuat, cum ei manifeſte reſiſtant libri Juriſconſultorum, & Tacitus. *d*) In quo Taciti loco Lipſius, adprobante Cujacio, pro *invito domino*, repoſuit *ignaro*: Petrus Faber *ingrato* ſive *invito* priſca locutione, quæ frequens eſt apud Plautum; ut autem Suetonio ſimus æquiores, libenter accipimus conjecturam Lipſii, qui exoletum jam hoc S. C. Veſpaſiani temporibus reſtitutum arbitratur; atque ob id Veſpaſiano adſcriptum a Suetonio. *e*) Claudiano igitur S. C. comprehenſum eſt, ut quæ mulier ingenua concubuiſſet cum alieno ſervo, invito domino, ſi dominus ter denunciaſſet, ſive prohibuiſſet ſeptem teſtibus civibus Romanis præſentibus; tum ea mulier poſt ſententiam Prætoris, præſidisve, apud quem ſuas denunciationes dominus profeſſus eſſet, capite minuta, in ſervitutem redigeretur illius, ad quem pertinebat ſervus: ita ut ſimul cum capite, bona etiam ſua ſecum ſub ejusdem dominio transferret, dummodo invito domino alienum ſervum pellexiſſet. Ceterum ſi dominus ſciens prudens neglexiſſet, probaſſetve, Cujacius, ut & Lipſius, non ſervam, ſed libertam fieri exiſtimavit. *f*) Lipſius enim expuncta vulgata, retinuit hanc Farneſiani Codicis lectio-

a) *L. 1. ff. eod. l. 4. ubi* Gothofr. *&* Cujac. *C. eod.*

b) *L. 1. C. de ingen. manumiſſ. L. de bonis ff. de lib. cauſ. L. 3. ff. ſi ingen. eſſe dic.* Cujac. *ad tit. C. de ingen. & manumiſſ. L. 23. ff. de libert cauſ.* Claudiano *ut docet* Cujac. *ad l. penult. ff. quibus ad libert. proclam. non lic. Ordinem liberalis cauſæ, vide apud* Cujac. *obſ. lib. 18. cap. 23.*

c) *L. 3. ff. quib. ad libert. proclam. non licet.*

d) *l. 12. c. 53. annal.* Ulp. *tit. 11. § maxima.*

e) *in* Veſpaſiano *c. 11.*

f) Cujac. *ad tit. C. de S. C. Claud. & lib. 21. obſ. 16.*

nem:

nem: *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute: ſi conſenſiſſet pro liberta haberetur.* Quæ lectio ſententiam tribuit S. C. ſatis incivilem. Nec enim ſola honeſtatis ratio peperit hoc S. C. ſed etiam utilitas dominorum, a quorum ſervitio ſervi muliebribus illecebris abſtrahebantur, ut Theophilus tradit. Quam jacturam ab ipſa muliere præſtatione ſervilium operarum reparandam Senatus cenſuit. Quæ pœna mulieri a domino remiſſa videtur, dum ei conjugio conſentit; ideoque cauſa non ſupereſt, qua mulier ingenuitatem amittat. Libertam vero manere qui convenit uxorem ſervi, cum quo vel nullæ ſunt nuptiæ, vel ſi fuerint ejusdem cum marito conditionis eſſe uxorem oportet? Quamobrem conſentiente domino liberam manſiſſe putandum eſt, ac nullas prorſus fuiſſe nuptias. Cum hæc ita ſe habent; ſcrupulum tamen nobis injicit Paullus, qui *lib. 4. ſentent. tit. 10.* ſcribit: *Ad ſ'tam ancillam, vel libertam ex S. C. Claudiano effectam legitimam matris inte'atæ hæreditatem pertinere non poſſe: quia neque ſervi, neque liberti matrem civilem habere intelliguntur.* Quorſum illa: *vel libertam ex S. C. Claudiano effectam:* niſi aliquando contingeret, ut ex S. C. Claudiano mulier libertinam conditionem ſubeat, nempe domino adprobante conjugium? *a*) Ob hæc tamen ab humaniori ſententia minime decedimus: potuit enim filia ex S. C. fieri ancilla domino improbante conjugium, deinde liberta per manumiſſionem. In quem ſenſum hunc locum a Cujacio acceptum invenimus in ſuis ad Paulli ſententias notis. Aliisque in locis idem Cujacius tradit, *b*) conſentiente domino integram eſſe mulieri libertatem: ideoque patrem, qui per cauſam depoſiti dotem dederat filiæ ſervo nupturæ, non actione dotis repetiturum quod dederat, (nullum enim eſt inter ſervum, & liberam matrimonium) ſed actione de peculio ex cauſa depoſiti, quod Paullus reſpondit. *c*) Nihil igitur in vulgata Taciti lectione tentari fas arbitror, præter ea verba: *pro libertis habeantur;* ubi levi mutatione legere malim *pro liberis habeantur.* * Quid hoc enim monſtri eſt, ut ex ea muliere, quæ ingenua concepit, vel ſervi naſcantur, ut Cujacius ſcripſerat, *d*) vel liberti, quæ opinio ex vulgaribus Taciti editionibus in vulgus interpretum manavit? quaſi poſſit quis eſſe libertus, qui ſervus nunquam fuit? Non igitur ex ſententia S. C. ſed ex conſtitutione Valentiniani, cui uſus & effrænatior in dies libido mulierum remedium ſuggeſſerat acerbius, arbitror eam filiorum inductam eſſe ſervitutem; *e*)

a) Cujac. *obſ. 21. cap. 16. & ad tit. C. de S. C. Claud. tollen.*

b) *Ad l. Lucius 27. ff. depoſit. ſive ad lib. 7. reſp. Paull.*

c) *Vide* Gothofr. *C. Theod. ad S. C. Claudianum &* Paull. *2. ſent. 21. §. 1.*

* Imo Taciti verba hac Gravinæ emendatione carere poſſunt. Ignaro domino ad flagitium prolapſa, ſi, innoteſcente rei turpitudine, poſt factam a domino denunciationem, non deſtitit, ancilla ſit domini. Quodſi ſervo ſe conjunxerit volente domino, liberta hujus fit; etſi enim de ſua quodammodo libertate tranſigere domino integrum ſit, tamen vindicari debebat violatio honeſtatis publicæ; Schultingius ad *Paulli l. II. tit. 21. §. 1.* Hæc autem mulier liberta neque in matrimonio ſervi erat, neque in contubernio, ſed earum conditioni accedebat, quæ vulgo conſueſcunt, quare liber quidem erat infans ex ea natus, non autem legitimus.

d) *lib. 11. obſ. 16. ex l. 6. & 11. C. Theod. ad S. C. Claud.*

e) *L. 6. C. Theodoſ. ad S. C. Claud.*

nec

nec enim id tanquam novum jus, novamque pœnam Valentinianus conſtitueret, ſi S. C. Claudiano comprehenderetur. Qua de re Lipſio aſſentior, & Petro Fabro de vulgata lectione ambigentibus. *a*) Quid ſi liber homo ancillam alienam ſibi junxiſſet? minime in S. C. incidebat, cum eo verba non porrigantur, *b*) tantum productum fuit hoc S. C. ad ſervos adſcriptitios, ut eorum conditionem ſubiret mulier, quæ ſe illis permiſiſſet. Idemque jus apud Longobardos, & Francos permanſiſſe, Cujacius in eorum legibus obſervavit: *c*) Juſtinianus tandem S. C. hoc funditus ſuſtulit: quo aggere dejecto mulierum effrænata libido nimium quantum exundavit!

XXXII. DE LEGE VECTII LYBICI.

Et hæc ad privatos ſervos pertinent. Eruamus nunc, ſi quid ad ſervos pertinet publicos, quibus Reſpublica utebatur, ut tabulariis præeſſent, atque ſcripturis publicis conficiendis vacarent, ſingulorumque civium nomine ſtipularentur ea, quæ eſſent ex neceſſitate, aut uſu privatorum, ſi forſan per ætatem ipſi non poſſent, quandoquidem liberi homines pro aliis inutiliter ſtipulabantur; ideo ſervi adhibebantur publici, antequam Arcadius, & Honorius hoc munus ab iis ad liberos homines tranſtuliſſent. *d*) Similis mos erat apud Athenienſes, qui ſervos publicos Quæſtoribus adjungebant ad conficiendas accepti, & expenſi rationes, quos, ſi fides Quæſtorum in ſuſpicionem vocaretur, torquere poſſent: ut ex iis veritatem elicerent; cum minime liceret civem torquere Athenienſem, ut nec Romanum. Hos igitur ſervos Romana Reſpubl. cum manumitteret, non faciebat cives Romanos ſed Latinos. Verum lege Vectii Lybici imperatum eſt, ut manumiſſi a Republ. cives Romani fierent; cumque lex hæc tantum urbem, & municipia Italica teneret, prolata deinde etiam eſt ad municipia provincialia *e*) ex S. C. facto Juventio Celſo, & Neratio Priſco Coſſ. Itaque hanc nobis legem Cujacius explicatam dedit. Aliqui, atque in his Antonius Auguſtinus legum Vectibulicia, quod corruptum eſt ex nomine Vectii Lybici. * Fuit enim Romæ Vectiorum familia, de qua L. Vectius, quem Dion tradit detexiſſe conjurationem Catilinæ, & Vectius Rufus, qui fuit Præfectus urbi. *f*) Atque his quidem S. C. & legibus ſervilis conditio gubernabatur: huic proxima eſt conditio liberorum hominum, quos civilis ratio propter ætatis, mentis, aut ſexus imbecillitatem alienæ poteſtati ſubjecit: quam minimam capitis diminutionem auctores juris appellarunt.

a) *lib. 1. ſemeſt. cap. 25.* Lipſius *ad Tacit. annot. 12. c. 53.*

b) *L. 9. C. comm. de ſucceſſ. l. 3. C. de liber. cauſ.*

c) *ad tit. C. S. C. Claudian.*

d) *L. generali in fin. C. de tab. lib. 10.*

e) *L. 3. C. de ſerv. Reipubl. manumit.*

* Imo forſitan ex nomine Vectipublicia. Vectii enim & Publicii nomen, quorum mentio apud Plin. *IX. 13.* tam apte huic legi convenit, ut ſuſpicari liceat, Publicium, Vectio Proculo, cui in præfectura urbis ſucceſſor datus fuerat, dein, etſi Conſulatus ordinarii ſpe excidiſſet, tamen extra ordinem collegam Conſulemque ſuffectum fuiſſe.

f) *L. 1. C. de bon. matern.* Cujac. *ad tit. C. de ſerv. Reip. manumit.*

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. DE LEGIBUS TUTELARIBUS, ET LEGE ATTILIA, JULIA, TITIA.

Ad tutelas igitur primum ingrediamur. Quod jus proprium civium Romanorum factum eſt, ut ex eo excidat, quisquis civitatem amittat. Etenim patria poteſtas propria civium Romanorum eſt: tutela autem eſt eadem ac patria poteſtas * vel teſtamento patris, vel a lege in defuncti patris liberos continuata, & producta: unde ad quos patria poteſtas extenditur, eosdem impuberes, patreque orbatos tutela complectitur. Quæ teſtamento venit, teſtamentaria; quæ a lege, legitima nuncupatur. Illam pater confert in quemlibet civem Romanum, quem dignum habeat, cui concredat liberos; hanc tribuunt leges agnatis, quibus pro gradibus ſucceſſionis cura, & defenſio rerum pupilli, atque perſonæ traditur. At ſi nullus teſtamento ſit datus tutor, nec agnatus ſuperſit aliquis, qui pupillum ſibi tuendum ſuſcipiat, aut fœminam; vel ſi tutoris teſtamentarii exercitium ab incerta conditione pendeat; vel ſi ex die tutor ſit datus; vel ſi idem ſit apud hoſtes; vel ſi hærede deliberante ** delata ſit hæreditatis aditio ex teſtamento, tutor ex lege Attilia dabitur: ita tamen, ut ſi nullus datus ſit teſtamentarius, detur ex lege usque ad pubertatem; ſed ſi datus quidem fuerit teſtamento, verum ex cauſis ſupra demonſtratis impediretur; tutor ex eadem lege dandus eſſet, quoad impedimentum duraret, *a*) & a Prætore in urbe, atque a majore parte Tribunorum plebis: qui ſicuti una cum Prætore conſcribunt edicta, *b*) ita & una tutorem dabunt. *c*) In provinciis vero tutor dandus eſſet provincialibus, aut iis, qui ibi domicilium habent ex lege Julia, & Titia, a Præſidibus, vel Magiſtratibus cujusque municipii juſſu Præſidum: ſiquidem datio tutoris non tranſit cum jure Magiſtratus, ſed præcipua lege conceditur; qua lege opus non fuiſſet, ſi Magiſtratus jure tranſiret. *d*) Hodie vero jus hoc dandi tutoris jurisdictioni cohærere, Baldus exiſtimat: vulgo enim tutores a quolibet magiſtratu dantur. *e*) Meminit etiam Ulpianus tit. XI. legis Juniæ, quæ tutorem fieri jubet Latino, aut Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumiſſionem ex jure Quiritium erat: nempe cujus falſa ſervitus *** patuerat, eodemque titulo refert,

* Quod improprie dictum apparet. Neque enim tutori ſuus heres eſt pupillus, neque tutori unquam in pupillum licuit, quod patrifamilias in filium, ſcilicet ut eum occideret, venderet, oppignoraret. Cui porro tutori acquiritur ex operis pupillorum? Ne eos quidem omnes tutela complectitur, ad quos extenditur patria poteſtas. Utique enim in manu patris eſt filius, etiam pubes, etiam major, quorum neuter tutelæ vinculis conſtringitur.

** In unum contrahit caſum duplicem. Datur pupillo, cui tutor teſtamento datus eſt, tutor a magiſtratu, primo, ſi alius heres ſcriptus ſit, isque deliberet §. *1. J. de Attiliano tutore L. 10. pr. D. de teſtam. tut.* quia, ſi ſcriptus heres hereditatem repudiet, cum heredis inſtitutione tutoris quoque datio concidit. Datur ſecundo tutor pupillo a magiſtratu, ſi ipſe heres ſcriptus ſit, quia hereditatem ſuo arbitrio adire nequit, ne damnum inde habeat, *L. 9. D. de tutoribus datis.*

a) Vlp. *tit. 11. lib. 1.*

b) Cic. *de offic. 3.*

c) Cujac. *in not. marg. ad Inſtitut. tit. de Attil. tut.*

d) Govean. *ad tit. de jurisdict.*

e) Goth *ad tit Inſtit. de Attil. tut.*

*** Imo Ulpianus Latino, vel Latinis impuberibus eum tutorem fieri vult, qui etiam ante manumiſſionem liberti civis Romanus

Digitized by Google

Latinum libertum vetitum fuiſſe ex lege Julia tutorem dari. Attiliæ autem legis certa tempora indicare non auſim. Tentari poſſet latam ante Philippum, & Albinum Coſſ. anno A. V. C. DLXVII. cum in hiſtoria ejus anni apud Livium *a*) mentio ſit tutoris a Tribunis, & Prætore petiti, quod Sigonius obſervavit. *b*) Quamobrem referri poſſet ad annum urbis CDXLIII. ut a L. Attilio Trib. plebis rogatam arbitremur. Ab hac lege receſſum videtur Claudii temporibus, qui per Conſules ex inquiſitione tutores pupillis utriusque ſexus dari juſſit, *c*) idque abrogatum fuit ab Antonino Philoſopho, a quo Prætorem tutelarem inſtitutum fuiſſe, refert Capitolinus in Antonino. *d*) Adjectæ vero ſunt ex conſtitutionibus cautiones, a tutoribus exigendæ *rem pupilli ſalvam fore*, & ex iisdem data facultas compellendorum tutorum ad adminiſtrationem tutelæ: quæ antea Magiſtratus potius officio expediebantur, cum nihil ſuperioribus legibus caveretur, & memoratur *e*) S. C. Trajano auctore, quo datur actio utilis, vel in factum in Duumviros, qui Magiſtratus erat municipiorum, ſi tutores, vel curatores dando, neglexerint ab iis exigere cautionem *rem pupilli ſalvam fore*, aut minus idoneam exegerint. Demum Juſtinianus ſi pupilli, vel adulti facultates, quingentos ſolidos non excedant, a defenſoribus civitatum, una cum antiſtite ſacrorum, vel aliis Magiſtratibus tutores dari conſtituit: *f*) Plura autem S. C. prodierunt, ut in locum furioſi, ſurdi, muti, alii tutores dentur. *g*) His accedit S. C. quo liberti Senatorum in patronorum bonis adminiſtrandis occupati, a gerendæ tutelæ onere liberantur. *h*)

XXXIV. DE MULIEBRI TUTELA, ET LEGE CLAUDIA.

Et hac quidem lege conſultum eſt præcipue impuberibus. Fœminæ vero etiam puberes, propter infirmitatem conſilii, perpetuæ tutelæ, ac auctoritati alienæ ſuberant, jure ſane antiquiſſimo, nempe Attico, quod in mores, & jus Romanorum permanavit. Nam ut Budæus in linguæ Græcæ commentariis *i*) obſervavit, κύριος dicebatur mulierum tutor, quem omnibus mulierum actibus apud Græcos intervenire oportuiſſe, colligitur ex Cicerone pro *Flacco*. *Nam emtiones*, inquit, *falſas prædiorum proſcriptiones cum mulieribus aperta circumſcriptione feciſti: tutor his rebus Græcorum legibus adhibendus fuit.* Igitur & moribus Romanorum, ut idem pro *Muræna* ſcribit, mulieres perpetua tutela continebantur, earumque non ante tutela ſolvebatur, quam conveniſſent in manum. Matresfamilias enim, ut alibi diximus, certis ſolennitatibus nubentes, re divina peracta, farreque, ut mos erat veterum ſacrificiorum, adhibito, convenire dicebantur in manum viri, ſive in poteſtatem; quia in ejusdem viri domum ſe, ſuaque omnia transferebant; ita ut in

fuiſſet, qualis quidem & is eſt, cujus falſa ſervitus patuerit, ſed rarior is caſus, quam ut eo præcipue lex reſpexiſſe videatur. De lege Junia vide notata ad §. *XXII.*

a) *lib. 39.*

b) *lib. 1. de antiq. jure Civium Rom. cap. 13. de jure tutelar.*

c) Theoph. *Inſtit. lib. 1. tit. 20.*

d) *L. cum plures ff. de tutel. L. 4. ff. de excuſ. L. ſi quis ff. de teſtam. tut.*

e) *l 5. C. de Magiſt. conven.*

f) *l. 30 C. de epiſcop. audiend.*

g) *l. penult. ff. de tutel.*

h) *L. Libertus 15. §. 12. ff. ad municip. & incol.*

i) *pag. 44. & 45.*

domi-

Digitized by Google

dominium viri tranſirent jure mancipii: ac propterea in alienam familiam commigrantes, capite minuebantur, ideoque ſolvebatur etiam tutela, quæ in libero capite tantum inſiſtit, & quavis capitis diminutione perimitur. *a*) Inſtitutum enim fuerat a Romulo, ut Dionyſius tradit, id quod nunc etiam retinemus, ut inter conjuges eſſet divinarum, atque humanarum rerum ſocietas, & ſacrorum omnium communio. Fœminas igitur innuptas agnatorum proximior jure tutelæ regebat, eadem prorſus auctoritate, * qua continentur impuberes: quorum negocia omnia gerebant tutores, & auctoritatem interponebant; puberum vero mulierum negociis gerendis tutores tantum auctoritatem præſtabant. Ab hac autem poteſtate Livia, & Octavia liberatæ fuerunt per Auguſtum, teſte Dione. *b*) Mulieri enim nullo tutore auctore bene ſolvebatur; pupillo minime, ut docet Cicero. *c*) Ut igitur omnibus negociis mulierum, ita & nuptiis contrahendis præerat tutoris auctoritas, ſine qua in viri manum convenire non licebat. Ne vero agnatus; qui ſemel tutelam ſuſceperat, eo onere quoad mulier nuberet premeretur, inſtitutum fuit, ut alteri a ſe proximiori eam in jure cedere poſſet: ** quæ *ceſſitia tutela* dicebatur, indeque *ceſſicus tutor*; ut tamen qui ſemel tutelam ſuſceperat, exercitium illius per ceſſionem conferre poſſet in alium, non autem ipſum tutelæ jus, quod ab ſe abdicare non poterat. Hinc mortuo eo, cui ceſſa fuerat, exercitium tutelæ remeabat eodem, unde diſceſſerat. *d*) Hanc mulierum puberum tutelam plerique, quorum dux Cujacius, ſublatam prorſus arbitrantur lege Claudia, cujus anceps eſt, & crebris eruditorum diſputationibus jactata ſententia. *e*) Peperit omnes controverſias Ulpianus, cujus hic verba deſcribam: *f*)

Quantum, inquit, *ad agnatos pertinet, hodie ceſſitia tutela non procedit; quoniam permiſſum erat in jure, cedere tutelam fœminarum tantum, non maſculorum. Fœminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtinet.* Cujacius pro *ſuſtinet* repoſuit *ſuſtulit.*

Id Rævardus non probavit, *g*) & auctoritatem Cujacii veritus, ſuppreſſio nomine, hanc emendationem explodit; propriam vero ſententiam tam obſcure propoſuit, tam perplexe, ut palam oſtenderit, non tam in animo habuiſſe confirmare ſuam, quam reprobare alienam. Id tantum perſpicue tradit, *ſuſtinere* hic accipien-

a) Cic. *in topic. ubi* Boet. Briſſon. *de ritu nupt. pag. 26.*

* Imo minori, ut patet ex ſtatim ſequentibus. Impuberum enim negotia tutor quoque adminiſtrabat; mulierum non adminiſtrabat, illis ſolvi poterat, his ſolvi non poterat. Exemplum quoque Liviæ & Octaviæ ſententiæ Ciceronis per εὐχαιον præmittitur.

b) *lib. 49. p. 414.*

c) *in topic. ubi* Boet. Briſſ. *de ritu nupt. p. 24. & 27.* Vlpian. *tit. 11. §. pupillorum.*

** Sed niſi dies conſtitutus eſſet, ad quem tutela a proximo agnato gerenda eſſet, futurum erat, ut remotiores ſucceſſorio edicto in re oneroſa locum eſſe nollent. Quare hanc tutelam Ceſſitiam raram fuiſſe exiſtimo. Forſitan tutela ceſſitia extraneis cedebatur tanquam mandatariis periculo agnati proximi.

d) Vlpian. *tit. 11.*

e) *Vide* Giſan. *qui defendit.* Cujac. *ad l. unic. C. ubi tut. vel curat. petan.*

f) Vlp. *tit. 11. verb. ceſſitia.*

g) *Variar. lib. 1. c. 10.*

dum eſſe pro *differre*, ut accipitur in *l. 42. ff. de noxa action.* & apud Cic. *ad Attic. lib. 12.* qui *ſuſtinere ſolutionem* dixit pro *differre*. Secutus hunc eſt vir omni eruditione inſignis Jacobus Gothofredus, qui ſibi hanc verbi explicationem arrogavit, *a*) eaque confiſus aperte Cujacio reſtitit, ac ſublatam tantum cenſuit a Claudio ceſſionem in jure, nempe ceſſitiam tutelam, ne quod onus ſemel agnatus ſubierat, deponere unquam poſſet, ideoque ſcripſiſſe Ulpianum lege Claudia muliebres tutelas *ſuſtineri*, ſive *differri*, ceſſitia omnino ſublata. Sunt qui ſenſum Cujacii retineant, emendationem repudient, inter quos Theodorus Marcilius, *b*) qui non dubitat *ſuſtinere* verbum accipere pro *inhibere*: ut retenta lectione vetere, ſentiam colligat eandem, quæ in verbo *ſuſtulit* a Cujacio repoſito continetur: adducitque Cic. *Epiſt. 21. lib. 13. ad Attic.* ex qua contendit, *ſuſtinere* accipiendum eſſe pro *inhibere*. Quod eſt falſum; ſcribit enim Cicero: *arbitrabar ſuſtineri remos, cum inhibere eſſent remiges juſſi*: non quod idem ſit ſuſtinere, & inhibere; ſed quia credebat Cicero, ſuſpendendum eſſe remigium, quando nautæ juſſi eſſent inhibere: verum poſtea compererat non ſuſpendi remigium, cum jubentur inhiberi, ſed alio modo moveri remos, & navem converti ad puppim, * ac retro impelli, quod Thucydides dicit πρύμναν κρούεσθαι. At me Gothofredo adjungit Ulpiani locus *tit. de tutelis §. moribus*. Ait enim Ulpianus: *moribus tutorem dari mulieri pupillove, qui cum tutore ſuo lege vult agere, ne tutor ſit in re ſua auctor*: ideoque tutorem alterum juriſdictione Prætoris excitari, quo auctore mulier pupillusve cum tutore contendat. Cum enim Ulpianus pupillum a muliere ſecreverit, palam facit, ſuo tempore non pupillarem ſolum, ſed & muliebrem permanſiſſe tutelam: ſiquidem ſi muliebris tutela ſuis temporibus perempta eſſet, mentionem tantum pupillaris tutelæ faceret. Non negaverim, juſſiſſe Conſtantinum, *c*) ne patruus mulieris tutelam recuſaret. Unde quæri poſſet, cur opus fuerit Conſtantini lege, ſi jus antiquum vigebat, ex quo ad patruum ex agnationis ordine muliebris tutela perventura erat? Nimirum hinc ſuſpicari licet, plura fuiſſe legis Claudiæ capita, quorum vix nunc veſtigia retinemus: ac præter id, quo ceſſitia tutela tollebatur: extitiſſe forſan & aliud, ** quo mulieres eximebantur tutela patruorum, quorum intolerabilis erat aſperitas. Quod ſane ferox patruorum ingenium veteri erat proverbio tritum, unde illud apud Poëtam:

Ne ſis mihi patruus oro.

a) *L. 2. C. Theod. de tut. & curat. creand.*

b) *ad leg. 12. Tab.*

* Ita ipſe Cicero, verbis rei forſitan nauticæ propriis, pro navem retro verti.

c) *in C. Theod. de tutor. & curat. creand.* & *L. 3. C. de legit. tut.*

** Imo id merum commentum eſt. Rectius Schultingius vocem ſuſtinet interpretatum tuetur; cujus conjecturam amplectitur Heineccius *ad Legem Papiam p. 237.* firmatque conjecturam jam olim acutiſſimo viro Jano a Ceſta ad §. 4. *J. quib. mod. tut. fin.* probatam, qua tria priora verba §. 9. *apud Ulpianum* §. 8. connectenda ſunt, ut mens Ulpiani hæc ſit: Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia cedi amplius non vult, excepta tutela patronorum, niſi quod patrono integrum eſt cedere tutelam libertæ. Conſtantinus autem, quando in *L. 2. C. Th. de Tut. & Cur.* in *Feminis*, inquit, *tutelam legitimam conſanguineus, vel patronus non recuſet*, jus tantum vetus uſu intermiſſum repetere videtur.

Facile

Facile igitur crediderim, ſub mulieroſo ac imbelli principe, quo imperante fœminarum impotentiæ, atque libidini divina omnia, & humana ceſſerunt, mulieres, quia ſibi norant omnia procedere, opportune patrui jugum, flexa principis ad id auctoritate, dejeciſſe: Conſtantinum vero imperium patruorum, ſuſcitato jure antiquo, reſtituiſſe. *a*) Scio, aliud excogitaſſe Jacobum Gothofredum: ſtuum tamen cuique in re tam obſcura judicium liberum eſto: mihi certe hæc ratio videtur cum temporibus, & legislatoris ingenio convenire. Ceterum Juſtinianus muliebres etiam tutelas pubertate ſolvi juſſit, quod eſt receptum, ſi peculiaris regionis mos non adverſetur. Illud minime prætermittendum, mulieres olim exemtas fuiſſe tutorum poteſtate, ſi veſtales fuiſſent, vel tres filios peperiſſent, quod arbitror ex lege Papia profluxiſſe. *b*) Hinc illud apud Pithœum juris veteris fragmentum: *Mulier ſine auctoritate tutoris manumittere poteſt, ſi jus habeat liberorum.* *c*) Pertinebat etiam ad muliebres tutelas caput aliud legis Juliæ de *maritandis ordinibus:* quo capite, ut ibi latius exponemus, tutor dandus erat mulieri, virginive legitimo tutore deſtitutæ * ad dicendam, promittendamve dotem; quod ex S. C. ad eam legem condito productum eſt ad eas mulieres, quæ tutorem quidem habent legitimum, ſed vel furioſum, vel mutum, vel abſentem; opus autem fuit hoc S. C. quia etſi res poſcat, ut alius tutor detur; regula tamen juris obſtabat, quæ vetat, tutorem dari tutorem habenti: item & alia, ut nullus ſit certæ rei tutor. *d*)

Porro Senatusconſultum eruere licuerit, *e*) quo referamus regulam juris, ut ſi tutela pervenerit ad teſtamentarium, deinde is aut excuſatus fuerit, aut remotus, in locum ejus tutor ſit dandus, neque ad legitimum deveniatur, niſi teſtamentario mortuo. Hinc enim Jurisconſ. *mortuo teſtamentario S. C. ceſſare.* Ex quo ſequitur, ut ſuperiora S. C. comprehendantur. Pertinet etiam ad tutelas l. *ſi impuberi 13. ff. de tutor. vel curator. dat.* quam portionem fuiſſe S. C. Pegaſiani cenſet in eadem lege Cujacius, cum non omnia illius capita ſuperſint. Ne autem cum iis erremus, qui contra regulam juris cenſuerunt per teſtatorem ſervo tutorem dari, cum tutela ſit jus in capite libero; ita ſpeciem, Cujacio auctore, ponemus. Inſtituerat quis hæredem, eumque rogaverat, ut manumitteret ſervum impuberem, eique hæreditatem reſtitueret. Hæres recuſat adire; atque ita concidet fideicommiſſum, & libertas ſervo relicta; utpote deſtituto teſtamento. Senatus cenſuit, cogendum hæredem adire, non quidem ab impubere; ſed ab alio ejus nomine; cum ætas hoc ei non tribuat, ut poſſit in judicio conſiſtere. Non tamen obſtat conditio ſervilis, ne inſtet pro ſua libertate. Igitur libertate ſe ipſo inſtante impetrata, dabitur tutor, qui ejus nomine petat fideicommiſſariam hæreditatem. Nec refert, quod legitimus ſervi tutor ſit patronus, nempe hæres rogatus: quia, ne is hæres ſit auctor in ſua cauſa, Senatus cenſuit dandum ſpecialem tutorem ad hoc

a) *vide* Rittersh. *ad L. XII. tab. pag. 110. cap. 14. p. 3.*

b) Plutarch. *quem adducit Lipſ. ad Tacit. annal. lib. 3. cap. 25.*

c) Lipſius *ibidem.*

* Etiam ſi pupillus ſit tutor legitimus Ulp. *tit. XI.* §. 20.

d) Ulp. *Inſtit. cap. 11.* Cujac. *in notis ibi verb. ad dotem dicendam.*

e) *ex l. quis 11. § 3. ff. de teſtam. tut.*

negocium reſtituendæ hæreditatis, ut ea reſtituta, & cauto ab hærede *rem pupilli ſalvam fore*, ac negocio tranſacto, tutela legitima ſervi manumiſſi tranſeat ad hæredem rogatum, qui manumiſit, quaſi ad patronum; isque adeo ſatisdare omnino cogitur: (quod exigi regulariter non debet a patrono) *a*) qui quantum in ſe fuit, peremit tutelam: nec parum ei tribuitur, quod jus manumiſſionis retineat in liberto, quem liberavit invitus. Quam S. C. ſententiam Adrianus extendit ad eum, cui libertas directo relicta teſtamento fuiſſet, & hæreditas per fideicommiſſum: cum S. C. tantum de libertate, & hæreditate per fideicommiſſum relictis decreverit. Hoc autem erit diſcrimen in caſu conſtitutionis, quod tutor datus erit tutor perpetuus, neque unquam pupilli tutela perveniet ad hæredem, quamvis reſtituta hæreditate: quia hæres non poteſt ſuſcipere legitimam ſervi tutelam, quaſi patronus, cum ſervus per libertatem directam ſit libertus orcinus, non vero hæredis, a quo nullam libertatem accepit, ſed eſt ex teſtamento ab ipſo teſtatore: ideoque deficiente legitimo, tutelam geret tutor a magiſtratu datus. S. C. etiam ex oratione Marci conditum, vetat, ingenuos libertis tutores dari *b*) niſi in libertorum penuria. Decrevit & Senatus, Neronis temporibus, teſte Tacito, *annalium* 15. adoptivos liberos ad excuſationem non prodeſſe. *c*) Item S. C. decretum eſt, ut libertus Senatoris, qui patroni negocia gerit, excuſetur a tutela. *d*) Quod J. C. retulerunt ad unum tantum libertum, qui negocia tractet, non vero ad plures, neque ad libertum clariſſimæ fœminæ, nempe mulieris Senatori nuptæ. *e*) Præterea oratione Severi S. C. comprobata cavetur, ne prædia ruſtica, & ſuburbana eorum, qui ſub tutela ſunt, vel cura, injuſſu teſtatoris, aut ſine decreto, cauſæque cognitione diſtrahantur. *f*)

XXXV. DE LEGE LÆTORIA.

Proxima muliebris ſexus imbecillitati eſt ætas minor XXV. annis, qua ætate, fluctuantibus adhuc humoribus corporis, animus incertis jactatur quoque conſiliis. Quod Hippocrates ſignificavit, qui comitiales morbos poſſe ſanari ſcribit ante annum XXV. propterea quod humores, qui adhuc non conſederunt, aliorſum deflecti facile poſſunt. Hinc annum XXV. ſtatuit Galenus pubertatis terminum. *g*) Eadem ratione jus civile hoc anno definivit hominis ſtatum, qui Græcis dicitur *ἀκμή*. *h*) Idque inductum fuit lege Lætoria ſane antiquiſſima: * ſiquidem ejus non obſcura mentio eſt apud Plautum in *Pſeudolo:* ubi legem hanc appellat *qui-*

a) *L. 5. §. 1. de legit. tutor.*

b) *L. 1. ff. de excuſat. ubi* Cujac.

c) *L. 2. §. adoptiv. ff. de vacat. mun.* Cujac. *ad l. 2. ff. de excuſ.*

d) *L. libertus 17. ff. de municip.*

e) Cujac. *ad Papin. lib. reſp. ad l. libertus.*

f) *L. 1. §. 1. ff. de rebus eor. qui ſub tutel. ſunt ſine decret. non alien.*

g) *lib. 5. ἀφοριςμῶν.* Cujac. *com. ad tit. ff. de min. 25.*

h) *L. cum pater §. curat. ff. de leg. & fideicom. 2.*

* Quæ vulgo M. Lætorio Planciano, tribuno plebis tribuitur, lataque dicitur circiter A. U. C. 490. Capitibus legis ab Auctore recenſitis addi illud poteſt, quo minores quivis curatores petere juſſi ſunt. Capitol. in *Marco c. 10.* Inter eos, qui legem illuſtrarunt, nobilis eſt Jacobus Gothofredus.

Digitized by Google

nam vicenariam. Hinc ætas XXV. annorum Conſtantino dicitur legitima: *a*) *ubi annos Lætoriæ legis egreſſus legitimam compleverit ætatem:* quia ſcilicet eo numero annorum minori ætati finis imponitur. Hujus legis hæc capita erui ex antiquorum teſtimoniis poſſunt. Primo capite cavebatur adoleſcentibus diſſolutis, & laſcivis, ac luxu perditis, quibus cauſa cognita curatores dabantur. *b*) Altero capite circumſcriptis adoleſcentibus ſuccurrebatur, ac recidebantur fraudes verſutorum hominum, qui lucrum aliena ex imbecillitate captabant. *c*) Plenius deinde remedium acceſſit a Prætore, cujus edictum non circumſcriptis modo, ſed & lapſis adoleſcentibus opem ferebat; ut non ſolum alienam fraudem, ſed etiam imperitiæ ſuæ damnum effugerent, quod non per actionem fit, ſed per Prætoris cognitionem. *d*) Vetuit autem lex Lætoria, ut apud Priſcianum Suetonius *lib.4.* Prætorum tradit, adoleſcentum ſtipulationes: idemque colligitur ex Plauto in *Pſeudolo*, *e*) ex quo etiam deducitur per legem Lætoriam perimi actionem creditorum adverſus adoleſcentem, qua de cauſa ei credere metuebant. *f*)

Perii, an non tum lex me perdit quina vicenaria
Metuunt credere omnes.

Poſtremo legis Lætoriæ capite in eos, qui fraudem adoleſcenti ſtruxiſſent, publicum judicium conſtituebatur. *g*) Quod tamen eſt hodie ſublatum. *h*)

XXXVI. DE LEGE JULIA, ET PAPIA POPPEA.

Quæ adhuc ex antiquis monumentis erutæ ſunt leges, atque S. C. ad ſingularum perſonarum ſtatum reſpiciunt. Nunc ea jura expendamus, quæ ad conjunctionem pertinent earum, inter quæ ſunt jura nuptialia, e quibus, & auctoritate rerum decernendarum, & multitudine capitum, & eruditionis varietate, celeberrima, & ampliſſima eſt lex Julia, & Papia Poppæa, ad quam plura condita ſunt S. C. quæ loco ſuo perſequemur. Legem hanc non tam ratio, quam neceſſitas expreſſit ab Octaviano Auguſto. Cum enim diuturnum civile bellum urbem cæde civium, & ærarium ingentibus ſumtibus exhauſiſſet; Cæſar publicis neceſſitatibus, ſingulorum incommodo cenſuit occurrendum; etenim multa millia armatorum interierant, *i*) & urbs valde decreverat ſuga, & abſtinentia nuptiarum. Adeo ut cum ipſi latores legis Papius, & Poppæus Coſſ. cœlibes eſſent, & quærerentur alii, qui liberos haberent, quo illis Coſſ. præferrentur (liberos enim habens in Conſulatus petitione præferebatur) reperti non fuerint cum liberis cives conſulatu digni, qui eos in petitione ſuperarent. *k*) Itaque Auguſtus angendæ proli cœlibatum pœnis, conjugia, & multitudinem liberorum præmiis affecit; explendo autem ærario

a) *L. 2. Theodoſ. de donat.* Briſſ. *3. antiq. 2.* Cujac. *ad tit. ff. de min. 25. an. & de dol. mal.*

b) Capitalin. *in Antonin.* Cujac *com. ad tit. ff. de min.* Jacob. Gothofred. C. *Theodoſ. de donat. l. 2.*

c) Cicero *lib. 3. de offic.*

d) Cujac *ad tit. ff. de min. & dolo mal.*

e) *act. 5. ſcen. 3. v. 25.*

f) Lipſ. *ad Tacit. annal. lib. 11. n. 29.*

g) Cic. *lib. 3. de offic. & lib. 3. de nat. Deor.*

h) Cujac. *ad tit. de min. & dolo malo in princ.*

i) Scholiaſt. Horat. *in carm. ſecul.*

k) Dionyſ 53. *vide* Cujac. *ad tit. C. de caduc. toll.* Tacit. *lib. 3. annal.*

liberta-

Digitized by Google

libertatem capiendi ex alieno teſtamento, magna ex parte præcidit, ac tranſtulit in populum jura, & lucra privatorum, ut, quod ſolenne eſt, publicum commodum ex privatorum opibus coactum deflueret ad principem. Cum autem lex hæc Papia coërceret civium cum in teſtando, tum in nubendo libertatem: Juriſconſulti æquitati magis, quam principum conſiliis, legisque ſeveritati ſtudentes; ita ea interpretabantur, ut quantum in ſe fuit, vires illius fregerint, atque inciderint. Huic autem legi tam multa Juriſconſultorum reſponſa, & fragmenta veterum ſunt implicata; ut qui hac luce careat, in curſu juris civilis paſſim offendat, & prolabatur; tantique uſus, & auctoritatis diu fuerunt leges hæ Julia, & Papia, ut propter celebritatem earum *leges κατ' ἐξοχὴν* appellarentur. Harum legum inſcriptio, non modo Papium, & Poppæum Coſſ. ſed & ipſum Julium nomen præfert: tum quia primus Julius Cæſar Dictator cenſuram agens, ut nova ſobole abſumtam bellis civilibus urbem expleret, multitudini liberorum præmia conſtituit: *a*) tum etiam quia & Auguſtus, quem ſæpe Julium appellatum legimus, anno A. V. C. DCCXXXVI. cœlibatum pœnis damnaverat, nuptias extulerat præmiis. Quæ tamen lex rejecta * multitudinis diſſenſu fuit: unde Propertius:

Gaviſa eſt certe ſublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ne nos divideret.

Horatius autem in carmine ſæculari fauſtum exitum præcatur his legibus:

Diva producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Fæminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Etenim ſub extremum imperium, lenita ſeveritate pœnarum, lata denuo lex eſt a Papio Mutilo, & Q. Poppæo Coſſ. anno A. V. C. DCCLXII. *b*) quæ demum tenuit, in eamque Conſulum rogationem prioris legis capita relata fuere, indeque appellata lex Julia, & Papia Poppæa, ut tamen Julia potiſſimum ad contrahenda matrimonia; Papia vero ad ſuſcipiendos liberos referretur. *c*) Sane ante has leges, quamvis nulla pœna eſſet a jure conſtituta, cœlibes tamen aliqua ignominia per Cenſores notabantur exemplo Lacedæmoniorum. *d*) Unde extat apud Gellium oratio Metelli Numicidi, *e*) qui cenſor matrimoniorum frequentiam ſuaſit. Et quoniam norat, neque cum uxore ſatis commode, neque ſine uxoribus vivi omnino poſſe; propagationem prolis, & utilitatem publicam, tranquillitati privatæ cenſuit anteferendam. Ejusdem orationis auctoritate, ac verbis, Auguſtus & legem ſuaſit ſuam. Hinc lex Ciceroni conficta in libris *de legibus: Cœlibes eſſe probibento.*

a) Dion. *lib.* 43.

* Dein autem perlata eſt anno circiter U. C. DCCLVII. Sexto Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coſſ., quinquennio ante legem Papiam Poppæam, & quidem nomine legis Juliæ de maritandis ordinibus, ut ex Suetonio & Dione accurate oſtendit Vir Illuſtris, Jo. Gottl. Heineccius, *in eruditiſſimo commentario ad utramque legem p.* 48.

b) Dion. *lib.* 56. Iſid. *lib.* 5. *orig.* 5.

c) Cujac. *ad tit. Ulpian.* 16. §. *qui intra, verb. neutri legi.*

d) Dion. *lib.* 43.

e) *vide epitom.* Livian. *lib.* 59.

Cœli-

Cœlibem autem Cujacius dictum putat *a*) quaſi κοίλεψ, * κοιλίαν λείπων, ventrem linquens. Harum capita legum, quæ mutilata ſuperſunt ex veteribus monumentis, diligentius eruit, & quantum humanæ licuit induſtriæ, ad priſtinum ſuum ordinem revocavit Jacobus Gothofredus, ad cujus fere indicis ordinem nos diſputationum noſtrarum pertexemus. Ad hæc autem capita univerſæ, quas habemus, harum legum ſententiæ ** referuntur. Primum caput erit de maritandis inter ſe civium ordinibus. Alterum de irritandis nuptiis eorum, qui fuerint procreandis liberis inhabiles. Tertium de præcidenda libertate differendarum nuptiarum. Quartum de pœna eorum, qui contra haſce leges nupſerint. Quintum de privilegiis legitimi connubii. Sextum de præmiis ſuſceptorum liberorum. Septimum de removendis nuptiarum, & prolis impedimentis. Octavum de modo divortiis imponendo. Nonum de pœnis cœlibatus, & orbitatis. Decimum de augendo jure patronatus pro numero liberorum in libertorum bonis. Primum vero caput, quod erat de maritandis ordinibus, legi nomen dedit univerſæ. Eo capite nuptiarum frequentia ita invehebatur, ut ne tamen Senatorius ſanguis ignominia ſervili pollueretur. Eo autem tempore longe major erat ingenuorum quam ingenuarum numerus. *** *b*) Itaque venia data eſt legitimarum nuptiarum inter ingenuos, & libertinas; Senatoribus tamen eorumque filiis tam naturalibus, quam adoptivis, *c*) & emancipatis, & a Senatore in adoptionem datis, etiam ei, qui ſit inferioris ordinis, natisque poſt mortem patris (non autem conceptis, & natis poſt patrem Senatu motum, hi enim Senatoris filii non habentur:) item nepotibus ex filio licet Senatu moto: (ſufficit enim avita dignitas,) *d*) pronepotibusque ex filio interdictum fuit, ſponſam, uxoremve habere libertinam, vel eam, quæ aut palam corpore **** quæſtum faceret, feciſſetve, aut artem ludicram exerceret, ejusdemve exercitii patrem, aut matrem haberet, habuiſſetve. *e*) Quamvis autem dignitas Senatoria domino obveniſſet poſt libertatem, matrimonii cauſa datam; abſtinendum ei tamen erat a libertinæ nuptiis; ſiquidem eas nondum contraxiſſet: nam ſi contraxiſſet ante adeptam Senatoriam dignitatem,

a) *ad tit. C. de cad. toll.*

* Unde patet, cœlebs quoque recte ſcribi, & convenienter origini vocis, etſi marmora præferant cælebs.

** Legum enim capita multo plura fuerunt, etiam earum, quæ ad augendam prolem pertinebant. De altera enim parte legis Papiæ ad explendum ærarium lata ſeparatim Auctor egit *cap. LX & ſeqq.* Marcianus in *L. 19. D. de ritu nupt.* de nuptiis legis Juliæ laudat caput trigeſimum quintum, & quadraginta tria omnino capita partis prioris legis Papiæ, adductis auctorum, quibus nituntur, teſtimoniis, exhibet Heineccius *pag. 71. ſeq.* Idem differentiam, qua lex Julia Gravinæ ſupra ad contrahenda matrimonia, Papia vero ad ſuſcipiendos liberos referenda videbatur, rejicit *p. 52.*

*** Quod mirum videri queat, poſt tot Romanorum, millia in acie occiſa. Quare ſuſpicamur, ingenuos jam tum præ mollitie ab armis abſtinuiſſe, adeoque robur militiæ jam tum in libertis poſitum fuiſſe.

b) Dion. *lib. 54. in geſt. ann. 736.*

c) *L. 6. & 7. ff. de Senat.*

d) *L. 7. §. ult. ff. eod.*

**** Quod magis per conſequentiam, quam κατὰ τὸ ῥητὸν de ſenatoribus cautum erat. Namque & ingenuis hujusmodi nuptiæ interdictæ erant, ut in ſequenti capite dicetur, adeoque multo magis ſenatoribus.

e) *L. 44. in pr. ff. de ritu nupt.* Theophil. *Inſt. quibus ex cauſ. manumit.*

quan-

quamquam ante dubitabatur, an nuptiæ manerent, Juſtiniano tamen inhumanum viſum eſt ob eventum ſolvi nuptias, a quibus initio vitium abfuiſſet. *a*) At ſi poſt nuptias vir exciderit Senatoria dignitate, conſiſtere matrimonium, Ulpianus cenſuit; cum dignitas, quæ obſtiterat, fuerit imminuta. *b*) Caput autem hoc ad nuptias pertinens, paſſim immutatum eſt *Novella 117.* Juſtiniani, a quo etiam conſtitutum eſt, *c*) ut mulieri ſcenicæ, quæ ſe ad honeſtum vitæ inſtitutum contuliſſet, cum quolibet etiam dignitate prædito nuptiarum poteſtas eſſet. Ob eandem honeſtatis cauſam libertinus etiam ab ingenuo adrogatus, aut alius, qui artem ludicram exercent; vel a parentibus eam artem exercentibus deſcendat, ducere prohibetur filiam Senatoris, etiam Senatu moti, quæ ſe ad turpem quæſtum non convertit: * uti & prohibetur ducere neptem, proneptemque ex filio *d*) cujus Pater dignitatem amiſiſſet; niſi ſe turpi quæſtu commaculaverit.

XXXVII. DE ILLICITIS NUPTIIS IRRITANDIS SUB MARCO. **

Eæ tamen nuptiæ quamvis injuſtæ, non irritabantur per hanc legem; ſed per S. C. quod Marci orationem eſt conſequutum: *e*) qua oratione Imperator ſuaſit, ut quæ prius erant illicitæ, deinceps nec nuptiæ forent. Hoc enim inter injuſtas intereſt, & irritas nuptias, *f*) quod in injuſtis dos conſiſtit, quæ poſt viri mortem caduca fiebat, *g*) & ex iis oritur accuſatio adulterii: ab irritis vero, nec adulterii accuſatio, nec dotis actio proficiſcitur. *h*) Verum Cujacius docet, *** ex hac lege quidem libertinam non eſſe juſtam Senatoris uxorem, aut filii, aut nepotis: contra vero non ex hac lege, ſed ex oratione Marci filiam, aut neptem Senatoris, non eſſe juſtam uxorem libertini hominis. *i*) Neque cum lena, aut ea, quam leno, lenave manumiſerit; neque cum muliere publico judicio damnata, & in adulterio deprehenſa, lex Julia dat ingenuis nuptiarum licentiam. *k*) Ingenui autem nomine lex comprehendit etiam eum, qui jus aureorum annulorum impetravit, *l*) vel qui fuerit ingenuus judicatus. *m*) Damnatam vero publico judicio mulierem, ne ante quidem ductam retinere deinceps Senator poteſt ex S. C. ad hanc legem adjuncto, cujus meminit Ulpianus. *n*) Et quoniam lex non tam ſententiam notavit, quam

a) *L. penult. C. de nuptiis.*
b) *l. 27. ff. de ritu nupt.*
c) *L. ult. C. de nuptiis.*
* Vel artem ludicram fecerit *L. 47. D. de R. N.*
d) *l. 9. ff. de Senat. L. 32. & 44. ff. de ritu nupt.*
** Hæc rubrica non niſi pro parte reſpondet nigro ſuo, quo præcipue agitur de nuptiis ingenuorum cum mulieribus ſcenicis & meretriciis, uti capite proximo agebatur de nuptiis ſenatorum cum ejusdem generis feminis.
e) *L. oratione 16. ff. eod.*

f) Ulp. *tit. 16. §. ult. l. 12. §. 1. D. de adult.*
g) Rævard. *var. lib. 4. c. 16.*
h) Gothofr. *in not. ad l. Jul. & Pap. c. 1.*
*** Cujacium ſequitur Merillius *Lib. V. Obſ. c. 12.* Doctrinæ contra Noſtri accedit Heineccius *p. 137.*
i) *ad lib. 4. reſpon.* Papin. *L. 9. ff. de Senat. & L. 23. & 44. ff. de ritu nupt.*
k) Ulp. *l. 43. §. 6. 7. 8. & ... ff. de ritu nupt.* Gothofr. *ad hoc caput in notis.*
l) *l. ult. ff. de jure aur. ann.*
m) *L. 25 ff. de ſtatu homin.*
n) *L. 43. §. 10. ff. de ritu nupt.*

factum;

factum; ideo ingenuis abſtinendum erat a nuptiis mulieris in adulterio deprehenſæ, quamvis non damnata, ſed abſoluta fuiſſet. * Semel enim deprehenſa, nunquam exuit turpitudinem. *a*) Damnato tamen vero adulterii, quam vir accuſaverat poſt impetratam objecti criminis abolitionem, uxorem denuo ducere non prohibebatur. *b*) Severiſſimo quoque conſilio conſtitutum fuit his legibus, ne ſex. genario major majorem quinquagenaria duceret: ** propter extinctam ſpem ſuſcipiendæ ſobolis. Conjugium autem veteres liberorum ſeminarium eſſe voluerunt: *c*) unde cujus mulieris alveus exaruit, minime dignam nuptiis indicarunt. Quocirca mos erat nubentibus profiteri, liberorum procreandorum cauſa ſeſe nuptias appetere. Quod colligitur ex his Taciti verbis: *Cum uxore principis prædicta die adhibitis, qui obſignarent, ſeſe velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa convenire.* Uſus autem docuit, in homine majori LX annis generandi vim eſſe peremtam; in muliere vero quinquaginta annis majore concipiendi vim periiſſe: etſi Ariſtoteles *d*) generandi vim in homine ad LXX. uſque annum vireſcere ſcribat, plurimaque ſuperſint exempla virorum, qui ætate longe majori, liberos inſperato ſuſcepere. Ut enim obſcuriora, quæ ſunt ſane innumera, prætermittamus; certe Maſiniſſam regem anno jam ſexto & octogeſimo; & Catonem Cenſorinum octogeſimo exacto anno liberos procreaſſe, accepimus: & recentioribus temporibus Udislaum regem. *e*) Afflictus etiam nobilis pragmaticus *f*) tradit, ſe annum ultra ſexageſimum natum tres ſuſcepiſſe liberos. Mulierum autem illuſtre habemus exemplum a Conſtantia Henrici Imperatoris uxore, quæ quinquagenaria peperit. Ne inanem eruditionis gloriam legentium tædio affectemus, alia innumera prætermittimus exempla, ex quibus, & ex bene perſpecta ratione, obſervatores naturalium cauſarum, inter quos Antonius, & præceptor olim noſter, ac beneficentia plus quam parens Gregorius Caropreſius, Italorum philoſophorum, ætate noſtra, maximus, cenſent generandi vim in homine, ac in muliere fœcunditatem, non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu, & robore corporis eſſe arguendam. At quoniam lex non ad rariora, ſed ad frequentiora naturæ convertitur; recte hiſce annis generationis tempora finivit. Siquidem hominis vigor ſexageſimo fere anno languet, & in mulieribus menſtrui ſanguinis rivus, ſine quo neque concipi, neque nutriri partus poſſe, vulgo autumant, anno plerumque quadrageſimo exareſcit. Ideo lex Papia viris ſexagenariis fibulam impoſuit, & mulieres quinquagenarias ſterilibus comparavit. *g*) At ſi

* Quod mirum, neque enim abſolvi poſſit mulier in adulterio deprehenſa, nec in adulterio dici deprehenſa, quæ adulterii abſolvatur.

a) *L. 43. ff. de ritu nupt.*

b) *L. 34. §. ream ff. eod.*

** Imo hoc lege Julia non eſt cautum, ſed potius, ut ſexagenarii maſculi, quinquagenariæ feminæ a pœnis legis liberi eſſent, ut colligitur ex Ulpiani *Fragm. XVI. §. 4.* Poſtea autem, Senatusconſultis Perſiciano & Calviſiano id legi Papiæ additum, ut nuptiæ hæ non quidem reſcinderentur, ſed tamen pœnis Papiæ legis obnoxiæ eſſent. Perizonius *de lege Vocon. pag. 153.* & Noſter *c. 39. 40.*

c) Lactant. *l. 1. de falſ. relig. cap. 16.* Sueton. *in Claud. c. 23.* Ulp. *c. 16. L. 12. de legit. hæred.* Briſſ. *de ritu nupt. p. 118.*

d) *lib. 5. περὶ ζώων.*

e) Eneas Sylvius.

f) *in conſtit. Reg. poſt mortem §. ultimo.*

g) *L. ſi ſterilis ff. de act. emt.*

conju-

conjuges ad eas ætates evecti prolem ediderint, noluit Juſtinianus, eam ſobolem a ceterorum liberorum conditione diſcrepare. *a*) Obſequi enim lex debet, non imperare naturæ; ideo agnoſcere oportet eos, quibus natura præter modum a lege definitum lucis beneficium dedit. *

XXXVIII. DE S. C. CLAUDIANO AD L. PAPIAM.

Cum igitur his legibus juſta ætas in homine LX., in muliere L. annorum ſpatio concludatur: dubitatum fuit, an ſexagenario majori liceret minorem L. ducere? & Tiberius Cæſar, cui tribuitur S. C. hoc, quod Claudianum appellatur, propterea quod Neronis, & Tiberii plura S. C. Claudiano nomine comprehenſa fuerunt ex Claudii nomine, quod utrique retinebant, ut Petrus Faber obſervavit; *b*) Tiberius, ** inquam, prohibitionem nuptiarum extendit etiam ad matrimonia ſexagenarii, cum minori quinquaginta. Etenim quamvis fœcundum ſit ſolum, ſemen tamen deeſt; unde hujuscemodi conjugia plerumque nulla prolis ſpe defenduntur. Hinc Suetonius in *Claudio* ſcribit, Tiberium aliquid addidiſſe capiti legis Papiæ (ſive *addito* legamus vulgatis, ſive *adaucto* ex eruditorum interpretum emendatione,) atque huic capiti Claudium contraria lege lata obrogaſſe: quod ex concubitu viri ſexagenario majoris cum minoris quinquagenaria ſpem prolis ſupereſſe cenſuerit: ideoque aliud S. C. Claudianum, idque ab ipſomet Claudio emanavit, *c*) quo ſi major ſexagenario minorem quinquagenaria duxiſſet; perinde habebatur, ac ſi LX. annis minor nuptias contraxiſſet. Hinc jure a Jacobo Gothofredo reprehenduntur ii, qui abrogatum fuiſſe a Claudio caput legis Papiæ arbitrantur: cum Tiberii potius explicatio exploſa fuerit, ejusque adjectio ſublata.

XXXIX. DE S. C. CALVISIANO.

Si vero major quinquagenaria minori ſexagenario nupſiſſet, tanquam ex impari matrimonio, & omni prolis ſpe deſtituto, dos caduca erat, & fiſco cedebat, minimeque proficiebant hæ nuptiæ ad capiendas hæreditates, & legatas dotes. Quod cautum fuit S. C. Calvitiano, vel Calviſiano, cujus apud Ulpianum eſt mentio: *d*) ubi videtur Cujacius malle Claudianum.

a) *L. 12. C. de legit. hered.*

* Concubinatum Noſter cum Gothofredo prætermiſit, forte quod utrique ſederet, eum ex legis conniventia magis nomen adſumſiſſe, quam quod lex prolis legitimæ ſtudioſa concubinas habendi jus dederit.

b) *p. Semeſtr. 25. & Cujac. 1. obſerv. 18.*

** Sub quo latum SCtum non Claudianum, ſed Perſicianum, eodemque cautum, ut Sexagenariorum & Quinquagenariorum, nec non ſpadonum nuptiæ pœnis cœlibatus perpetuo tenerentur; cui pœnæ ſexagenarios eos exemit Claudius, qui minores L. annis duxiſſent. Qui caſus lege Papia prohibitus cenſebatur ideo, quod ea ſexagenario maſculo quinquagenariæ feminæ nuptias contrahere, jus penitus non eſſet. Figmentis annumerandum eſt S. C. Claudianum primum.

c) Ulp. *tit. 16.* Briſſ. *15. de jure connub.*

d) *tit. 16.* Briſſ. *de jure connub. 159.* Jacob. Gothofr. *hic.*

e) Ulpian *tit. 16. §. 3.*

XL. DE

XL. DE S. C. PERNICIANO.

Porro qui ætates haſce ita præfinitas ſine nuptiis tranſiiſſent, ſolvebantur legibus, *a*) & ad priſcæ libertatis commodum revertebantur. Verum ne ullo unquam tempore cœlibatus proficeret, obſtitit S. C. Pernicianum, quod perpetuis cœlibatus pœnis obſtrinxit eos, qui ætates legibus præfinitas ſine nuptiis, & liberis exceſſiſſent. *b*) At Juſtinianus priſtina nuptiarum libertate reſtituta, invidiam harum legum prorſus amovit. *c*)

XLI. DE SPADONIBUS.

Huic capiti Jacobus Gothofredus ſubtexuit illud de ſpadonibus: quos vero ſimile eſt lege Papia fuiſſe nuptiis prohibitos, * utpote cum generationi non ſint habiles. Hinc ex inſcriptionibus Ulpiani ad legem Juliam, & Papiam videmus, conjunctas fuiſſe cum harum legum tractatione diſputationes de ſpadonibus. *d*) Et ſane qui convenit, ut lex Papia, quæ ſexagenarios repulit, tulerit ſpadonum nuptias, quæ æque abſunt ab omni ſpe liberorum; quod unum ac ſummum fuit legis Papiæ ſtudium? Neſcio igitur, cur Hiſpano illi, *e*) qui immanes commentarios ad has leges edidit, in mentem venerit rejicere caput hoc de ſpadonibus a ceteris legis Papiæ capitibus, quibus attexuit & alia minime germana. Ceterum ſpadonis vocabulum late ſe fundit, complectiturque tum eos, qui natura vitiati ſunt, tum illos, qui ſibi virilia præciderunt, aut contorſerunt, & oppreſſerunt. Atque his ſane poſtremis præcluſam eſſe crediderim a lege Papia facultatem nuptiarum, non autem ſuperioribus, nempe illis, quorum virilia natura, vel fato ſunt vitiata, dummodo generandi vis eo vitio peremta non fuerit. Sunt enim qui alterum, vel ambos teſtes habent introrſum conditos, & hi ſpadonum quoque nomine veniunt: generationi tamen ſunt idonei, unde lege nulla arcentur a nuptiis: ac in his dotem, & matrimonium, & dotis actionem eſſe, Ulpianus *f*) tradit, non autem in caſtratis. Nec mirum, ſi nullis eminentibus teſtibus, integra tamen ſit generandi facultas: nam ſi teſtes reſecti ſint imperite, ut relicta ſit epididymis cum ſegmento coleorum, nec ſeminalia vaſa prorſus effuſa fuerint: iis periti rerum naturalium ſpem prolis minime adimunt; etenim ex gallis, aliiſque animalibus male caſtratis enatam eſſe prolem, Thomas Cornelius Conſentinus philoſophus ætate noſtra inſignis obſervavit: ejusdem enim texturæ faciunt epididymida, & teſtes, ac glandulis oppletam iisdem, quas permeando ſemen ad generationem exacuitur. Omnis tamen hæc nuptiarum prohibitio remitti per populum poterat, ejusque jamdiu erat arbitrium, illicitarum nuptiarum gratiam facere. Cujus poteſtatis exemplum

a) Ulp *tit.* 16. §. 3.

b) Ulp. *ut ſup.* §. 3. Gothofr. *ad hoc cap.* Briſſ *de jure connub. p.* 158. Tertull. *in apolog.* Auſt. 3. *contra Julian.*

c) *L ſancimus C. de nupt. L.* 12. *C. de legit. hæred.*

* Imo ſpadones ſoluti quidem per legem Papiam erant neceſſitate inoundi matrimonii, ab eodem autem nullatenus arcebantur. Contigit id demum, ut ſupra monitum fuit, Senatusconſulto Perſiciano. Imo ne hoc quidem ſpadonum nuptiæ reſciſſæ fuerunt.

d) *L.* 128. *ff. de V. S.*

e) Ramez del Manzano *ad l. Jul. & Pap.*

f) *L.* 39. *§.* 1. *ff. de jur. dot.*

Digitized by Google

habemus apud Livium, *a*) a quo traditur, Hyſpalæ Feceniæ libertinæ, cujus indicio nefaria Bacchanalium ſacra detecta fuerunt, inter alia præmia adjectum: *uti ei* (mulieri) *ingenuo nubere liceret*. Quod jus olim populi, ſibi de more, poſtea principes *b*) arripuerunt: olim enim ſecretum erat jus populi a jure fiſci; poſtea omnia populi commoda traducta fuerunt ad fiſcum principis. Hinc titulus Paulli de jure fiſci, & populi, & Lampridius iſta diſtinguens, ait, leges de jure fiſci & populi moderatas tuliſſe Severum. *c*)

XLII. DE SPONSALIBUS.

A perſonis ad ætatem contrahendis nuptiis idoneam leges tranſierunt; earum enim vis calliditate hominum eludebatur: nam quia leges præmia maritis conſtituerunt; iis non pauci fruebantur, nullo ſuſcepto nuptiarum incommodo. Tales erant, qui ſponſalia cum impubere contrahebant, & qui contractis cum pubere ſponſalibus nuptias protelabant. Nullum enim ætatis tempus erat ſponſalibus præfinitum, cum ſtatim ac in homine ratio emicat, liceat inire ſponſalia, nempe anno ætatis ſeptimo. *d*) Quoniam autem contractis ſponſalibus nuptiæ arbitrio conjugum trahi poterant, plurimi ſponſalia maturabant, nuptias vero differebant, ut interea maritorum jure fruerentur. Ne igitur quis ex fraudatis legibus lucrum perciperet; ademit Auguſtus *e*) præmia maritorum ſponſis, qui ultra biennium nuptias extraxiſſent. Quamobrem ſponſalium temporibus biennio contractis, tantum qui decennem puellam ſibi uxorem petiiſſet, mariti juribus potiebatur: quia tempora ſponſalium, & ætas nuptiarum legitima, quæ in mulieribus erat XII. annorum, æquatis intervallis concurrebant; & vir eam ducere tenebatur expleto biennio. Atqui puellam decennio minorem ſibi deſpondiſſet, quoniam ob immaturam puellæ ætatem dilatio nuptiarum ultra biennium excurrebat; ſponſus interea cœlibum pœnis erat obnoxius. Quæ quidem ſponſalia rata habebantur, ut Cujacius tradit; *f*) ſed immatura, ideo nec pœnis legum eximebant maritum, nec lucris afficiebant. Quamvis autem his legibus ſponſalia biennio circumſcriberentur; tolerabatur tamen earum dilatio propter ſponſæ, ſponſive valetudinem, vel parentum interitum, vel ob capitalia crimina, vel ob longiores peregrinationes neceſſitate ſuſceptas. Propter quas ſane cauſas non modo annum, aut biennium, ſed & triennium & quatriennium nuptiæ impune trahebantur, *g*) ut Cajus tradit: apud quem nolim cum Cujacio, & Gothofredo vulgatam lectionem immutare, ac expungere *annum;* quamvis enim tempus legibus præfinitum non annus ſit, ſed biennium; tamen in biennio annus includitur, nec inſolens eſt, ut oratione ducta a minori tempore, eo enumerando perveniatur, ubi terminus legis hæret: etſi omiſſa mentione anni, ſatis fuiſſet biennium ſcribere. Sed expeditius erit dicere, Cajum enumeraſſe tantum annos moræ, nulla mentione annorum legis; quibus

a) *lib. 39. c. 19.*
b) *L. 31. ff. de ritu nuptiar.*
c) Dion. *lib. 55.* Ulp. *frag. 16. §. 1.*
d) *L. 14. de ſponſ.* Leo *Novell. 109.*
e) Dion. *lib. 54. in geſt. anni 736.* Sueton. *in Octavio c. 34.* Zon. [illegible] Dion. [illegible]
f) *ad liber. 4. diff. Modeſt. leg. 14 ff. de ſponſal.*
g) *L. 17. ff. de ſponſal.*

elapſis,

elapſis, ſcripſit non annum modo, ſed & biennium, & triennium moræ ob juſtam cauſam tolerari. Ceterum ſi vir ſine cauſa ſponſalibus diem ultra biennium produceret, maritorum præmiis excidebat: & virgo quærere ſibi aliam conditionem poterat, retentis arrhis: quas tamen reddere cogebatur in duplum; ſi per eam factum eſſet, quo minus nuptiæ legitimo tempore contraherentur; quadruplum alii arrharum reſtituendum putant: Gothofredus tamen quadruplum intelligit, præter arrhas. *a*) * Ex hoc legum capite, Cujacio repugnante, aliqui etiam putant præfinitionem ætatis maturæ nuptiis, ** in fœminis XII. annorum, in maſculis XIV. *b*) Sane vetuſtiorem legem non habemus, ad quam hæc definitio recte revocetur: tantum ſcimus, eſſe pervetuſtum, ut nuptiæ incipere nequeant ante utriusque ſexus pubertatem. Quam Caſſiani non ab ætate, ſed ex habitu corporis æſtimabant in maribus, quorum non paucos ante XIV. annum generationi habiles fuiſſe conſtat; *c*) Proculiani ab extremo XIV. anni eam auſpicabantur. Priſcus Javolenus & annos XIV. & corporis firmitatem requirebat. Proculianorum ſententia recepta fuit, quia id, quod plerumque accidit, reſpiciebat; idque Proculiani a Stoicis duxerunt: etenim Stoici vim generandi, & animi conſilium ea ætate inoleſcere cenſebant. *d*) Quod autem lege Papia Poppæa circa ætatem puellarum præfinitum videtur, moribus antea Romanorum invaluerat. Plutarchus enim in Numa ſcribit, Romanos conſueviſſe teneras admodum puellas ducere: quod magna ſit ejus ætatis ſimplicitas, ut ſub inſtitutione mariti ſuſcepta uxor, illius mores facilius imbiberet, itaque privatæ res, & publicæ eſſent tranquilliores. Contra Lacedæmonum reſpublica, ubi puellæ nonniſi adultæ viro tradebantur, muliebri ſæpe licentia perturbabatur. Amorum enim viciſſitudine, qua exercentur ante matrimonium virgines, ita exacuuntur ad fraudem, ut quidquid longo amatoriarum artium uſu didicerunt, conferant ad ſubigendum, ac perdomandum virum; unde converſo ſenſim ordine officiorum, qui dominus a lege conſtituitur, ultro ſeſe in ſervitutem tradit uxori. Hinc mulier in virum, vir in mulierem turpiter commutatur. Quod malum privatis in domibus conceptum, non raro in rem expetit publicam, ut impotentia, & effrena cupiditate muliebri, civilium quo-

a) *L. 6. C. Theod. de ſponſ. & l. 4. item l. 2. C. Juſtin. de ſponſ.* Cujac. *ad tit. C. de ſponſalibus*

* Cujus ſententiæ ſuffragatur tit. XXVII. Reſponſorum Papiani apud Schultingium in *Juriſpr. Ante-Juſtinianea pag* 843. ubi quadruplum pœnæ nomine venit. Quod quadruplum in duplum mutatum *L. pen. C. de Sponſalibus & arrhis.*

** Quæ ſententia facile vincit eam Cujacii. Antea enim nuptiæ a puellis contrahebantur viripotentibus; viripotentia autem non ex annis, ſed ex habitu corporis æſtimabatur. Et veriſimile eſt, in priſca Romanorum frugalitate, ſeram fuiſſe puellarum Venerem. Ratione tutelæ autem de pubertate puellarum quæri non poterat, quia in tutela erant perpetua. Sed poſtquam tutela perpetua in deſuetudinem abire cœpit, ad feminas quoque pertinuit jurgium veterum, annisne an corporis habitu æſtimanda eſſet pubertas?

b) Cujac. *ad l. 14. ff de ſponſ. frac ad Modeſt. diff. l b. 4. & in enarrat. C. tit. de ſponſal.* Macrob. *7. ſaturnal. 7. & ſomn. Scip. 1.* Sueton. *in Octav. c. 34.*

c) Hottom. *de ritu nupt Inſtit. quib. mod. tut. in princip. l. ult. C. quando tut. vel curat.*

d) Plutarch. *lib.* [illegible] *cap. 24. de placit. philoſophorum.* Merill. *obſ. lib. 4. cap. 2.*

que

que ſtatus negociorum agitetur; magnarum enim incrementa calamitatum ex initiis ſurgunt ſæpe leviſſimis; ingentesque ſæpe clades extiterunt ex gratia, vel ira muliebri; quarum aliquando blanditiæ apud magnates præſertim, & ſummos duces, moribus, & legibus patriis longe præpollent.

XLIII. DE VACATIONE NUPTIARUM.

Sequitur hujus capitis alia particula, quæ eſt de vacatione nuptiarum, conceſſa fœminis poſt mortem viri, aut poſt repudium; qua in particula comprehenſum fuit, ut mulieribus a morte viri biennium, a repudio vero annum, & ſex menſes a nuptiis vacare liceret: cum lege Julia, quæ lenita deinde fuit, & in legem Papiam Poppæam conjecta, non major vacatio daretur, quam unius anni a morte viri; a divortio vero ſex menſium, *a*) ut tradit Ulpianus, quem locum emendatione indigere, cenſuit Cujacius *b*) admonitus a Suetonio: *c*) unde pro *biennii* ſubſtituit *triennii*: neſcio an recte. Aliam enim puto vacationem a Suetonio ſignificari, nempe vacationem ab Auguſto datam a die latæ legis ad paritionem, nempe intervallum, quo adhuc cives lege Papia erant ſoluti: ut qui a nuptiis abhorrerent, ſpatium haberent comparandi ſeſe, flectendique ad matrimonium reluctantem animum: quod conſilium niſi intra triennium illud vacationis capeſſerent, legum pœnas incurrebant. Alia igitur vacatio eſt ab ea, quæ poſt viri mortem, aut repudium datur.

XLIV. DE VIRGINIBUS VESTALIBUS.

His adjungendum cenſuit Gothofredus caput de virginibus Veſtalibus a Gellio *d*) ex lege Papia * relatum: ex quo capite Pontifex Maximus facultatem habebat legendi XX. virgines non minores annis X. ut ſortitione in concione facta, cujus virgo ducta fuerit, eam Pontif. Max. caperet, quo Veſtæ fieret. Capi autem virgo dicebatur, quia manu a Pontifice prehenſa, quaſi bello capta ſuo a parente, cujus in poteſtate erat, abducebatur.

XLV. DE POENIS IMPARIUM, ET PRÆMIIS PARIUM NUPTIARUM.

Ubi lex nuptiarum rite contrahendarum, & augendæ prolis rationem inſtituit: pœnis præmiisque propoſitis, voluntates hominum cenſuit obligandas. Itaque in ſanctione cavit, ut qui contra legem hanc nuptias contraxerit impares, **

a) *tit. 14. Inſtit.*
b) *ad tit. 4. Ulpian.*
c) *In Octavio. 34.* Dion. *lib. 56.*
d) *lib. 1. c. 12.*
* Quæ lex Papia Papia Poppæa antiquior, ut probat Heineccius *p. 6. 7.*
** Imo non ad impares tantum nuptias, ſed ad omnes pertinebat, quæ dolo malo adverſus hanc legem initæ eſſent, veluti Senatoris ducentis libertam, ingenui ducentis mulierem quæſtuariam. Sic dotis caducitatem, quæ in nuptiis quinquagenaria majorum obtinebat, auctore Ulpiano *Fragm. Tit. XVI. §. 4.*, ad alia quoque matrimonia injuſta porrectam fuiſſe, patet ex *L. 38. §. 1. L. 61. D. de ritu nupt.* & inanis horum intuitu penitus fuiſſet lex, jam ſic imperfecta, quod nuptias non reſcinderet, niſi pœnam quoque ad eos produxiſſet.

quales appellat Ulpianus *a*) nuptias inter majorem quinquagenaria, & minorem ſexagenario, vel inter majorem ſexagenario, & quinquagenaria minorem; is quos ſuſcepit filios, liberum, aut ſuorum hæredum loco habere non poſſit: nec eisdem adjuvaretur ad præmia legis aſſequenda, proinda ac ſi mortui naſcantur, quia nec nati videntur. *b*) Item vetitum eſt, conjuges illos hæreditatem capere lege obvenientem, qua & teſtamentaria hæreditas comprehenditur, cum ea ex legibus XII. tabul. obveniat. *c*) Quin etiam nec legatum iis, aut aliud quid mortis cauſa capere licuit. *d*) Sed illud eſt ſane triſtius, quod ſolutis hujuscemodi nuptiis, morte mulieris, dos eſt caduca, & devolvitur in fiſcum, qui in mulieris locum pro dotis repetitione ſuccedit. *e*) A pœnis imparium lex progreditur ad parium præmia nuptiarum: ut qui legi non obtemperarent, pœnam aliam ex privatione præmiorum ſuſtinerent. Agitur autem primo de ordine nuptiarum contrahendarum, quæ ut rectius curarentur, lex juſſit, ut ſi mulier, aut virgo ex hac lege nuptias contractura legitimo tutore careret; Prætor urbanus ei tutorem conſtitueret ad dandam, dicendam, promittendamve dotem. Quodque ex hac lege Prætor in urbe, in provinciis præſtare debebat Præſes ex S. C. ad hanc legem adjecto: *f*) ut intelligamus, tutorem non tam ad regendum puellæ arbitrium, confirmandamve voluntatem dari, quam ad moderandam, curandamve dotem; idque Antoninus, & Severus clarius expreſſerunt. *g*) Quod munus eſt præcipuum tutoris ad rem certam a lege Papia præter juris regulas inſtituti. *h*) Diſcrevit autem lex hæc *dictionem dotis*, *promiſſionem*, *dationem*; quia dicere dotem eſt absque ſtipulatione promittere, ſolennibus verbis ſine interrogatione; *i*) quod non ad omnes pertinebat, ſed vel ad ipſam tantum mulierem, aut mulieris juſſu ad ejus debitorem; vel ad patrem, avumque paternum; nec dotis dictione plures, quam hi tres obligabantur. *k*) At promiſſioni ſtipulatio adjungebatur, & promittendo poterant omnes obligari. *l*) Dare autem dotem quid eſſet, explicatione non indiget. Porro non tantum ad dicendam, promittendam, dandamve dotem; ſed ad augendam, minuendam, mutandamve curator dabatur; Siquidem quod ſupra mulieris facultates dictum erat, promiſſumve, id continuo, ut ſuperfluum, detrahebatur, exemplo immodicarum donationum, quæ non prorſus revocantur, ſed quatenus legis modum excedunt. *m*) Hæc autem ad eos pertinent, qui per hanc legem ad matrimonia compelluntur, nempe patres matresque familias, nam filiæ, filiive familias minime cogebantur, *n*) * quod forſan erat certo legis Juliæ capite comprehenſum; ut eo referri

a) *tit. 16. §. 3. Inſtit. l. 12. in fin. C. de legit. hæreditat.*

b) *L. qui mortui 129. ff. de V. S.*

c) *L. lege obvenire 130. ff. de V. S.*

d) *L. 37. 38. ff. de mortis cauſa donation.*

e) Ulp. *frag. tit. 16. in fin. L. dote ff. de ritu nupt.*

f) Ulp. *tit. 11. §. ex lege XX.*

g) *L. ſciendum 20. ff. de ritu nupt.*

h) Cujac. *ad tit.* Ulp. *11. §. 20.*

i) Ulp. *tit. 6. in princ.* Cujac. *ibidem.*

k) Caj. *inſt. l. 2. c. 9.* Briſſ. *de jur. conn. p. 160.*

l) Cujac. *ad tit. 6. Ulp.* Caj. *loco cit.*

m) *L. 61. de jure dotium* Briſſ. *ibid.*

n) *L. 21. ff. de ritu nupt.*

* Sed ſi lex Papia Poppæa ad ſolos patresfamilias pertinuit, næ illa a fine ſuo aberravit nimium. Utique enim Romæ plures filii quam patres, plures filiæ quam matres familias extra matrimonium agebant, niſi ſaltem parentibus non elocantibus filias, non adigentibus filios ad ducendam uxorem pœnæ præpoſitæ eſſent.

poſſint verba illa in lege *nec filium Cod. de nuptiis legum diſciplina*, nempe *legum Juliæ & Papiæ*, quæ ſæpe per excellentiam, ut Ulpiani verbis utar, leges appellantur, quod produnt plures loci juris civilis.

XLVI. DE DIVORTIIS LIBERTARUM, ET AUCTO JURE PATRONORUM EX CONJUGIO.

Hinc deſcendit lex ad præmia, & privilegia nuptiarum jam contractarum: augetque cum primis jura patronorum in libertas, quas ſibi uxores adjunxerant. Igitur vetitum eſt, libertam diſcedere *a*) a nuptiis invito patrono, ut contrahat novas; quo appareat, non ſublatum fuiſſe hac lege divortium jure civili permiſſum, ſed libertatem alienarum nuptiarum, ad quas divortia ferebant, lege Papia fuiſſe interceptam. *b*) Itaque manente divortio, effectus illius, nempe novarum nuptiarum facultas adimitur. *c*) Nec enim abhorret a regulis juris, ut matrimonium adhuc jure duret, ſecuto divortio: ejusque rei hoc adducit Ulpianus exemplum, nempe libertæ, quæ divortium fecit. *d*) Cum enim invito patrono alteri nubere non poſſit, manet ſane illa matrimonii vinculis adhuc implicata; uxoris tamen beneficio minime gaudet, nec admittitur ex edicto *unde vir, & uxor* ad hæreditatem mariti; quia quantum in ſe fuit diſſolvit illa contractas olim nuptias. *e*) Unde tota ejus matrimonii utilitas devolvitur ad patronum, qui matrimonium adhuc voluntate, atque animo retinet: ita ut commodis quidem nuptiarum ſolus fruatur patronus; liberta vero divortii damna ſuſtineat. Etenim eadem ratione concubinatu etiam alterius ei eſt interdictum, quia ſcilicet uxoris legibus obſtringitur, & impeditur pudore conjugali, *f*) quæ de nupta tantum liberta ſunt accipienda, non de ſponſa, ad quam hoc caput non pertinere, Ulpianus ſcribit: *g*) & ideo ſi invito patrono ſponſa nuntium miſerit, cum alio poterit habere connubium. Præterea ſi liberta non in matrimonio patroni ſit, ſed in concubinatu, licebit ei a patrono diſcedere: *h*) dummodo alteri ſeſe non in matrimonium, ſed in concubinatum dederit: cum patrono præſtet libertam concubinam eſſe, quam matremfamilias; ne ſine conſenſu, & ope patroni re ipſa libertæ conditio augeatur: ideo Ulpianus *i*) ait, honeſtius eſſe patrono libertam habere concubinam, quam matremfamilias. * Quæ Ulpiani verba perperam in alium ſenſum detorquet Briſſonius. *k*) Libertas autem etiam connubnes ad hoc jus admitti placuit, quia negari non poteſt,

a) *L. ult. ff. de divort.*
b) *L. libertæ C. de oper. libert.*
c) *L. ult. ff. de divort. l. 1. ff. unde vir & uxor.*
d) Ulp. *lib. 1. ff. unde vir. & uxor.*
e) Cujac. *ad tit. ff. unde vir & uxor.*
f) *L. 11. ff. de divort.*
g) *L. 45. ff. de ritu nupt. §. 4.*
h) *L. 1. ff. de concub.*
i) *L. 1. ff. de concub.*

* Cui ſententiæ tamen obſtant verba legis antecedentia: *Quæ in concubinatu eſt, ab invito patrono poterit diſcedere & alteri ſe in matrimonium, aut in concubinatum dare*, quare ea quidem penitus expungere maluerunt. Sed ingenioſe Celeb. Heineccius *p. 251.* pro *ab* legit *an*, idque a JCto quæri, non definiri obſervat, de cæteris Gravinæ ſententiæ accedens contra Briſſonium.

k) *de jure connub. pag. 166.*

eſſe libertam ejus, qui duxit, quamvis liberta ſit etiam alterius. *a*) At ea, quæ jus aureorum annulorum impetravit, hic pro liberta non habetur. *b*) Præterea libertæ, quæ ſunt ex fideicommiſſo manumiſſæ, poſſunt invitis patronis, qui eas duxerunt, contrahere matrimonia: quia patroni non ſua ſponte beneficium contulerunt, ſed coacti fuerunt fidem ſuam liberare; ideo minor eis eſt honor habendus. *c*) Alia prorſus ratio eſt in eo, qui ea lege emit, ut manumitteret; nam legi ſe ſubjiciendo ſponte ſua beneficium ab eo usque tempore contulit. *d*) Invitum autem quem dicemus? An eum modo, qui manifeſte diſſentit? minime, ſed quemvis alium, cujus conſenſus furore, vel ignorantia impeditur: *e*) qui enim facti notitia caret, conſentire non probatur, niſi lex tacite voluntatem alterius præferat. Porro, propter ſpem poſtliminii, & patroni reverentiam captivitas patroni libertatem nuptiarum libertæ minime tribuit. *f*) At ſi non palam ſe prodiderit, quibus argumentis animum patroni a nuptiis libertæ retinendis alienum eruemus? Et Ulpianus tradit, ſufficere actum quemlibet nuptiis, & matrimonio minime congruentem; veluti ſi patronus experiatur actione rerum amotarum, quæ ſine divortio non oritur; vel ſi nuptias alterius mulieris appetierit, aut ſibi concubinam adhibuerit, aut quoquo modo animus ejus deſciſcat a matrimonio. *g*)

XLVII. DE AUCTO JURE LIBERTORUM ET LIBERTARUM EX CONJUGIO.

Neque patroni ſolum augere lex, ſed libertæ quoque voluit ſublevare conditionem præmio nuptiarum: unde præſtatione operarum eam exemit, ſi vel patrono nupſerit, *h*) vel alteri conſentiente, aut ratum habente patrono: non enim decet a conjugali officio diſtrahi, ut alienis obſequatur: ideo poſt nuptias diſſolutas, priſtinam operarum obligationem continuo ſubit. *i*) Et hæc quidem de liberta: libertus enim, quamvis maritus, operarum obligatione non ſolvitur: nec enim libertus maritus dat ſe in officium uxoris; ut liberta uxor in officium viri: niſi modo libertus, qui nec artem ludicram exercuerit, nec ut ad beſtias pugnaret, operas locaverit, duos, pluresve * filios habeat in poteſtate: *k*) præmio enim ſuſceptæ prolis, ſi abſit infamia, lex Julia obligatione promiſſarum operarum eum exolvit. Huic attexuit capiti Gothofredus particulam *gener, ſocer ve inviti teſtimonium in reos ne dicunto*; quæ, meo judicio, revocanda potius eſt ad leges Julias judiciorum, quibus cautum erat, ne quis contra affines, vel agnatos teſtimonium dicere cogeretur; *l*) de

a) *L. illud 46 ff. de ritu nupt.*
b) *L. 4. ff. de jur. aur. annul.*
c) *L. 50. ff. de ritu nupt.*
d) *L. 45. in prin. ff. de ritu nupt.*
e) *L. 45. §. 5. ff. de ritu nupt. l. filiusfam. 8. §. invitus ff. de procurat.*
f) *L. 45. in fine ff. de ritu nupt.*
g) *L. 11. ff. de divort. & repud.*
h) *L. libertæ C. de obſequiis patron. præſt. L. 48. ff. de oper. libert.*
i) *L. 14. ff. de oper. lib.* Cujac. *ad tit. C. eod.*

* Vel ſaltem unum quinquennem, quæ ætas multis jam exempta periculis, quibus premuntur ea minores. Olim etiam libertinis proderat filius quinquenni major, ut in tribus ruſticas deſcriberentur, cum iis alias non niſi tribus paterent urbanæ, eædemque minus honorificæ.

k) *L. 37. ff. de oper. libert.*
l) *L. Juriſconſult. in princ. ff. de gradibus affin. & L. 4. ff. de teſtibus.*

quibus plenius apud Cujacium, *a*) & Briſſonium *b*) in libris ſelectarum antiquitatum.

XLVIII. DE PRÆMIIS LIBERORUM CAUSA CONSTITUTIS, ET S. C. CLAUDIANO: ET DE JURE TRIUM LIBERORUM.

Præmiis nuptiarum adjecit lex præmia liberorum, ampliſſima illa quidem, & quæ ſpe ſua nuptias mirifice propagarent. Eaque capite ſeptimo legis Juliæ locata fuiſſe, tradit Gellius, *c*) cum antea ætas potius, & ſenectus honores, ac præmia ferret: quæ deinde neceſſitas ſobolis tranſtulit ad maritos, & parentes. Datum eſt igitur numero liberorum, ut in petitione Magiſtratuum urbanorum, aut provincialium, is candidatus præferretur, qui plures liberos haberet, quamvis ætate eſſet inferior. *d*) Dictaque ſunt hæc veteribus præmia parentum: *e*) quorum præmiorum fuere & ante legem Papiam aliquot. *f*) Ex horum commodorum cupiditate fraus orta eſt eorum, qui, ſimulatis adoptionibus, ſibi quærebant liberos, ut iis ad præmia legum adipiſcenda juvarentur. Propterea S. C. conditum ſub Nerone fuit, ne ſimulata adoptio * ulla in parte muneris publici prodeſſet: *g*) eoque ſpectant Ulpiani verba *h*) hæc: *adoptivi filii in numerum non proficiunt liberorum, qui excuſare parentes ſolent.* His autem fraudibus, quibus, ut mos eſt hominum, leges publico bono conditæ ad privatam trahuntur utilitatem: obviam itum eſt profeſſionibus liberorum, apud acta publica inſtitutis; quarum aliqua mentio apud Juvenalem, *i*) & Terentium Clementem. Hoc etiam liberis lex Papia tribuit, ut ſinguli jus unius anni parenti pariant ad honores; etenim annaria lege certa ætas erat ſingulis honoribus definita; intra quam certum honorem attingere nemo poterat. Hoc autem liberi præſtabant, ut annum adderent ſinguli ad ætatem parentis: ſive pro ſingulis liberis gratia legis fiebat unius anni. *k*) Præterea eorum, qui Conſulatum inirent, is prior ſumebat faſces, qui plures, quam collega liberos haberet, etſi & ipſe eſſet in poteſtate alterius; *l*) inque liberorum numero computabantur etiam ii, qui bello occubuerunt, quoniam adhuc virtute, & gloria viverent;

a) *L. 2. ff. de accuſat. ſive ad lib. 1. Papin. de adult.*

b) *lib. 4. cap. 7.*

c) *lib. 2. cap. 15.*

d) Gell. *lib. 2. cap. 15.* Tacit. *lib. 2. annal. ubi Lipſ. n. 111.* Dion *l. 56.*

e) Sueton. *in Octav. c. 34.* Tacit. *lib. 3. ann.* Juven. *ſat. 9.*

f) Dion *lib. 43.* Gellius *apud quem P. Scipionis oratio lib. 5. cap. 19.*

* Mirum, huic fraudi ipſam legem non iviſſe obviam. Facile enim ipſis ejus latoribus apparere poterat, vim ejus ita enervatum iri, dum adoptione affectarentur præmia πολυπαίδων, orborum vitarentur pœnæ. Cœlibum autem pœnas effugiebant maritorumque præmia captabant homines fictis matrimoniis, quibus nec ipſis inhibendis ſatis provida lex fuerat, relicta divortiorum licentia. Sub Tiberio utique Quæſtor uxorem pridie ſortitionem ductam poſtridie repudiaſſe legitur apud Suetonium in *Tiber. c. 35.*

g) Tacit. *lib. 15. annal. cap. 19.*

h) *L. 2. §. 2. ff. de vacat. & excuſat. munerum.*

i) *ſat. 9. L. 16. ff. de probat.*

k) *L. 2. ff. de minor. & l. 2. ff. de munerib.*

l) *L. 2. ff. de mun. & hon.* Gell. *lib. 2. c. 15.*

ſiqui-

ſiquidem in acie cecidiſſent: cum hi pro Republica vitam profudiſſe dicantur: non autem qui in obſidione * perierunt. *a*) In pari vero numero liberorum is Conſul alteri præferebatur, ſive faſces primus ſumebat, qui eſſet maritus, vel in maritorum numero, aut qui jus impetraſſet mariti, *b*) aut ſponſus eſſet; non tamen ſimulatus. *c*) Si vero mariti eſſent ambo Conſules, cum pari liberorum numero, major natu præferebatur. In ceteris, qui aut cœlibes eſſent, aut ſine prole mariti; jus vetus permanſiſſe putaverim. Etiam in theatro major honos habebatur maritis. Etenim qui eſſent e plebe mariti, proprios habebant ordines in theatro. *d*) Atque hoc appellatur in genere jus liberorum; diſtinctum ſane a jure trium liberorum, quod & ex his profluxit legibus: cujus & a Lacedæmoniis ** repeti poſſet origo. Horum enim moribus parentes trium liberorum ab urbis cuſtodia, & excubiis erant immunes; quatuor vero ſuſceptis liberis, omni prorſus onere levabantur. *e*) Et Romæ poſt tergeminorum certamen, atque Horatiorum victoriam fuit inſtitutum, ut tergeminis natis alimenta ex publico præberentur uſque ad pubertatem. *f*) Hoc igitur legis Juliæ capite auctus eſt favor liberorum, profectus jam diu a vetuſtioribus legibus; & parentibus *g*) conceſſa fuit immunitas onerum perſonalium tantum, *h*) ſi Romæ, *i*) aut in continentibus ædificiis, quæ Romæ appellatione comprehenduntur, liberos tres ſuſceperint. *k*) Extra Romam autem in Italia quatuor, in provinciis quinque liberi, ſive incolumes, ſive in acie interemti eorundem onerum immunitatem afferebant. Proſunt etiam nepotes ex filio: ita tamen, ut in ſui patris locum ſuccedant. *l*) item & mancipati, & quaſi emancipati, *m*) ut monachi, Epiſcopi, & Patricii; *** non tamen nepotes ex filia, quia non avi, ſed alienam referunt familiam; Item ſi monſtroſum ediderit mulier partum, is mulieri ad veniam legis Papiæ proderit: quia eſt odioſa, & juris communis utilitatem extenuat: non autem ad S. C. Tertullianum, ex quo mulieri lucrum quæritur. *n*) Verum, ne legi fraus fieret, probandus erat liberorum numerus ex publicis actis, apud quæ mos erat profiteri, uti diximus, liberos, ex iisdemque non ſolum liberorum numerus, ſed ætas etiam, & quidquid ad controverſias ſtatus pertineret, petebatur. Quod profeſſionis genus

* Quod falſum videri poſſet, niſi diſerte affirmaretur ab Ulpiano in *L. 18. D. de Excuſ. Tut.* quia ſtricte acceptum eſt bellum, pro duello, ſeu duplici exercitu acie congrediente, etſi alias obſidio utique belli pars ſit, nec eos pro Republica cecidiſſe negemus, qui in obſidione ceciderunt.

a) *L. bello 18. ff. de excuſ. tut.*

b) Dion *lib. 50.*

c) *L. 30. ff. de ritu nupt.*

d) Sueton. *in Aug. c. 44.*

** Niſi res Spartanorum temporibus Auguſti eo loco minime fuiſſent, ut ab his ei leges petendæ viderentur.

e) Ariſt. *lib. 2. politic. 9.* Ælian. 6. *var. c.* Duaren. *lib. 2. cap. 40. diſputat. anniverſar.*

f) Dionyſ. Halicarnaſ. *lib. 3.*

g) *L. 2. C. qui num. liber. excuſ.*

h) *L. 2. §. 4. l. 11. ff. de vacat. & excuſat. muner.*

i) *L. 147. ff. de V. S. l. 2. ff. eod.*

k) *L. unic. C. Theod. de his, qui num. lib.*

l) *Inſtit. de excuſ. tut. in princ.*

m) *L. 2. §. 5. ff. de vacat. & excuſation. muner.*

*** Sed quid monachi, epiſcopi, patricii, (& patricii quidem tales, quorum dignitas a poteſtate patria ſolvit) ad legem Papiam, cujus tempore nondum exſiſtebant?

n) Cujac. *ad l. 4. tit. 9 ſent. Paulli.*

indicatum fuit a Servio Tullio, qui cenſum inſtituens, juſſit patres in ſingulorum liberorum capita inferre aliquid Junonis Lucinæ templo, *a*) habendoque cenſu voluit, ut & ſubſtantia, & uxorum, liberorumque nomina, ætatesque proderentur; qui mos poſt legem Papiam obtinendorum honorum, atque pœnarum vitandarum cauſa, longe majoris fuit uſus: *b*) etſi aliquanto immutatus. Nam Antonius *c*) juſſit profeſſionem hanc fieri apud Præfectum ærarii, * atque alterum exemplum tabularum in domo privata voluit aſſervari; alterum in publico ærario, *d*) ut & antea fiebat. Juvenalis *ſat. 9.*

Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas,
Jam pater es.

Qui mos Roma prodiens, poſtea Marci Imperatoris juſſu pervenit ad provincias. *e*) Ceterum quo utilitas ex liberorum numero capiatur, oportet enim numerum impleri ante ſuſceptum munus: nam ſi liberi ſuſcepto jam munere naſcantur, fruſtra beneficium legis expetitur. *f*) Gellius autem quæſitum refert apud veteres, an octavo menſe natus proſit. *g*) Ceterum non raro quibus legitimum liberorum numerum natura negaverat, præmia illorum principis beneficentia largiebatur. Siquidem qui bene de principe, aut de republica meruiſſent, quique apud eum gratia & auctoritate pollerent, ſæpe ſibi, aut aliis jus trium liberorum impetrabant, ut ex variis Plinii epiſtolis colligitur. Quo in jure plurimum luſit Martialis. *h*) Idem jus virginibus Veſtalibus tributum honoris cauſa memini legiſſe. Alciatus *i*) autem putat, præmia omnia ex lege Papia liberos habentibus conſtituta, Theodoſii conſtitutione ſublata fuiſſe, *k*) quod maxime pugnat cum pluribus juris locis, & cum titulo C. *de his, qui num. lib. excuſat. mer.* Diſtinguere oportebat hæc hominem doctiſſimum: jus ſcilicet liberorum, quo præmia præſtabantur ex lege Papia conſtituta; & jus liberorum, quo mutua inter conjuges teſtamenti factio, & ſucceſſionis utilitas lege Papia liberos non habentibus imminuta reſtituebatur. Hujus juris a principe impetrandi neceſſitate conjuges ſolvit Theodoſius, nec quidquam attigit de eo jure liberorum, quo nova legis præmia continentur. *l*) Igitur priſtinam inter conjuges teſtamentorum libertatem omnibus reddidit Theodoſius, tam habentibus, quam non habentibus liberos: ut ſine ulla impetratione, & ſine venia

a) Dionyſ. *lib. 4.* Briſſ. *antiq. lib. 1. cap. 1.*

b) Juvenal. *ſat. 9.*

c) Capitolin. *in Antonin. & Gordian.*

* Ut enim liberalium cauſſarum gratia tabulariorum publicorum uſum inſtituerat Antoninus, ut ex tabulis teſtationes fieri poſſent, ſi quis in provincia natus cauſam liberalem diceret, ita cives Romæ apud Præfectos ærarii natos liberos profiteri juſſit, intra trigeſimum diem nomine impoſito. Capitolinus in *Marco c. 9.*

d) *L. 6. C. de fid. inſtrum.* Apul. *apol. 2.* Tertull. *lib. 5. adverſ. Marcian.*

e) Capitolin. *ibidem.* Jac. Gothofred. *ad hoc caput in notis.*

f) *L. 2. §. qui ad munera, ff. de vacat. & excuſ.*

g) *lib. 3. c. 16. in fine.*

h) *lib. 2. ad Cæſarem. item lib. 3. lib. 9. & lib. 10.* Duaren. *diſp anniverſ. lib. 1. cap. 40.*

i) *L. ter enixa ff. de V. S.*

k) *L. 1. C. de jur. liber.*

l) Cujac. *ad Ulpian. tit. 16.* Duaren. *diſp. ann. l. 1. cap. 40. in fine: quem tamen notat* Jac. Gothofr. *C. Theodoſ. de jure liber. l. 3.*

legis

legis Papiæ, juris antiqui beneficio perfruantur. Nec modo cives Romani, ſed & latini, quorum conditionem ſupra explicavimus, præmia ex liberorum numero tulerunt: nempe jus Quiritium, cujus potiebatur latinus, qui filium, filiamve, natum, natamve, anniculum, anniculamve ſervaſſet; ita ut filius, filiave non deceſſiſſet ante extremum anni diem; quod ſpatium requirebatur, ut infans anniculus reputaretur. *a*) Latina vero eodem jure fruebatur, ſi ter fuiſſet enixa, * ſive ordine naturæ conſueto, ſive eodem die, ſive intra biduum per intervalla: nam ſi uno impetu tres effudiſſet, magis cenſetur tres habuiſſe liberos, quam ter peperiſſe; quod ad impetranda legis præmia requiritur. *b*) Neque, ſi quis ex tribus liberis execto ventre ſit exceptus, parenti prodeſt. *c*)

XLIX. DE PRÆMIIS LIBERTORUM EX SUSCEPTIS LIBERIS.

Atque hæc ingenuis præmia legis liberorum cauſa quærebantur; addita ſunt etiam & præmia libertis: quibus ſæpe manumiſſores, aut in continenti, aut ex intervallo indicebant, vel officiales operas, quæ in officii præſtatione conſiſtebant, vel fabriles, quæ quaſi in pecunia poſitæ erant, *d*) tanquam fructus ejus artificii, cujus utilitas omnis ante manumiſſionem cedebat domino; data autem libertate retinebatur a domino pars aliqua jurejurando adacto. *e*) ** Etenim ut Cujacius *f*) putat, non debebantur operæ, niſi juratæ vel promiſſæ: juratæ autem erant officiales; *** & quidem poſt datam libertatem. Nam ſi quid in ſervitute libertus promiſerat, liber factus præſtare non tenebatur: eo enim in ſtatu promiſerat, quo particeps juris civilis non erat. *g*) Nec debebantur operæ niſi præteritæ: **** quæ ſi non ederentur, æſtimabantur in judicio, & ad precium earum libertus patrono damnabatur, eæque ſi fabriles eſſent, non modo in hæredes extraneos *h*) tranſibant, ſed in ipſos patroni creditores, bona debitoris diſtrahentes, *i*) futurarum autem petitionem habebat filius: qui eas etſi non indictas indicere ac petere poterat, ſi non fuiſſet exhæredatus; quamvis beneficio Prætoris uſus hæreditate abſtinuiſſet. *k*) Ceterum operæ non exhibebantur ei, qui coactus manumiſerat, ſed qui ſponte. Nam qui ex cauſa fideicommiſſi manumittit, nullum beneficium præſtat, quia non

a) *L. 132. & 134. ff. de V. S. Paull. & ibi* Cujac. *4. ſent. tit. 9.*

* Quod non ex lege Papia eſt, ſed ex SCto quodam legem Papiam inſecuto. Ulpian. *Fragm. tit. III. §. 1. & 3.*

b) *L. 137. ubi* Cujac. *ff. de V. S.*

c) *L. 132. §. 1. de V. S.*

d) *L. 0. ff. de oper. libert.*

e) *L. 7. ff. de oper. libert.*

** Excidiſſe credo vocem, liberto.

f) *tit. C. eodem.*

*** Imo eas natura debet libertus, ſive promiſerit, ſive non promiſerit, ſive juraverit, ſive non juraverit, *L. 26. §. 12. D. de condict indeb.*

g) Cujac. *ibid.*

**** Quod ad ſolas fabriles pertinere videtur, *L. 13. §. 12. L. 24. D. de operis lib.* rectiusque diceretur, eas ante peti non poſſe, utique enim dies earum cedit poſt indictionem, etſi nondum venerit.

h) *L. 4. in fin. ff. de oper. libert. L. 6. ff. eodem.*

i) *L. 4. ff. de oper libert.*

k) *L. cum patron. ff. de oper. libert. L. pro herede §. ſi quid ff. de adquiren. hered.*

libera-

liberalitate impellitur, ſed neceſſitate. * Hæc autem operarum obligatio pluribus quidem ſolvebatur modis, veluti ſi patronus in concubinatu libertam habuerit, *a*) vel ſi eadem alteri conſentiente patrono nupſiſſet, ut ſupra indicavimus: *b*) nam hæc in officiu mariti eſſe debet. Lex vero Papia libertam 50. annis majorem ab ea præſtatione liberabat, quod indicat inſcriptio Paulli in *L. liberta ff. de oper. libert.* Et tandem, ne ſingula exempla obeamus, liberabatur ex hoc capite, quo capite operarum obligatio extinguebatur, ſi libertus, qui tamen nec artem ludicram feciſſet, neque, ut cum beſtiis depugnaret, operas locaſſet, duos, pluresve, quamvis non eodem tempore, liberos, vel unum quinquennem in poteſtate haberet: etiam ſi quod donum, munus, aliudve quid libertatis cauſa juraſſet dare, aut promiſiſſet. *c*) ** Præmium autem filii quinquennis ex antiquo jure ductum arbitratur Cujacius: etenim majos honor tribuebatur libertis filium quinquennio majorem habentibus. *d*)

L. DE MULIEBRI TUTELA LIBERORUM GRATIA SOLUTA.

Alio capite mulieres legitima tutela, ſub qua eſſe perpetuo diximus, trium liberorum gratia ſolvebantur: libertam vero quatuor liberi patroni tutela liberabant, ut ejus juris potitæ mulieres ſine tutorum auctoritate teſtari, ac res poſſent adminiſtrare ſuas; & tuto capere, quidquid eis eſſet aliorum teſtamento legatum. *e*)

LI. DE POENIS COELIBATUS, ET PROHIBITIONE CAPIENDI EX TESTAMENTO.

Atque his ſane præmiis cives alliciebantur, atque impellebantur ad nuptias: ſi cujus vero animus præmiis non flecteretur, pœnis adigebatur, quæ in publici ærarii commodum cedebant; ut qui urbem civibus exhauſtam augere negligeret, is opibus publicam rem locupletaret. Quapropter per legem Juliam, & Papiam ab utilitate teſtamentaria cœlibes exciderunt: iis enim ex teſtamentis extraneorum nihil accipere licebat; ſed tantum ex teſtamentis cognatorum ad ſextum usque gradum, ut Cujacius *f*) tradit. Nos vero hinc longius ratiocinando progredimur, putamusque, agnatos ſine fraude legis Papiæ ad decimum usque gradum capere potuiſſe. Nam ſi beneficium cognatorum ad ſextum gradum, qui eſt terminus cognationis, extenditur, decet & agnationis beneficium ad gradum produci decimum, qui eſt agnationis extremus. *g*) *** Porro cœlibes quia non fato, ſed ſponte

* Quæ maximam jam partem dicta fuerant ſupra *cap. 47.*

a) *L. 46. ff. de oper. libert.*

b) *L. 13. §. penult. l. ſicut ff. de oper. liber. L. 2. ff. de obſeq. patron. præſtan.*

c) *L. 37. ff. de oper. libert.*

** Obſcurum eſt hoc caput, etiamſi vocula ſi, quæ perperam ante libertus ponitur, ponatur poſt locaſſet. Liberi duo pluresve prosunt, quamvis non eodem tempore in poteſtate ſint, quia etſi uno amiſſo alter naſcatur, amiſſus tamen pro ſuperſtite habetur.

d) Livius *lib. 45. cap. 15.*

e) Ulp. *Inſtit. 29. §. 3.*

f) *Parat. C. de infirm. pœnis cœlib.* Ulp. *Inſtit. tit. 16. 17. 22.*

g) *vide Inſtit. de ſucceſſ. cogn. §. ult.*

*** Quod genus interpretandi extenſivum hoc loco non admittit Schultingius ad *Ulpian. tit. XVI. n. 10.*

Digitized by Google

ſua prole carebant, omni prorſus teſtamenti utilitate privabantur, niſi intra C. dies a morte teſtatoris matrimonium contraxiſſent. *a*) Nec quidquam immutatum eſt de jure antiquo, ſi agitur inter cœlibes, orbosque conjunctos * usque ad ſextum gradum. At orbi, quibus natura denegavit prolem, non odium conjugii, mitius a lege tractabantur, nec toto eo, quod fuerat relictum, ſed ſemiſſe privabantur ob leviorem culpam, quod ſcilicet agnita ſterilitate uxoris ad feliciores nuptias miſſo repudio non migraverit. *b*) Huc pertinet illud Juvenalis:

Jam pater es, dedimus quod famæ opponere poſſis,
Jura parentis habes, propter me ſcriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum:
Commoda præterea junguntur multa caducis:
Si numerum, ſi tres implevero.

Nec tamen omnis ætas pœnis premebatur, ſed eas tum quis incurrebat, cum nuptias ultra tempus a lege conſtitutum protraxiſſet. Moram autem nuptiis fieri leges definierunt in viris quidem ab anno viceſimoquinto, in fœminis a viceſimo. *c*) Sed quoniam lex Julia eodem tempore ** conjugium exigebat, *d*) quo Papia liberos; liberi vero nonniſi poſt decimum a conjugio menſem ſuſcipi poſſunt; verbis quidem præfinita videbatur viris conjugii ætas anno XXV., & fœminis XX.; re vero in utrisque anno minus: quamobrem ne quod verbis legis concedebatur, civibus re adimeretur; & quia ſatis videbatur abſurdum eodem tempore conjugium, & liberos requirere; crediderim ex Tertulliano, *e*) in hunc ſenſum a Cujacio *f*) explicato, Severum protraxiſſe ſpatium ad ſuſcipiendos liberos conſtitutum, & pœ-

a) Sozomen. *lib. 1. cap. 9.* Cujac. *in parat. C. de infirm. pœn. cœlib. & apud* Jacob. Gothofr. *hoc cap. 23. quod huc congeſſimus.*

* Seu, qui genere proximi erant usque ad ſextum gradum. Hi ſolidum capiebant in teſtamento relictum, quod non conjuncto cœlibi totum, orbo pro parte dimidia auferebatur. Ratio, qua orbis Noſter ſemiſſem auferri, ait, elegans & notabilis eſt. Apud Juvenalem autem, loco adducto, mœchus maritum ſolatur, quod propter ſe legis Papiæ pœnam effugiat:

Nullum ergo meritum eſt, ingrate & perfide, nullum?
Quod tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri.

b) *ſat. 9. verſ. 88.*

c) Cujac. *parat. C. de infirm. pœn. cœlib.*

** Imo ante, ut apparet ex Tertulliani *Apolog. cap. 4. Nonne vaniſſimas Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem heri Severus conſtantiſſimus principum, excluſit?* Qua autem ætate lex Julia matrimonium contrahi, Papia liberos ſuſcipi juſſerint, non conſtat, etſi Ulpiani *Fragm. Tit. XVI. §. 1.* ſua ætate liberos exigi innuat a viro, ſi annorum viginti quinque ſit, ab uxore, ſi annorum viginti. Poteſt enim id jam a Severo, cum hæc ſcriberet Ulpianus, ſancitum fuiſſe. Verborum Tertulliani hanc finge ſpeciem: Lex Julia a mare anno ætatis viceſimo quinto nuptias exigebat, leges contra Papia Poppæa jam liberos deſiderabant ab octodecenni; qua ætate adoptans adoptando major eſſe debet *L. 40. §. 1. D. de adopt.* Ætati tamen octodenariæ ſubſtitui poteſt alia quævis minor xxv. annis, modo hanc ætatem quinamvicenariam lege Julia nuptiis præfinitam fingamus.

d) Ulp. *tit. 16.*

e) *in Apologet.*

f) *ad tit. C. de infirm. pœn. cœlib.*

Digitized by Google

nam orbitatis ultra præfinitum a legibus tempus diſtuliſſe. Ea vero pœna ſequebatur homines usque ad ſenectam, qua in ætate pœna ſolvebantur conjuges, ut deinceps non tenerentur, ſi lege præſcriptos annos in matrimonio exceſſiſſent, ac vir ſexagenarius eſſet, mulier vero quinquagenaria. *a*) Porro ſuſpicor, ſolitario patri, ſive cui filius eſſet unicus provecta ætate genitus, dictus Homero τηλύγετος, aliquid etiam pœnæ, ſed tamen levioris fuiſſe irrogatum: Nam Ulpianus in inſcriptione cum cœlibe hunc & orbo conjunxit, *b*) * cujus verba, quæ ut ordo indicat ad ſolitarium patrem pertinebant, interciderunt. Sed Conſtantinus debitum honorem cœlibatui ex vera religione ſanaque pietate ** reſtituens; pœnas omnes orbitatis, & cœlibatus funditus ſuſtulit, relictis legibus decimariis, mox a nobis percurrendis. *c*) Ceterum eædem leges, quæ aut intercidebant, aut modum ponebant teſtamentariis lucris, complectebantur etiam donationes cauſa mortis, ac donationes inter vivos, quæ morte confirmabantur; nedum hæreditates, & legata, quod S. C. ad hanc legem prodito definitum fuit. *d*)

LII. DE TESTAMENTIS CONJUGUM, ET DECIMIS EORUM.

Eadem lege repreſſa eſt opum profuſio a mutuo amore inter conjuges. Ideo ne liberalius hæc abſumat quidquid ex caritate liberis, & agnatis, atque bene merentibus ex honeſtate naturæ debetur, vetuit lex Papia, *e*) conjuges ex mutuis teſtamentis capere ſolidum: ſed tantum conceſſit ob honorem matrimonii partem decimam, aut aliam, ſi liberos haberent pro numero eorum in ſingulos præmio fœcunditatis. Et quoniam lex erat invidioſa, quippe quæ libertatem teſtamentorum coërceret; levandæ invidiæ, ac remittendæ ſeveritati legis, in liberorum numerum admiſſi ſunt etiam portentoſi, *f*) & monſtroſi, ut & ii decimæ capiendæ facultatem afferrent: cum id minime receptum ſit in omnibus juris articulis, præſertim ubi non damnum avertitur; ſed lucrum captatur. *g*) Filius præterea ſuſceptus apud hoſtes, & poſtliminio reverſus, *h*) legem Papiam laxabat, & decimæ capiendæ facultatem ex mutuis teſtamentis parentibus pariebat: idemque benefi-

a) Ulp. *tit. 16.*

b) Ulp. *tit. de cœlib. & orbo & ſolit. patre.* Vide Goth. *in not. ad l. Pap. c. 23.*

* Quæ conjunctio & a ratione contrariorum manaſſe poteſt, quæ nimirum juxta ſe poſita melius inclareſcunt. Neutiquam enim orbus eſt, cui filius eſt vel filia. Et patrem ſolitarium ex aliorum teſtamentis capere ſolitum fuiſſe, ex Juvenalis verbis patet: *Jam pater es, & propter me, legatum omne capis nec non & dulce caducum.* Sigla P. S. in veteri inſcriptione, aliter ac Scaligero viſum, de patre ſolitario interpretatur Celeb. Heineccius ad *L. Pap pag. 392.* Quæ conjectura elegans & ingenioſa eſt.

** Cui nec nuptiæ repugnant, nec pœnæ cœlibatus, inprimis ſi id ſuadeant rationes Reipublicæ viris exhauſtæ. Sacerdotibus autem utrum recte matrimonio interdictum, alii diſquirant.

c) *L. 1. C. de inf. pœn. cœlib.*

d) *L. Senatus ff. de mort. cauſ. donat. L. 1. C. Theodoſ. de bon. proſcript.*

e) Ulp. *in fragm. tit. 15. l. 2. C. Theodoſ. de jure liber.* Baſil. *tit. 5. ad l. 1. unde vir. & uxor. pag. 47.*

f) *L. 135. ff. de V. S.*

g) *L. ult. §. ſi vero creditores C. de jure delib.* Cujac. *ad l. 135. ff. de V. S.* Paull. *lib. 4. ſent. tit. 9.*

h) *L. 9. ff. de cap. min. & poſtliminio reverſ.*

cium

Digitized by Google

culum præſtabant liberi poſt nonum * natalis diem amiſſi: *a*) quo die nomen infantibus imponebatur, nam nomine nondum indito perinde habebantur, ac ſi ſuſcepti minime fuiſſent, ut obſervat Cujacius. Græcis vero nominalis dies erat ſeptimus, & octavus, quod Caſaubonus, *b*) & Scaliger, a Cujacio diſſentientes, tradiderunt. Duo autem liberi amiſſi duas decimas adjiciebant. Præter decimam jus erat conjugibus uti frui tertia parte bonorum, & quotcunque liberos haberent, ejusdem partis proprietatem capere. *c*) Decima vero hæc erat extra cauſam dotis legatæ: ita ut præter legatum dotis, uxor honore matrimonii etiam decimæ capiendæ jus haberet. *d*) Eadem decima bonorum erat non hæreditatis portio; ad hæreditatem enim, quæ ſolvendo non eſt, lex Papia non porrigitur: *e*) & decimæ quantitas præſtanda eſt, detracta prius Falcidia, *f*) detractisque rebus per fideicommiſſum relictis. *g*) Et quod legitimum modum ** excesſerit, præſtandum eſt, ſi ex alia cauſa, veluti crediti, aut mercedis debetur, dum a legatario doceatur, omnem legis fraudem abeſſe. *h*) Ob eandem rationem quidquid a legatario ad conditionem implendam confertur, peti præter decimam poteſt: cogiturque hæres adjicere decimæ, quidquid ex ea conditionis implendæ cauſa detractum *** a legatario fuit. *i*) Verum prohibitio ſolidi capiendi ex mutuis teſtamentis facta conjugibus ad aliorum teſtamenta non extenditur, in quibus utuntur jure communi: propterea uxor, quæ a marito ſubſtituta pupillo fuerat, quamvis ex teſtamento mariti, nihil ultra legitimum modum capere poſſit, & pupillaris ſubſtitutio ſit pars teſtamenti paterni; tamen ſi præter bona patris bona propria pupilli reperientur in hæreditate, minime ab iis mater arcebatur, quia etſi viri teſtamento ſubſtituta, bona tamen pupilli non ab eadem perſona, nempe a marito, ſed a pupillo capere videbatur. *k*) Quod etiam benigna interpretatione minuendarum pœnarum cauſa receptum fuit. Unde ſi is, qui ſubſtitutus pupillo fuit, uxorem habuerit moriente pupillo; ſed moriente patre teſtatore fuiſſet cœlebs: quamvis ob cœlibatus pœnam teſtatoris hæreditate privetur, minime tamen capere prohibetur ex ſubſtitutione

* Poſt nominum, malebat Merillius *Obſ. II. 33.* quia ſic in MSto legebatur Tiliano, & interpretabatur de nominalibus, ſeu die luſtrico, & nativitate octavo in feminis, in maribus nono. Quicquid ſit, poſt diem ſeptimum nomina liberis indita, Plutarchus auctor eſt *Quæſt. Rom. p. 288.* qui id ideo fieri ſolitum refert, quod plerisque infantibus ſeptimo die umbilicus decidat, qui donec deciderit, plantæ magis quam animali ſimilior ſit infans. Chriſtiani quoque octavo die baptizabant, quem morem damnant Cyprianus *epiſt. 59.* Auguſtinus *ep. 38.*

a) Ulp. *tit. 15.*

b) *Ad Capitolin. in Marc. Anton.* Joſeph. Scaliger. Auſon. *lect. lib. 1. cap. 22.* Salmaſ. *ad Capit.* Feſtus *in verbo Luſtrici*, *ubi Scal.* Cujac. *Enarr. ad parat. C. de infirm. pœnis cœlib.* Merillius 2. *obſ. 33.*

c) Ulpian. *tit. 15.*

d) *L. 53. ff. de legat. 2.*

e) *L. 72. ff. de hered. inſtituend.*

f) *L. 67. ff. ad l. Falcid.*

g) *L. 42. de legat. 2.*

** Puta decimam bonorum.

h) *L. 27. ff. de probat. l. cum quis 37. ff. de leg. 3.*

*** Veluti quinquaginta, ſi marito C. legata ſint, ſi Titio L. præſtiterit.

i) *L. ſed ſi hoc 62. ff. de condit. & demonſtrat.*

k) *L. 6. ff. de vulg. & pupil. ubi* Cujac. & Govean.

pupillari, quia moriente pupillo, pœnæ legis non erat obnoxius. *a*) At ſi uxori decima legata ſit, & fundus Titio, adjecta conditione, ſi uxori teſtatoris centum dederit, ea centum ponenda ſunt in ratione decimæ; quia quamvis a Titio data fuerint, ex legato tamen teſtatoris pervenerunt, cujus conditionis implendæ cauſa Titius centum erogavit. *b*) Prohibitio vero hæc ſolidi capiendi inter conjuges perpetua non erat, nam non complectebatur eos, *c*) quorum ætas legi Papiæ non obſtringebatur, veluti ſi conjuges, aut alter eorum ejus ætatis nondum eſſent, quæ liberos exigebat, nempe vir annorum XXV. uxor XX; vel annos lege præfinitos in matrimonio exceſſiſſent, nempe mulier egreſſa eſſet anno L. vir LX. Cognati præterea, ut diximus, qui in matrimonium coiſſent, usque ad ſextum gradum; quoniam inter eos eſſet ſucceſſio ex jure communi ab inteſtato, prohibitione legis Papiæ minime tenebantur: adimit enim ea lex beneficia voluntatis alienæ, non commoda cognationis; & legitimas ſucceſſiones minime aufert. Libera erat etiam inter conjuges teſtamenti factio, ſi reipubl. cauſa vir abfuiſſet; *d*) aut ſi conjuges a populo, * vel a principe jus liberorum impetraſſent: ut intelligamus, magis longe aliud ** eſſe hoc jus liberorum, quo impedimenta legis Papiæ ſolvuntur, ab illo, quo munerum præſtatur immunitas; ad præſens autem liberorum jus pertinet illa Iſidori definitio *e*) libro V. *Conjugum ſine liberis invicem pro loco pignorum hereditatis alterna conſcriptio.* Quale jus, nempe veniam legis Papiæ, liberamque inter conjuges teſtamenti factionem, Conſtantinus Imperator conceſſerat Naviculariis Orientis. *f*) Honorius autem, & Theodoſius generaliter omnibus, ſublato diſcrimine inter conjuges, quibus ſolidi capiendi jus jampridem amiſſum reddiderunt, quod jus liberorum eſt appellatum in pluribus juris locis; *g*) non quia jus trium liberorum eo contineatur, ſed quia tanquam præmio liberorum ex indulgentia principis ſolidi capiendi facultas conjugibus præbeatur. Idem ſolidi capiendi jus conſequebantur *h*) conjuges, qui filium, filiamve communem haberent, aut XIV. annorum filium, vel filiam XII. amiſiſſent, aut duos trimos; fortaſſe propter lactationis incommodum *** triennium a matre toleratum. Moribus enim vete-rum infantes non ante triennium mamma depellebantur. *i*) Hoc etiam jus [illegible]

a) *L. 11. ff. de vulgar. & pupil ubi* Govean.

b) *L. quod condit. ff. de mort. cauſa donat.*

c) Ulp. *tit. 16.*

d) Cujac. *ad* Ulp. *tit. 16. & l. 36. & 39. ff. ex quibus cauſ. major. & l. 35. & 37. eodem* Jacob. Gothofr. *cap. 18. ad hanc legem, &* Martialis *lib. 8. epigram 30.*

* Imo jus liberorum tempore latæ legis Papiæ non a populo ſed a Senatu præſtari ſolitum fuiſſe, oſtendit Heineccius *p. 280.*

** In hoc enim jus liberorum in genere datum prodeſt ad fidicommiſſionem, illic trium vel quatuor liberorum jus dabatur.

e) Cujac. *in notis ad Ulp. tit. 16.*

f) *L. 7. C. Theodoſ. de navicul.*

g) *L. 2. C. de infirm. pœn. cœlib.*

h) Goth. *ad l. 1. C. Theodoſ. de jure liber.*

*** Auguſti tamen ævo nutricibus jam alendi infantes tradebantur; certe Tiberius Suetonio a nutricis ubere abreptus in[illegible]citur. Moribus Romanorum infantes non ante triennium a mamma depulſos, minus bene probatur verbis matris filium ad mortem conſtanter obeundam exhortantis Maccab. *II. 7. 28.* Et forſitan id natura pleriſque mulieribus neget. Citius certe mulieribus uterum creſcere ajunt, quæ non lactant, quam quæ lactant, unde is mos lactandi per triennium [illegible] inimicus fuiſſet rationibus legis Papiæ.

i) Cujac. *obſ. 19. c. ult.*

queban-

quebantur conjuges, qui tres poſt nonum diem liberos intra annum, & tres menſes amiſiſſent. Impubes etiam * cujuſcunque ætatis amiſſus, ſolidi capiendi jus præſtabat, item & proles intra X. menſes a viri morte ſuſcepta. *a*) Præterea pater ſolitarius, & fœmina, ingenua quidem trium; liberta vero quatuor liberorum mater ex teſtamento ſolidum capit. *b*) Porro Conſtantinus, qui ne homines abducerentur a ſancta profeſſione cœlibatus, pœnas illius ſuſtulit, *c*) integram tamen reliquit inter conjuges ſolidi capiendi prohibitionem, quam, ut diximus, penitus aboleverunt Honorius, & Theodoſius. *d*) Jacobus tamen Gothofredus putat, tantum per orientem hoc a Theodoſio beneficium fuiſſe diffuſum: *e*) minime tamen per occidentem ab Honorio, cum ſemper a Principe fuerit impetrandum. *f*)

LIII. DE DOTE CONSTITUENDA.

Alio legis Papiæ capite, quod integro legis ordine caput erat XXXV. ut ex Marcello colligitur, *g*) tolluntur impedimenta, moræque injuſtæ nuptiis objectæ ab iis, qui dotare tenentur, vel jure patrio, vel officio pietatis. Quamobrem per Prætorem urbanum coërcendos ſtatuit lex parentes, alioſve, qui eas, quas habent in poteſtate, in matrimonium collocare neglexerint, aut nuptias contrahere prohibuerint, aut dotem negaverint, aut conditionem quærere omiſerint; ut his artificiis nuptiarum dies protraheretur. Dotare autem debet pater filiam naturalem, & legitimam aut adoptivam, non vero naturalem tantum; *h*) pro modo facultatum, *i*) cui oneri minime ſubeſt mater. *k*) Porro Cujacius docet, eadem lege Papia inductum fuiſſe, ne plusquam decem millia nummorum dotis nomine darentur. *l*) Fertur etiam hoc onus a fratribus germanis, & conſanguineis, ** non ab uterinis,

* Sed ſi unus impubes cujuſcunque ætatis ſolidum tribuit, cur tres non aliter proſunt, quam ſi intra annum amiſſi ſint. Accedimus Antonio Schultingio Ulpianum *Fragm. XVI. §. 1.* ſic interpungenti: *Vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, ut intra annum tamen & ſex menſes etiam unus cujuſcunque ætatis impubes amiſſus, ſolidi capiendi jus præſtet.* Sic tres ad ſolidi capionem proſunt quandocunque amiſſi poſt nonum diem; unus amiſſus intra annum & ſex menſes, ſcilicet ut impubes per eadem matri tempora prodeſſet, quæ poſt divortium novis nuptiis lex præſtituerat.

a) Ulp. *Inſtit. tit. 16.* Cujac. *legit hic:* ut intra annum, & ſex menſes etiam unus cujuſcunque ætatis, &c.

b) Dion *lib. 55. p. 229. & 662. & 667. & leg. 8. & 9. C. Theodoſ. de bonis proſcript.* Goth. *in notis ad hoc caput.*

c) *tit. C. de infirm. pœn. cœlib.*

d) *tit. C. de infirm. pœnis cœlib. & C. de jure liber.*

e) *L. 2. & 3. C. Theodoſ. de jure liberor.*

f) *L. ult. C. Theodoſ. de jur. liber. l. ult. C. Theod. de diverſ. reſcr. & l. 6. C. de infirm. his, qui ſub tyrann. l. 6. C. Theodoſ. de inoff. teſt. ubi* Gothofr.

g) *L. 19. ff. de ritu nupt.*

h) *L. uxorem 41. §. 11. ff. de leg. 3.*

i) *L. ult. ff. de ritu nupt. l. 60. ff. de jure dotium.*

k) *L. 14. C. de jur. dot.*

l) *lib. 29. quæſt. Papin. ad l. 6. ff. de uſur. & parat. ad leg. Falcid.*

** Imo & hos perinde ac uterinos, neceſſitati præſtandæ dotis eximi, veriſimilius eſt. Solus enim parens, qui filiam in poteſtate habet, dotare eam cogitur, ideoque a dotandi neceſſitate ſoluta eſt mater, & ſi mater, multo magis frater, etiam germanus & conſanguineus. Auctoris tamen ſenten-

quia non ſunt ex agnatione. *a*) Sicut autem in urbe Prætor urbanus, ita in pro-
vinciis cogere parentes ad dotandum jubebantur proconſules, & præſides: *b*) quo-
rum munus erat compellere parentes non modo, ut filiam in matrimonium darent,
ſed etiam ut filio uxorem quærerent: nam filiusfamil. quamvis ad ætatem perve-
niſſet nuptiis a legibus deſtinatam; non tamen cogebatur uxorem ducere; quia
patriæ poteſtati ſubeſſet; propterea lex non filium coërcet, ſed parentem, cujus
voluntati filius obſtringebatur. *c*)

LIV. DE REMISSIONE JURISJURANDI.

Præter impedimenta parentum, amovit etiam lex impedimenta patronorum,
qui jurejurando impoſito, libertis, aut libertabus nuptias interdicebant. Quan-
quam enim, ut diximus, per legem Æliam Sentiam, qui hanc nuptiis injuriam fe-
cerat, excidebat jure patronatus; tamen libertus, aut liberta jurisjurandi religione
minime ſolvebatur, unde & patronus jure patronatus, & hi conjugio tota vita ca-
rere cogebantur. Lex igitur Papia *d*) jurandi vinculum abrupit, eosque in natu-
ralem nuptiarum libertatem reſtituit, ſive, ut jurisconſulti verbis utar, jusjurandum
eis permiſit, *e*) * hoc eſt gratiam jurisjurandi lex ipſa fecit; cum alias ſoleret prin-
ceps, & apud nos rectius Summi Pontifices, apud quos ex divino inſtituto ſunt ju-
ra ſacrorum: quæ cum eſſent in veteri ſuperſtitione apud Imperatorem, qui Pon-
tificatum maximum aſſumſerat, propterea hæc remiſſio a principe concedebatur.

LV. DE CONDITIONE PROHIBENTE NUPTIAS.

Verum ſic nec pater prohibendo, nec patronus jusjurandum adigendo, nec
uterque pro poteſtate ſua jubendo; ſed vel iidem, vel extranei præmium promit-
tendo a nuptiis homines abduxerint; veluti ſi quis ſive pater, ſive patronus, ſive
extraneus hæreditatem reliquerit, aut legatum viro, fœminæve ſub ea conditione,
ſi cælebs, viduave permanſerit, aut per negationem *ſi nuptias non contraxerint*;
lex Papia, rejecta conditione, tanquam bonis moribus, & propagationi ſobolis ad-
verſa, legatum, atque hæreditatem contulit in eum, cui relicta fuerunt. *f*) Unde
non aliud erat expectandum, niſi ut hæreditas deferretur: ſiquidem conditio nul-
lam moram interjiciebat. Delatam autem hæreditatem accipimus, cum nihil ob-

tiam argumento a contrario elicit Cujacius ex *L. 12. §. 3. D. de admin. & peric. tut.* verbis, *Non debet dotem ſorori alio patre natæ*, cui argumento occurrit Gerardus Noodt ad *Pandectas p. 500. 501.*

a) *L. cum plures ubi gloſſ. ff. de admin. tut.* Cujac. *ibi ſive ad librum 38. Paulli ad edict.*

b) *L. 19. ff. de ritu nupt.*

c) *L. non cogitur ff. de ritu nupt.* Cujac. *ad tit. C. de caduc. toll.*

d) *L. 6. ff. de jure patron. §. ult. ubi* Cujac. *& ad L. 1. eadem.*

e) *L. 37. ff. de pact. l. 3. ff. de pub. judic. & l. 6. ff. de jure patron.*

* Pro Remiſit, exemplo veterum, quorum loca complura exhibent Cujac. *Obſ. lib. XXI. c. 29.* & Lipſius ad *Taciti Ann. l. I. c. 8.* Jurisjurandi autem religione cives princeps ſæpe ſolvebat, tanquam arbiter etiam verborum civis & contentionem ejusdem, de quo more in diſſertatione ſingulari erudite diſſerit Zacharias Huberus.

f) *L. 64. ff. de condit. & demon. l. 63. & 62. §. ult. & l. 92. §. 2. l. 74. ff. eod. Paulli 3. ſent. 4. §. conditiones.*

ſtat,

flat, quin a nobis aut adeatur, aut repudietur. *a*) Deferebatur hæreditas antea ex morte teſtatoris; ſed poſt legem Papiam ex apertis tabulis: * qu[illegible] lege per Juſtinianum ſublata, jus revixit antiquum. *b*)

LVI. DE LEGE JULIA M[illegible]A.

Atque hæc fuit prima legis Papiæ ſententia d[illegible] cælibatus, ſimplex illa quidem, & recta, nulliſque excepti[illegible], [illegible] ex pluribus juris locis, *c*) ubi diſtincte proponitur: ſed poſtea [illegible] huic [illegible]tioni fuit adhibitus per legem Juliam Miſcellam, *d*) de qua fuſe diſputatu[illegible], a[illegible] varie judicatur ab eruditis: ut omnes omnium ſententias, & conjecturas [illegible]e, aut expendere non tam ſit utile, quam legentibus, atque ſcribentibus operoſum. Cujacius putat, caput fuiſſe aliquod ipſius legis Papiæ ſic appellatum, quod miſſum ſexum complecteretur; nempe quod injungendo maſculis cœlibatu, & imperanda fœminis viduitate ſexum contineret utrumque. Verum cum innumeræ ſint leges ejusdem naturæ ad utrumque ſexum ſpectantes, ignoratur, lex ne potiſſimum hæc fuerit, an legis alterius caput. Alii dictam ita cenſent, quia miſtam continet materiem; Jacobus vero Gothofredus ſic dictam arbitratur, quia compoſita eſt ex variis juribus, ſcilicet ex veteri lege Papia, & cautione Mutiana ſimul contextis; eodem modo, quo apud Siculum Flaccum dicitur *æs Miſcellum*, & *Miſcelliones* apud Feſtum dicuntur, qui non ſunt unius certæ, ſed variarum ſententiarum; itemque apud Gellium appellantur *miſcella*, quæ multiplici ſunt, variaque doctrina: unde frequens apud Criticos *miſcellaneorum* titulus. Ego vero vel ita dictam arbitror, quod veteri juri legis Papiæ, quo ſimpliciter cœlibatus conditio, & viduitatis rejiciebatur, inſita fuerit ex aliquo S.C. moderatio illa, quam ſubjiciemus, quæque non patitur, eam rejectionem eſſe perpetuam; vel de more appellatam ſic arbitror a Julio Miſcello, cujus nomen relatum eſt a Juſtiniano inter Novellas, quo tempore cum vetuſtarum rerum fuerit memoria recentior, neceſſe non eſt, ut nos ab ea ætate remoti fruſtra vaticinemur. Atqui nuſquam alibi hujus familiæ veſtigia invenire licuerit. Quaſi non major pars adhuc veterum familiarum lateat: ** niſi velimus in anguſtos admodum fines conjicere veterem eruditionem. Verum ducant hoc nomen unde libet; certe totum iſtud legis Juliæ caput, quod per legem Juliam Miſcellam exprimitur, conflatum eſt ex veteri, & novo jure, quod Senatusconſul-

a) *l. 151. ubi* Cujac. *ff. de V. S.*

* Quod in emolumentum ærarii, vel fiſci introductum. Huic enim inferebantur portiones coheredum, quæ, ſi plures inſtituti fuiſſent, ante apertas tabulas defeciſſent, dempto cæteris accreſcendi jure.

b) *l. unica C. de caduc. toll.* Cujac. *ad l. 151. ff. de V. S.*

c) *L. 63. & l. 64. 74. ff. de cond. & demonſtr.*

d) Briſſ *ſelect. lib. 3. cap. 2.*

** Simplicior ſententia Gothofredi, quia lex Julia Miſcella exemplo Decimariæ vel Caducariæ a re dicitur, quia hoc caput miſcellaneum fuerit ex lege Julia & Papia, ex Senatusconſulto porro quodam & cautione Muciana! Gravinæ tamen ſententia nititur verbis Novell. *XXII.* ἐκ [illegible] Ἰούλιος Μισκέλλας εὕρηκεν, ἀλλὰ Κόϊντος Μούκιος Σκαιβόλας, in quibus non lex Miſcella cautioni Mucianæ, ſed lator ejus inventori cautionis opponitur. Aliter Illuſtris Heineccius ad legem Papiam *l. II c. 16* ubi de turpitudine ſecundarum nuptiarum præſto ſunt ſacra & profanæ antiquitatis.

[illegible] acceſſit. Hoc igitur capite modus adhibebatur rejectioni conditionis, adſcita cautione [illegible], quæ accommodabatur conditionibus omnibus, ſub negatione conceptis, quæ nonniſi morte poterant impleri; veluti *ſi mare non tranſieris*, *ſi non* [illegible]. Quarum conditionum eventus tota hæredis aut legatarii vita [illegible]. Quis [illegible] vivit præſtiterit ſe, vel alium aliquid non facturum, [illegible] pendet [illegible]io? Igitur hæres, aut legatarius, dum viverent, [illegible], vel hæreditatis, vel legati. Nam conditio nonniſi poſt mortem [illegible], quo tempore ſibi beneficium teſtatoris erat inutile. Quamobrem ut hoc abſurdum amoveretur, ac ſimul teſtatoris impleretur voluntas; Quintus Mutius cautionem invenit, qua legatarius rem legatam acciperet, ſimulque jurejurando promitteret, ſeſe rem legatam redditurum, ſi conditioni parere neglexerit; aut contra teſtatoris præceptum venerit. Hujus cautionis remedio temperata lex Papia eſt, & conſtitutum, ut ſi quid relictum fuiſſet ſub conditione *ne nuberet, ne uxorem duceret*; ſiquidem legatarius poſt mortem conjugis intra annum nuptias contraheret, rejecta conditione, ſtatim legatum acciperet: dummodo juraſſet, ſe liberorum quærendorum cauſa nuptias appetere. Quod jusjurandum ſolenne erat in matrimoniis *a*) ex lege Julia Miſcella, & SCtis in eam conditis; ſi vero annus exiſſet a morte conjugis, tum quia ſerius nuberet, non aliter legatarius legatum caperet, quam ſi juraverit, rem ab ſe reſtitutum iri cum fructibus medii temporis, ſi ad novas nuptias convolaſſet. Quæ ad hæredes ſimul, & legatarios, atque ad mares itidem pertinebant, & fœminas. At ſi legatum uxori ſimul, & extraneo relictum fuerit ſub conditione: *ſi uxor non nupſerit*, eosque re, ac verbis teſtator conjunxerit, veluti *Titio & mulieri uſusfructus*, * *ſi non nupſerit*: non erit idem ac ſi uni Titio legatum fuiſſet ſub conditione, *ſi mulier non nupſerit*: quo caſu nubente muliere conditio deficeret, & legatum evaneſceret: *b*) ſed quia legatum relictum fuit utrique ſub conditione viduitatis, ſi ea conditio mulieri remittitur, puta, quod intra annum nubat, aut Mutianam cautionem præſtet, debet ea remiſſio in Titii etiam utilitatem expetere; ne quæ conditio cauſa unius extinguitur, alterius cauſa duret: Quamobrem prorſus habebitur pro impleta, & tanquam vidua tota vita permanſerit mulier, uſumfructum cum Titio participabit. Quid ſi Titius decedat, an mulieri intra annum nempe nubenti, utpote re verbisque conjunctæ, Titii pars accreſcet? Papinianus negat; ne mulier, quæ a defuncti voluntate defecit, plusquam ſibi fuerat relictum conſequatur; neve cui ſingulari jure contra juris communis rationem fuit ſubventum; per juris communis regulam iterum ſuccurratur. Unde ne per jus commune a ſingulari jure relaxatum ſingulare jus pandatur latius, excluſit hoc caſu Papinianus regulam juris accreſcendi, quæ re conjuncto portionem deficientis adjicit. *c*) Aliquando ut effugeretur lex Julia Miſcella, conditio non conferebatur nominatim in legatarium, ſed in perſonam patris vel filii, ut *lego Titio centum*, *ſi uxorem pater non duxerit*: vel *lego Sempronio centum*, ſi uxorem *filius non duxerit*: quibus verborum flexibus, &

a) *L. 3. C. de indict. vid. toll.* Cujac. *ad eum. tit.*

* Uſum fructum do, lego.

b) *L. 1. C. de indict. vid. toll.*

c) Cujac *ad Papin. lib. 32. quæſt. l. mulieri ff. de condit. & demonſtrat.*

oratio-

orationis verſutiis, clam ad nuptiarum prohibitionem tendebatur; quia is eſt inter parentem, & filium nexus, ut unius utilitas, aut damnum vertat in alterum: ideo jus conditiones ita conceptas reprobavit, rejiciendasque cenſuit, perinde atque ſi in legatarii perſonam cecidiſſent. Ceterum legis Juliæ Miſcellæ ſententia virgines minime comprehendit, utpote nondum functas munere conjugali. Quamobrem ſi puellæ, virove nondum matrimonium expertis cœlibatus conditio injungeretur, ea confeſtim remittebatur ex priori legis Papiæ capite. Quæ ſententia fuit Joannis vetuſtiſſimi interpretis, quem ſequitur Cujacius. *a*) Suſtulerat autem Juſtinianus ambages legis Juliæ Miſcellæ nova ſua conſtitutione, *b*) remiſeratque prorſus viduitatis conditionem piis ſane rationibus: poſt tamen trocho verſatilior, utpote qui fœminæ mentis ſuæ gubernaculum tradiderat, in *Novella 22. capite 43. & ſeq.* & cautionem Mutianam, & legem Juliam quodammodo reſtituit: noluit enim eas, quibus a teſtatore conditio viduitatis fuerat injuncta, capere legatum intra annum, niſi extincta prorſus ſpe nuptiarum, ut ſi mulier ſe Deo devoviſſet: poſt annum vero legatum non aliter capi voluit, niſi præmiſſa cautione Mutiana, rationibus ab eo deductis in eadem Novella.

LVII. DE FUNDO DOTALI EX L. PAPIA, ET DE JURE LATII, ET DE JURE ITALICO.

Erat & fortaſſe caput legis Papiæ de fundo dotali Italico, cujus alienatio diſſentiente uxore; *c*) obligatio vero, etiamſi uxor conſentiret, marito interdicebatur. Fundus autem Italicus appellabatur is, qui juris erat Italici. Etenim præter jus provinciarum, triplici jure populi, atque agri devinciebantur. Erat enim jus Quiritium, de quo alibi, quod jus optimum dicebatur, cujusque cives tantum Romani potiebantur in uſucapionibus, & nexibus, aliisque ritibus jam expoſitis, cujus juris nemo latinorum participabat, niſi aliquis eorum populus, fundus, ſive auctor factus eſſet, ut jure civili Romano deinceps tenerentur, atque concedente Populo Romano legibus in urbe latis *d*) imbuerentur. * Aliud jus erat Latii, quod in ſuffragiorum facultate verſabatur, ac petitione honorum, & magiſtratuum. Ad ſuffragia enim ineunda latini populi arbitrio Romani Magiſtratus vocabantur, *e*) tribuque deſtituti migrabant in eam, quam idem juſſiſſet Magiſtratus. ** Quamobrem jus Latii conſtitutum erat maxime in honorum petitione. Qui enim in latinis civitatibus magiſtratus geſſiſſent, Ædilitatem puta, vel Quæſturam, ii cives Romani petendi magiſtratus gratia fiebant. Poſtremum jus fuit Italicum jure latino

a) *in Parat. C. de indict. vid. toll.*
b) *L. 2. & 3. C. de indict. vid. toll.*
c) Mart. Capell. *lib. 2.*
d) Cic. *pro Balbo.*
* Non, ut juris Quiritium fierent participes, ſed ut legibus Romanis uterentur ex receptione voluntaria. De populis Fundis poſt Sigonium *de jur. Ital. l. I. c. 4.* Nicolaus Rigaltius, Iſmael Bullialdus & Henricus Valeſius egerunt, quorum diſſertationes inſertæ ſunt *Tomo II. Theſauri Græviani.* Gravinæ ſententia Valeſio probabatur, eandemque etiam Grævius ſequitur ad Orat. Cic. *pro Balbo c. 8.*
e) Sigon. *de antiq. jur. Ital. lib. 1. cap. 4.* Aſcon. *in orat. in Piſon.*
** Sortiri quoque ſolebant, ubi ſuffragia ferrent. Livius *XXV. 3.*

inferius, provinciali majus, non quia daret omnem immunitatem tributorum Auguſto auctore, ut cenſet Sigonius; ſed quia populos Italiæ, atque eos, qui jure Italico potiebantur capitis tributo, nempe cenſione levaret; tributum vero ſoli relinqueret. Ideo enim in tit. *ff. de cenſibus*, pluribus locis ſeparantur civitates immunes ab iis, quæ ſunt juris Italici, quia non omne tributum jure Italico remittebatur; ſed ut diximus, tantum cenſio capitis ab Auguſto inſtituta. *a*) Is enim inſtituit novam tributorum formam, cum antea vectigalia penderentur. Quamobrem Cujacius jus Italicum interpretatur *levationem cenſionis*, * ſi colonia non ſit immunis: etenim ſi immunis ſit, plenius aliquid ex jure Italico voluit accedere, nempe participationem juris civilis in traditionibus per nexum, in uſucapionibus, in annali exceptione jure prorſus eodem, quo & Italici; qui eodem jure militiæ, quo & latini potiebantur. *b*) Omnia tamen hæc diſcrimina fere ſuſtulit Antoninus, ut recentiores ex eruditis putant, Caracalla, teſte Dione: nam & is Imperator Antonini nomine, quo indigniſſimus erat, clareſcere voluit, auctore ipſius patre Severo. Qui ad civis Romani conditionem Romanorum imperium extulit univerſum. Verum ut caput hoc expediamus, Auguſtus, qui non modo excitare frequentiam nuptiarum, ſed contractas confirmare, atque futuræ prolis neceſſitatibus providere ſtudebat, inſeruit, ut Gothofredus ſuſpicatur, *c*) legi Papiæ præſens caput de alienatione fundi dotalis Italici; quo cavebatur, ne fundus dotalis Italicus a marito, invita uxore, alienaretur; neve ab eodem etiam conſentiente obligaretur; a qua legis particula manavit latior hæc appellatio; nempe *lex Julia de fundo dotali*; ſicuti dicitur etiam *lex Julia decimaria*, *lex Julia de caducis:* cum ſint omnia hæc capita legis Juliæ, & Papiæ Poppææ. Unde mos recitandi ſponſis dotales tabulas, & leges forte Julias, & Papiam Poppæam: ut intelligeret maritus, quid juris in dote dotalibus ex tabulis, atque ex legibus haberet, quod ſignificat Martianus Capella *d*) his verbis: *Tunc tabulas*, dotales nempe, *ac Papiam, Poppæamque legem ſinerent recitari.*

LVIII. DE DIVORTIIS.

Et quoniam liberorum procreatio concordia fovebatur; impediebatur vero diſſidiis, crebriſque divortiis; Auguſtus eorum frequentiam coërcendam cenſuit, ſpemque diſcedendi minuendam, quo ea dimiſſa, conjugum animi ab ſeſe componerentur, ac ſaltem conſuetudine diſſimulandi, ſenſim irarum æſtus deferveſcerent. Igitur damni metu maritos a divortiis abſterruit; *e*) etenim lege Papia cautum fue-

a) D. Lucas *in Evang.*

* Paulli ſaltem ævo jus Italicum in immunitate & cenſu capitis conſtitiſſe, inde ſuſpicamur, quod is in *L. 8. §. 5. D. de Cenſ.* Antiochenos a D. Antonino colonos factos narrat, ſalvis tributis, in primis cum ſubjiciat, D. Veſpaſianum Cæſarienſes colonos feciſſe, non adjecto, ut & juris Italici eſſent, ſed remiſſo tamen capitis tributo. Itaque multo pinguior erat conditio Italiæ & coloniarum juris Italici, præ conditione provincialium, cum his ſolis tributa indicerentur, quorum præſtatione illi ſoluti erant.

b) Sigon. *de ant. jur. Ital. lib. 1. cap. 21.* Cujac *lib. 10. obſ. 35.*

c) *in not. ad hoc caput.*

d) *ſub fin. lib. 2. de Philolog. & Mercurii nuptiis.*

e) Paull. *l. 8. ff. de capt. & poſtlim. l. 33. ff. de ritu nupt.*

rat,

rat, ut matrimonio ſine uxoris culpa ſoluto, maritus, hæresve illius uxori tantumdem pecuniæ penderet, * quantum ad illum ex uxoris ejusque libertorum bonis perveniſſet; aut quidquid minus ad maritum ex dolo ipſius malo pervenerit. *a*) Quod legis caput interpretes eorum temporum coërcuerunt potius, quam ampliarunt. Quæſitum enim fuit, ſi ſervum dotalem vir manumiſiſſet, *b*) eamque manumiſſionem uxor donandi animo probaſſet, (quæ donatio favore libertatis valebat;) *c*) an quidquam ſoluto matrimonio eſſet a marito uxori de impoſitis libertatis cauſa reddendum? Juriſconſulti reſponderunt, tum demum præſtandum uxori a marito ſervi precium, & quidquid ex cauſa ejus manumiſſionis acceperit, cum invita uxore ** manumiſiſſet; ſecus vero ſi ea conſentiente, ac probante. *d*) Quamobrem ſi ſervus, diſſentiente uxore manumiſſus, maritum, ſive manumiſſorem inſtituiſſet hæredem: maritus non modo cogebatur partem reddere, quæ ad eum ſpectabat jure patroni; ſed integram hæreditatem, *e*) tanquam eo nomine ſibi relictam, quod patronus eſſet ipſius, & dominæ maritus. *f*) At ſi negocium gerens uxoris ea non invita manumiſiſſet, tantumdem reddebat, quantum patronatus jure a liberto accepiſſet: nam quod præter patronatus jus accepit, id potius ex liberti beneficentia, quam ex cauſa matrimonii videtur aſſecutus. *g*) Neque placuit Juriſconſultis ultra proprium verborum ſenſum hanc legem extendere: ideo, neque ſocerum, aut ſoceri ſucceſſorem ſententia legis comprehenderunt; neque, ſi ad mariti filium exhæredatum bona liberti pervenerint, ad reſtitutionem compulerunt mariti hæredem. *h*) Quæritur etiam, ſi maritus in teſtamento liberti dotalis a ſe manumiſſi adſcripſerit ſibi legatum; an illud recidat ad uxorem? Paullus negat, cum nihil ad maritum ex eo legato perveniat: *i*) etenim adſcribendo ſibi legatum incidit in edictum Claudii, & in S. C. Libonianum: quibus legata, quæ quis ſibi, aut ei, quem in poteſtate habet, adſcripſerit dictante teſtatore, pro non ſcriptis ha-

* Et quidem dotem in quantitate conſiſtentem ob mores graviores, id eſt adulterium, ſtuprumve alteri illatum, præſentem; ob mores leviores, quales ſunt omnes, qui conjugi in conjuge intolerabiles videantur, ſenum menſium die. Ratione dotis autem, quæ in quantitate non conſiſteret, tantum ex fructibus reddere jubebatur, quanti per quadriennium capi poſſent. Ulpianus *Tit. VI. §. 12. & 13.* Quodſi mulieris culpa divortium fieret, marito graviorum quidem morum nomine ſexta, leviorum octava pars dotis addicebatur. Idem *§. 12.* Utrius autem culpa divortium factum eſſet, judicis arbitrio definiebatur, eoque tendebat actio malæ tractationis, quam ex Fabio eruerunt Charondas & Schultingius ad *Ulpianum.*

a) *L. ſi vero §. dubit ff. ſolut. matrim.*

b) *L. ſervum dotalem ff. de manumiſſ. l. & ſi dotis C. de jur. dot. l. 1. C. de ſerv. pign. dat. manum.*

c) *L. ſi conſtante §. ſi vir. ff. ſolut. matrimon.*

** Imo etiam ſi volente uxore ſervum manumiſerat, uxori præſtabat, quicquid ſibi a ſervo libertatis cauſa ſtipulatus erat, Ulpianus in *L. 64. pr. D. ſol. matrim.*

d) *L. ſi dotale 61. usque ad l. 64. ff. de ſolut. matrim.*

e) *§. ſed noſtra Inſtit. de ſucceſſ. libert.*

f) Daren. *ad l. ſi vero 64. ff. ſolut. matrimon.*

g) *L. ſi vero ff. ſolut. matr.*

h) *L. ſi vero §. dubit. & §. de viro ff. ſolut. matrim. & §. ſi filium ibid.*

i) *L. filius emancipatus 14. §. maritus 8. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

 bentur.

bentur. Nec quia lege Julia legatum ex teſtamento liberti pertinet ad uxorem; ideo illud ſibi minus videtur adſcripſiſſe: quia nec ſi quis adſcripſerit ſibi legatum alteri reſtituendum, propterea edictum Claudii, & Senatusconſultum effugerit. *a*). Sed legatum tranſibit cum onere ad hæredem.

LIX. DE TESTAMENTIS LIBERTORUM, EORUMQUE SUCCESSIONE.

Erat & caput de teſtamento libertorum. Ii ſane legibus XII. tabular. liberam teſtandi facultatem habebant, ſicut ingenuus, ſive cum liberis, ſive absque liberis deceſſiſſent: neque patronus ab bona liberti vocabatur, niſi cum libertus mortuus eſſet inteſtatus, nullumque reliquiſſet hæredem ſuum. Hanc juris licentiam Prætor aliquando patronis æquior coërcuit, eosque ſi libertus cum teſtamento deceſſiſſet, ad dimidiam partem bonorum illius per bonorum poſſeſſionem contra tabulas vocavit: eademque dimidiam patronis conceſſit, ſi libertus inteſtatus deceſſiſſet hærede ſuo relicto filio adoptivo. Naturales enim liberi etiam emancipati, & in adoptionem dati, dummodo non exhæredati, ſed vel pro parte ſcripti hæredes, vel præteriti, atque ideo ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas admiſſi, patronum excludebant. *b*) Sed lex Papia jus hoc extenuavit: diſtinxit enim libertum centenarium, ſive qui centum aureos * in bonis haberet, *c*) a liberto centenario minori, ſive qui haberet hac ſumma minus: hic enim vel uno relicto filio; *d*) ille tribus liberis ſuperſtitibus hæreditate ſua, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato patronum per legem Papiam excludebat: relictis vero minus quam tribus filiis, patronus tantumdem conſequebatur, quantum ſinguli ex liberis, nempe virilem; at dimidiam, ſi unum filium filiamve reliquiſſet libertus. Si tamen filius liberti unicus paternam hæreditatem omitteret; hæredis quidem nomen ipſe ferebat, utilitas tamen hæreditatis in patronum conferebatur. *e*) Porro ſi libertus dum viveret, quo ſe centenario minorem efficeret, in fraudem legis ** partem bonorum alienaſſet, alienatio erat ipſo jure irrita; *f*) ſin alienaſſet in fraudem patroni, quo illius virilem imminueret, non quo ſe centenario minorem redderet; tum valebat quidem ipſo jure alienatio, cum contra patronum tantum eſſet, non contra legem; ſed per

a) Cujac. *l. 1. filius emancip. 14. & l. cum quidam 17. ff ad l. Cornel. de falſit.*

b) *Inſtit de ſucceſſ. libert.*

* Imo res centum in lege Papia patrimonium centum ſeſtertium millium, id eſt, aureos mille ſignificabat, *§. 2. J. de ſucceſſ. lib.* de quibus aureis adeundus Jo Frid. Gronovius de *pec. veteri p. 365.* Juſtinianus demum centum aureos aureis mille ſubſtituit in § 3 l. c.

c) *Inſtit. eod. §. 1. & 3.*

d) *l. 148. ff. de V. S.*

e) *L. 6. §. 2. ff. de bonis liber. & l. 38. §. ult. eod.*

** Qualis erat, qui alienando ſe minorem centenario fecerat ad hoc, ut legis præceptum eluderet; cum contra in fraudem patroni alienare diceretur, qui ſine fraude legis facultates ſuas vehementer imminueret, ſic tamen, ut centenarius maneret. Fabiana autem actio patrono dabatur, ſi teſtatus mortuus eſſet libertus, Calviſiana, ſi inteſtatus. *L. 1. §. 4. D. Si quid in fraud. patr.*

f) *L. ſi libertus 16. ff. de jur. patr.*

Fabia-

Fabianam, & Calviſianam actionem revocabatur. Juſtinianus vero jus aliud invexit, per græcam conſtitutionem, cujus cum verba deſiderentur, ſententiam in Inſtitutionibus habemus expoſitam. *a*) Patroni filia jure trium liberorum ſuffulta, eadem jura in paterni liberti bonis habebat ex lege Papia, quæ & ipſe patronus, patronique filii ex edicto Prætoris haberent. Patronæ vero nullum aliud jus in libertorum bonis habebant, quam quod ex leg. XII. tabul. proficiſcebatur. Verum ex lege Papia patronæ ingenuæ quidem duobus, libertinæ vero tribus honoratæ liberis, idem ſunt jus aſſecutæ, quod patronus ex edicto Prætoris impetraverat: *b*) quod jus eadem lege productum fuit ad liberos patronæ ingenuæ trium liberorum numero auctæ. *c*) Supereſt caput de libertarum liberis, *d*) quod nos ad poſtremum locum rejicimus, ſecuti naturæ ordinem, quæ liberos conſtituit ſequelam parentis. Hoc autem caput ita Gothofredus concinnavit, nempe ut in bonis libertæ etiam quatuor liberorum jure ſubnixæ, pro numero liberorum libertæ, mortis ejus tempore ſuperſtitum, virilis pars patrono, patronique liberis maſculis debeatur. *

LX. AD L. PAPIAM POPPÆAM DE CADUCIS: SIVE AD L. CADUCARIAM, ET DE VICESIMIS.

Superioribus legis capitibus Auguſtus urbi reddere ſtuduit abſumtam bellis multitudinem. Eodem vero tempore de explenda ærarii lacuna cogitavit. Privatorum igitur incommodo publicam levavit inopiam, jusque populo tribuit in alienas hæreditates, & legata, quæ antea privatis integra planeque libera dimittebantur. Unde poſt communicatam omni Romanorum imperio civitatem, in immenſum hæc lucra ærarii ad commodum, ut Dion refert, exundarunt. Et primo vectigal graviſſimum extraneis hæredibus (non liberis, & parentibus, *e*) non denique pauperibus) impoſuit, viceſimamque legatorum, & hæreditatum partem inferri juſſit ** in ærarium militare, populique offenſionem Jul. Cæſaris auctoritate, gratiaque vitavit. Legem enim eam repertam ſimulavit in illius commentariis; quo odioſa, & nova omnia tum referebantur. Quam Tullius fraudem ſæpe Marco Antonio in *Philipp.*

a) *§. ult. Inſtit. de ſucceſſ. liber.*

b) Ulp. *fragm. tit. de bon. l. 29. §. patronæ.* Terent. Clem. *lib. 29. ff. de bon. lib.*

c) Ulp. *fragm. tit ult.*

d) Ulp. *tit. 29. §. licet. 2.*

* Inter cætera capita, quibus Celeberrimus Heineccius a Gothofredo & Gravina tradita de lege Julia & Papia auxit & emendavit, eminet libri ſecundi caput decimum ſeptimum & octavum, quorum illud ad jura affinitatis inter vitricum & novercam & privignos, ſoceros item & generum vel nurum; hoc ad privilegia abſentium Reipublicæ cauſſa & indulgentiam Senatus pertinet.

e) Plin. *in Paneg. & l. unic. ubi* Cujac. *in parat. C. de cad. toll.* Dion *lib. 55. an. 759.*

** Nec tamen id lege Papia Poppæa factum, ut innuere videtur Auctor, ſed lege Julia Viceſimaria, lata paullo ante legem Papiam Poppæam, ut narrat Dion *lib. LV. p. 565. ad* A. U. C. 759. Eam libris duobus illuſtravit Aemilius Macer, e quibus adhuc fragmenta quædam in Pandectis leguntur. Viceſimam dein Caracalla duplicavit, ut inopiæ ærarii militaris conſuleret, pro viceſimâ parte hereditatis decimam pendi juſſit. Dion *in Excerptis Peireſcianis lib. LXXVII. pag. 745.* Herodianus *lib. IV. cap. 7.* donec Macrinus viceſſimam reduceret. Dion *Exc. LXXVIII. p. 803.*

exprobrat. Ne qua vero mora ſolutioni viceſimarum fieret, lex cavit, & Adrianus edixit, uti ſtatim tabulæ teſtamenti poſt mortem aperirentur: *a*) unde tabulæ a præſentibus intra tres dies erant aperiendæ, vel quinque: atque intra idem tempus ab abſentibus, cum ſuperveniſſent. *b*) Huic autem de viceſima legi Nerva, Trajanus, Adrianus, Marcus modo ademerunt, modo reddiderunt ademtam vim; donec ab aliis ante Juſtinianum Imperatoribus funditus tolleretur. Cujus abrogationis Gratianum auctorem fert Alciatus, *c*) qui a Cujacio *d*) falſi accuſatur, propterea quod Auſonii teſtimonium, quo ille nititur, nullum invenitur. Auxit præterea lex fiſci commodum rebus iis, quæ legatario, vel hæredi non tam voluntate teſtatoris, quam lege quærebantur: * nempe illis, quæ aliqua ex cauſa capere non poterat is, qui teſtamento vocabatur; quæque propterea, vel ad hæredem alium, vel ad alium legatarium accedebant. Hæc autem in tria genera ** tribuuntur; alia enim pro non ſcriptis habentur, alia dicuntur eſſe in cauſa caduci; alia proprie caduca ſunt, & nuncupantur. Pro non ſcriptis ſunt relicta iis, quorum in perſonis ab initio non conſiſtunt, veluti relicta incapacibus, *** & mortuis vivente teſtatore; item obſcura, & perplexa, quæ non intelliguntur; præterea, quæ dictante teſtatore ab ipſo teſtamentario ſibi adſcribuntur, **** quibus tollendis prodiit Senatusconſultum Libonianum infra nobis exponendum: & captatoria, ſive quæ quis eo conſilio legat, ut ſibi, vel alteri commodum aucupetur ***** ex teſtamento illius, cui legavit, veluti: *Si Titius me hæredem inſtituerit, vel quâ ex parte Titius me hæredem inſtituerit, mihi hæres eſto.* Item *ſi Titius Cajum ſibi hæredem inſtituerit, mihi hæres eſto.* Quod relictorum genus Senatusconſulto damnatur. *e*) Illa etiam pro non ſcriptis habentur, quæ relinquuntur iis, qui ſunt apud hoſtes ſpe reditus omnino peremta, nempe quod ibi poſtea deceſſerint; *f*) & legata pura, quæ per-

a) *L. ult. C. de edict. D. Adrian toll.*

b) Paull. *lib. ſent. 4. cap. 6.* Cujac. *ibid.*

c) *diſpunct. 34. 6.*

d) *in* Paull. *lib. ſent. 4. tit. 6.*

* Lege puta XII. tabularum, ex qua manabat jus accreſcendi.

** Imo in quinque. Præterea enim, quæ pro non ſcriptis habebantur, aut caduca, aut quaſi caduca erant, celebrantur ereptitia in *L. 9. D. de his, quæ ut ind.* quæ tanquam indignis auferebantur & vacantia in *L. 16. D. de opt. leg. L. 14. D. de ſuis & legit. hered.* in quibus heres aut legatarius penitus deficiebat.

*** Qualis eſt Senator, qui libertinam, ingenuus, qui lenam duxit, vel quæ artem ludicram fecerit.

**** Niſi ſubnotaverit teſtator, ſuo id juſſu factum, *L. 14. pr. L. 15. §. 1. D. ad leg. Cornel. de falſis.*

***** Satis bene ab Auctore noſtro deſignantur captatoriæ inſtitutiones, captatoria legata, quibus nimirum non mutuis affectionibus judicia aliorum provocabant, ſed quorum conditio extorſionis cauſſa ad ſecretum alienæ voluntatis ferebatur. Notum & commendatiſſimum eſt opuſculum Illuſtris Viri, Cornelii van Bynkershoek *de captatoriis inſtitutionibus.* Senatusconſultum vero, quo prohibitæ ſunt captatoriæ inſtitutiones, quibus conſulibus factum fuerit, non conſtat, & præſtat ἐπέχειν cum Noſtro, quam incerta fide Accurſium ſequi, qui id Liboniano Senatusconſulto factum putabat.

e) Cujac. *obſ. 16. cap. 11. l. illac. §. ult. ff. de hæred. inſtituendis.*

f) *L. ſi ſervo meo ff. de legat. 1. l. 4. in fin. ff. de his, quæ pro non ſcript. §. 24. Inſtit. de legat.*

egrino

Digitized by Google

egrino relinquuntur, *a*) & deportato, *b*) aut damnato in metallum; qui cum ſit ſervus pœnæ, non habet dominum, ex cujus perſona legatum conſiſtat, ut conſiſtit in ſervo, qui dominum habet legati capacem. *c*) Quidquid autem ejusmodi eſt, & pro non ſcripto habetur, veteri jure manente, ut olim ſemper, ſic & nunc etiam non ad fiſcum, ſed ad hæredem, vel legatarium, vel ſubſtitutum ſine onere devolvitur, *d*) exceptis duobus caſibus, quos innuit Juſtinianus *e*) & profert Cujacius; *f*) nempe cum ſervus legatus eſt alicui, qui capere non poteſt, atque ab eodem relicta eſt ſervo libertas; quamvis enim legatum ſit irritum, tamen humanitatis ratio libertatem intercidere non ſinit; ideo contra ſubtilem juris rationem, præſtanda eſt ab eo, apud quem ſervus permanſerit. *g*) Alter caſus eſt, cum id, quod ſibi dictante teſtatore quis adſcripſerit, rogatus eſt reſtituere; quamvis enim legatum intercidat, onus tamen ſuſtinetur, & fideicommiſſum ab hærede præſtabitur, *h*) cum ita ſit cautum Senatusconſulto Liboniano. Nec tantum ea, quæ ab initio ſunt irrita, ſed quæ a primo valuerunt, deinde in eam cauſam reciderunt, a qua incipere nequeunt, pro non ſcriptis habentur. Cujusmodi duos caſus ponit Juriſconſultus: *i*) iique ſunt, ſi hæres inſtitutus, vel legatarius facto teſtamento damnetur in metallum; vel ſi ſervus alienus, cui fuerat aliquid legatum, a teſtatore redimatur. * In cauſa caduci ea ſunt, quæ vivo teſtatore deficiunt, veluti ſi legatarius, aut hæres teſtatorem morte præverterit, aut vivente teſtatore ſervus pœnæ factus libertatem amiſerit, aliove modo conditio legati defecerit. Hæc enim, quæ jure antiquo vel in ſubſtitutum recidebant, vel in conjunctum, aliumve, a quo relicta erant; lata lege Papia eodem jure cœperunt eſſe, quo & caduca, fiſco ſcilicet obnoxia. *k*) Caduca vero proprie ſunt, quæ poſt mortem teſtatoris in eam cauſam decidunt, a qua incipere nequibant: quæ ut amplius fiſco creſcerent, vetitum fuit lege Papia hæredem ex parte adire ante apertas tabulas hæreditatem, quo aditione dilata caducum redderetur, quidquid ante apertas tabulas a teſtatoris morte deficeret. Unde ſi vel deceſſiſſet hæres, vel civitatem Romanam amiſiſſet, illius portio caduca erat, & ad fiſcum perveniebat; *l*) in hærede vero ex aſſe conſervatum fuit jus antiquum. *m*) Caducum erat enim, ſi quid relictum fuiſſet cœlibi, nec is intra diem centeſimum, qui dies erat cretionis, uxorem duxiſſet; vel ſi relictum fuit Latino, nec is ante dies

a) Cujac. *C. de cad. toll. p.* 790.

b) *L.* 1. *C. de hæred. inſtit.*

c) *L.* 3. *ff. de his, quæ pro non ſcript. habentur.*

d) *L. unica §. in primo C. de caduc. toll.*

e) *L. unica §.* 2. *C. de caduc. tollen. verbo perraro.*

f) *ad eandem legem pag.* 798.

g) *L. cum vero §. ſi pro non ſcripto ff. de fideicomm. libert.*

h) *L. ult. ff. de his, quæ pro non ſcript. habentur.* Cujac. *ad l. unicam C. de cad. toll. pag.* 798.

i) *L.* 3. *§. ult. ff. de his, quæ pro non ſcript. habent. & §. pen.*

* Diſplicuit enim, rem ipſi heredi per hunc ſervum acquiri. Qui in metallum damnantur, ſervi pœnæ fiunt, ſervi autem pœnæ, ut ipſe Gravina ſtatim ſubjicit, in cauſa caduci erant.

k) *L. unic. C. de cad. toll. §. pro ſecundo. ubi* Cujac. *p.* 799.

l) Ulpian. *Inſtit. tit.* 17.

m) *L. multum ff. de condit. & demonſtr. leg.* 1. *§. ult. ff. de jur. & fact. ignor.* Cujac. *ad l. un. C. de caduc. toll. p.* 802.

centum

centum jus Quiritium impetraſſet. *a*) Item ſi poſt mortem teſtatoris conditio, cui legatum ſuberat, defeciſſet. Tum autem ad ea, quæ eſſent in cauſa caduci, tum ad caduca ipſa, populus, veluti omnium parens, ut ait Tacitus *b*) lege Papia initio vocabatur, eaque ſuo cum onere capiebat, perinde ac jure antiquo hæres, aut ſubſtitutus, *c*) aut conjunctus. At quod populo fuerat jus in caducis, Antonini lege translatum fuit ad fiſcum principis, ut docet Ulpianus, *d*) cujus lectionem neſcio quam recte immutavit Cujacius, ne illum repugnantem faceret Juliano; *e*) apud quem non populus vocari ſcribitur ad caduca, ſed fiſcus: cum tamen Adriani temporibus, quibus Julianus vixit, non fiſcus, ſed populus * ad caduca vocaretur: unde potius Juliani locum, Gothofredo auctore, ſuſpicor fuiſſe a Triboniano vitiatum, expunctaque populi mentione fiſcum ſubſtitutum, ut, quod ſæpe ſolet, veterum ſententias ad Juſtinianei ſæculi rationem accommodaret. Nunc quemadmodum ad caduca populus, vel fiſcus admitteretur, inſpiciamus. Et conſtat, eos tum demum abſtuliſſe caduca, cum teſtator ſine liberis, parentibusque deceſſiſſet: nam ſi liberi, parentesve usque ad tertium gradum ſupereſſent hæredes inſtituti: quod capere non poterat is, cui relictum erat, ipſi ſervato vetere jure capiebant. *f*) Pronepotes ** igitur etiam & proavi excludebant fiſcum a caducis: tertius enim gradus hujus legis ſententia comprehenditur, cum *usque* particula non raro includat extremum, quo ſermo excurrit: quam etiam vim habet in pluribus juris locis, ut recte Cujacius obſervat. *g*) Verum eadem hæc exceptio, quam ad teſtamenta inter liberos, parentesque facta pertinere didicimus a Juſtiniano, *h*) extenditur a Gothofredo ad extraneos hæredes, qui liberos habent, moveturque illo Juvenalis loco *ſat. 9.*

Jura parentis habes: propter me ſcriberis hæres:
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Quod tamen accipi poteſt de aliis legis capitibus, quibus quis relicto privabatur ob orbitatem. Movetur præterea Ulpiani auctoritate *tit. 25. in fine*, cujus hæc verba ſunt: *Si quis in fraudem tacitam fidem accommodaverit, ut non capienti fideicommiſſum reſtituat, nec quadrantem eum deducere Senatus cenſuit, nec caducum vindicare ex eo teſtamento, ſi liberos habeat.* Quæ quaſi de extranei teſtamento dicantur, putat Gothofredus ſententiæ ſuæ favere. Hunc autem verborum ſenſum

a) Ulpian. *tit. 22. §. cum quo & tit. 17.*
b) Tacit. *lib. 3. annal.*
c) *L. 96. §. 1. ff. de leg. 1.*
d) *tit. 17. §. 2.*
e) *L. 96. §. 1. ff. de leg. 1.*
* Imo nomine magis, quam re differebant fiſcus & ærarium. Ipſe enim Auguſtus ærario ita uſus eſt pro lubitu, ut ignorare ſe fateatur Dion *lib. LIII. p. 511.* quid inter fiſcum & ærarium interſit. Unde promiſcue accepta. Vetus gloſſa ταμεῖον, fiſcus, ærarium. Sic emendatione carere poſſunt & Ulpianus & Julianus.

f) *L. unic. §. & cum lex. C. de cad. toll.* Ulpian. *Inſtit. cap. 17. & 18. L. pater meus §. ult. ff. de legat. 2.*
** Imo gradum tertium ad ſolos adſcendentes pertinere, liberis autem, ſine graduum diſcrimine, caduca deferri, erudite oſtendit Antonius Schultingius ad Ulpiani *tit. XVIII. n. 4.*
g) *L. ult. in fin. ff. de Senat.* Cujac. *tit. C. de caduc. toll. pag. 787. & ſeq.*
h) *L. unic. in princ. C. de cad. toll. verſic. & cum lex.*

Cujacius ut declinaret, pro *ſi liberos habeat*, ſubjecit *ſi ex liberis exiſtant*. Verum locus, meo judicio, nulla emendatione indiget: ſiquidem Ulpiani verba ſiue ulla extranei mentione recte congruunt * teſtamento patris, cui filius tacitam fidem in fraudem legis accommodavit, ut non capienti aliquid reſtituat ſuæ fidei commiſſum: quæ fraus ne filio eſſet impune, Senatus eum jure capiendi privavit: & quoniam illi conciliare gratiam poterant liberi, quorum cauſa multa parentibus remittuntur, adjecit ne quidem ſi filius, qui fraudem legi fecerat, liberos haberet, pœnam evaſurum. Siquidem qui dolo malo *a*) in fraudem legis clam juſſu teſtatoris aliquid reſtituendum recepiſſet, hoc eſt fidem ſuam accommodaſſet, ut alter reſtitueret; is ex lege Papia excidebat hæreditate, aut legato ſibi relicto, eaque bona tanquam vacantia vindicabantur a populo: ut ne fructus quidem licuerit hæredi, aut legatario ante litem motam perceptos retinere: quia bonæ fidei poſſeſſores non habebantur, *b*) nec eis adcreſcebat quidquam deficiente conjuncto, cum nemo rem habere dicatur, qua fuerat ab initio privandus; *c*) atque hoc unum erat genus bonorum ereptitiorum ex lege Papia deſcendentium. Alterum genus erat eorum, quæ indigno relicta erant, ad quæ populus etiam, & fiſcus vocabantur, & aliquando etiam privati: veluti ſi legatarius teſtamentum ſuppreſſiſſet, quo hæredem fraudaret, aut tutelam teſtamento relictam recuſaſſet; *d*) utroque enim caſu indignus eſt legatarius legato; ſed pars ei ablata traditur hæredi, cui fraudem tetenderat, aut pupillo, cujus tutelam recuſaverat: *e*) ideo Juſtinianus *f*) ait, quæ indignis auferuntur, cedere aliquando privatis; & Ulpianus *g*) ſcripſit, non raro ereptitia nobis adquiri. At quosnam prætcrea indignos judicabimus beneficio teſtatoris? eos nempe, qui vel defunctum occiderint, *h*) quos & a deſcendentium defuncti bonis lex excludit; vel eos, qui teſtatoris morti cauſam aliquam per culpam, aut negligentiam præbuerint, *i*) eamve mortem vindicare omiſerint, vel teſtamentum probroſo aliquo nomine, ** vel falſi accuſaverint, aut inofficioſum dixerint: *k*) ſiquidem

* Imo latius concepta ſunt, & extraneos quoque heredes complectuntur, quare recte ſententiam Gothofredi, rejecta Cujacii emendatione probant Schultingius *ad juriſprudentiam Ante-Juſtinianeam p. 664.* & Heineccius *ad legem Papiam p. 386.* Dulce caducum quoque ita proprie accipitur apud Juvenalem, neque eſt, cur id intelligamus de aliis legis capitibus, quibus quis relicto privabatur ob orbitatem.

a) *L. in fraudem 10. l. hæres 11. l. eum qui 18. ff. de his, quæ ut indign. L. 3. ff. de jure fiſci.*

b) *L. eum qui 18. ff. de his, quæ ut indign.*

c) *L. ſi totum 83. ff. de acquir. vel omitt. hæred.*

d) *L. 5. §. amittere ff. de his, quæ ut indign.*

e) *L. penult. C. de legat.*

f) *L. unic. §. 12. C. de caduc. toll.*

g) *Inſtit. cap. 19. §. 16.*

h) *L. Lucius Titius ff. de jur. fiſci. L. cum ratio §. fin. ff. de bon. damn. DD. in l. eam 14. C. de fideicomm.*

i) *L. hæredum 15. l. ei qui mortem 20. ff. de his, quæ ut indign. L. 1. & 3. C. eod*

** Puta, ſi illud nullum, aut injuſtum falſo dixiſſet. Quædam autem ex his capitibus, poſt legem noſtram, Senatusconſultis vel Principum conſtitutionibus introducta eſſe, diſtincte obſervat Heineccius *p. 416.*

k) *L. 5. in princ. & § ſi pater, & §. ult. L. hæredi 15. l. cum tabul. 16. ff. de his, quæ ut indign.*

Ccc perten-

pertenderint; non autem ſi deſtiterint ante ſententiam. *a*) Item qui vel defuncto grave aliquod in judicio crimen objecerint, *b*) vel ſtatus controverſiam moveant: vel contra tabulas bonorum poſſeſſionem petant: *c*) vel uxores contra leges duxerint: ab eius enim mulieris hæreditate ob turpitudinem arcentur; *d*) vel capitales inimicitias cum teſtatore ſuſceperint, eique maledixerint; *e*) vel ejus uxorem vitiaverint; vel hæreditatem compilaverint; pars enim compilata fiſco accedit, nulla per hæredem detracta Falcidia, *f*) vel feſtinata improbe ſpe, bona ſibi ex legitima ſucceſſione perventura donaverint: turpe eſt enim cognato nondum mortuo, per æs, & libram illius bona mancipare; qui ritus, ut diximus libro ſuperiori, adhibebatur ante Juſtinianum in quavis translatione dominii. Nec tantum ad partem alteri donatam fiſcus vocatur, ſed ad reliqua bona donatori legitima ſucceſſione obventura; denegatis huic actionibus hæreditariis. *g*) Aufertur autem duntaxat id, quod apud hæredem permaneret, non quod ad ſubſtitutum, vel alterum per fideicommiſſum perveniret. *h*) Huc pertinet S. C. de eo, qui prius teſtamentum utiliter fecerat; deinde aliud, quo inſtituerat eos, quos non licebat; adeo ut in priore inſtituerit eum, quem ipſe teſtator poſtea judicavit indignum; in poſteriore eum, quem inſtituere non poterat, utpote ex legibus incapacem, qui differt ab indigno; quem non ſolum excludit lex; ſed aliquando etiam odium teſtatoris, * cuique bona ob id a fiſco eripiuntur. Itaque in hac ſpecie *i*) S. C. decretum eſt, auferendam per fiſcum hæreditatem hæredi ſcripto in priore teſtamento, quem teſtator mutaturus poſteriore teſtamento voluntatem judicavit indignum; prius tamen teſtamentum ruptum non fuiſſe, quia poſterius nullum fuit, utpote in quo incapax inſtituitur, & S. C. ad Pertinacis orationem adjecto, cautum eſt, ne priores tabulæ rumpantur, niſi a poſterioribus validis. *k*) Alia via populo, vel fiſco patuit ad aliena bona per caput illud legis Papiæ, quo conſtituitur, ut ſi hæres decedat ante aditam hæreditatem, hæreditas in ærarium, vel in fiſcum cadat. *l*) Nam jure antiquo hæreditas, deficiente hærede teſtamentario, deferebatur ad legitimos, ſine oneribus: cum jure ſuo, ſive beneficio legis tranſeat, non voluntate teſtatoris. *m*) Hæreditas enim non adita in hæredes hæredis minime tranſmittitur, niſi aliquibus caſibus, puta ſi a parentibus, ſive maribus, ſive fœminis liberi ſint inſtituti, ſive ſui, ſive emancipati, atque ita inſtituti ſuſceperint liberos: ad hos enim hæreditas parentibus

a) *L. 8. §. meminiſſe ff. de inoff. teſtam.*

b) *L. ſi inimicit. 9. ff. de his, quæ ut indign.*

c) *L. 2. ff. de his, quæ ut indign.*

d) *L. 2. ff. eod.*

e) *L. ſi inimicitiæ ff. de his, quæ ut indign.*

f) *L. reſcripſum 6. ff. de his, quæ ut indign.* Cujac. *ad l. quidam 30. ff. de donat. ſive ad lib. 10. reſponſ. Papin.*

g) *L. donatio vel l. quidem 30. ubi* Cujac. *ff. de donat ſive ad Papin. lib. 10. reſp.*

h) *L. 8. §. meminiſſe ff. de inoff. teſtam.*

* Veluti, ſi heres in priori teſtamento ſcriptus, teſtatori ſtatus controverſiam moviſſet, aut capitales cum eo ſuſcepiſſet inimicitias, aut poſterius eum teſtamentum facere prohibuiſſet.

i) *L. cum quidam 12. ff. de his, quæ ut indign. ubi* Cujac. *in Papin. lib. 16. quæſt.*

k) Jul. Capit. *in Pertin. ſub titul. quibus mod. teſt.*

l) *L. unica §. in noviſſimo 5. C. de caduc. tollend.*

m) Cujac. *ad tit. C. de caduc. tollend. pag. 803. lit. a.*

relicta

relicta transmittitur. *a*) Præterea ſi heres extraneus deceſſerit intra annum legibus ad deliberandum datum, *b*) & ſciat hæreditatem ſibi delatam: hæreditas, etſi nondum adita, transmittitur in hæredem deliberantis, una cum jure deliberandi *c*) per temporis reſiduum. Item infans ab extraneo inſtitutus, ſi in infantia decedat, transmittit in patrem, qui ejus nomine adire cum poſſet, non adivit. *d*) * Tandem ſi S. C. Silaniano, quo aditio, & apertura tabularum protrahebatur, donec de familia quæſtio haberetur, hæres adire impeditus deceſſiſſet: ne huic S. C. eſſet fraudi, Scævolæ placuit transmitti hæreditatem. *e*) Dies vero legatorum nonniſi ab apertura tabularum cedebat, & ſi legatarius ante agnitum legatum decederet, legatum in fiſcum redigebatur, *f*) exceptis legatis per vindicationem, ** quæ Paullus *g*) ad hæredem legatarii tranſire ſcribit. Præterea omiſſa, vel repudiata hæreditas, & legatum fiſco vacabant: partemque non capientis caducam eſſe, bonaque illius, qui jus omiſit ſuum, populo ex lege caducaria deferri, Ulpianus tradidit. *h*) Quamvis enim hæreditas, & legata, quæ aut repudiantur, aut ſuperſunt poſt mortem illius, qui deceſſit ante aditam hæreditatem, agnitumve legatum, proprie ſint bona vacantia, diſtinctumque nomen ferant a caducis: promiſcue tamen hæc aliquando accipiuntur. *i*) Ulpianus enim ſimpliciter partem non capientis, aut non adeuntis ait eſſe caducam. *k*) Ea ſunt etiam caduca, quæ legis Papiæ modum excedunt, puta ſi conjugi relictum ſit plus quam lege decimaria licet, vel ſi quid legatum ſit cœlibi, aliive relictum ſit, quibus lege Papia capiendi facultatem ademtam eſſe oſtendimus; *l*) nec legata modo, ſed & mortis cauſa donationes eidem juri ſubeſſe, diſcimus ex S. C. ad caput hoc legis condito. *m*)

LXI. DE JURE ACCRESCENDI.

Et quoniam duplici ratione fiſcus arcebatur a caducis, jure ſcilicet accreſcendi, & jure ſubſtitutionis (nam jure accreſcendi portio deficiens veniebat ad conjunctum re, & verbis, vel re tantum, vel aliquando ad conjunctum ſolis verbis, ſi appareret, teſtatorem *n*) conjunctionem affectaſſe, *** ne inane ſit ſtudium illius:

a) *L. unica C. de his, qui ante apert. tab. hæred. tranſ. ubi* Cujac. *ad l. unic. C. de caduc. tollend.*

b) *L. cum in antiquioribus C. de jure delib.*

c) *d. L. cum in antiquior.*

d) *L. ſi infant. eod.*

* Omiſſus eſt caſus ſui heredis, qui hereditatem etiam non aditam ad heredes quosvis transmittit, *L. 7. §. 1. D. de acquir. hered.*

e) *L. ſi quis 3. §. eleg. ff. de S. C. Silanian.*

f) *L. unic. §. in noviſſimo C. de caduc. toll. & §. cum igitur.*

** Hoc enim legatario etiam ſine agnitione acquirebatur, Paullus *Sent. lib. III. tit. 6. §. 7.* quia teſtator, dum ita legabat, DO, LEGO, dominium confeſtim in legatarium transmittere videbatur.

g) *lib. 3. ſent. tit. 6. §. per vindic. ubi* Cujac.

h) *tit. 28. §. inteſtati.*

i) *L. 96. § 1. ff. de leg. 1.* Tacit. *lib. 3. annal.*

k) Ulpian. *tit. 24. §. 11. tit. 1. §. inter medias 19. & tit. 28. §. 7.*

l) *L. 55. ff. de leg. 2. &* Ulp. *tit. 17.*

m) *l. 35 ff. de mortis cauſa donat.*

n) Cujac. *ad l. triplici ff. de V. S.*

*** Eidem ſententiæ prope accedit Ant. Schultingius *ad Ulpianum tit. 24. §. 13. n. 34.* Contra, juri accreſcendi inter verbis conjunctos ſemper locum eſſe, contendunt van Bynkershoek *lib. II. Obſ. c. 3.* & Heineccius *ad legem Juliam & Papiam p. 432.*

Digitized by Google

jure autem ſubſtitutionis portio deficiens a ſubſtituto occupabatur); lex Papia jus quidem ſubſtitutionis reliquit integrum, jus vero adcreſcendi ex parte præcidit: *a*) nec prorſus ejus juris commodo ſpoliavit hæredes. Ait enim Ulpianus, *b*) ei, qui totam hæreditatem, aut partem ſibi relictam ſit reſtituere rogatus, nihil adcreſcere debere; non quia pars deficiens fiſco inferatur, ſed quia hæres totum reſtituere coactus careat re, cui portio deficiens poſſit adcreſcere. Eſt & alius Ulpiani locus, ubi hæredi ſcripto portio hæreditatis, perinde atque bonorum poſſeſſio adcreſcit. *c*) Et Celſus ait, filium hæredem, cui pars ejus, a quo fuerit legatum, adcreſcat; non præſtare legatum, quod jure antiquo capit. Quandonam igitur in partem cohæredis deficientem fiſcus ex lege Papia vocabatur? Neque enim Juriſconſulti ad legem Papiam ſcribentes de hæredum conjunctione tractaſſent, neque Juſtinianus caduca funditus tollens attigiſſet etiam cohæredum portiones, *d*) easque ad priſcam juris obſervationem revocaſſet; niſi ad fiſcum illæ aliquando pertinuiſſent. Quamobrem Jacobus Gothofredus ad hoc caput, & poſt eum Juriſconſultus recentior exiſtimarunt, *e*) lege Papia ſublatum jus accreſcendi inter hæredes ſcriptos, quando partes deficiebant vivo teſtatore, aut ante apertas tabulas: *f*) at apertis tabulis, atque hæreditate adita inter hæredes jus adcreſcendi manſiſſe: adeo ut conjuncti fiſco præferrentur. Cum autem hæredis portio repudiata adcreſceret alteri, dubitabatur, an ſimul cum onere ſuo transferretur? Quod Julianus negaverat. Ulpianus vero transferri ſcripſit poſt reſcriptum Severi, ex quo ab inſtituto relicta onera cenſentur a ſubſtituto repetita. Unde Ulpianus collegit pari ratione ab altero collega, cui portio adcrevit, onus videri repetitum. *g*) Inter legatarios autem prorſus ſublatum fuiſſe jus adcreſcendi per legem Papiam præter Juſtinianum, *h*) docuerunt & JCti præſertim Ulpianus. *i*) Subſtitutionibus tantum lex Papia pepercit, unumque hoc effugium patuiſſe teſtatoribus, qua legem declinarent, Juſtinianus tradit. *k*) Itaque JCti, qui privatorum teſtamentis adhibebantur, quique pro viribus odioſam ſtudebant coërcere legem, commenti ſunt reciprocam ſubſtitutionem, tanquam perpetuum bonorum nexum; ut uno peremto nodo, ſtatim hæreditas, aut legatum revinciretur altero, itaque fiſcus diutius averteretur. Adeo enim JCti hujus legis avaritiam abominabantur, ut vires illius ubicunque uſuveniret, cautionibus, reſponſisque ſuis extenuarent. Cujus bonitatis, prudentiæ, atque caritatis plura in legibus noſtris exempla ſuperſunt. Quale eſt illud Ulpiani, qui legatum negat intercidere, ſi fuerit deportatus is, cui relictum fuerat ſub conditione, *ſi Conſul eſſet*, quanquam enim is mortuo comparetur; tamen ne fiſco locus aperiretur, legatum conſiſtere ait propter ſpem reſtitutionis. *l*) Item & aliud ejusdem JCti, qui monſtroſum partum docet proinde atque integrum prodeſſe mulieri ad effugiendas legis Papiæ pœnas, ne materni fati calamitas cedat in fiſci lucrum, *m*) cum alias monſtroſus

a) Goth. *in not. pag. 340. ad hanc legem.*
b) *l. ſi totum 13. ff. de acquir. hæred.*
c) *L. 2. §. ſi duo ff. de bon. poſſeſſ. ſecun. tabulas.*
d) *C. de caduc. toll. §. his ita.*
e) Merillius *lib. 5. obſ. 4. & cap. 12. in fine.*
f) *L. unica §. 3. & 4. C. de caduc. toll.*
g) *L. 61. ff. de legat. 2.*
h) *L. unic. C. de caduc. toll.*
i) *Inſtit. tit. 34. §. optimum autem.*
k) *L. unica in princ. C. eod.*
l) *L. intercidit. ff. de condit. & demonſtr.*
m) *l. quæret. 135. ff. de V. S.*

partus

partus in liberis non numeretur, illumque occidens pœna legis Corneliæ non teneatur: nam legibus XII. tabul. parens eum, aut ferro necare, aut undis mergere jubetur: non enim videtur hominem interficere. *a*) Porro princeps minime ſolutus erat omnibus legibus, quippe qui, teſte Dione, *b*) a Senatu veniam legis Voconiæ peteret, & in legatis ſibi relictis Falcidiam *c*) pateretur: tamen ex S. C. ſolutus erat legibus caducariis ob earum odium, quod beneficium principes Auguſtæ impertierunt, ut tradit Ulpianus. *d*) Quam legem Tribonianus perperam locavit ſub titulo *de legibus*, quaſi ad leges reſpiciat univerſas, ac data opera celavit poſteros, leges aliquando a Juriſconſultis κατ' ἐξοχὴν appellari ſolas leges *Juliam & Papiam*, ad quas pertinet inſcriptio tituli, quem præfert lex illa *princeps ff. de legib.* Odio quoque legis Papiæ, legatorum nomen in articulo fideicommiſſorum diſcretum fuit a fideicommiſſis, quæ alias confunduntur: ne ſi ſub legatorum nomine venirent, fideicommiſſorum dies cederet ab apertura tabularum quemadmodum legata: cum contra fideicommiſſa, ſervato veteri jure, cedant a die mortis teſtatoris. *e*) Plura vero fuerunt S. C. ad hanc legem condita, quorum primo illud occurrit, quo mortis cauſa donationes iis factæ, qui lege capere prohibentur, in eadem jubentur eſſe cauſa, quaſi eisdem in teſtamento relinquerentur. *f*) Sequitur & aliud S. C. quo, ut fiſcus excludatur, ſubſtitutio reciproca, quamvis obſcurior, tamen ex mente teſtatoris, benigna interpretatione, inducitur, *g*) velut in hac ſpecie, *Titius & Sejus, uter eorum vivet, hæres mihi eſto.* Hos Celſus exiſtimat, ſi uterque vivat, ambos hæredes fore, alterutro vero mortuo, hæredem fore ſuperſtitem ex aſſe; quia, ut ſcribit Ulpianus, *h*) ſubſtitutio reciproca huic orationi ſubeſſe videtur; quod & in legato eodem modo relicto Senatum cenſuiſſe, Celſus tradit. *i*) Præterea huic tractationi aliud S. C. acceſſit, quo potior cauſa ducitur illius, cujus fides electa ſit, quam hæredis: unde quod Sejo fideicommiſſum fuerat ſub conditione, ut Titio daretur; Si Titius, pendente conditione, deceſſiſſet, legatum apud Sejum manebit, *k*) excluſo hærede ſimul, & fiſco. Satis non erat hitce legum capitibus fiſco, vel ærario proſpexiſſe, niſi legislatores fraudibus viam interclusiſſent: quibus detegendis (quod in legibus pœnalibus erat translatitium) certum decretum fuit præmium iis, qui privatorum fraudes ad magiſtratus, & Principes detuliſſent; quod fuit quarta pars rei delatæ, idque vulgare præmium Paullus appellat; *l*) eamque quantitatem præfinitam a Nerone fuiſſe, docet Suetonius; *m*) cum antea, quamvis propoſitis præmiis, eorum tamen quantitas incerta fuiſſet. *n*) Ne autem delatorum improbum agmen in urbe nutriretur, propoſitum fuit præ-

a) *L. 14. ff. de ſtat. hom.* Goth. *in l. quæret. ff. de V. S.*

b) Cujac. *obſ. 30. lib. 15.*

c) *L. 4. C. ad l. Falcid.*

d) *ad l. princeps ff. de legib.*

e) Cujac. *ad tit. C. de cad. toll. pag. 394. lit. C.*

f) *L. Senatus ff. de mort. cauſ. donat. quo pertinet L. & fideicom. ff. de legat. 3.* Cujac. *C. de cad. toll. pag. 794. lit. B.*

g) *L. Titius & Sejus cum ſeq. ff. de hæred. inſtit.*

h) *L. ſequenti.*

i) *L. idque ff. de hæred. inſtit.*

k) *L. Julianus ff. de leg. 2. l. in fraud. ff. de his, quæ ut indign.*

l) *L. 13. ff. de jure fiſci. §. 5.*

m) *in Nerone cap. 10.*

n) Tacit. *lib. 3. & lib. 14.*

mium iis, qui ſe ipſos detuliſſent, propriamque fraudem pateſeciſſent, fuitque dimidium rei, quam detulerant: ut Paullus, & Mauritianus prodiderunt. *a*) Quam ad rem S. C. prodiiſſe, docent ii, quos indicavimus. Tandem qui in fraudem legis fidem accommodaverit, & receperit ſe redditurum, quod per legem non licebat; hæreditate, ac legato ſibi relicto a fiſco privabatur. *b*) Juſtinianus vero legem caducariam evellit prope radicitus, reſtituitque jus antiquum, & fiſco reliquit bona vacantia, & ea, quæ ut indignis eripiuntur: quam legis Papiæ abrogationem explicat ipſe luculenter. *c*) Jam enim longe antea emendato bellorum civilium damno, populum oneribus hiſce levatum oportuerat. Nam ut apud Livium *d*) legitur: *quas tempora aliqua deſiderarunt leges, mortales, & temporibus ipſis mutabiles video.*

Quoniam autem in fiſci mentione verſamur, & lucris ipſius, commodum hic attexemus S. C. reliqua eo pertinentia, quorum illud, quo publicari vetantur, & hæredi remittuntur bona illius, qui Romam transmiſſurus a magiſtratu, ante ſententiam Romæ proferendam deceſſerit; cum ante judicium Romæ redditum, damnatus non videatur. *e*) Item illud, ut privato hærede, & fiſco, de hæreditate contendentibus, & creditoribus præterea petentibus; tam privata hæreditatis petitio, quam creditorum actio ſuſtineatur, ſive differatur *f*) donec jus fiſci examinetur: cum creditorum actiones non differantur, ſi duos inter privatos de alicujus hæreditate diſceptetur. *g*) Item illud de tacito fideicommiſſo, cujus partem dimidiam, conſtitutione ſua, Trajanus remiſit fideicommiſſario, qui antequam cauſa ejus ad ærarium deferretur, ultro ſe detuliſſet, ac profeſſus eſſet, eam rem ſibi relictam capere non poſſe. Cui conſtitutioni ſenatus adjecit, ut ſi quis adverſus Trajani beneficium ingratus, poſtquam profeſſus eſſet ſe capere non poſſe, tranſegiſſet cum poſſeſſoribus relictæ ſibi rei, atque lucrum inde cepiſſet, ſi tribus edictis evocatus non reſponderet; tantum ærario penderet, quantum ibi ex delata cauſa remanſiſſet, ſi profeſſionem impleſſet: & ſi poſſeſſoris quoque fraus argueretur, tantum poſſeſſor perſolveret, quantum convictus inferre debuiſſet, *h*) unde ab utroque ſimplum exigitur. Porro Senatus quoque cenſuit, ut contra fiſcum liceat opponere compenſationem; puta ſi quis debitor fiſci ſit, & creditor non debeat fiſco perſolvere, niſi deducto eo, quod fiſcus debet; dummodo tamen quod ei debet, una ſtatio, ſive procuratio fiſcalis non compenſet cum eo, quod debet alteri ſtationi, ſive procurationi. Erat enim exactio fiſcalis diviſa in plura officia, ne autem officia confunderentur, & involverentur fiſcales rationes; recte conſtitutum fuit, ut compenſatio locum habeat, quando una, eademque ſtatio creditrix eſſet, & debitrix. *i*)

a) *L. 15. ff. de jure fiſci. §. 3. & l. 13. §. ult. ff. eodem.*
b) *L. 10. ff. de his, quæ ut indign. ff. de jure fiſci. L. 13. §. 1. & L. 3. eod.*
c) *L. unica C. de caduc. toll.*
d) *lib. 34. cap. 6.*
e) *L. 2. ff. de bon. eor. qui ante ſent. vel mortem ſibi, &c.*
f) *L. apud Julian. 35. ff. de jure fiſci.*
g) *L. ult. C. de pet. hæred.*
h) *L. Arianus 42. ff. de jure fiſc.*
i) *L. 1. C. de compenſat.*

LXII. SENATUSCONSULTUM ET ORATIO ANTONINI DE TUTORUM NUPTIIS CUM PUPILLIS.

Legibus connubialibus recte attexentur S. Cta, quibus nuptiæ inter pupillas, & earum tutores, curatoresve prohibentur. *a*) Orationem habuit in Senatu M. Antoninus Imperator, qua ſententiam ſuam de infirmandis ejusmodi nuptiis protulit, optimis ad id ſane rationibus adductus: ne ſcilicet velamento nuptiarum tutores, qui conturbaverant pupillarum rationes, aut interverterant, fraudem tegerent ſuam; eoque artificio doli judicium declinarent. Ideo ne conjugalis reverentia ad tutoris auctoritatem accedens, puellares ſpiritus deprimeret, viresque omnes ad reſiſtendum adimeret; Senatus, ex M. Antonini ſententia, nullas eſſe nuptias cenſuit inter pupillam, & tutorem, aut tutoris filium, atque ita imbecillam ætatem, inopemque conſilii ſexum ab aſtutiorum fraudibus liberavit. Quam ob cauſam S. C. ſententia producta fuit a JCtis ad eos, ad quos tutoris, aut curatoris lucrum pertinet, & in quos fraudis ſuſpicio cadit: veluti eos, qui tutores non ſunt, tutelæ tamen periculum ſuo nomine ſubeunt, * & ad honorarios tutores, qui & de male geſta tutela tenentur. *b*) Unde non modo tutoris nepotes, qui filiorum nomine veniunt, *c*) ſed & filios etiam emancipatos S. Ctum complectitur: immo & exhæredatos, atque præteritos, eosque etiam, qui ſe paterna hæreditate abſtinuiſſent: ne forte ſubductis rationibus, bona patris per fraudem in eos collocata oporteat revocari tutelæ judicio. *d*) Quamobrem etiam extranei hæredes tutoris ex JCti ſententia a pupillæ nuptiis arcentur. Quid ſi avus, qui tutelam neptis ex filio emancipato geſſit, eam pupillam nepoti ex alio filio nuptum dare velit? Et quia par affectionis ratio ſuſpicionem fraudis removet; reſponſum eſt, S.C. mentem eo non eſſe producendam. *e*) Aliud erit, ſi filiusfamilias patri ſuo, aut fratri, qui eſt in eadem poteſtate, pupillam ſuam collocare velit: *f*) tunc enim erit locus S. C. quia communia ſunt patris, & filiorum commoda, ſicuti & communia ſunt onera; nam quemadmodum tria onera eadem in domo eſſe cenſentur, ſi pater alicujus, vel filius, vel frater unus tria ſuſtineat onera; ideoque locum habet excuſatio tutelæ; *g*) ita & pari ſuſpicione fraudis involvuntur: ut enim prodeſt periculi communio ad excuſationem, ita nuptiis obeſt participatio utilitatis. Præterea, ſi ventri, aut bonis curator detur, is etiam removetur a nuptiis; *h*) quamvis ad breve temporis ſpatium detur. Incivile præterea viſum eſt, puellam, aut tutoris liberto, aut liberti filio in contubernio ſuſcepto nuptum dari. *i*) Quid ſi teſtator in uxoris arbitrio poſuiſſet ſuiæ nuptias? An matris conſenſus prohibitas nuptias confirmabit, tanquam patris auctoritate contractas? Minime: non tam enim nuptiarum arbitrium permiſiſſe cenſetur teſtator, quam puellæ cuſtodiam tradidiſſe, *k*) ne tutori nuptum daretur:

a) *C. de interdic. matrim. inter pupil. & tut.*

* Veluti qui falſis ſe excuſationibus a tutela excuſaverint.

b) *L. quod ſi 14. §. 1. ff. de ſolut. L. ſi quis 60. ff. de ritu nupt.*

c) *L. S. C ff. de ritu nupt.*

d) *L. non ſolum 63. ff. de ritu nupt.*

e) *d. tit. ff. de ritu nupt. l. non ſolum §. 1.*

f) *d. l. non ſolum §. 2.*

g) *L. 5. ff. de excuſ tut.*

h) *L. non ſolum §. 4. ff. de ritu nupt.*

i) *L. 4. C. de interdict. matrim. l. non eſt 66. ff. de ritu nupt.*

k) *L. quanquam ff. de ritu nupt.*

eadem

eadem ratione tutori adrogatio pupillæ, vel pupilli, minime permittitur; *a*) nec adoptio mariti puellæ, ne hanc ſibi viam ad aliena bona patefaciat. *b*) Cum autem S. C. nuptias inter pupillas, & tutorem, atque curatorem, eorumque filios ob eam cauſam prohibuiſſet, ne imbecillis ſexus infirma ætas, auctoritate tutoris opprimeretur, idque periculum in ſexum virilem, utpote firmiorem minime immineret: haudquaquam oportuit *c*) S. C. exeunti ad eum, qui filiam ſuam pupillo ſuo in matrimonium collocat. Nec porrigitur S. C. ad eos, qui pro tutore, vel curatore, negocia gerunt; quoniam non eadem eſt auctoritas. *d*) Matrem quoque pupillæ ducere tutori licet. *e*) Præterea ſi pupilla ſit nurus tutoris; utpote quæ ante teſtatoris mortem, tutoris filio nupta fuerit: recte contractæ nuptiæ ſuſpicioſo eventu poſt matrimonium incidente minime diſſolventur; ſed alius curator datur, qui reddendis rationibus præſideat: *f*) generalis enim eſt in jure definitio, atque perpetua, nuptias rite contractas, conſequenti facto minime vitiari. Nec nuptiæ ſolum, ſed & ſponſalia hoc S. C. rejiciuntur. *g*) Quo etiam prohibetur ſponſus ſponſæ curator dari. *h*) At ſi tutor, aut curator rationes reddiderint, licebit ſibi, vel filio pupillæ nuptias appetere, dummodo ſimul puella XXV. annum impleverit, annusque utilis exierit, qui petendæ reſtitutioni conceditur. *i*) At ex conſtitutione Juſtiniani ad XXIX. usque annum prohibitio tenet: loco enim anni utilis ad reſtitutionem in jure antiquo petendam dati, ſubſtitutum eſt a Juſtiniano quadriennium continuum. *k*) Ad hoc S. C. exceptiones duæ produntur a prudentibus, nempe: niſi prius a patre deſpouſata tutori puella fuiſſet, & tutor maritus ab eodem patre puellæ deſignatus; vel ſi quis nurui ſuæ ſit curator datus, non enim diſſolventur contractæ nuptiæ, ut mox diximus: *l*) quibus caſibus vis S. C. perimitur. Ceterum præter diſſolutionem nuptiarum fraude contractarum, hujusmodi tutor infamiæ ſubjicitur, neque ex puellæ teſtamento capere quidquam poteſt, teneturque lege Julia de adulteriis. *m*) Puellæ vero licet ex hujuscemodi mariti teſtamento capere; fraus enim non puellæ, ſed tutori adſcribitur. Ejusdem exemplo S. C. principes inter mandata, quæ dabantur in provinciam cum juriſdictione proficiſcentibus, illud inſerebant caput, quo vetabatur, provinciæ rectorem ſibi vel filio uxorem ex provincialibus quærere: idque ratione potentatus, ut Papinianus ait: ne ſcilicet puellæ reſiſtendo impares, imperii metu, invitæ pertraherentur ad nuptias. *n*)

LXIII. S. C. PLANCIANUM.

Nuptias conſequitur procreatio liberorum, quos genitor agnoſcere tenetur, atque alere: ideo ſi divortio facto, mulier prægnans apparuerit, partus reddendus

a) *L. nec ei ff. de adopt. §. 1.*
b) *L. non ſolum §. videamus ff. de ritu nuptiar.*
c) *L. libertum §. ult. ff. de ritu nupt. L. 5. C. de interdict. mat.*
d) *L. 8. C. de interdict. matr.*
e) *L. 2. C. de interdict. matr.*
f) *L. 3. C. de interdict. matrim.*
g) Cujac. *parat. & enarr. C. de interdict. matrimon.*
h) *L. 1. §. ult. ff. de excuſat. ubi* Cujac.
i) *l. ſi patris 6. C. eod.* Cujac. *ibi in enarr. C.*
k) Cujac. *d. tit. C. de interd. matrim.*
l) Cujac. *ibidem.*
m) *L. ult. ff. leg. 1. l. qui pupillam 7. ff. ad l. Jul. de adult.*
n) *L. Præfectus 63. ff. de ritu nupt.*

eſt ei, a quo concepit. Hinc leges verum patrem decernunt, cujus curæ, ac poteſtati filius tradatur. Quamobrem S. C. Planciano, * ſive, ut alii ſcribunt, Plautiano (cujus quamvis ante Adrianum conditum ſciam, certum tamen tempus oſtendere non auſim:) hoc inquam S. C ratio præbetur, qua legitimo parenti filius usque ab initio aſſignetur: tum ut a patre, qui ſuus eſt, agnoſcatur; tum ut partes juri civili definitæ filiorum gratia ex dimiſſæ uxoris dote detrahantur. Siquidem aut morte mulieris matrimonium dirimebatur, aut divortio. Si morte dirimeretur, dos a patre profecta, eo mortuo, penes maritum remanebat: vivente vero patre, ad eum redibat, detractis partibus quintis in ſingulos liberos in infinitum, hoc eſt, pro numero liberorum: *a*) quarum partium retentionem quidem ante reddendam dotem habebat maritus, non petitionem. Unde jure antiquo, nullus erat diſputandi locus ad patremne, an ad maritum dos ſuperſtitibus liberis pertineret. Nam quia quintæ partes in ſingulos liberos a jure ſtatuebantur certe quod ſupererat ex detractionibus liberorum ad patrem redibat. Hæc vero quæſtio excitata fuit jure novo inter Martinum, & Bulgarum, cum detractio partium, & retentiones omnes a Juſtiniano ſublatæ fuerint. *b*) Diu vero quæſtione hac agitata, prævaluit ** opinio Martini, utpote liberis benignior, ne matris morte fieret eorum cauſa deterior. Si vero per divortium culpa mulieris, aut viri matrimonium ſolveretur, dabatur liberorum nomine retentio, non quintarum, ſed ſextarum partium in ſingulos liberos usque ad tres: nec in majori liberorum numero plusquam tres ſextæ, ſive dimidium dotis retinere licebat. *c*) Igitur S. C. Planciano permittitur mulieri, parentive, cujus poteſtati ſubeſt, vel ei, cui mandatum ab eis fuerit, ſi prægnans exiſtimetur mulier, id denunciare intra triginta dies continuos a die divortii vel ipſi marito, *d*) vel parenti, cujus eſt in poteſtate; aut ſi horum copiam non habeat, denunciare domum, vel in hoſpitium, ſi maneat in civitate maritus; ſi in villa, vel in municipio, illuc ubi larem matrimonio collocaverit. Ita enim JCtus accipit illa verba S C. XXX. *dies*, *& domum mariti*. Atque ubi mulier ſe prægnantem ex eo eſſe viro denunciaverit, ille ne partum agnoſcere cogatur, neve agnoſcere recuſans extra ordinem coërceatur, debet aut cuſtodes præmittere, aut contra denunciare, gravidam ex ſeſe non eſſe: quo jus habeat in judicio negare filium. *e*) Sin autem mulier denunciare neglexerit, aut oblatos ultro a marito cu-

* Latum id forſitan a M. Plancio Varo, quem Prætura functum laudat Tacitus *Hiſtor. L. II. c. 63.* & forſan idem eſt, qui Proconſul dicitur in numo Græco apud Sponium in *Itinerario*.

a) Ulp. *tit. 6. de dotibus § mortua.*

b) *L. unic. §. taceat verſ. ſileat C. de rei uxor. act.*

** Quamvis in Bulgari ſententia juris prævaleret auctoritas. Utique enim ex *L. 5. D. de divort. L. 4. & 59. D. ſol. matrim.* inprimis vero ex *L. 6. D de jure dot.* intelligitur, dotem, defuncta filia, patri reddendam eſſe, ne & filiæ amiſſæ & pecuniæ doti datæ damnum ſentiret. Quare Jaſon dicere ſolebat, nihil veri a Martino proferri ſolere. Quam diverſimode Bulgarus & Albericus a Porta Ravennate de dote reddenda ſenſerint, cum ab ipſis in domo vidua dos repeteretur, vide ſupra in libro primo *c. 146. & 150.*

c) Ulp. *tit 6 de dot. §. propter liberos.*

d) Ulp. *l. 1 ff. de agnoſcend. vel alen. liber in pr. & ſeq. § 9.*

e) *d. L. §. 3. & 4. ff. de agnoſc. vel. al. lib.*

ſtodes remiſerit, liberum eſt marito, ejusve parenti recuſare partum, ejusque agnoſcendi, alendique curam rejicere in mulierem; *a*) niſi mulier poſt lapſos triginta dies denunciaverit, & negligentiam ſuam apud judices corrigens audita fuerit, *b*) quod ſane licebat. Hoc autem S. C. non eo pertinet, ut ſi ex ſeſe conceptum non eſſe conſtiterit; tamen quia ſe agniturum obtulit, cogatur hæredem ſuum habere filium alienum, quamvis alere debeat; & contra, quamvis mulier intra præſtitutum tempus denunciare neglexerit, & ob id pater alendi onere levetur, liceatque filium non agnoſcere; non ideo tamen prohibebitur filius ex patre ſe natum aſſerere, idque legitimo judicio comprobare; ſive enim præceps fuerit patris voluntas in agnoſcendo filio, ſive matris cura in denunciando remiſſior; Juriſconſulti neutrum voluerunt præjudicium eſſe contra veritatem. *c*) Eſt autem præjudicium omnis controverſia ſtatus, in qua quæritur, liberne ſit quis, an ſervus; filius annon. Diciturque præjudicium quaſi judicium antecedens aliud, cum eam actionem alia, veluti pediſſequa conſequatur; nam ſi quis filius pronuncietur, continuo poterit judicium de patris ſucceſſione movere. *d*) Itaque Senatusconſultum hoc ſi accipietur, ut quoad in judicio conſtiterit, ex quo revera parente partus deſcendat, ex ſuperiori regula alimentorum ratio ſtatuatur: aut ſi nulla de veritate partus controverſia moveatur, alimentorum ſubeat onus, qui contra Senatusconſultum venerit. Nec quia de alimentis quærere quis antevertit, minus integrum erit, ſtatus controverſiam agitare. *e*) Quamobrem, quod Paullus ait, maritum, ſi poſt uxoris denunciationem cuſtodes miſerit ad inſpiciendum, obſervandumque ventrem, cogi omnino mulieris partum agnoſcere; a Cujacio tantum ad alimenta trahitur: ne quis putaret ex hoc Paulli loco ademtam eſſe marito facultatem negandi partum, ſi id in judicio alienum eſſe comprobare potuerit. Itaque componit repugnantiam, * quæ videtur eſſe inter Paullum, & Ulpianum. *f*) Secundum hæc quæritur, quot, quive ſint mittendi? Et ſane ſi maritus divortio facto vivat, ex reſcripto Divorum fratrum, ſatis fuerint tres obſtetrices, quæ ſi renunciaverint prægnantem, ventri cuſtodes apponentur. Marito vero mortuo, ii, quorum intereſt, quibusque Prætor denunciatum vult, jubentur quinque mittere obſtetrices, quodque tres earum renunciaverint, verum conſtituitur. *g*) Verum Plancianum S. C. partum tantum ſoluto matrimonio editum complectitur. Quamobrem Adriani temporibus aliud prodiit Senatusconſultum, quo pater filium conſtante matrimonio ſuſceptum agnoſcere compellitur. *h*) Quia vero hæc Senatusconſulta pertinent ad eos, qui ſui hæredes agnaſcuntur, Juriſconſulti cenſuerunt ea ceſſare, ſi nati poſt mortem paren-

a) Paull. *lib.* 2. *ſent. tit.* 24.
b) *d. l.* 1. §. 6. & 7. *ff. de agnoſ. vel alen. lib.*
c) *L. pr. ff. de agnoſ. liber.* §. 3. & 14.
d) Paull. *lib.* 2. *ſent.* §. *ſi prægnantem t.* 24.
e) Paull. *ſent.* 2. §. *ſi mulier* 4. *tit.* 24.
* Imo diſtinctionem non admittit vocabulum omnimodo, quod eſt apud Paullum. Quare non incommode malebat Schultingius legere *non miſſis* per *L.* 1. §. 12 & 15. *D. de liberis agnoſc.* inprimis, quia miſſis cuſtodibus maritus minime cogitur partum agnoſcere per *d. l.* 1. §. 6. & 11.
f) *l.* 1. §. *quemadmodum* 11. *ff. de agnoſc. liber.*
g) *L.* 1. §. *de inſpiciendo ff. de inſpic. ventr.* Paull *ſent. l.* 2. *c.* 24. *ubi* Cujac. §. *ſi mulier ſe.* & §. *venter.*
h) *L.* 3. §. 1. *ff. de agnoſc. liber. ubi* Gothofr.

-tis in nullius ſint poteſtate recaſuri. *a*) Sed & aliud extitit hujus S. C. caput, quo pœna legis Corneliæ de falſis puniebantur ii, qui falſum partum ſubjecerint: cujus S.C. caput intercidit: tantum de falſo partu pluribus locis in titulo Digeſtorum ad legem Corneliam diſputatur. *b*)

LXIV. DE LEGE ATINIA.

Satis adhuc pro inſtituta brevitate leges pervagati ſumus, & Senatusconſulta, quæ perſonarum ſtatum attingunt: nunc ad ea, quibus negocia reguntur, ex ordine progrediamur. Atque ex negociis primo ea, quæ inter vivos geruntur, examinabimus; deinde quæ ex teſtamentis, & ex aliena morte proficiſcuntur tractanda ſuſcipiemus. Exordium vero ſumemus a legibus uſucapionis: quarum antiquiſſima ſane fuit Atinia, quam ante Nigidium Figulum, & Ciceronem latam, Gellius, *c*) & Cicero ipſe demonſtrat. Eaque lex additamentum fuit vetuſtiſſimæ legis XII. tabular. quæ rerum furtivarum æternam eſſe jubebat auctoritatem, earumque uſucapionem prohibebat. Quod translatum fuit * in legem Atiniam, *d*) ex eaque additum, ut non prius rei furtivæ vitium emendetur, uſucapiove concedatur, quam res ab injuſta poſſeſſione redierit ad verum dominum. Itaque per hanc legem, tum demum res furtiva vitium exuit, cum reprehenſa fuerit a vero domino. Quod Nigidius Figulus non ſolum ad poſteriora furta, ſed ad ea etiam ante legem facta trahebat. Quanquam enim verbum *erit* futurum reſpicit; tamen quia præpoſitum eſt ei præteritum *factum*, utraque tempora, futurum ſcilicet, & præteritum ea oratione conjunguntur. *e*)

LXV. DE LEGE PLAUTIA.

Quod autem lex Atinia ſtatuit de rebus furtivis, lex Plautia, & Julia tranſtulerunt ad res vi poſſeſſas, quæ longa poſſeſſione uſucapere non licebat *f*) niſi poſt reditum ad verum dominum, cujus in manu vitium exuiſſent. Legis vero hujus Plautiæ auctorem faciunt eundem, cui ceteræ ejuſdem nominis leges tribuuntur, Marc. ſcilicet Plautium ** Silvanum tribunum plebis, cujus tribunatus incidit in conſulatum Cneji Pompeii Strabonis, & L. Porcii Catonis A. V. C. DCLXIV. Pertinet autem lex ad res vi poſſeſſas, non autem ad ea, unde quis vi dejectus eſt, & ab alio bona fide poſſidentur.

a) *L. 1. & 3. in fin. ff. de agnoſ. liber.*

b) *L. qui falſam 19. §. 1. ad l. Cornel. de falſis l. cum ſuppoſiti 10. C. eod. tit. de falſis.*

c) *lib. 7. c. 7. noct. Attic.* Cic. *in Verr. 3.*

* Imo ultra porrectum. Lex enim XII. tabularum ad res tantum furtivas, Atinia ad ſurreptas pertinebat, quo nomine etiam amotæ veniunt. Gothofredus *ad XII. tabulas tab. 2.*

d) *L. ſequitur §. quod autem 6. ff. de uſurp. & uſuc. ubi* Cujac. *ad lib. 54.* Paull *ad edict. l. non ſolum in princ. ff. eodem. Inſtit. de uſucap. §. furtivæ l. poteſtatis 215. ff. de V. S. vide* Pulvæum *lib. ſing. ad l. Atin.*

e) *l. verbum erit ff. de V. S.*

f) *L. non ſolum §. ſi dominus ff. de uſurpat. & uſucap.*

** Quod pluribus docet Stephanus Vin. Pighius *Ann. T. III. p. 228.* Illata ea dein legi Juliæ de vi publica & privata, latæ ab Auguſto, ut putat Hotomanus de *legibus p. 77.* quare etiam Plautia & Julia dicitur in *L. 33. §. 2. D. de uſurp. & uſuc.*

LXVI. DE LEGE SCRIBONIA.

Huic attexenda eſt lex Scribonia, quam aliqui Cœlio Curioni trib. plebis, aliqui vero, præcipue Rævardus, *a*) tribuunt L. Scribonio Coſ. F. *b*) qui Tiberii tempore vixit, quod verius puto. * Ea ſuſtulit omnino uſucapionem ſervitutum: quæ non corpore poſſidentur, ſed tantum animo ** cernuntur, atque contrectantur. Uſucapio autem antea hærere tantum poterat ſervitutibus prædiorum urbanorum, *c*) quia continuam cauſam habebant, veluti ſi quis ædes altius ſublatas diu habuiſſet. Nam ruſticorum prædiorum ſervitutes, (quod tamen Rævardus negat,) ea ratione uſucapionem excludebant, quod ne quidem quaſi poſſeſſione retineri poterant, quia deerat cauſa continua: nemo enim ambulare, agere, aquam ducere poterat continenter; unde nunquam in his conſiſtit uſucapio. *d*) Porro lex Scribonia ſervitutum uſucapiones tollendo, non impedit, quin ſervitutum libertas uſucapiatur, *e*) ſive quin longa deſuetudine, aut contrario uſu ſervitus amittatur. Item quamvis ante legem Scriboniam ſervitutes biennio uſucaperentur; nunc tamen etiam adquiruntur, ſed longa poſſeſſione, bona fide, absque alio jure, ſive titulo auctoritate Prætoris. *f*)

LXVII. DE LEGE MAMILIA.

Tulit & C. Mamilius trib. plebis inter plura capita de limitibus, (unde & Limitanus dictus,) ut inter fines agrorum quinque, aut ſex pedum latitudinis ſpatium ab uſucapione deinceps eximeretur. *g*)

LXVIII. DE USUFRUCTU EARUM RERUM, QUÆ USU CONSUMUNTUR.

Et hæc de uſucapionibus. Habemus autem de uſufructu S. C. nempe de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, hoc eſt rerum, quarum non uſus eſt, ſed abuſus. Quo Senatusconſulto loco fundi, in quo uſusfructus inſideat, conſtituitur cautio reddendæ pecuniæ, vini, olei, aut ſimilis alius rei corruptibilis poſt

a) *lib. ſing. ad l. Scribon.*

b) Dion Caſſius *lib. 57.*

* Galvanus de *uſufructu Diſſ XII.* §. 4. legem hanc ad L. Scribonium Libonem refert, qui A. U. C. DCCXIX. Conſul fuerit cum Antonio, ſed ejus argumenta rem dubio non eximunt, ut oſtendit Everardus Otto in diſſertatione de *Uſucapione ſervitutum.*

** Accedebat, quod iniquum videretur, tam brevi temporis ſpatio fundum liberum ſervitute onerari, in tanta per bella civilia rerum confuſione, & tot tamque diuturnis Quiritium peregrinationibus. Quæ ratio minus ſubtilis eſt, quam illæ, quibus uſucapiones ſervitutum ideo inhibitæ dicuntur, quod in ſervitutibus locus non eſſet poſſeſſioni, & quod lex XII. tabularum tantum pertineret ad res corporeas.

c) Cujac. *ad l ſequitur 4. ff. de uſurpat. & uſucap. ſive ad lib. 54. Paull. ad edict. §. ultimo.*

d) Cujac. *in repet. ad §. ult. l. ſequitur ff. eodem, nempe ad lib. 54. Paulli ad edict.*

e) *l. ſequitur §. ult. ff. de uſurpat. & uſucap. ubi* Cujac. *in repet. ad hunc §.* Rævard. *loco citat*

f) Cujac. *loc. cit.*

g) Cicero *de leg. 2. vide* Hottoman. *de leg.*

finitum

finitum uſumfructum. Qui hac ſpecie conſtitutus mutuo eſt affinis, de quo late *tit. ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur.* Ejus nullum tempus certum oſtenditur. Tantum ſcimus, Marci Tullii tempore nondum prodiiſſe, *a*) ut notat Contius, & Cujacius. *b*) Neque cautio hæc remitti poteſt a teſtatore, ne a ſuo teſtamento Senatusconſultum excludat. Intelligitur autem cautio hæc fidejuſſoribus datis. *c*)

LXIX. DE S. C. MACEDONIANO.

Nunc pergamus ad leges de fœnore, non eas ſcilicet, quæ ad publicum regimen pertinebant, ſed illas, quæ reſpiciunt jus civile privatorum, cui operam noſtram dicamus. Quamobrem, omiſſa lege Lætoria, quam ſupra expoſuimus, explicabimus S. C. Macedonianum, quod etiam coërcendæ adoleſcentium intemperantiæ, atque fœneratorum fraudibus recidendis conditum fuit. Cui Senatusconſulto auctoritatem tribuit lex Claudia, Claudii Imperatoris tempore lata, qua vetabatur, pecuniam mutuam dari adoleſcentibus in mortem patris, ſive dilata ſolutione ad patris mortem. *d*) In cujus ſententiam legis conditum fuit Senatusconſultum Macedonianum, ſic appellatum, non a Macedone adoleſcente, qui ſua omnia per luxuriem prodigebat, ut falſo Theophilus tradidit; ſed a Macedone fœneratore * quodam improbo, qui ſuis vitiis, & pecunia, quam fœnerato dabat, inconſultos, & præcipites ad libidinem adoleſcentes corrumpebat, incertis nominibus, *e*) ſive ſuppreſſa cauſa mutui, celatoque titulo crediti, & tacito fœnore, atque ut eleganter Cujacius *ſub tunica, & in ſinu*, cui apud Horatium opponuntur *certa nomina.* Itaque, *f*) ne filiifamilias gravitate fœnoris obruerentur, neve poſt mortem patris hæreditatem omnem creditoribus tradere cogerentur; Senatus præſtitit adverſus creditores exceptionem, qua mutuantis actio repellatur. *g*) Addit Juſtinianus, ideo ita Senatum caviſſe, quia plerumque adoleſcentes luxuria, & ære alieno exagitati parentum vitæ inſidias moliebantur. Itaque recte Ulpianus ſcribit, pecuniam perdere, qui eam filiisfamilias mutuam dederit. Sunt qui hoc S. C. cum Claudii lege tempore conjungant, ſicuti & ſententia conjunguntur. Sed quia, in eandem ſententiam Senatum decreviſſe ſub Veſpaſiano, Suetonius *h*) tradit, malunt plerique S. C. ejus originem a Veſpaſiano repetere, niſi forte obſoletum poſtea ſub Veſpaſiano revixit.

a) Contius *ex Cic. topicis ad l. 7. ff. eod.*

b) *lib. 17. quæſt. Papin. lib. 8. ff. de uſuf. ear. rerum, quæ uſu conſum.*

c) Cujac. *loco cit.*

d) Tacit. *annal. lib. 11. cap. 13.*

* Imo bene Theophilus SCtum Macedonianum non a Macedone fœneratore, ſed a Macedone, filiofamilias dictum fuiſſe, putabat De filio enim utique intelligi poteſt Ulpianus in *L. 1. pr. D. de S. C. Macedoniano*, uti manifeſte docuit Heineccius ad *titulum Pandectarum de hoc SCto §. CLXIX.* in *ſcholio*, qui Theophilum alibi univerſim a recentiorum calumniis vindicat. Quæ de Veſpaſiano in fine capitis dicuntur, pluribus illuſtrantur a Brummero ad L. *Cinciam c. 3.* ubi docet, ſæpe jura iis tanquam auctoribus tribui, a quibus deſuetudine inumbrata in uſum tantum revocata fuerint.

e) *vide* Pareum *lexic. critic.* Weſſemb. *hoc tit.* Cujac. C. *hoc tit. & parat. ff. ad S. C. Macedon.*

f) *l. 1. ff. ad S. C. Maced.*

g) *in Inſtit. tit 7. lib. 4.*

h) *in Veſpaſ. cap. 11.*

Digitized by Google

LXX. LEX JULIA DE CESSIONE BONORUM.

Debitoribus vero univerſis lex Julia ſubvenit, quæ de ceſſione bonorum appellatur; eaque iis conceſſit, ut ſi ſolvendo non eſſent, liceret bona creditoribus cedere, quo non debitoris, ſed creditorum nomine bona deinde diſtraherentur. Quo beneficio debitores non modo effugiunt pœnam carceris, quæ aſperitas e XII. tabulis ſupererat; ſed etiam declinant infamiam illam, quam incurrebant, cum ære alieno merſi patiebantur ex edicto miſeram illam ſectionem bonorum a Prætore ſubſtitutam, loco illius longe miſerioris ſectionis, nempe dilacerationis membrorum XII. tabular. permiſſæ legibus. Mitior certe fuit Prætoris pœna, qua non membra corporis, ſed patrimonium debitoris, & fama proſcindebatur. Mitiſſima tandem lex Julia fuit, quæ beneficio ceſſionis debitores etiam ea levavit infamia, quam ſubibant, cum eorum nomine bona ſubjiciebantur auctioni. Et quamvis actiones adverſus debitores non peremerit; eas tamen eliſit, ac viribus ſpoliavit exceptione *ſi non ceſſit bonis*; qua debitores poſt ceſſionem muniuntur, quoad nova bona adquiſiverint. Ceſſio enim bonorum non obſtat, quin bona poſt ceſſionem quæſita veteribus actionibus ſubſint, in quantum facere debitor poſſit. *a*)

LXXI. DE S. C. VELLEJANO.

Atque his juribus in univerſum unicuique ſubvenitur. Mulieribus vero peculiare beneficium tribuerunt edictis ſuis Auguſtus, & Claudius: quibus occurrebatur imbecillitati mulierum, quæ conjugali amore, atque inconſulta facilitate ſeſe temere implicant. Itaque cavebatur, ne virorum obligationes in ſe ſuſciperent, neve actioni, qua viri tenebantur, ſe ſubjicerent. M. tandem Silano, & Vellejo Tutore Coſſ. *b*) * ſubventum plenius fuit fœminis omnibus pro aliis quibuscunque bona fide non callide, neque dolo intercedentibus, & alienis obligationibus, ſciente creditore, conſentientibus. *c*) Etenim hæ omnes interceſſiones infirmantur

a) *C. qui bon. ced. poſ. ubi* Cujac.

b) *L. 1. ff. ad S. C. Vell.* Cujac. *parat. C. eod. & l. 2. ff. eod.*

* De quibus Conſulibus etſi conſtet ex *L. 2. §. 1. D. ad Senatusconſultum Vellejanum*, annus tamen, quo Conſulatu functi ſint, ita adhuc definiri nequit, ut ſcrupuli ſimul omnes tollerentur. Antonius Schultingius in *Jurisprudentia Ante-Juſtinianea, pag. 640.* Senatusconſultum Vellejanum perinde ut legem Juniam Vellejam acceptum fert temporibus Claudii, & utrumque latum cenſet Valerio Aſiatico & M. Junio Silano Conſulibus, quorum Conſulatus referri ſolet ad annum urbis 798. vel 799. Cum enim prior horum, ut eſt apud Dionem *L. IX. p. 675.* ante finem anni ſponte ſe magiſtratu abdicaverit, ſucceſſorem Eruditiſſimo Viro habuiſſe videtur Vellejum Tutorem, in primis quod & in *L. 2. §. 1. D. ad S. C. Vellejanum*, Vellejus Tutor Junio Silano collega datur. Sed hunc Vellejum in Faſtis Rufum dici, obſervat Heineccius *Antiq. T. II. p. 115.* ideoque mavult natales hujus Senatusconſulti ab Auguſti ævo repetere, quo L. Silanus & Vellæus Tutor memorantur in marmore apud Gruterum *Inſcr. p. 470. 1. & 2.* Sed hic Silanus Lucius dicitur, noſter Marcus apud Ulpianum, qui præterea vocula poſtea tam Claudii quam Auguſti tempora complecti videtur. Quare ſupereſt, ut vel Vellæum Tutorem, Rufum cognominatum dicamus, vel cum Gravina noſtro ab anni determinatione abſtineamus.

c) *L. 5. & 7. C. hoc tit. & l. quamvis 8. ff. eodem.*

S. C. Vellejano, quo repellendis creditorum actionibus, exceptio mulieri præbetur, ſive novam, ſive veterem in ſe ſuſceperit actionem, *a*) de quo S. C. pauca retuliſſe ſatis fuerit, cum perſpicue, atque abunde de eo in Digeſtorum libris diſputatum inveniatur: nec ulla difficultas ex antiquitate ſuperſit.

LXXII. DE LEGE CINCIA, S. C. ÆMILIANO, ET ORATIONE MARCI DE TRANSACTIONIBUS.

Tranſeamus nunc ad donationes, de quibus anno ab V. C. DXLIX. lex prodiit, quæ vetabat ob cauſas orandas donum quoddam, munusve accipere. Dictaque lex Cincia fuit, utpote lata a M. Cincio Alimento tribuno plebis ejus anni. *b*) Cum autem Cincia lex oratorum avaritia, & fraude contemneretur, ſæpe de ea reſtituenda inter Patres agebatur, & ſub Auguſto per S. C. revixerat, donec ſub Claudio in Senatu conſtitutus fuit modus muneribus oratorum ad dena usque ſextertia in ſingulas cauſas. Quam ſententiam Cujacius cenſet fuiſſe comprehenſam S. C. illo, quod memoratur in *ultima epiſtola Plinii libro 5. c*) Dena vero ſextertia ratione recte ducta, centum aureos * conficiunt. Quod Budæus, & Alciatus probant. *d*) Id vero S. C. a Nerone confirmatum, tradit Suetonius. Hæc autem lex Plauto dicitur muneralis, quo nomine legem Cinciam deſignari, tradit Feſtus Pompejus. *e*) Unde colligitur non ſolum oratorum donationes, ſed & alias omnes fuiſſe imminutas, quamvis Joſepho Scaligero excelſi ingenii, atque inauditæ eruditionis viro in ſuis ad Feſtum notis id minime probetur. A cujus ſententia me abducunt Juſtinianus, *f*) & Juriſconſulti in pluribus juris locis, ubi *legitimus modus donationum* ſcribitur. Cur enim *legitimus modus*; *g*) niſi lege aliqua, & quidem Cincia de donationibus præſcriberetur? Niſi putaverit Scaliger per legem Cinciam oratorum donationes omnino fuiſſe ſublatas; alias vero ad certum modum redactas, nempe CC. aureorum, ut tradit Cujacius ex C. Theodoſiano: *h*) quod autem hunc legis modum excederet, minime ratum per legem erat, præterquam ſi conjunctis perſonis donaretur. *i*) Solennitas quoque traditionis per mancipationem, & nexum ex hac lege injungebatur, exceptis donationibus inter parentes, & liberos. *k*) Male vero aliqui, quos refellit Cujacius in citatis locis, decepti, depravatis codici-

a) Cujac. *parat. ff. eod.*

b) Cicero *Cat. majori, & lib. 2. de orat.* Livius *lib 34.* Arnobius *lib. 2. contra gent.* Tacit. *lib. 11. 13 & 15.* Lipſius *in Tacit. l. 11. annal.* Manut. *lib. de leg. ad hanc l.* Cicero *lib. 1. epiſt. ult. ad Attic.*

c) Cujac. *obſ. lib. 6. cap. 19.*

* Singula enim ſeſtertia, ita ſcribendum, non ſextertia, dicitur enim ſeſtertium pro aſſe ſesquitertio, mille ſeſtertios continent, quorum C. valent aureum ſeu quatuor unciales. Licebat igitur donare quadringentos unciales.

d) Tacit. *annal. lib. 13.*

e) *verbo* muneralis.

f) *L. ſancimus C. de donat. l. cum de modo l. ut mihi l. fidejuſſori ff. de donat.*

g) *L. pone §. ſi donavi ff. de doli mal. & met. except. ubi* Cujac. *71.* Paull. *ad edict. Probatur id etiam ex* Cicer. *de oratore l. 2. pag. 201.*

h) *L. 4. & 5. de donat. ubi vide* Jacobo Gothofr.

i) Cujac. *ad l. Aquilius 27. ff. de donat. ſive ad lib. 29. reſponſ. Papin.*

k) Hottom. *de leg. Ant. Auguſti in hac leg. & leg. 1. §. ſicuti ff. de var. & extraord. cognit.*

bus,

bus, hanc cum lege Titia * conjungant, quæ pertinet potius ad ſponſiones, quas nonniſi virtutis cauſa fieri licebat. Porro qui primus ob orandam cauſam pecuniam acceperit, traditur ab Ammiano Marcellino *a*) Antipho Rhamnuſius. Magiſtratibus vero xenia, ſive parva munuſcula, eſculenta vel poculenta, quæ intra dies proximos conſumuntur, licebat accipere ex plebiſcito, cujus nullum adhuc patrit nomen. *b*) Non omittam S. C. de donationibus mortis cauſa factis in eos, quos lex capere prohibet: quæ eadem in cauſa ſunt habendæ, qua eſſent legata iis, quibus per legem capere minime licet. *c*) ** De quibus etiam ſupra. Erat S. C. quod recte a Cujacio Æmilianum appellatur, utpote orationem in Senatu habente Caracalla editum, Fulvio Æmiliano, & Nummio Albino Coſſ. quo laxabatur ſeveritas Romani moris donationes inter virum, & uxorem ex Solonis inſtituto prohibentis *d*) eo conſilio, ne invicem ſpolientur conjuges: neve donis potius, quam mutuis officiis, ad mutuum amorem provocentur. Quamobrem hoc S. C. inductum fuit, ut donationes eæ inter conjuges donatoris morte convaleſcerent, ſi usque ad mortem in ea voluntate perſeveraſſet, quaſi donatum inter vivos teſtamento confirmetur. *e*) Donationibus recte conjungentur transactiones, de quibus oratione Marci Antonini *leg. cum hi ff. de tranſact.* S. C. comprehenſa conſtitutum fuit, ne alimentorum tranſactio rata eſſet, niſi auctore Prætore fieret: quia plerique, inopia coacti, pauca recipere, quam plura ſperare malunt. Antequam autem a negotiis vivorum diſcedamus, adjiciendum eſt S. C. ſuper corruentium ædificiorum reſtitutione utiliſſime conditum, eodem Imperatore ſuadente. Quo S. C. domus reſtituta, tacito pignore obligatur creditori, cujus ſumtu reſtituatur, ſive creditor pecuniam in ſumtus ipſi domino tradiderit, ut S. C. verbis comprehendebatur, ſive redemtori, hoc eſt illi, qui domum a domino reſtituendam conduxerit, ſeu acceperit τῷ ἐργολάβῳ, ut habent Baſilica, quam ad ſpeciem S. C. ſapientum interpretatione profertur. Sed jam ad negotia veniamus, quæ a morte aliorum exiſtunt, legesque ad ea pertinentes accedamus.

LXXIII. DE LEGE CORNELIA DE TESTAMENTIS.

Igitur ex teſtamentariis primum locum damus legi Corneliæ, *** quæ teſtamenta in urbe condita ab iis, qui apud hoſtes deceſſerunt, perinde confirmat, ac ſi nunquam in hoſtium poteſtatem deveniſſent. Cum enim quis hoſtium potitur, teſtandi facultatem amittit, neque apud hoſtes moriens civis Romanus reputatur; & quia teſtamentum civis Romani morte conſiſtit, ideo jure civili nullum eſſe teſtamentum videbatur illius, qui poſt illud conditum in urbe deceſſerat apud hoſtes. Quæ teſtamenta, ne propter calamitatem intercciderent, L. Cornelius Sylla Dictator,

* De qua in *L. 3. D. de Aleatoribus.*

a) *lib. 30.* Brumer. *cap. 1. ad leg. Cinc.*

b) *L. plebiſcito 18. de off. Præſid.* Cujac. *obſerv. lib. 6. cap. 18.*

** Velut Senatori libertinam, ingenuo ſcenicam ducenti, cælibi porro & orbo pro parte dimidia.

c) *l. Senatus ff. de mort. cauſ. donat.*

d) Cujacius *parat. ad ff. de donationibus inter virum & uxorem.*

e) *l. cum hic ſtatus 32. §. orat. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

*** Quam a L. Cornelio Sulla, dictatore, circa annum DCLXXI. latam, putat Sigonius *de judiciis II. 31.*

legem

legem tulit, *a*) qua initium captivitatis pro morte habebatur; ut eorum teſtamenta quaſi mortuorum in urbe convaleſcerent: omniaque in eandem cauſam reciderent, in qua eſſent, ſi nunquam teſtator in hoſtium poteſtatem perveniſſet. Itaque ſi apud hoſtes quis decedat, teſtamentum ante captivitatem factum valet lege Cornelia, quæ captivitatem convertit in figmentum mortis: ſi vero captivus redierit in urbem, teſtamentum illius valebit jure poſtliminii, a jure gentium ducto, quo is, qui ab hoſtibus ad cives rediit, perinde habetur, ac ſi nunquam civitatem amiſiſſet, quaſi nunquam fuiſſet apud hoſtes. *b*)

LXXIV. S. C. NERONIANUM DE LEGATIS.

Porro antequam progrediar ad uberiores leges, defungar explicatione S. C. Neroniani ad legata pertinentis, atque ob levem, quam de eo mentionem Ulpianus facit, a paucis admodum animadverſi: cujus ſententia eſt, ut quod minus integris verbis legatum eſt, perinde ſit, ac ſi optimo jure * legatum fuiſſet. *c*) Laxavit igitur ſeveritatem juris civilis in legatis, quæ valere voluit quoquo modo ſententia eliciatur: quamvis verbis prolata non fuerint a lege præfinitis. Occurrunt etiam & S. C. alia minus nota, nulliusque fere nominis ad legata pertinentia; quale illud fuerit, quo tacita ſubſtitutio ſubjicitur legato ad exemplum inſtitutionis hujus: *Titius & Sejus, uterve eorum vivat, hæres mihi eſto*, per quæ verba, ſi uterque vivat, ambo hæredes erunt; altero mortuo, hæres erit ſuperſtes, propter tacitam ſubſtitutionem, quam Senatus cenſuit ineſſe ſimili legato: *Titio, & Sejo, utri eorum vivat hæres meus centum dato.* Nam ſi uterque vivat, ambo legatum accipient; altero vero mortuo, integrum legatum accipiet ex tacita ſubſtitutione ſuperſtes. *d*) S. C. quoque decernitur, ut columnis vel tignis per fideicommiſſum relictis, ea tantummodo præſtentur, quæ auferri poſſent, ſine domus injuria, neque mentio æſtimationis habeatur. *e*) **

LXXV. DE LEGE FURIA.

Infinitam vero teſtandi licentiam, XII. tabul. lege permiſſam, leges aliquæ poſterioribus temporibus coanguſtarunt. Quarum eſt lex Furia, *f*) quam tulit C.

a) *Julian. leg. 12. ff. qui teſt. fac. poſſ. ubi* Cujac. *lib. 42. ff. Salv. Jul.* Ulp. *Inſtit. tit. 23. ubi* Cujac. *lib. 28. ff. de vulg. & pupill.*

b) Cujac. *tit 23. Ulpian. & ad l. 29. ff. de vulg. & pupil. ſive ad Julian. l. 61. ff. in Inſt. quibus non eſt permiſſ. facere teſt. §. ult.*

* Optimum autem jus legati per damnationem eſt, cum, quia ſic relinqui poſſunt res quælibet, etiam alienæ. Ulpianus *tit. XXIV.* §. 8, tum, quia inde heres inficians tenetur in duplum, Paullus *Sent. lib. III. tit. 6.* §. 17. &, ſi plures re conjuncti concurrant, omnibus ſolidum debeatur, Ulpianus §. 13. ita ut alter rem alter æſtimationem ferret, ſi iis disjunctim, vel duabus pluribusve propoſitionibus res relicta eſſet, Schultingius *ad Ulpianum p. 655. n. 36.*

c) Ulpian. *tit. de leg. §. per præceptionem tit. 24.*

d) *L. Titius & Sejus cum duabus ſequent. ff. de hæred. inſtit.*

e) *L. nutu 21. ff. de legat. 3.*

** Seu rationes pretii ineantur.

f) Cicero *pro Balbo, & Ver. 3.* Theophil. *Inſtit. de l. Falc.* Ulp. *1. §. minus* Cujac. *ad lib. 7. reſp. Papin. l. alienationes. l. ſi ſervus ff. famil. erciſc. & in Inſtit.* Juſt. *de l. Falc.* Cujac. *Obſ. lib. 19. cap. 31.*

Furius tribunus plebis, ne liceret teſtatori ſupra mille aſſes legare, aut mortis cauſa donare ulli, præter quam cognatis certisque perſonis: quibus exceptis, ſi ex alieno teſtamento plus præfinita quantitate quis acciperet, quadruplum ejus, quod plus quam licebat, acceperit, reddere cogebatur: itaque inter minus perfectas leges hæc ab Ulpiano refertur, *a*) quia pœna non afficit eum, qui contra legem fecit, ſed illum, qui accipiendo, quod contra legem factum eſt, adprobavit, damnumque ducit ex facto minime ab ea reſciſſo. Quæ lex cum hæredi proſpicere voluiſſet, calliditate tamen teſtantium eludebatur, * quam enim quis quantitatem in unum conferre vetabatur, eandem minoribus portionibus in plures legatarios tributam hæredi ſubtrahebat, multiplicato legatorum numero, haudquaquam a lege præfinito. *b*)

LXXVI. DE LEGE VOCONIA.

Neque has effugit fraudes lex Voconia, quam tulit Q. Voconius Saxa tribunus plebis, Cœpione, & Philippo Coſſ. A. V. C. DXCIV. cujus inter capita illud fuit præcipuum, *c*) ne quis cenſus, ** ſive qui centum millia ſextertium poſſideret, *d*) plus ulli legaret, quam ad hæredem perveniret. Quod eodem revolvebatur; eveniebat enim, ut imminutis, multiplicatisque legatis minima portio hæredi ſupereſſet, veluti ſi ex aureis C. teſtator diſtraxiſſet ſingulos in XCIX. legatarios: hæres enim ſine ulla fraude legis, tamen nonniſi aureum auferebat; ideoque propter minimum lucrum hæreditatem adire facile recuſabat. Aliud caput ejusdem legis fuit, ne fœminæ ab inteſtato præter conſanguineas *** ſuccederent. *e*) Quod eo conſilio fuit excogitatum, ne impotentia muliebris animi elata divitiis, nimia ſuperbia, & opibus viros opprimeret. *f*) Quamobrem Cato Major, qui ob gravitatem morum ſexus levitatem oderat maxime, magnis lateribus hanc legem ſuaſit annos quinque, & ſexaginta natus. *g*) Quo minus autem illecebris ſuis mulieres hæreditates extorquerent, eadem lex vetuit, quem cenſum hæredem facere mulierem ſupra quadrantem, **** ſive XXV. millia ſextertium. Hinc Auguſtus, *h*) ut Liviam

a) *cap. 1. Inſtit. §. minus. & cap. 28. §. inteſtati L. 120 ff. de V. S.*

* Eſt hæc lex incertæ ætatis, quod jam probe ſe noviſſe indicat Cujacius *Obſ. XX. 3.* Eadem duplici vitio laborabat, primum, quod non reſcindebat actus legi contrarios, ſecundo, quod tam facile eludi poſſet, ut aut unus aut nemo eſſet, qui fraudis viam non reperiret. Quo magis mirandum eſt, idem vitium etiam legi Voconiæ hæſiſſe.

b) Govean. *init. interpr. ad l. Falcid.*

c) Cic. *in Verr. 2.* Cujac *obſ. 19. cap. 31.*

** Apud Ciceronem in *Verr. I. 43.* cenſi ſimpliciter leguntur: ſed veniebant hoc nomine, ut eſt apud Aſconium ad *Cic. de Orat. cap. 41.* qui CM. profeſſione detuliſſent. Vide Gronovius de *pecun. veter. lib. III. cap. 16.*

d) Cujac *in tit. init. ad l. Falcid. ex Inſt. de ſucceſſ. lib. §. poſtea vero.*

*** Qua ratione dein etiam, abolita per opulentiam civium Voconia lege, inter agnatos ſolæ ſorores vocabantur conſanguineæ, *§. 3 J. de legitima agnatorum ſucceſſione.*

e) Paullus *lib. 4. ſent. tit. 8.* Cujac. *Inſtit. Juſtin. de lege Falcid.*

f) Cujac. *ad Paull. ſent. 4. tit. 8. § fœm.*

g) Cicero *in Cat. maj* Ant. Aug. *de leg. in l. Voc.* Gell. *lib. 17. cap. 6. & lib. 7. cap. 13.* Balduin. *ad l. Vocon.*

h) Dion *lib. 56.*

**** Imo lex Voconia non de quadrante

inſtitu-

inſtitueret ex triente, a Senatu legis veniam impetravit. Ceterum figmentum declamatorium duco id, quod apud Quintilianum legitur, *ne ſemiſſem relinquere liceat.* a)

LXXVII. DE LEGE FALCIDIA.

Jam vero Voconia, ut diximus, non ſatis hæredi cavebatur, quia plerumque multiplicato numero legatorum, omne fere lucrum hæredi detraheretur. Propterea conſilium legum Furiæ, & Voconiæ (ne ſcilicet parvitate lucri ab hæredibus teſtamenta deſtituerentur) minime ſuccedebat. Hinc ſub Auguſto Triumviro Reipublicæ conſtituendæ, antequam ſibi tribunitiam poteſtatem adjeciſſet, L. Antonio, P. Servilio Iſaurico iterum Coſſ. A. V. C. DCCXII. lata fuit a Falcidio tribuno pleb. lex, quæ Falcidia dicitur, qua non plus dodrante permiſſum teſtatori fuit legando abſumere: facta hæredi facultate detrahendi ſibi quartam hæreditatis partem, ſi hæreditas ſupra dodrantem legatis occuparetur. *b*) Gothofredus vero anno ſuperiori, at Balduinus anno poſteriori nempe Calvino & Pollione Coſſ. latam putat. *c*) * Cujus legis vis ex intextis e re nata interpretationibus porrecta fuit etiam ad inteſtatorum ſucceſſiones, propter fideicommiſſa ex conſtitutione Pii, *d*) & ad donationes cauſa mortis ex conſtitutione Severi; *e*) itemque ad donationes inter virum, & uxorem, quæ morte confirmantur. *f*) Quia etiam his rationibus hæredis portio infra Falcidiæ quantitatem imminui potuit: ideo placuit ad hæc vim legis extendere. Quæ detractio fit ſalvo jure publico. Nam ex reſiduo legati, detracta Falcidia, detrahendum erit id, quod forte per legem Papiam legatario denegaretur. *g*) ** Transfertur autem ad fiſcum ſine ulla detractione Falcidiæ, ex S. C. Planciano, *** quidquid contra legem relinquitur, clam, & in fraudem legis, quod tacitum fideicommiſſum appellatur. Neque illius detractionis omiſſio cedit lucro aliorum legatorum, ſed fiſci, ad quem quarta ab hærede non retenta pertinet ex conſultatione D. Pii. *h*) Excluditur etiam S. C. Falcidia ex legato ſervi, quem quis rogatus fuerit manumittere: eamque tantum detrahere licebit ex eo, quod

centum millium ſeſtertium, ſed de quadrante drachmæ loquitur, qui ipſe centum millia ſeſtertium efficit. Verba enim Dionis *lib. LVI. p. 662.* δυο ἥμισυ μυριάδας εἶναι, xxv. millia numum ad drachmam pertinere, docet Perizonius de *lege Voconia p. 144. ſeq.*

a) Vinn. *Inſtit. lib. 2. tit. 23. §. ſciendum verbo, qui capere.*

b) *L. 1. ff. ad l. Falc.* Govean. *ibid.*

c) Dion *lib. 48.*

* Cujus ſententiam præter Dion. juvant Euſebius *Chron. num. MDCCCCLXXXVIII.* & Iſidorus *Etymol. V. 15.*

d) *L. filiusfam. ff. ad l. Falcid.*

e) *L. 2. C. de donat. mort. cauſ.*

f) *L. cum hic ſtatus §. oratio 1. ff. de donat. inter virum & uxorem.*

g) Cujac. C. *ad leg. Falcid.*

** Finge, legatum orbo relictum erat duodecim. Detrahentur ei primum quatuor, Falcidiæ nomine, dein totidem, ex lege Papia.

*** Quod S. C. præcipue ad hæreditates fideicommiſſarias pertinebat, ut apparet ex iis, quæ Gravina ſubjicit, tum ex *L. 59. §. 1. D. ad legem Falcidiam*, latumque videtur eodem plane tempore, quo latum eſt Senatusconſultum Plancianum de agnoſcendis liberis, de quo ſupra *cap. 63.*

h) *L. beneficiis §. præterea ff. ad l. Falcid. l. hæres 11. ff. de his, quæ ut indign.*

forte ipſi ſervo legatum fuerit. *a*) Præterea refert Cajus, ipſa lege Falcidia expreſſum fuiſſe, ne quæ mulieris cauſa emta parata eſſent, quartæ detractionem paterentur. *b*) Illud quoque caput ad legem Falcidiam revocat Cujacius, quo ex dote uxori relegata Falcidiam detrahi prohibetur, cum præter teſtamentum alio etiam ex jure debeatur, *c*) cumque hoc jungit aliud caput, quo decernitur, ut in ducenda ratione legis Falcidiæ, prius deducatur æs alienum: propterea prius deducenda erant precia ſervorum, quibus libertas erat relicta adeo, * ut inde patrimonium teſtatoris minueretur. *d*) Hac autem lege lata, Furia, & Voconia ſiluerunt. Per Falcidiam enim plenius teſtamentorum firmitati ſimul, & hæredis utilitati conſulitur: propterea ſublatum quoque fuit ſexus diſcrimen ſuperioribus inductum legibus. Verum Falcidiæ vires eliſit maxime Juſtinianus, permiſſa facultate teſtatoribus utiliter prohibendi Falcidiam: cum antea hujuscemodi voluntati, quantumvis expreſſæ, hæredes minime parere cogerentur. *e*) His legibus apte contexetur Senatusconſultum Trebellianum, de quo breviter, quando ejus eſt ſatis origo pervulgata.

LXXVIII. DE S. CTO TREBELLIANO, PEGASIANO, APRONIANO, ET SABINIANO.

Veteri Jurisprudentiæ legum XII. tabul. ignota fuerunt fideicommiſſa: quia non certa obligatione juris, ſed fide atque benevolentia eorum, qui erant rogati, continebantur: niſi fidem etiam aliquo juris vinculo teſtatori obligaſſent. *f*) ** Itaque res omnis teſtamentaria incumbebat in hæredem, qui defuncti obligationes ſuo periculo ſuſceptas præſtare cogebatur: nec in eum, ad quem hæreditatis commoda perveniebant, ſed in illum, qui hæredis nomen præferebat, actoines dirigebantur. At quoniam Auguſti temporibus certa juris neceſſitate fideicommiſſa fuerunt adſtricta, neque amplius eorum reſtitutio ex hæredis voluntate pendebat; ne hæredes, qui totam aliquando reſtituere jubebantur hæreditatem, damnum ex ſua fide facerent, onusque obligationum in ſeſe directarum nullo ſuo compendio ſuſtinerent; oportuit hæreditariarum actionum incommodum ab eis removere. Etenim non raro teſtamenta deſerebantur, iisque deſtitutis fideicommiſſa intercidebant:

a) *L. ſi ſervus l. plane ff. ad l. Falcid.*

b) *L. ſed uſus fructus 81. §. 2. ff. ad leg. Falcid.*

c) *L. ſed uſusfructus ff. ad l. Falcid.* Cujac. *C. eod. in pr.*

* Quæ deminutio patrimonii teſtatoris non tantum in iis ſervis locum habebat, qui teſtatoris proprii fuerant, verum in his quoque, quos heres, cum alieni eſſent, redimere & manumittere rogatus eſſet, *L. 37. §. 1. D. ad Leg. Falcid.*

d) *L. 1. §. hæc verba, & ſeq. ff. ſi cui plus quam per l. Falcid.* Cujac. *C. ad l. Falcid.*

e) *Auth. collat. 1. cap. 2. de hæred. & Falcid.* Ant. Aug. *in lib. de leg. ad hanc legem. auth. ſed cum teſtator C. ad l. Falcid.*

f) Cic. *lib. 2. de finib. ubi de Sex. Rufo & Sex. Peduc.*

** Imo omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe, Imperator ait in *§. 1. J. de fideic. hered.* idemque Cicero præ ſe ferre videtur de *Finibus II. 18.* neque ratio nobis ſuppetit, qua quis fidem unquam teſtatori aliquo juris vinculo obligare potuiſſet.

quia

quia hæredes, ne implicarentur hæreditariis actionibus, ſæpe adire recuſabant. *a*) Ideo Neronis temporibus VIII. Kalend. Septembris Annæo Seneca & Trebellio Maximo Coſſ., ſuffectis (deſunt enim in faſtis, ut notat Vinnius *Inſtit. 2.*) ad Senatum referentibus, factum eſt Senatusconſultum, quo reſtituta ex teſtamento univerſa hæreditate; actiones omnes, quæ hæredi, & in hæredem competerent, ſimul cum hæreditatis commodo, ſive cum bonis ipſis hæreditariis tranſirent in eum, cui reſtitueretur hæreditas: ita ut hæres ſine ſua fraude directam ſibi hæreditatem alterius commodo poſſet adire. At quoniam hæredes rogati aliquando inutilem moleſtiam refugientes, aliquando commodum hæreditatis invidentes iis, quibus hæreditatem reſtituere jubebantur, adire recuſabant; ne teſtamentum deſereretur, & ne ſpes commodorum inde ducta concideret, neceſſe fuit hæredes rogatos non ſolum damno levare, ſed utilitatis etiam blandimentis impellere, permiſſa eisdem certæ portionis detractione de bonis ex teſtamento reſtituendis. Quamobrem ſub Veſpaſiano Pegaſo, & Puſione Coſſ. Senatusconſultum eſt proditum, quod Pegaſianum appellatur, quo permittitur hæredi reſtituere rogato detrahere quartam ex bonis ſuæ fideicommiſſis. Hinc lex Falcidia, quæ ad legata tantum intendebatur, producta fuit ad fideicommiſſa etiam univerſalia: adeo ut quartam ſcriptus hæres, tum ex univerſa hæreditate reſtituenda, tum ex ſingulis rebus per fideicommiſſum relictis retineret. Quoniam vero nihil hoc Senatusconſulto de actionibus hæreditariis cavebatur; mos erat inter hæredem, & eum, cui reſtituenda erat hæreditas, ut interponerentur pactiones: non aliter ac ſolebat inter hæredem, & legatarium partiarium, cujus loco habebatur is, ad quem bona ex reſtitutione deferebantur: ita ut pro ſua cujusque portione onera hæreditaria inter hæredem, & eum, cui reſtituebatur hæreditas, communicarentur, quo damnum, & lucrum pro ſua quisque portione participaret. Quod ſi hæres ſcriptus hæreditatem ſibi ſuſpectam nollet adire; juſſu Prætoris adire cogebatur, translatis in eum, qui ſibi reſtitui poſtulaverat, actionibus, tanquam ex S. C. Trebelliano. Qua in re nullis interpoſitis ſtipulationibus opus erat: tum enim nihil oneris in hærede ſcripto manebat; ſed commoda ſimul, & incommoda cum ipſa hæreditate reſtituta, jubente Prætore, tranſibant. Verum quia ſtipulationes, quæ interponebantur poſt Senatusconſultum Pegaſianum, in fraudem aliquando alterutrum contrahentium * inducebant, eoque nomine ſummo viro Papiniano captioſæ videbantur; placuit Juſtiniano, prudenti ſane conſilio, hujuscemodi nexus reſecare, atque omnibus ex ambagibus evolvere fideicommiſſa. Ideo vim Pegaſiani S.C. & facultatem quartæ detrahendæ, jusque cogendi hæredem adire nolentem, convertit in S.C. Trebellianum, atque utraque S.C. confudit, ut ex duobus unum efficeretur de viribus utriusque conflatum. Quo

g) *L. 1. ff. ad S. C. Trebell.* Juſt. *Inſtit. l. 2. tit. 23.* Ulp. *cap 25. de fideicomm. §. is qui* Cujac. *ib.* Ant. Aug. *ad leg. & S. C. Rom. hoc titulo.*

* Heredem, ſi fideicommiſſarius, fideicommiſſarium, ſi heres ſolvendo eſſe deſiiſſet: quare recte Theophilo *ἐπιζήμιοι* dicuntur. Heredi enim facile præſto erat damnum, ſi is, a creditoribus conventus, totum æs alienum præſtitiſſet, idem contra fideicommiſſarius patiebatur, ſi heres æs alienum. a debitoribus hereditariis coactum abliguriiſſet. Adde litium anfractus & mutuas calumnias, ſi heredes remoto in loco degerent, aut numero plures eſſent.

Digitized by Google

pacto nunc hæres quartæ detractionem habet, & exemtionem onerum hæreditariorum, quæ onera tantum in eo reſident pro ratione quartæ detractæ. Ceterea ſimul cum hæreditate tranſeunt, cum qua & legata, quorum nulla oneris pars apud ſcriptum hæredem remanet; quarta enim retinet onus æris alieni, non legatorum: *a*) nam ſi de quarta legata detraherentur, res ad antiquum rediret incommodum, & hæredi ſcripto beneficium legis eriperetur. At ſi hæres non ſponte adeat, ſed coactus a fideicommiſſario, qui judiciis officium imploravit; tum tanquam extraneus commodis omnibus, & incommodis hæreditariarum actionum ſpoliabitur: & ſi totam hæreditatem ſponte reſtituerit, omnes hæreditariæ actiones fideicommiſſario, & adverſus eum dabuntur. *b*) Sive autem ex toto quis inſtitutus, ſive ex parte fuerit, ac ſive totum, ſive partem reſtituere cogatur, nihil intereſt; cum idem juris in quartæ detractione fuerit a Juſtiniano conſtitutum. *c*) Actiones item ex S. C. Trebelliano non in privatas modo, certasque perſonas transmittuntur; ſed etiam in univerſitates, & municipia, quibus directa hæreditas relinquitur inutiliter: *d*) obſtat enim ratio juris civilis, quæ ad hæreditatem adeundam certam perſonam exigit; adire autem nequeunt univerſi. Hinc Plinius junior ait, rempublicam neque inſtitui hæredem poſſe, neque percipere. Ne vero ſubtilitas juris civilis alienorum teſtamentorum commoda civitatibus eriperet, auctor fuit Marcus Aproniano, & Paullo Coſſ. ut S. C. conderetur, quo civitatibus, quæ ſub imperio Pop. Rom. eſſent, liceret, ſi non directam, quod jure civili vetabatur, at fideicommiſſariam relinquere hæreditatem. *e*) Itaque in eas utiles actiones ex S. C. tranſeunt, quo illas non univerſi (qui enim poſſent?) ſed univerſorum nomine, aut conveniendo, aut excipiendo actor ab omnibus conſtitutus exerceat. Quod S. C. Apronianum appellatum, Antonius Auguſtinus revocat ad Adriani tempora; Cujacius *f*) vero ad Marci ætatem: * tradidit enim Paullus, *g*) Marci temporibus S. C. factum fuiſſe, quo collegiis legare permittitur. Quæ fortaſſe ſententia ob affinitatem, Aproniani S. C. portio fuit: poſtea vero alio S. C. municipiis patefactæ ſunt hæreditates libertorum ſuorum. *h*) Teſtatur porro Ulpianus, *i*) a Nerva primum fuiſſe introductum, ut civitatibus legare liceret: idque diligentius ab Adriano confirmatum. Hæ leges atque S. C. hæredibus extraneis proſpexerunt; at Sabinianum adoptivis. *k*) Eo autem jubetur, ut ſi pater naturalis e tribus maribus filium

a) Weſemb. *in §. ſed quia Inſtit. de fideic. hæred. & parat. ff. ad S. C. Trebell. diſſentiente* Donello *l. 2. C. de fideicomm. hæred. vid.* Vinnium *Inſtitut. §. ſed quia verb. pro rata titul. 23.*

b) *Inſtit. lib. 2. tit. 23. §. ſed quia.*

c) *Inſtit. eod. §. ſed quia.*

d) *L. 26. & ſeq. in princ. ff. ad S. C. Trebell. l. unic. ff. de libert. univerſ.*

e) *L. omnibus 26. ff. ad S. C. Trebell.*

f) *in Julian. lib. 40. ff. ſive l. 29. ff. ad S. C. Trebell. in pr.*

* Antonii tamen Auguſtini ſententiam præfert Schultingius ad *Ulpiani tit. XXII. §. 5. n. 13.* quia hujus Senatusconſulti ſententia laudatur Juliano in *L. 27. D. h. t.* & Marcum Julianus ætate præceſſiſſe videtur. Nec, ſi verum amamus, quicquam obſtat, quo minus hoc jus primum civitatibus, dein autem collegiis datum opinemur, nequicquam renitente Cujacio.

g) *L. cum Senatus ff. de reb. dub.*

h) *L. ita tamen 27. ff. ad S. C. Trebell.*

i) *t. t. de legat. §. civitatib. l. 1. ff. de libert. univerſ.*

k) Ræyard. *cap. 6. in fin. lib. de auct. prud. & §. ſed ea omnia, ubi Theophil. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.*

unum in adoptionem dediſſet; ei filio pater adoptivus quartam bonorum partem relinqueret præmii loco parentibus, quod tres reipublicæ mares dediſſent: quod & de impubere adrogato conſtitutum invenimus; *a*) Eadem ratione unus ex tribus maribus Senatui dabatur, ut curiæ liberatio impetraretur, ſive ut liberaretur quis onere tributorum exigendorum, quæ curiales ſub Imperatoribus Romanis in ſe ſuſcipere cogebantur. Quo pacto miſerrima cœpit eorum eſſe conditio, cum ſi eſſet exactio difficilior, proprio ære * præſtare cogerentur, quod aliis imperabatur. Liberationem autem horum onerum etiam ex S. C. Sabiniano præſtari, Cujacius *b*) cenſuit, probavitque veterem lectionem, ut nulla mutatio facienda ſit in Inſtitutionibus Juſtinianeis, ubi hoc de S. C. aliquod non obſcurum veſtigium apparet. *c*) Quem locum Rævardus, & Alciatus perperam vexarunt. Ceterum referuntur plures quæſtiones S. C. definitæ, qualis eſt, cum adire recuſat is, qui rogatus fuerit duobus, alteri pure, vel in diem, alteri ſub conditione reſtituere: tunc enim Senatus cenſuit univerſam hæreditatem reſtituendam ei, cui pure, vel in diem fuerit hæres reſtituere rogatus; ad alterum autem ipſo jure actiones, exiſtente conditione, tranſire, ſi partem ſuam ſuſcipere velit. *d*) Item ſi hæres inſtitutus rogetur non totum reſtituere, ſed partem hæreditatis; vel ſi rogetur reſtituere duobus, quorum alter conſentiat, alter repugnet reſtitutioni; utroque caſu Senatus cenſuit omni eximendum onere hæredem, qui ſuſpectam ſibi hæreditatem adire recuſet; eamque totam ad alterum tranſire, qui reſtitutionem poſtulet. *e*) Præterea ſi quis duos inſtituerit hæredes, invicemque eos ſubſtituerit, illosque rogaverit, ut ſive uterque, ſive alter eorum hæres eſſet, hæreditatem ſuam Titio poſt quinquennium reſtitueret; nec velint ſcripti hæredes hæreditatem eam, ſibi ſuſpectam, adire, Titio fideicommiſſario illam ſuo periculo adire poſtulante; Senatus juſſit aut utrumque, aut alterutrum ex hæredibus ſcriptis hæreditatem adire, ac Titio fideicommiſſario reſtituere: in Titium vero fideicommiſſarium & adverſus eum actiones eſſe dandas, quaſi reſtituta ex Trebelliano hæreditate. *f*) Porro non licebat hæredem rogare, ut certum hominem inſtitueret. Verum ne voluntas hæc periret S. C. hanc interpretationem huic voluntati adhibuit, ut cenſeatur hæres rogatus traditam hæreditatem ei reſtituere, quem inſtituere rogaretur. *g*)

LXXIX. DE LEGE VELLEJA, ET AD L. GALLUS ff. DE LIBER. ET POSTUM.

Atque hæc ad jam natos filios pertinent: ſequuntur ea, quæ ad poſtumos. De quibus ne teſtamentum rumperent, cautum eſt lege Velleja; cum antea tantum Juriſconſultorum ingenio, & Galli Aquilii formula, vitio præteritionis occurrere-

a) *L.* 5. *C. de adoption.*

* Quod curiæ periculo ſuarum ſervire dicitur facultatum in *L.* 50. 60. 64. *C. de Decur.*

b) *in C. de decurion. & fil. eor. l. ult.* Vinnius *Inſtit.* §. *ſed cum in fine, de hæred. quæ ab inteſt.*

c) §. *ſed. ea Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.*

d) *L.* 1. § *ſed & quoties ff. ad S. C. Trebell.*

e) *L. cogi* 10. § *ſi quis ff. ad S. C. Trebell.*

f) *d. L. cogi* § *cum quid* 7. *ff. ad S. C. Tr.*

g) *L. ex facto ff. ad S. C. Treb. l. cum filiusfam.* 14. §. *ut ſi quis hæredem ff. de legat.* 1. *L. cum pater* §. *mando filiæ ff. de legat.* 3.

tur.

Digitized by Google

tur. De qua tota ratione poſtumorum inſtituendorum obſcura ſane, atque perplexa, * in qua integra pene volumina conſumuntur, pauca quidem a nobis lector accipiet, ſed ea ni fallor ſatis expedita: certa enim dicere non auſim in eo juris articulo, ubi vate opus eſt magis, quam interprete. Poſtumus dicitur, vel quaſi poſt humatum patrem natus, ut contendunt ii, qui hoc vocabulum cum adſpiratione ſcribunt: vel quaſi poſtremus, ut Cujacius *a*) cenſuit, ** qui & adſpirationem ex pandectarum Florentinarum auctoritate rejecit, exiſtimans, *poſtumus* eſſe productionem particulæ *poſt*, ut & *poſtliminium* dictum putant. Quamobrem nomine poſtumi non modo continetur natus poſt mortem teſtatoris; ſed etiam natus eo vivo, poſt teſtamentum factum; immo & is etiam, qui natus teſtamenti tempore, mortuo deinde patre, ſuccedit avo in locum hæredis ſui. Unde ratione avi poſtumus, vel agnaſci dicitur, vel ſuccedere. Agnaſcitur avo poſtumus, ſi mortuo patre, ac vivente avo poſt teſtamentum naſcatur; ſuccedit vero poſtumus, ſi tempore quidem teſtamenti natus erat, ſed poſtea, patre amiſſo, vivente adhuc avo, in locum hæredis ſui ſuccedit: tum enim fit avo hæres ſuus, non agnaſcendo, quia jam natus erat, ſed ſuccedendo: hoc eſt quaſi agnaſcendo, ac patris locum ſubeundo. Poſtumus autem, vel ſuus eſt, vel alienus, poſtumus ſuus eſt, vel qui poſt mortem patris naſcitur ſuus hæres; vel qui agnaſcitur avo, aut quaſi agnaſcitur mortuo patre. Poſtumus alienus aliquorum opinione (inter quos Goveanus) eſt, qui nunquam naſcendo futurus eſt hæres ſuus, qualis eſt nepos ex filio emancipato, qui propter emancipationem patris naſcitur extra familiam avi; & ideo, mortuo patre, non fit avo ſuus hæres. Medii ſunt inter hos nepotes nati ex filio, quem habemus in poteſtate: qui nec alieni ſunt, quoniam ſui eſſe poſſunt avo poſt mortem patris; neque ſunt ſui, quoniam eos pater nondum mortuus antecedit. Hos igitur diſtinctionis cauſa vocaverim *poſtumos non ſuos*, quales appellantur a Theophilo, qui eos nunquam *alienos* appellat, ſed *non ſuos*. *b*) Theophilus vero poſtumos alienos ita definit: *c*) *Eſt autem alienus poſtumus, qui ſi naſcatur, ſuus*

* Latam legem iiſdem temporibus, quibus latum eſt SCtum Vellejanum, conſentiunt Schultingius, Noordkerk & Heineccius, etſi de auctore nondum e veteribus monumentis pateat, uti deinceps loquitur Noſter. Argumentum autem de poſtumis difficillimum quoque vocat Cornelius van Bynkershoek *Obſ. L. VIII. c. 22.* adeoque vehementer laudandus eſt Noſter, quod rationes ejus tam dilucide expoſuerit. Verba *l. 10. D. de lib. & poſt. her.* *Quia hic filiulus nec ſub conditione quidem ſcriptus heres intelligitur*, de quorum ſenſu laborant interpretes, nihil aliud ſignificare videntur, quam, quia plane præteritus eſt. Nam inſtitutio ſub conditione facta inſtitutionem pure in diem factam continere videtur, quia ſi quis ſub conditione inſtitutus non videatur, multo minus pure aut in diem inſtitutus videri queat.

a) *lib. 3. obſ. 4.*

** Cujus tamen ſententiæ reclamant Grammatici, etiam veteres, qui poſt humum dici putant, tanquam natum poſthumatum patrem, ſed præter analogiam grammaticam, quæ Cujacii opinioni ſuffragatur, & quam pluribus explicat Perizonius *ad Sanctii Minervam p. 74.* Eandem Cujacii ſententiam & marmora & numi veteres & eruditorum hodie omnium conſenſus tuentur.

a) *Inſtit. lib. 2. tit. 13 §. 2.*

c) *Inſtit. de hæred. ab inſt. §. 2.*

mihi

Digitized by Google

mihi non eſt futurus. Qua definitione comprehenditur tum nepos ex filiofamilias, tum nepos ex filio emancipato. Priſcis autem Romæ temporibus jus civile tanta religione tenebatur; ut nefas eſſet leges ultra proximam verborum ſignificationem extendere. Quamobrem quia leges XII. tabular. quæ patrifamilias de re ſua teſtandi liberam poteſtatem permiſerunt, nihil de perſonis nondum natis indicarant; ideo verebantur parentes hæredes inſtituere poſtumos, qui nondum erant in rerum natura, & inſtitutionem conferre in perſonam incertam. Quamobrem, qui ſine filiis uxore prægnante decedebat, cogebatur extraneum inſtituere; nato vero poſtumo, reddebatur inteſtatus. Cum enim poſtumus naſceretur hæres ſuus, & præteritus a patre reperiretur; teſtamentum rumpebat: quia præterire non licet hæredes ſuos; ſed eos aut inſtituere oportet, aut exhæredare. Verum Juriſconſulti, qui occultos legum ſenſus aſſidua diſputatione, atque interpretatione verborum extricabant, adhibita regula publicæ utilitatis, cui leges omnes obediunt; ſenſim intulere, ut liceret inſtituere, aut exhæredare poſtumos ſuos naſcituros; ſive teſtaretur pater, ſive avus, qui nurum prægnantem haberet ex filio mortuo. Quod Juriſconſ. conſilium ſecunda voluntate populi propter communem utilitatem acceptum tandem ceſſit in morem, relatumque fuit inter regulas juris civilis: quo non modo XII. tabulæ ſignificantur, ſed quidquid uberius, atque utilius diſputatio fori, & interpretatio Juriſconſultorum adduxerat; ad quam ſæpe juris civilis appellatio anguſtius accepta referebatur. Igitur jure civili licebat inſtituere poſtumos ſuos, hoc eſt eos, qui ab nativitate naſcerentur in poteſtate teſtatoris, quales filii ſunt, aut nepotes ex filio mortuo in poteſtate patris. At nihil cautum reperiebatur de poſtumo nato poſt mortem patris, & avi, quem poſtumum pater vivens teſtamenti tempore præcedebat. In eo teſtamento avus inſtituebat proprium filium, quem habebat in poteſtate; filio vero mortuo ante teſtatorem, nepos poſt mortem avi natus, teſtamentum rumpebat uti præteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat hæres ſuus. Ut igitur teſtamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Juriſconſultus novum jus minime ſtatuendo, ut perperam aliqui docuerunt, (nec enim licebat privata Juriſconſultorum auctoritate novam legem condere,) ſed quod jure civili receptum jam erat, ad hanc etiam ſpeciem accommodando, more Juriſconſultorum cautionem, ſive formulam excogitavit, qua præteritionis vitium removeretur, atque is etiam caſus includeretur in jure civili. Itaque conſilium dedit avo, ut prius filium inſtitueret, poſtea nepotem, qui poſt ejuſdem avi mortem naſceretur, ſi filius vivente ſe decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum hæredem inſtituo: ſi filius meus vivo me morietur; tunc ſi quis mihi ex eo nepos poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, hæres eſto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Juriſconſulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot hæredes ſui naſci poſſent, mortis item nomine civilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitiſſe cenſeatur, ſi filius aut interdictus eſſet aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum eſt eos, qui mortuo patre, vel avo naſcerentur. De natis vero vivente avo, ſive teſtamenti tempore, ſive poſt teſtamentum, Juriſconſulti nihil attigerunt: quia huic incommodo poterat ipſe teſtator occurrere, alio condito teſtamento, in quo inſtitueret, aut exhæredaret nepotem, qui vel agna-

ſcendo, vel ſuccedendo hæres ſuus factus eſſet avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi teſtamenti, quia non ubique tot cives Romani præſto ſunt, quot requiruntur ad teſtamentorum ſolennitatem; ideo lex Velleja novi teſtamenti condendi neceſſitatem ſuſtulit data poteſtate inſtituendi nepotes, qui vivente teſtatore naſcerentur ſui, traditque ratione inſtituendi jam natos. Id enim auſi non ſunt Juriſconſulti, quia legibus non licebat nepotem hæredem facere neceſſarium, vivente patre, quem avus habebat in poteſtate. Ideo novo juri conſtituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, ſive Juniam, ut plerique, ſive Juliam Vellejam cum Cujacio appellemus. *a*) Ea lex omne præteritionis periculum impoſterum excluſit, complexaque eſt caſus omnes inſtitutionis poſtumorum, quibus caſibus duobus capitibus aptiſſime occurrit. In priori permittit avo inſtitutionem quorumlibet poſtumorum, qui poſt mortem filii ſe vivente naſcentur ſui; in poſteriori tradit rationem inſtituendi nepotem jam natum, ſi eſſet in locum hæredis ſui per patris mortem ſucceſſurus, permittitque eum ante tempus, adjecta conditione, inſtituere, ut neceſſarium: *ſi quis ex ſuis hæredibus ſuus hæres eſſe deſierit*: nam ſi avus, ſimul cum filio, nepotem pure inſtituiſſet, ea inſtitutio valebat, ut inſtitutio extranei: & ſi moriente avo, filius erat in poteſtate, nepos portionem ſuam adquirebat patri; ſi vero avus poſt teſtamentum filium, & nepotem emancipaverat, ſuam tum ſibi quisque portionem hæreditatis ſeparatim auferebat. Sicut autem Aquilii cautio ad omne mortis genus, & per omnes liberorum gradus trahitur; ita etiam lex Velleja, unde non ſolum nepotem; ſed & quoslibet liberorum gradus ex legis præſcripto licet inſtituere; ac ſi filius vel naturaliter moriatur, vel interdictus aqua, & igni fuerit, aut deportatus, patet nepoti ſui hæredis locus. Veſtigavit Julianus & alium caſum, qui lege Velleja minime includitur, & tamen de utroque capite trahit: nempe hunc: Avus teſtamentum facit, ubi prius filium, deinde nepotem nondum natum inſtituit. Naſcitur nepos vivente avo, & patre, qui præmoritur avo. *a*) Ad quod caput legis ea ſpecies refertur? non ad prius, quia pertinet ad eos, qui ſui naſcuntur, vivente avo, mortuo patre: hic autem natus eſt vivente patre, unde non ſuit avo hæres ſuus, cum naſceretur; non ad poſterius, quia pertinet ad eos, qui teſtamenti tempore nati erant: hic autem natus eſt poſt teſtamentum; & tamen refertur ad utrumque ſimul. Nam idem caſus aliorſum inſpectus, partim pertinet ad prius caput, quia hic nepos teſtamenti tempore nondum erat natus; partim ad poſterius, quia natus eſt avo vivente. Ideo Julianus, quaſi commiſtis utrisque legis capitibus, cenſuit per hujus nativitatem teſtamentum non rumpi: quia quod a ſingulis capitibus excluditur, iisdem ſimul concurrentibus continetur. Et hæc de lege Velleja ſatis. Si quis uberiorem explicationem deſideret, adeat latiores Duareni, Hottomanni, Alciati, Cujacii, Goveani, aliorumque commentarios, *a*) ex quibus tamen nos, utcunque licuit, nucleum ſtudioſis excluſimus, longiori diſputatione conſulto abſtinentes, ne non tam lucem afferamus copia, quam tenebras: res enim eſt ejusmodi, ut limoſæ aquæ inſtar, quo plus fundus tractatur, eo magis ab imo turbetur.

a) *In frag. Ulp. qui hæred. Inſtit. poſſ. tit.* 22. *§ eos qui in utero ſunt.*
b) *vide* Anton. Matth. *de exhæredation.* *liberor. lib.* 2. *titul.* 13. *Inſtit.*
c) *ad l. Gallus ff. de liber. & poſt.* Vinn. *Inſtit. lib.* 2. *tit.* 13. *§. poſtum.* 2.

LXXX.

LXXX. DE LEGE GLICIA, SIVE DE QUERELA INOFFICIOSI TESTAMENTI.

Atque his præteritionis vitium removetur. Si vero in teſtamento exhæredatio contineatur, ad aliud remedium excurritur, quo exhæredatis ſubvenitur, nempe ad auxilium legis Gliciæ, cujus veſtigium habemus in inſcriptione legis IV. *ff. de inofficioſo teſtamento;* quæ inſcriptio Florentini codicis auctoritate * defenditur adverſus Hottomannum, *a*) & alios, qui, ne Cujacio gloriam tribuant detectæ legis, ad ſuum uſque tempus aliis interpretibus ignotæ, legem prorſus nullam agnoſcunt Gliciam: querelamque inofficioſi, ex moribus magis, & ex conſilio JCtorum, quam ex certa lege fluxiſſe contendunt. *b*) Ceterum Glicium nomen reperitur in vetuſtis auctoribus, nempe Tacito, Suetonio, Floro, Livio, & agnoſcitur a Carolo Sigonio, qui & Gliciæ dictaturam in lapidibus capitoliniis notatam ſe inveniſſe teſtatur. *c*) Hæc autem querela, quæ inofficioſi teſtamenti dicitur, teſtamento dementiam objicit teſtatoris, quem arguit quaſi furioſum: non enim videtur hominem ſani capitis potuiſſe ſine cauſa filium exhæredare. Unde per cauſam dementiæ teſtamentum reſcinditur, ut inofficioſum, & conditum contra pietatis rationem: naturale enim jus quodammodo videtur mutuam inter parentes, & liberos ſucceſſionem inſtituiſſe. Sed quoniam aut illecebræ muliebres, & novercalia odia patris morientis voluntatem ſæpe a privigno abducunt; aut ipſe pater levibus aliquando ex cauſis naturalem filiorum caritatem exuit; ideo filius injuſte ſe exhæredatum probans, patriſque furorem prætendens teſtamentum ita reſcindit, ut cum inſtitutione concidant & legata. *d*) Sane liberis præteritis opus non eſt inofficioſi querela; ineſt enim vitium ab initio; vetuſtioribus namque legibus ** interdictum eſt præterire liberos: ſed eos aut inſtituere oportet, aut exhæredare, iis autem opus eſt querela, quibus vel minus legitima portione relictum eſt, vel omnis prorſus ademta. *e*)

* Editiones tamen, Haloandri, ut obſervat van Bynkershoek *Obſ. L. II. c. 12.* Hugonis a Porta, Vintimillii & quæ apud Sennetonios prodiit, conſtanter omnes habent, Maximus ad L. Falcidiam, ex quo Maximo ad L. Falcidiam etiam eſt, *L. 125. Digeſt. de legat. I.* In aliis libris ad Legem Linciam, L. Lenticam vel Leuticam, pro ad legem Gliciam legitur. Cujacius quoque nuda conjectura utebatur, quando querelam inofficioſi teſtamenti ex lege Glicia derivabat. Veri ſimilius vero eſt, querelam inofficioſi moribus P. R. fuiſſe introductam, & prudentum auctoritate probatam, ut laudato loco oſtendit Cornelius van Bynkershoek.

a) *diſp. de quarta legit. cap. 1.*

b) Cujac. *obſ. 2. cap. 21. & l. 4. ff. de inoffic. teſtam. & lib. 17. obſ. cap. 17.*

c) Ant. Aug. *lib. de leg. in leg. Glicia, &* Cujac. *d. obſ. 2. cap. 11.*

d) *L. Papinianus 8. §. penult. l. Titio 18. l. cum mater 28. ff. de inoffic. teſtam.*

** Imo hoc quoque moribus magis quam legibus originem debet. Certe lege XII. tabularum paterfamilias liberrimam diſponendi facultatem habebat, *L. 11. D. de liber. & poſtumis*, & dein demum per Jureconſultos & juriſdictionem Prætoriam invaluit, ut teſtamentum, in quo ſuus heres præteritus eſſet, nullum eſſet, quod quemadmodum pedetentim involuerit, docet Schultingius ad *Ulpian. tit. XXII. §. 14. n. 39.* Novellam autem *CXV.* neque hodie ad præteritos a patre pertinere, eleganter docet Gerardus Noodt *ad Pandectas, tit. de inofficioſo teſtamento p. 160.*

e) Paull. *4. ſent. tit. 5.*

LXXXI. SENATUSCONSULTUM JULIANUM DE PETITIONE HÆREDITATIS.

Quoniam autem querela inofficioſi genus eſt * petitionis hæreditatis: ideo ex ordine Edicti perpetui, & Digeſtorum licebit hinc tranſire ad univerſam hæreditatis petitionem. Super qua conditum eſt *a*) S. C. quod a Græcis appellatur Adrianum, utpote factum Adriani juſſu, poſt ejus orationem de more habitam in Senatu prid. id. Mart. Q. Julio Balbo, & P. Juventio Celſo, Tito Aufidio, Oeno Severiano Coſſ. qui ea de re verba fecerunt. Ex qua nominum deſcriptione Alciatus infert, cum Conſulibus unius anni admiſtos etiam eſſe Coſſ. deſignatos: neque meminit, raro ſub Imperatoribus unius anni Conſules integrum annum in Magiſtratu manſiſſe, ſed ſuffectis aliis, intra annum abire conſueviſſe, dignitate conſulari tantum in nominibus retenta, ut ex iis annus nuncuparetur. *b*) Huic autem Senatusconſulto, quod a Julio Balbo Conſ. ab aliquibus Julianum appellatur, cauſ. m præbuit hæreditas fiſco delata ex legibus caducariis, nempe Papiæ Poppææ capitibus: cujus hæreditatis bona, priusquam hæreditas fiſco deferretur, diſtracta fuerant ab iis, qui ſe hæredes putabant. Ideo cogitatum fuit de fiſci damno ſarciendo, revocandisque rebus alienatis, & de precio ex iis redigendo. Quamvis autem fiſci cauſa S. C. prodierit, commune tamen etiam eſt privatis hæredibus adverſus eos, qui ſive bona, ſive mala fide res hæreditarias aut poſſideant, aut diſtraxerint. Plura vero ſunt hoc S. C. comprehenſa; ſcilicet ne qui hæreditatis petitione agunt, uſuras exigant ab iis, qui hæredes ſe putantes res bona fide diſtraxerint, nullamque precii reddendi moram fecerint. *c*) Item cautum, ut ſi res hæreditariæ periiſſent, diminutæve fuiſſent, precium earum ab iis, qui in judicio ſuccubuiſſent, actori redderetur: quatenus tamen poſſeſſores facti fuerint locupletiores; amplius enim exigi bona fides non ſinit. Ex eo autem tempore petita hæreditas intelligitur, quo primum poſſeſſoribus innotuit, eam ** ad ſe non pertinere, ſive denunciationibus, ſive literis, ſive edicto, ut deinceps malæ fidei poſſeſſor fiat. Porro malæ fidei poſſeſſores, ſi ante litem conteſtatam fecerint, quo minus poſſiderent, ut poſſeſſores tamen damnantur.

* Imo potius ab ea diverſa & actio hereditatis petitionis præparatoria, qua impedimentum removetur, quod heredi ab inteſtato injicere videtur perſona heredis ſcripti. Evenit quoque, ut, ſi tertius poſſideat, actor querela inofficioſi vincat, & adhuc hereditatem petere cogatur, *L. 6. §. 1. L. 19. D. de inoff. teſtamento.*

a) *L. 20. de petit. hæred.*

b) Dion *lib. 43.* Anton. Aug. *in S. C. ſine nomine.*

c) *L. 1. C. de petit. hæred.*

** Quod plerumque contingit tempore litis conteſtatæ, in primis ex inſtitutis Romanorum, quibus inſtrumenta ante litis conteſtationem edebantur, iisdemque plerumque poſſeſſor conſtituebatur in mala fide. Interdum tamen a tempore rei judicatæ poſſeſſor in mala fide conſtitui intelligitur, ſcilicet, ſi inſtrumentorum ea non fuerit vis, quæ poſſeſſorem malæ fidei convinceret, veluti in probabili in utramque partem argumento. Pluribus id docent Cornelius van Bynkershoek *Obſ. L. VIII. c. 12.* & Lyſerus *Meditat. ad Pandect. Specim. 82. n. 5.*

LXXXII.

Digitized by Google

LXXXII. DE SENATUSCONSULTO CLAUDIANO, SIVE DE ADSIGNATIONE LIBERTORUM.

Huic recte attexetur S. C. Claudianum, ex quo certa pars * hæreditatis defertur ei, eisve ex liberis, cui, quibusve ſive inſtitutis, ſive exhæredatis, libertus, libertave a patre, qui duos, pluresve liberos habet in poteſtate, fuerit aſſignatus. Hujus enim liberti, ſi pater, qui adſignavit, in civitate eſſe deſinet, hæreditas ei cedit, in quem pater jus patronatus judicio ſuo contulerit, cujusque libertum eum eſſe voluit præcipuum, ſive teſtamento, ſive aliter: *a*) niſi qui patronus ex filiis fuerat a patre conſtitutus, ſine liberis deceſſiſſet, etenim tum ceteri liberi, fratresque defuncti omnes pariter ad ejus liberti ſucceſſionem veniunt, neque enim aſſignatione uni facta, ceteri deſinunt eſſe patroni; unde contra tabulas habent bonorum poſſeſſionem, ut notat Cujacius *parat. ad hunc tit.* *b*) Quod S. C. ſub Claudio, Sabellio, vel ut alii malunt, ** Vellejo, Rufo, & Oſterio Scapula Coſſ. conditum fuit. *c*) Quamvis autem aſſignatio filiofamilias facta, poſt emancipationem evaneſcat, quia filii ſtatus, in quo beneficium teſtatoris reſidebat, fuit immutatus; tamen ſi ab initio emancipato filio libertus fuit attributus, eam aſſignationem valere, Mynſingerus cenſet. *d*) Ego vero exiſtimo, tum utiliter emancipato filio libertum adſignari, cum non pauciores, quam duo ſint in poteſtate, atque emancipato ſimul cum altero *** ex iis, qui ſunt in poteſtate adſignatur. Quod enim infirmum eſt ex perſona emancipati, propter perſonam ejus, qui eſt in poteſtate, conſiſtit; exemplo *e*) *l. ult. ff. de lib. & poſtum.* At ſi duos tantum liberos habeat pater, quorum alter ſit emancipatus, adſignatio utrisque facta nulla eſt: quia neque ex emancipati, neque ex filiifamilias perſona ſuſtinetur: cum ex S. C. non aliter adſignari libertus queat, quam ſi adſignans duos minimum liberos habeat in ſua poteſtate; ut optime Cujacius explicavit. *f*)

LXXXIII. DE SENATUSCONSULTO TERTULLIANO.

Rerum ſeries nos ducit ad S. C. Tertullianum, & Orphitianum, quæ ad mutuas matrum, & filiorum ſucceſſiones pertinent. *g*) Jure namque XII. tabul. ſuc-

* Scilicet jus ſuccendi in bonis liberti.

a) *L. 1. § 5. ff. de adſignand. libert. & Inſtit. de adſignand libert.*

b) *per l. 2. § ſi capit. ff. de bon. libert.*

** Sabellius vocatur in §. 3. *J. de adſignat. lib.* Vellejus contra Rufus dicitur in *L. I. pr. D. eod. tit.* Celeb. Otto in *Inſtitutionibus ſuis* exhibet Suillo Rufo & Oſterio Scapula Coſſ. Præiverat Pighius *Annal. 18. T. III. p. 576.* qui tamen priorem Suilium appellat. Pro Oſterio quoque Oſtorium malebat Bynkershoek *Obſ. L. III. c. 7.*

c) *Inſtit. de adſign. lib. §. 3. L. 1. ff. eod.*

d) *ex l. utrum 9. ff. de adſign. libert. in tit. Inſtit. eod.*

*** Imo hanc ſententiam admittere non videntur verba Modeſtini in *L. 9. D. de adſignat. lib.* ex quibus apparet, libertos emancipato etiam adſignari potuiſſe: quare præferenda videtur Mynſingeri ſententia, inprimis cum §. 2. *J. eod. tit.* facile conciliari Modeſtini ſententia queat. Poteſt enim pater emancipato adſignare, ſed ſi ſuo adſignarit, eumque poſtea emanciparit, juribusque eo familiæ ſpoliaverit, mutaſſe voluntatem videtur, Merillius *Obſ. L. VII c. 13.*

e) *L. mulieri ff. de condit. & demonſtr.*

f) *Inſtit. de adſign. libert.*

g) Paull. *lib. 4. ſent. tit. 9. & 10* Juſtin. *hoc tit. Inſt.* Weſemb. *in parat.*

Digitized by Google

ceſſionis jura ſequebantur ſolos agnatos, neque ad ſucceſſionem vocabantur, præter eos, qui virili ſexu conjungerentur. Unde quia nulla inter liberos, & matrem agnatio intercedit, ſpes etiam ſucceſſionis ab inteſtato inter eos omnis jure civili perimebatur: niſi mater conveniſſet in manum, & viro filiifamilias loco fuiſſet. Etenim, ut alibi diximus, * uxorum duo genera erant, *a*) earum nempe, quas viri annum integrum uxoris loco habebant, eoque ſpatio uſucapiebant, quæ proprie uxores dicebantur; & earum, quæ matresfamilias appellabantur, quæque convenerant in manum, ſive poteſtatem viri dupliciter: nempe confarreatione, ſive certis ſolennitatibus, & ſacris, quibus de more adhibebatur far, quo farre utpote communi Romanorum victu, ** vir, & uxor veſcebantur, ut perpetuam vitæ communionem ſignificarent; & coëmtione, cum vir mulierem interrogaret, an ſibi materfamilias eſſe vellet, & viciſſim fœmina virum, an ſibi eſſe vellet paterfamilias, ac ſi conſentirent, mulier conveniebat in manum, ſive convertebatur fictione juris in ipſam viri perſonam, & in ejusdem familiam transferebatur, tanquam filius patri, eaque coëmtio dicebatur forſan, quia, ut Varro, teſte Nonio, *b*) tradit, mulier tres aſſes ferebat, quorum alterum viro, veluti pro emtionis pretio dabat; alterum in foco ponebat ante Larem familiarem; alterum in ſacciperio, ſive in marſupio majori conditum compito vicinali dabat, ſive Laribus compitalibus, quibus fiebant ſacra: erant enim & Lares, qui viis publicis præſiderent. *c*) Igitur ſive confarreatione, ſive coëmtione mulier conveniret in manum, ac tanquam filiusfamilias viri poteſtati ſubjiceretur; naſcebatur inter eas, & filios mutua ſucceſſio ex jure civili, tanquam inter hæredes ſuos, & inter conſanguineos. *d*) Nam inter hujuscemodi conjuges intercedebat jus conſanguinitatis, quæ ad cognatos ex veterum ſenſu non porrigitur, nec tranſit in alios liberos, niſi eos, qui communem habeant patrem, quod optimis auctoribus, validisque rationibus adverſus Accurſium, & alios contendit Cujacius. *e*) Quoniam igitur leges XII. tabularum ad ſucceſſionem vocabant conſanguineos, ideo conjugum horum ſucceſſio ad ſenſum XII. tabul. relata fuit a Juriſconſultis, qui legis verba porrexerunt ad confictam hanc a jure civili conſanguinitatem. *** At quæ mulieres a viro annua poſſeſſione fuerant uſucaptæ, quæ proprie dicebantur uxores, differebantque a ſuperioribus, quæ matresfamilias vocabantur; nullo jure agnationis viro, aut filiis conjungebantur; ideo nulla mutua ſucceſſio inter eos jure civili fuit inſtituta: quia leges XII.

* Supra L. II. c. 28.

a) Cic. *in topic.* Ulp. *Inſtit. tit. 9.* Boët. *topic.* Cic. *ſerv.* Georg. 1. Scalig. *ad Feſtum verb.* diffarreatio. Apul. *lib. 6. de Aſino.*

** Quod ſupra ad *L. II. c. 72.* de pane interpretati ſumus cum Ottone *Præf. T. III. Theſ. jur. p. 30. & 31.* aliter ac Noſtro videbatur, qui id de pulte accipiebat.

b) Roſin. *lib. 5. cap. 37.*

c) Sueton. *in Aug.* Arnob. *lib. 3.* Manut. *de veter. dier rat.*

d) Cujac. *obſ. 7. c. 11. enarrat. ad C. de S. C. Orphit. §. poſtremo ad hæred. & parat. C. unde vir. & uxor.* Gell. *c. 6 lib. 18.*

e) *enarrat. ad C. de S. C. Orphit. §. poſtremo notandum.*

*** Quare conſanguinei etiam conventione in manum fieri dicuntur Ulpiano in *Collat. legum Moſ. & Rom tit. ult. §. 4. n. 6.* Claudii autem conſtitutio perſonale magis beneficium, quam jus omnibus mulieribus commune fuiſſe videtur Cujacio *in not. poſter. ad §. I. J. de SCto Tertulliano* & Jano a Coſta ibid.

tabul.

tabul. non niſi agnatis aperiebant inteſtati ſucceſſionem. Verum beneficio Prætoris, qui vinculum naturæ a jure civili neglectum agnoſcebat, admittebantur inter cognatos, & ex edicto *unde cognati* ad filiorum ſucceſſionem vocabantur. *a*) Claudius præterea miſeratione materni luctus, in ſolatium amiſſi filii, deferre matribus cœpit filiorum hæreditates. *b*) Tandem juris civilis aſpera ſubtilitas, quam per ambages Prætor declinabat, ſublata prorſus fuit ævo Adriani, ſive Pii, ut Cujacius *c*) probat: * (duxit enim Pius ex adoptione nomen Adriani.) Itaque Tertyllo, & Sacerdote Coſſ. conditum eſt S. C. a Tertyllo Tertyllianum appellatum, quo filiorum etiam ſpuriorum ſucceſſio aperitur *d*) matri liberorum trium, ſi ſit ingenua, non vero aviæ; & libertinæ, ſi mater ſit liberorum quatuor, etiam ſi ſit in poteſtate parentis, cujus juſſu adire debet; ſiquidem filius neque ſuum hæredem habeat, nec filium emancipatum, quem tuetur Prætor, neque patrem, neque fratrem conſanguineum, ad quos lege XII. tabul. ſucceſſio pertinet tantum cum ſorore conſanguinea defuncti, mater ad hæreditatem ex S. C. vocabatur. *e*) Sed ſi frater, & ſoror conſanguinei ſuperfuiſſent; frater matrem trium, aut quatuor liberorum jure ſuffultam excludebat, & hæreditas inter fratres, & ſorores dividebatur ex æquis partibus. *f*) Quod S. C. beneficium Juſtinianus ad matres omnes produxit, ſive ingenuas, ſive libertinas cum liberis, & ſine liberis; ex cujus Inſtitutionibus, & Novellis petere licet ea, quæ addita fuerunt ab eo, & immutata. Supereſt, ut admoneamus, mortuis filiis impuberibus, matrem, quæ iis intra annum petere tutorem neglexerit, ſucceſſione privari: *g*) ut ex eadem cauſa ſucceſſores ceteri. *h*) Excidet etiam commodo S. C. mater, quæ cum juraſſet non nupturam, poſtea nupſerit, *i*) non dato alio tutore idoneo, nec redditis rationibus.

LXXXIV. DE S. C. ORPHITIANO.

Rurſus quia filius matri non ſuccedebat jure veteri, ob eandem cauſam, quod ſcilicet nulla inter eos eſſet agnatio; ideo ut par beneficium redderetur liberis, Marci Antonini tempore Orphitio, & Ruſo Coſſ. ** prodiit S. C. Orphitianum, quo filiis etiam vulgo quæſitis, ſi mater non ſit illuſtris, nec legitimam ſobolem habeat, *k*) matris hæreditas, poſthabitis agnatis & conſanguineis, defunctæ adquiritur, etiamſi alieno juri ſubjecti ſint, poſt aditionem, ac geſtionem pro hærede. *l*) ***

a) *Inſtit. de S. C. Tertull. in pr.*

b) *Inſtit. eod. §. 1.*

c) *in notis ad Inſtit. eod.*

* Cujacii conjectura de Pio in locum Hadriani ſubſtituendo, equidem Hotomanno quoque arriſit in libro *de legibus*, ſed ea rectius hodie ab omnibus eruditis rejicitur, præeunte Viro Celeberrimo Antonio Schultingio *ad Ulp. Tit. 26. § 8. n. 32.*

d) Paull. *lib. 4. ſent. tit. 10. & Inſtit. tit. de S. C. Tertull.*

e) Ulpian *Inſtitut. cap. 26. de legit. hæred. §. inteſt. & Inſtit. tit. de S. C. Tertyll.*

f) *Inſtit. eod. §. 3.*

g) *L. 2. §. ſi mater 23. ff. ad S. C. Tertyll.*

h) *L. ſciant C. de legit. hæred.*

i) Cujac. *in enarr. ad C. hoc tit. & Inſtit.*

** Seu, A. U. C. DCCCCXXXI. Chriſti CLXXVIII. teſte Noriſio in *Epiſt. conſulari.*

k) *L. penult. C. hoc tit.*

l) Paull. 4. *ſent. tit. 10.* Cujac. *enarr. ad C. ad hunc tit.*

*** Non enim liberis materna ſucceſſio ipſo jure quæritur quia ſui heredes non matri ſed patri ſunt.

Et

Et quoniam hæc S. C. conjunctionem naturalem tuentur; ideo minima capitis diminutio non tollit ſucceſſionem inter matrem, & filium mutuam per ea inductam. *a*) Filia vero defunctæ matris ancilla, vel liberta ex S. C. Claudiano facta, * de quo alibi dictum, quia matrem civilem non habet, S. C. beneficium non impetrabit, neque ullus, qui hæreditatis adeundæ tempore civis Romanus non fuerit. *b*) Ex conſtitutionibus vero principum nepotes etiam, & neptes ad ſucceſſionem aviæ vocantur, ut in *Inſtit. hoc titul.* Antequam autem ab ultimis voluntatibus diſcedamus, producendum eſt S. C. quo ſi municipio pecunia legata inveniatur, ut ex reditu ejus venatus, aut ſpectacula præbeantur; vetatur eam in tales erogari cauſas, ac permittitur, ut id legatum in opus magis municipio neceſſarium conferatur, ac munificentia ejus, qui legavit, inſcriptione notetur. *c*)

LXXXV. DE LEGE CORNELIA, ET JULIA MAJESTATIS.

Jam quoniam leges produximus, quæ perſonarum ſtatus & negotia complectuntur; ad eas, quibus judicia, & crimina continentur, tranſeamus. Exordiemur autem a judicio triſtiori, atque atrociſſimo, nempe a crimine perduellionis, ſive majeſtatis: quæ leges ab ipſis primordiis urbis initium duxerunt. Etenim nunquam ſatis civitas conſtituta cenſetur, niſi latis hujuſcemodi legibus; quibus, veluti jactis fundamentis, publicæ tranquillitatis reipublicæ ſtatus, & quies innititur. Quid enim prodeſt muris urbem circumdare, ſi lateant intus inſidiæ, ut ubi ſe occaſio dederit, in principes & magiſtratus, quibus omnium eſt concredita ſalus, erumpant? Sicut igitur muris vim exteram, ita majeſtatis legibus inteſtinam arcemus. Quamobrem harum legum præſidio, hisque judiciis poteſtatem reges munivere ſuam: earum auctoritatem Junius Brutus vel ipſo filiorum ſanguine ſancivit: ut quæ regium imperium defenderant, majori auctoritate rem publicam cuſtodirent. Primum vero Romanorum regem Romulum de proditione legem tuliſſe, Dionyſius refert: quod unum eſt e præcipuis capitibus legum de majeſtate, quas Decemviri a regibus acceptas ** in XII. conjecere tabulas, quibus capite punitur, quisquis aut hoſtem in patriam concitaſſet, aut civem hoſtibus tradidiſſet. *d*) Quæ lex ſequentibus temporibus varie aucta fuit. Etenim lege Gabinia clandeſtinarum coitionum participes capite multabantur. Acceſſit lex Apuleja *e*) a Lucio Apulejo Saturnino lata trib. plebis, anno DCLI. & lex Varia *f*) a Q. Vario anno DCLXII., quibus legibus vis, & ſeditio in urbe coorta vindicabatur; magis enim ad animadvertendum in ejus delicti reos, quam ad jus majeſtatis conſtituendum prodierunt; jam enim ſuperioribus munitum erat legibus. Lucius vero Cornelius Sylla pluribus capitibus majeſtatis crimina comprehendit, legemque tulit, veteribus capitibus ſuſcitandis, & novis inſtituendis. Quo plures enim hujuſcemodi trucibus judiciis

a) *Inſtit. hoc tit §. 3.*

* Vide, quæ diximus ſupra ad *cap. 3.*

b) *L. 1. §. filii ff. ad S. C. Tertull.*

c) *L. legatum ff. de adminiſt. rer. ad civit. pertin.*

** Hiſtoriam ſeditionum ſub regibus Romæ motarum contexuit Bœclerus in *Exercit. Pliniana X.*

d) *L. 3. leg. 11. ff. ad l. Jul. Majeſt.*

e) Cicero *de orat.*

f) Cicero *in Brutum.*

irreti-

Digitized by Google

irretiret, pœnam remiſit iis, qui per calumniam alios accuſant, locumque in hiſce cauſis mulierum teſtimoniis aperuit. Quod etſi perturbatis illis temporibus conveniſſet, ſe præſertim homine ſolertiſſimo verarum, & falſarum criminationum vindice; ſequentibus tamen temporibus in maximam hominum perniciem erupit: data enim licentia in criminibus graviſſimis calumniarum, innocentium ſupplicio fraus exultat, atque bacchatur, ut deterior omnibus criminibus ſit criminum accuſandorum impunitas. Nec ſolum fautores hoſtium, publicæque perturbatores pacis huic judicio ſubjecit, ſed & eos, qui magiſtratibus muneris exercitium impediſſent, aut ducibus hoſtium, vel prædonum captis ignoviſſent, & quod Verri Tullius *a*) objicit, eos accepta pecunia liberaſſent; & eum præterea qui poteſtatem ſuam abjeciſſet, eamque defendere neglexiſſet, cum publico munere fungeretur. *b*) Tandem Julius Cæſar, * & poſt eum Auguſtus, unde huic legi nomen, *Julia*, nempe *Majeſtatis*; alia criminum capita ſuperioribus adjecerunt, quæ a Juriſconſultis noſtris referuntur. Etenim priſcis temporibus majeſtatis nomen intra perduellionem continebatur; quod crimen erat hoſtium patriæ, ſive illorum civium, qui opera, dolo, conſilio, aut machinatione aliqua, etiam ſine ullo effectu, ſeditionem commovere, vel externum hoſtem ſuſcitare ſtuduiſſent; aliave ratione rempublicam perturbaſſent, aut partem diſcidiſſent illius. Porrecta deinde majeſtatis lex fuit a L. Sylla, poſteaque a Julio Cæſare, atque Auguſto, aliiſque principibus ad crimina leviora: ita ut ad criminum genera diſtinguenda nomina quoque diſtinguere oportuerit. Unde perduelles dicebantur, qui aut rempublicam univerſam, aut principis dignitatem læſiſſent: ** qui vero levius aliquid hoc in genere perpetraſſent, rei majeſtatis vocabantur. Eo enim ſuas vires hæc lex extendit, ut illos etiam arriperet, qui principum imagines in communem argenti uſum verterant, aut urina ſtatuas eorum adſperſerant, aliave ratione dehoneſtarant. Per S. C. tamen ſupplicio eximebatur is, qui conflaſſet ſtatuas Imperatoris reprobatas, hoc eſt, ſine ipſius permiſſu factas. *c*) Ac ne majeſtate ſtatuarum Principis aliena fraus, vel violentia protegeretur; Senatus vetuit confugere ad ſtatuas Principis in injuriam alterius, aut damnum puta creditoris, vel alius, cui quis nocuiſſet. Unde permittebatur confugium tantum iis, qui vel in cuſtodia, vel in vinculis a potentioribus retinerentur. *d*) Unde majores opes hinc in fiſcum cadebant, quam ex viceſimis, & caducis. Quilibet enim vaferrimus aſſentator, quorum hominum ſemper ſub dominatione unius eſt plusquam ſatis, dilatandis faucibus hujus teterrimæ legis, gratiam captabat Principis, & evertendis civibus rem ſuam familiarem augebat. Singula vero ſive perduellionis capita, ſive majeſtatis peti abunde poſſunt a juriſconſultis, qui ea diſerte, ac ſtudioſe recenſuerunt in Digeſtis, uti & Imperatores

a) Cicero *in Verr.*

b) Cicer. *&* Aſcon. *apud* Sigon. *lib. 2. de jud. cap. 29.*

* Julio Cæſari ſigillatim hanc legem vindicat Nicolaus Hieronymus Gundlingius in *ſingularibus ad legem Majeſtatis c. 1. §. 16.*

** Sic mediam viam init inter eos, qui crimen Majeſtatis a crimine perduellionis ſub Imperatoribus demum ſeparatum eſſe contendunt, & Jacobum Menardum, qui, id diſcrimen jam libera Republica in uſu fuiſſe putabat, quem plenius refutat Gundlingius §. 23.

c) *L. cujusque 4. ff. ad l. Jul. maj.*

d) *L. capitalium 28. §. ad ſtatuas ff. de pœnis.*

in Codice. *a*) Ex quibus, itemque ex Tacito *lib. 1. annal.* colligitur, famoſorum quoque libellorum crimen fuiſſe redactum in hanc legem ab Auguſto: cui forſan * præivit Sylla, de quo ita Cicero *ad Atticum: Eſt majeſtas, ut Sylla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret; b*) crimen quoque falſæ monetæ fuſæ in hanc legem Principes incluſerunt. *c*) Et ne quid contra majeſtatem clam a pluribus non probatæ fidei hominibus ſtrueretur, S. C. prodiit adverſus illicita collegia. *d*) Quamvis autem differentia ſit inter crimina perduellionis, & majeſtatis; pœnarum, tamen haud ſcio, an diſcrimen inveniatur ullum. Siquidem ante Imperatores unum erat crimen majeſtatis perduellio, ultimo damnata ſupplicio; quæ lege Cornelia, & Julia interdictio erat aquæ, & ignis; *e*) eamque pœnam omnibus delictis majeſtatis impoſitam fuiſſe, docemur a Paullo JCto, *f*) a quo accepimus, hanc fuiſſe antiquiorem pœnam hiſce criminibus: at ſuis temporibus invaluiſſe, ut humiliores quidem objicerentur beſtiis, aut igni exurerentur; honeſtiores vero capite punirentur. Verum aliquid certe in perduelles excogitatum fuit atrocius, non modo ab Arcadio, & Honorio celeberrimæ legis auctoribus; *g*) ſed a ſuperioribus Principibus, quorum conſtitutiones Arcadius, & Honorius, ** credo, attexuere legi ſuæ. Nam & Ulpianus ſcribit, *h*) omnia crimina, reo decedente, finiri, præter crimina majeſtatis: nec tamen omnia crimina majeſtatis poſt rei mortem ſubeſſe judicio, ſed tantum perduellionem; itaque perduellionis crimen poſt mortem quoque rei leges ulciſcuntur, ejusque memoriam perſequuntur, itemque filios, quibus ad propagationem calamitatis, atque ad longiorem miſeriæ ſenſum vita relinquitur. Aufertur enim iis a fiſco paterna ſubſtantia, & hæreditas quælibet ſive cognatorum, ſive extraneorum, ſpesque dignitatum omnis, & honorum eripitur, ut nihil iis ex hac mortali luce ſuperſit, præter lucis tædium, & mortis cupiditatem. Minus erunt enim parentes proclives in hanc ſceleris immanitatem, ſi horint, ſeſe pœnas

a) *ff. & C. ad l. Jul. Majeſt.* Cujac. *ad lib. Paull. ſent. 5. cap. 29. & in C. hoc tit.*

* Eſt enim ita corruptus locus Ciceronis, ut ejus teſtimonio uti noluerit Baylius in *libro ſingulari de libellis famoſis*, Gallico ſermone exarato, & pro *ne ut* legit Lambinus.

b) Manut. *de leg. p. 858. poſt* Roſin. Matth. *de crimin. pag. 305.*

c) *L. 2. C de falſ. mon.*

d) *L. 1. ff. de colleg. & corp.*

e) Cicer. *Philip. 1.* Sigon. *loco cit.*

f) *L. 5. ſent. 29.*

g) *L. quisquis C. ad l. Jul. majeſt.*

** Seu, ut malunt Jac. Gothofredus in ſingulari commentario ad hanc legem & Gundlingius laudato loco §. 88. 89. Arcadius ſolus, etſi lex ex more temporum utriusque nomen præferat. Conſcripta vero Arcadii nomine dicitur ab Eutropio, Eunucho, eodemque præcipuo ejus Imperii adminiſtro, ne deturbaretur a gradu ſuo, aut Stiliconis aliorumve inſidiis pateret. Quare in hac conſtitutione illud primarium eſt, & unicum forte novum, quod perduellionis etiam reus eſt, qui factionem inierit de nece virorum illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio Imperatoris interſunt. Pœna autem liberorum propter crimen parentum non eſt penitus nova. Jam enim Sulla liberos proſcriptorum ab honoribus capiendis prohibuerit propter dirum votum parentum,

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,

quamobrem & apud Macedones circumferebatur proverbium,

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας υἱοὺς ἀπολείπει.

Deſipit occidens patrem, qui pignora ſervat.

h) *L. ult. ff. ad l. Jul. majeſt.*

etiam

Digitized by Google

etiam in ſobolem transmiſſuros. Eas vero minime comitari minora majeſtatis delicta, ex humaniorum JCtorum auctoritate nobis facile perſuaſimus. *a*) Filiabus tantum propter infirmitatem, pudoremque ſexus, Principes conceſſere Falcidiæ, quam legitimam exponunt interpretes, *b*) detractionem ex maternis bonis. *c*) Id etiam triſte manat ab hoc crimine, quod omnes donationes, alienationes, emancipationes poſt crimen a reo etiam ante ſententiam factæ, prorſus irritantur: etſi reum vita defecerit, nihilominus tamen condemnatur, pœnæque adhuc vivere exiſtimatur. Ac propter delicti gravitatem haud pauca ſunt in hoc judicio ſingularia: minimeque cum ceteris communia: quorum haud exigui momenti eſt illud, quod non modo effectus, verum etiam conſilium, & voluntas pœnis afficitur: aliter atque aliis in criminibus, de quibus Ulpianus tradit, neminem cogitationis pœnam pendere debere. *d*) Quamobrem Cato pœnam in ſenatu Rhodienſibus deprecabatur, propter cogitatum, non tamen patratum facinus. *e*) Verum Jacobus Cujacius, *f*) lux Romanæ vetuſtatis, negat, pœnam cogitati facinoris hujus tantum eſſe delicti, ſed alia quoque gravia crimina comprehendiſſe apud Romanos, probat ex eo Servii loco ad illud *Æneid.*

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiri,

quo loco Servius tradit, jure Romano non effectum tantum, ſed voluntatem pœnæ ſubeſſe. A quo non diſſentit Seneca, *g*) nec deſunt auctoritates ex jure civili. *h*) Pluraque præterea Cujacius ex veteribus monumentis exempla collegit puniti, nec dum perpatrati facinoris in vario genere delictorum, idque generali Maximi Titii definitione comprobavit; quaſi Ulpiani definitio pertinuiſſet ad illud crimen, de quo tractabat in eo loco, unde particula hæc fuit avulſa, nempe ad edictum, *quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur;* cujus cogitatio delicti, utpote levioris, pœnam non incurrit, niſi ſequatur effectus. Sed quid reſpondebimus hiſce M. Catonis verbis adductis a Gellio? *Quis tandem eſt noſtrorum, qui quod ad ſe attineat, æquum cenſeat, quemquam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluiſſe? Nemo opinor.* Sane ſecernerem puram, nudamque cogitationem facinoris, neque confecti, neque dum affecti (quam expertem prorſus pœnæ ſemper fuiſſe crediderim, & ita acceperim verba Catonis) ab alia voluntate cum periculoſo conatu & aliqua machinatione conjuncta, quam puto pœnam in gravioribus viguiſſe delictis: ut hac diſtinctione, quam & Matthæus *i*) probavit, omnis auctorum diſſenſio tollatur. Hæc vero præcipua certe, ac propria hujus fuere criminis, ut nulla dignitas quem eximeret a tormentis, *k*) ac ſi res poſceret, etiam torqueretur accuſator, *l*) & ſervus adverſus dominum, utque cujusvis etiam, ſi alias reprobatum fuiſſet, teſtimonium reciperetur: *m*) inimico tamen excluſo, ac

a) Matth. *de crimin. ad lib.* 48. *ff. tit.* 2. *cap.* 3. *de læſa majeſt. num.* 7.
b) Matth. *de crimin. de læſ. majeſt. cap.* 3. *n.* 20.
c) *d. l. quisquis C. hoc tit. §. ad filias.*
d) *L. cogitationis ff. de pœnis.*
e) Gellius *lib.* 7. *cap.* 3.
f) *Obſ.* 8. *cap.* 22. & *lib.* 15. *cap.* 25.
g) *declamat.* 7.
h) *L.* 1. *C. Theod. ad leg. Jul. de amb.* & *L.* 1. *ff. de extraord. crimin.*
i) *de crimin. ad lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 4.
k) *L. null. C. hoc tit.*
l) *L.* 3. *C. eod.*
m) *L. famoſi l. in quæſt. ff. ad leg. Juliam majeſt.*

ſi opus fuerit, ſubjiciantur tormentis etiam teſtes. *a*). Item ne hoc damnati crimine lugeantur, neve ſepultura dignentur. *b*) Quorum plura collegit Cujacius, *c*) qui receptam illam rejecit interpretum opinionem, ut ſcilicet ad torquendum majeſtatis reum ſufficeret judici fides unius teſtis, quia ſemiplena, ut vocant, probatio inde naſcatur. Quidem probationis ſpeciem negat Cujacius agnitam fuiſſe veteribus juriſconſultis: quia nullum ſit veritatis, falſitatisque dimidium. Quam Cujacii opinionem & Matthæus *d*) amplectitur. *

LXXXVI. AD L. JULIAM DE ADULTERIIS.

Proxime legem majeſtatis locatur lex de adulteriis, cum e criminibus hoc ſit graviſſimis; tum quia vix ulla mulier ad hoc ſcelus adigitur, quin pluribus una flagitiis involvatur; tum quia marito alenda obtruditur aliena proles, eique ab adulteri, & perfidæ uxoris inſidiis periculum ſæpe creatur: quorum quoque metu, cum pudore conjuncto, maritus domum turbat, evertitque familiam. Julia vero hæc dicta eſt lex ab Auguſto, qui eam tulit, cuique Julium nomen ob adoptionem ex teſtamento Julii Cæſaris manſit. Hac ex lege publicum oritur quoque judicium, & accuſatio triplex: nempe jure patris, jure mariti, jure extranei. Haud procul ab ſuſpicione ſunt erroris, qui hanc fecerunt a lege de pudicitia, quam ab Auguſto latam prodit Suetonius. Nam quidquid ad munimentum pudicitiæ pertinet, comprehenſum fuit hujus legis capitibus: quæ non adulterium tantum, ſed & ſtuprum, & inceſtum & lenocinium, & puerorum corruptionem, & alia propudioſæ, ac nefariæ libidinis genera complectuntur. Quodque ad ſtuprum attinet, hoc ſane nomen latiſſime funditur: dedecus enim ſignificat, & turpitudinem, & non corporis modo, ſed & famæ, ac dignitatis notam. Quod probat Feſtus ex illis Nævii verſibus a Scaligero reſtitutis:

Seſeque ei perire mavolunt ibidem,
Quam cum ſtupro redire ad ſuos populares.

Quibus in verſibus quis dubitet, poſitum eſſe ſtuprum pro ignominia? item alio loco:

Sin illos deſeratis fortiſſimos virorum,
Magnum ſtuprum populo fieri pergetis.

Quamobrem conſultiſſime Danthes in divino poëmate, dæmonum inferorum ſuperbiam ſtuprum appellavit. Unde non mirum, ſi quælibet libido, & corporis commiſtio ſive cum virgine, ſive cum vidua, ſive cum puero, ſive cum aliena conjuge ſtupri nomine contineatur. *e*) Adulterium vero dicitur, auctore Feſto, quaſi ad alterum itio, ſive acceſſus: vel, ut ego interpretor, quod proprio quis conjugio relicto, corpus appetat alienum. Quod non omnino diſcrepat a Papiniani expli-

a) *Decuriones C. de quæſt. l. 3. & 4. C. ad l. Jul. majeſt.*

b) *vide expoſit.* Jac. Gothofr. *ad l. quisquis C. Theodoſ. ad l. Cornel. de ſicariis.*

c) *C. ad l. Jul majeſt.*

d) *de crimin. lib 48. ff. tit. 2. cap. 4. n. 6. l. jurisjurandi 9. C. de teſt.* Cujac. *enarrat. n. 6. C. ad l. Jul. majeſt.*

* Quorum ſententiam ſequitur Gerardus Noodt ad *P. tit. de jurejur. p. 287. 288.*

e) *L. inter liberos § 1. ff. ad l. Jul. de adult.*

catione,

catione, qui adulterii nomen ortum ait a partu ex altero concepto. Verum veſtigium hujus vocis *partus* in adulterii vocabulo nullum invenio: utcunque affinitatem habeat cum voce *alterius*, ex qua natum eſt *adulterium*, velut ad *alterius*, nempe *uxorem*. Ex his omnes Vallæ *a*) criminationes diſſipantur; cum enim vocabulum ſtupri modo latius, modo ſtrictius * accipiatur, facile ſententiarum diſſenſio tollitur, quam ipſe inter JCtos falſo notavit; etſi revera id eorum culpæ tribuerit, qui has definitiones deſcripſerunt. Age nunc de adulterio primum, poſt vero de variis ſtupri generibus hac lege damnatis diſputemus. Igitur ante legem Juliam, ſive lege ipſius Romuli, ſive moribus priſcis Romanorum, crimen hoc acerrime vindicabatur. Ex injuriis enim privatorum publica res maxime vexatur: præcipue per labem alieni thori, qua ita exaſperantur animi, ut flagrantes odio, civitatem diſtrahant in ſeditiones, atque tumultus. Itaque nunquam ſatis conſtitutam putarunt quietem publicam, niſi pudicitia, ſacraque jura thori legibus munirentur. Ut igitur metus proxime, ac perpetuo imminens, mulieres a flagitio abſterreret, facultatem uxoris necandæ marito permiſerunt, ſi cum adultero deprehenderetur, quod ex Catonis oratione retulit Gellius: *b*) verba Catonis hæc ſunt: *In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine judicio impune necares: illa te, ſi adulterares, digito ne auderet contingere, neque jus eſſet.* Quam ſane morum aſperitatem lenivit dies, & humanitas una cum literis, cultuque bonarum artium in urbem paullatim repens, quæ viri manibus extorſit vindicem gladium: ita ut ſi eum in uxoris necem vertiſſet, lege Cornelia de Sicariis ** plecteretur. *c*) Verum Imperatores aliquanto iræ parcentes, exulcerati conjugis mitigavere pœnam, cenſueruntque virum uxoris adulteræ interfectorem in opus perpetuum tradendum, ſi eſſet humilior; honeſtiorem vero in inſulam relegandum. *d*) Unde recte Cujacius locum illum Julii Paulli *in lib. ſentent. 2. capit. 26.* emendavit, *** ac pro *adultera* legit *adulterum*, nempe ita: *inventa in adulterio uxore maritus, ita demum adulterum occidere poteſt, ſi eum domi ſuæ deprehendat.* Marito enim occidere adulterum usque & ubique minime licuit; *e*) ſed deprehenſum domi ſuæ: nec tamen quemlibet, ſed vita turpes, puta lenonem, aut publico judicio damnatum, nec dum reſtitutum, aut eum, qui artem ludicram exerceret, lucrive cauſa ſcænam conſcenderet, aut libertum ejusdem mariti, parentumve adulteræ, vel ejus liberorum; dummodo adultero maritus occiſo, ſtatim ab ſe dimittat uxorem, *f*) ne non tam honeſtatis, quam vindictæ cauſa videatur hominem intereniſſe, quod

a) *lib. 6. eleg. cap. 45.*

* Quæ defenſio non diſplicuit Clariſſ. Dukero *de Latinitate Juriſconſult. veterum, p. 128.* & Ottoni in *Papiniano p. 50.* Laxiſſime Plinius *Hiſtor. Natur. lib X. c. 34.* adulteria etiam columbis tribuit: *Pudicitia,* inquit, *illis prima, & neutri nota adulteria.* Stuprum autem an dicatur a turpi, an a ſtupeo an ob obſcæno σὺν ςόμασι, incertum.

b) *lib. 10. cap. 28.*

** Imo in legem Corneliam non incidit, ſed lenius punitur extra ordinem. *L. 1. §. fin. D. ad leg. Cornel. de ſicariis.*

c) *L. pr §. ult. ff. ad l. Cornel. de ſicar.*

d) *L. ſi adult. §. Imperat. ff. ad l. Jul. de adult.*

*** Quam emendationem in ipſa ſerie contextus admiſit Schultingius poſt *editionem Pariſienſem A. 1586. & Rittershuſianam.*

e) *L. marito ff. ad l. Jul. de adult.*

f) *d. l. marito ff. eod.*

Ggg 3 leges

Digitized by Google

leges minime ferrent. Patri vero mulieris adulteræ, quam habet in poteſtate, permittitur hac lege, adulterum occidere quemlibet domi ſuæ, vel generi in ipſa turpitudine, actuque obſcæno, ipſoque in opere, ſive, ut græci legislatores Draco, & Solon loquuntur, *ἐν ἔργῳ* deprehenſum; dummodo ſimul cum adultero eodem impetu interimat & filiam; ideo enim tam lata facultas patri adverſus adulteros tribuitur, quia & filiam uno impetu ſimul occidere compellitur. A cujus nece cum proprii ſanguinis caritate parentes abducantur; ideo a patre minus periculum vitæ adulterorum impendet. Plus igitur licentiæ datum eſt patribus, quia parcius ea eſſent uſuri, ſi ſcirent, plus eſſe ſibi ex filiæ morte lugendum, quam ex morte adulteri exultandum. Quamobrem elegantiſſime Papinianus: *a*) *pietas*, ait, *paterni nominis plerumque conſilium pro liberis capit.* At cum viro leges fuere minus indulgentes, quia nulla cognati ſanguinis caritas ferventem ejus iram temperat, & conjugalem amorem recentis injuriæ dolor facile ſuperat: ita ut nihili penderent viri uxoris animam, dum ne viventem relinquerent ſuam ignominiam. *b*) Quo autem ſupplicio lex Julia crimen hoc affeciſſet, interpretes ambigunt. Juſtinianus in Inſtitutionibus gladio ſcribit in hoſce reos animadvertendum. *c*) Quod forſan additamentum fuit aliorum principum * ad legem Juliam. *d*) Unde ne variationem pœnarum diſcentium faſtidio deſcriberet, voluit Tribonianus tempora conjungere, ac ſuppreſſis aliis pœnis, tantum eam, quæ ſua ætate vigebat, ad Juliam legem attexuit, ut ſupervacuis diſcriminibus lectores liberaret. Ceterum plura in veteribus monumentis exempla ſuperſunt pœnæ levioris, puta relegationis, aut deportationis. Ipſe enim legis hujus lator Auguſtus filiam, ac neptem adulterii reas relegavit, *e*) utque id paternæ caritati adſcribatur; quid de Ovidio dicemus, cujus quoque vitæ pepercit, ** quamvis eam ſe amiſſurum fuiſſe ſcribat, niſi aliqua ex parte delictum excuſationem meruiſſet:

Et niſi delicti pars excuſabilis eſſet,
Parva relegati pœna futura fuit.

a) *L. 22. ff. ad l. Jul. de adult. lib. 20. 21. 23. 24. 32.*

b) Cujac. *ad Papin. lib. 22. ff. ad leg. Jul. de adult.*

c) *Inſtit. de publ. judic.*

* Imo gladii pœnam Conſtantino deberi, qui eam ex lege Moſaica dictaverit adulteris in *L. 30. C. ad leg. Juliam de Adult.* hodie inter omnes conſtat, idque eo veriſimilius eſt, quo ex Paulli *ſententiis lib. 2. tit. 26. §. 14. & 15.* temporibus Briſſonii, quo auctore Noſter utebatur, nondum integris editis, hodie ſcimus, pœnam adulterii, Paulli etiam temporibus, in mulieribus fuiſſe publicationem dimidiæ partis dotis, tertiæ partis bonorum, ac relegationis in inſulam; adulteris vero viris, in pari relegatione in inſulam dimidiam bonorum partem ablatam fuiſſe.

d) *l. 30. C. hoc tit.*

e) Sueton. *in Aug. cap. 65.* Paterc. *hiſtor. lib. 2.* Dion *lib. 55.* Briſſon. *ad hanc l. §. qui ſtuprum 2.*

** Imo Ovidius, non ut adulterii reus, relegatus eſt, ſed propter eam præcipue offenſam, qua Auguſto, vel in inceſtu cum nepte Julia, ut plerique volunt, vel in alia re turpi & Auguſto pudenda importunus adfuerat ſpectator. Ipſe cauſam dicat *lib. II. Triſt.*

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam
Præda fuit canibus non minus ille ſuis.

Digitized by Google

Unde Cujacius leniorem in crimine hoc Auguſtum arbitratur, quam poëtis perhibetur. *a*) Qui vero adulterium cum inceſtu cumulaſſet, & cognationem ſuam proprio corpore polluiſſet, deportandum, ſcribit Marcianus. *b*) Ex quo colligitur, detracto inceſtu, qui pœnam auxit ad deportationem, pro adulterio relegationem ſupereſſe. Item in militem, qui ſeveriori diſciplinæ obligatur, ſi comperiatur adulter, deportatio ſtatuitur; *c*) unde in paganum, quicum lenius agitur, relegationem tantum cadere oportet, uti pœnam mitiorem: ut non mirum, ſi veteres interpretes tradiderint hujus legis pœnam antiquioribus non fuiſſe capitalem, ut Cujacius *obſervationum 18. lib. 20.* obſervavit: quod comprobatur, quia capitalis delicti reus abſens defendi poteſt: *d*) nam poteſt etiam abſens damnari: mulier vero adultera minime, cur? niſi quia delictum capitale non habetur, *e*) utcunque facti atrocitas aliquando principes exaſperaſſet; & capitalem ſententiam ab iis expreſſiſſet: *f*) ac recentiori ætate morum diſſolutio in perpetuam legem id vertiſſet; ex qua in Theodoſianum codicem, & in jus Juſtinianeum capitalis adulterii pœna devenit. Extremum ſupplicium conſequitur multa bonorum: adulterii etenim damnatæ dos eripitur lucro mariti, * quod ante legem Juliam inoleverat, ut de Cajo Titinio Minturnæ, ac ejus uxore Fannia memorat Valerius; & Horatius, *cruribus hæc metuat doti deprehenſa*; quod originem ducit ex veteri judicio, quod de moribus appellabatur, quoque uxor ob detectam ejus turpitudinem ſexta dotis parte multabatur, *g*) vel octava, ſi turpitudo eſſet levior; quæ actio quia per legis Juliæ judicium ſilebat, ideo pœnam illius in legem Juliam conjecerunt; non enim utroque, ſed altero horum judiciorum licebat experiri. *h*) Recentioribus vero conſtitutionibus, præcipue Novellis Juſtiniani, extenuata eſt adulterii pœna: unde mulier verberata in monaſterium detruditur, ut a viro, ſi velit, intra biennium repetatur; eo vero non repetente intra biennium; aut mortuo, ibi maneat privata dotis commodo, ac lucri dotalis, ** donationiſque propter nuptias; & translatis

& dein

Perdiderint cum me duo crimina carmen & error
Alterius facti culpa ſilenda mihi.
Nam non ſum tanti, ut renovem tua vulnera, Cæſar,
Quem nimio plus eſt indoluiſſe ſemel.

a) *in parat. ad hunc tit. ff.*
b) *l. ſi quis viduam ff. de quo eſt.*
c) *L. miles ff. ad l. Jul. de adult.*
d) Cujac. *obſ. 20. lib. 20. & lib. 19. cap. 18.*
e) *L. miles §. ea quæ ad l. Jul. de adult.*
f) *L. caſtitati l. 3. C. eod.*

* Confunditur divortium propter mores graviores, ſeu adulterium, cum ipſo judicio adulterii. Libera Republica mulieris propter graves mores repudiatæ dos tota penes maritum manebat, ut patet ex Plinio *Hiſtor. Nat. lib. XIV. cap. 13.* & Plutarcho in *Mario pag. 274.* Lege autem Julia & Papia, ſi repudiata ſit uxor propter mores graves, ſextam, ſi propter leviores octavam partem dotis amittebat. Ulpian *tit. 6. §. 12.* Aliud in damnatis obſervabatur, quarum dotem pro dimidia parte publicatam modo vidimus, quæ quidem publicatio non extremum ſupplicium ſed relegationem in inſulam conſequebatur. Erat autem in arbitrio viri, non, ut Auctor tradit, quo judicio uti vellet, ſed utrum uxorem adulterii accuſare, an repudiare mallet.

g) Ulp. *in fragm. tit. 6. de dot §. morum.*
h) *L. miles §. ſocer ff. ad l. Jul. de adult. ubi* Cujac. *in Papin. lib. 2. de adult. leg. & §. eodem.*

** Lucrum ex dote in *L. 11. §. 3. D. ad*

duabus

duabus partibus, ſive beſſe bonorum in liberos; parte vero tertia, ſive triente in monaſterium; vel ſi liberi non extent, ſuperſint vero parentes, qui crimini non conſenſerint, duæ partes cadent in monaſterium; in parentes vero tertia. Nullis autem ſuperſtitibus parentibus, ad monaſterium ſubſtantia univerſa devolvetur, ſervatis viro ſemper dotalium inſtrumentorum pactis. *a*) At ob adulterium viri, mulier ſuam recipit dotem, & donationes propter nuptias, & reliquis de bonis tantum, quantum patet pars tertia donationis propter nuptias: reliquum fiſco vindicatur, niſi adſint deſcendentes, & ad tertium gradum aſcendentes, qui fiſcum excludunt. *b*) Nunc in eos, qui hac lege tenentur, inquiramus. Atque ab ea eximitur, quæ inhoneſtis artibus vitam tranſigit: honeſtatis enim cuſtos eſt lex iſta: unde prorſus negligit eas, quæ turpi profeſſione jam pudorem projecerunt. *c*) Ideo nec ea, quæ cauponariam exercet, aut ludicras artes, nec quæ in ſcena operam locat, lege iſta tenetur: niſi quæ, ut hanc legem effugeret, & impune pudicitiam alienis viris objiceret, matronalem ſtolam exuiſſet, quod ætate Tiberii frequenter uſu veniebat. *d*) Cui doloſo, teterrimoque conſilio puniendo S. C. in eam ſententiam ad legem Juliam eſt adjectum. *e*) Item nec ea elabitur legem, quæ quamvis impudicam profeſſionem edidiſſet; poſtea tamen honeſto connubio turpitudinem emendaſſet, ut ſapientes exiſtimarunt. *f*) Has autem uxores, quæ matrimonio vetus dedecus diluerant, eas eſſe arbitror, quæ JCtis *uxores vulgares* appellantur; *g*) ait enim Ulpianus, *quæ vulgaris fuerit:* ſcilicet ante matrimonium, quo ſenſu non pugnat cum legibus Codicis, *h*) quas credo pertinere ad eas, quæ adhuc in connubio priorem impudicitiæ profeſſionem retinebant; ideoque diverſæ ab illis, quæ honeſtam vitam nubentes inierant, quamvis ante fuiſſent vulgares: unde non mirum, ſi hæ vulgares, de quibus loquitur Ulpianus, in legem Juliam incident; minime vero illæ, quæ in Codice memorantur. *i*) Uxores etiam Ulpianus huic lege ſubjiciendas cenſuit injuſtas, nempe ductas contra leges, & cum quibus leges connubium interdixerant; quæ propterea non jure, ſed uſu habebantur uxores: *k*) quales erant nuptiæ a filiisfamilias contractæ invito patre, vel nuptiæ contractæ inter civem Romanum, & peregrinam; quo refert Cujacius *l*) Ulpiani verba. In quibus certe omnibus eſt matrimonium, quia muliere vir ea pro uxore utitur; ſed non connubium, quod ſine ſolennitatibus, &

leg. Jul. de adult. vocantur ſexta & octava pars dotis, quas lex Julia & Papia marito uxorem repudianti retinere permittit; hoc loco autem lucrum dotale donationem propter nuptias deſignare videtur, cujus mentio mox ſequitur, quare lego, donationisve propter nuptias arg. *Nov. 134. cap. 10.* pro, *Donationisque propter nuptias*, quod ſequitur.

a) *Auth. ſed hodie C. de adult Novell. 134. cap. 10. & Novell. 117. cap. 18. l. conſenſu C. de repud.*

b) Gudelin. *de jure noviſſ. lib. 5. cap. 18.*

c) *ad l. 19. C. ad l. Jul. de adult. ubi* Cujac.

d) Tacit. *2. annal.*

e) *L. mater 16. §. mulier ff. ad leg. Jul. de adult.*

f) *L. ſi uxor §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.*

g) *d. l. ſi uxor §. 2.*

h) *L. 22. & 29. C. ad leg. Jul. de adult.*

i) Bud. *in l. ſi uxor ff. hoc titulo.* Alciat. *parerg. 4.* Cujac. *C. ad leg. Jul. de adult. in parat.*

k) *L. ſi uxor ff. ad l. Jul. de adult.* Cujac. *obſ. 6. cap. 16.*

l) *lib. 3. obſ. 5.*

formula

Digitized by Google

formula juris minime conſiſtit. *a*) Porro quoniam non conjugium tantum, ſed ſpes ipſa illius digna eſt honeſto cultu; propterea cum ſponſa quoque adulterium committitur; quod Severum, & Antoninum reſcripſiſſe, tradit Ulpianus, *b*) etſi hodie propter Conſtantini conſtitutionem, quæ mariti tantum, ac genialis thori meminit, *c*) neget Cujacius, accuſari poſſe ſponſam ſive jure mariti, ſive extranei. *d*) In concubina vero non hæret adulterii crimen: *e*) quia utcunque concubina uxorem imitetur; tamen cum voluptatis nomen ſit potius, quam honeſtatis, minime digna eſt, quæ a legibus honeſtatis vindicibus reſpiciatur; niſi ſe in concubinatum permittendo matronæ nomen retinuerit: qualis concubina patroni, quæ jure non viri, ſed extranei poteſt accuſari. *f*) Eadem ratione cum ancillis nullum (ſiquidem de jure civili loquamur) intelligitur adulterium, quia eo jure connubii ſunt expertes: unde ſi vitientur, damnum, vel actione de ſervo corrupto, vel Aquilia lege, aut injuriarum vindicatur. *g*) Nec tantum auctores hujus flagitii, ſed fautores quoque ſive re, ſive conſilio, ſive opera, eodem crimine implicantur. *h*) Quamobrem & maritus, qui ſciens prudens de uxoris adulterio lucrum ceperit, quique deprehenſam retinuerit, lenocinii pœnas pendet, & pœna adulteri hac lege damnabitur; niſi uxoris libidinem, non tam conſilio, quam tædio judiciorum, ac negligentia proprii pudoris inultam reliquerit; *i*) non tamen effugiet pœnam, ſi damnatam adulterii, vel propter crimen hoc expulſam domum reducat. *k*) Supereſt nunc de adulterii accuſatione diſputandum. Cum igitur hoc publicum eſſet judicium, accuſandi facultas omnibus dabatur. Maritus enim, & pater injuriam propriam; extranei vero publicam civitatis labem ulciſcebantur; tantum vero mulieres ab accuſatione repellebantur, etiamſi propriam injuriam adverſus conjugem expoſtularent. Quod SS. Patrum pluribus videbatur abſurdum. *l*) Atqui plus mali oritur viro ex adulterio uxoris, quam uxori ex adulterio viri; quia illud proprium thorum commaculat, & obtrudit marito prolem extraneam; hoc vero thorum polluit alienum: ideo non mirum, ſi plus viro in uxorem, quam uxori in virum permittatur. Itaque non lege Julia, ſed actione injuriarum licebit uxori divortium petere ob læſam fidem thori conjugalis: vel marito ſibi adulterium objicienti referre lenocinium, non quo lege Julia ita liberetur; ſed quo ſuus dolor juſta ultione, meritaque pœna mariti quoquo modo leniatur. *m*) Igitur vir accuſationem inſtituens, prius cogitur uxorem dimittere, quam eam, aut adulterum accuſet. *n*) Sed ſi poſt divortium alii nupſerit, prius reum peragere debet

a) Ræward. *varior. lib.* 4. *cap.* 16. *pag.* 614.

b) *L. ſi uxor.* 13. *§. Divi ff. ad leg. Jul. de adult.*

c) *L.* 30. *C. ad leg. Jul. de adult.*

d) *obſervat.* 6. *cap.* 16

e) *L.* 1. *§.* 1. *ff. de concubinis.*

f) *L. ſi uxor. ff. ad leg. Jul. ad adult.*

g) *L.* 6. *in princ. ff. ad leg. Jul. de adult. leg.* 23. *&* 24. *C. eod. leg. ſi ſtuprum* 25. *ff. de injuriis.*

h) *L. qui domum ff. ad leg. Jul. de adult.*

i) *L.* 1. *§.* 2. *&* 3. *ff. ad leg. Jul. de adult. l. mariti §.* 4. *ff. eod.*

k) Cujac. *in enarr. C. ad leg. Jul. de adult. leg.* 41. *§. ult. ff. eod.*

l) Athanaſ. *quæſt.* 94. *ad Antioch.* Lactant. *divin. Inſtit. cap.* 6. Nazianzen. Ambroſ. *& alii apud* Cujac. *hoc tit.*

m) *L. ſi uxor §. judex. ff. ad leg. Jul. de adult. leg.* 1. *§.* 1. *ff. eod.*

n) *L. crimen. C. ad leg. Jul. de adult. §. volenti.*

adulterum, quam ſe vertat ad mulierem, niſi ei mulieri ante nuptias crimen intenderit; aut ne nuberet, quoquo modo denuuciaverit. *a*) Neque enim licet adulteram ſimul, & adulterum accuſare; *b*) poterit vero ſimul cum reo accuſari is, a quo vel opera, vel conſilio fuerit adjutus, ſive ut admitteretur, ſive ut crimen pecunia redimeret. *c*) Præterea ſi quis non fraude ſua, ſed reipublicæ cauſa ſine dolo abſit, inter reos minime referri poteſt ex capite VII. legis Juliæ. *d*) Eadem lex propter ætatis lubricum, & levitatem conſilii, minoribus XXV. annis interdixit accuſandi facultatem, niſi thori ſui ulciſcantur injuriam. *e*) Multum vero intereſt, adultera ne an adulter ſit accuſandus: etenim conſtante matrimonio non licet extraneo adulteram accuſare, niſi maritus, qui eam dimittere neglexerit, lenocinii prius accuſetur: *f*) cum adulterum fas ſit etiam nondum facto divortio poſtulare. *g*) Tempore porro ab aliis criminibus accuſatio iſta diſtinguitur. Plurimorum enim criminum accuſatio ſpatio XX. annorum; *h*) hæc vero quinquennio a die admiſſi criminis præſcribitur in adultero accuſando; in adultera vero accuſanda ſex menſibus utilibus a die divortii ita computandis, ne quinquennium continuum a die admiſſi criminis numerandum exuperent, hoc eſt, ne ſex illi menſes utiles ultra ſpacium quinquenne continuum excurrant; ne, ut ait Juriſconſultus, crimen quinquennio continuo ſopitum excitetur. *i*) S. C. autem adjectum eſt, ut ſi plures ad accuſandum prodierint, & aliis diſcedentibus unus perſeveraverit, initium accuſationis ducendum ſit a die, quo libellos accuſatorios dedit is, qui perſeveraverit; non autem a die illorum, qui deſtiterunt; ut a die perſeverantis accuſationis quinquennii lapſus definiatur. *k*) Ex illis autem ſex menſibus utilibus primi duo dantur marito, vel patri ad accuſandum jure patris, aut mariti; reliqui autem quatuor menſes ſuperſunt ad accuſandum non jure patris, aut mariti, ſed extranei. *l*) Id enim præſtat accuſatio jure patris, aut mariti, ut præferantur aliis accuſare volentibus: ita tamen, ut patri maritus anteponatur, utpote majori dolore accuſationem executurus. *m*) Hoc etiam ei permittitur, ut adulterum, quem occidere vetetur, viginti continuas diei, vel noctis horas domi coercere liceat, dum deprehenſi criminis teſtes advocet, quorum fide acceptam injuriam in judicio comprobet: quam facultatem, & ad patrem etiam adulteræ ſapientes extenderunt. *n*) Prodiit ad hanc legem S. C. a Scævola relatum, quo adulterii pœna plectitur, *o*) ſimul cum uxore in ſcelere deprehenſa, maritus is, qui clam, & callide adulterum uxori ſub-

a) *L. qui uxori 16. & ſeq. ff. ad leg. Jul. de adult. leg. 5. ff. eod.*

b) *L. 15. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult. l. reus C. eod.*

c) *L. nihil intereſt 32. ff. ad leg. Jul. de adult. §. 1.*

d) *L. 15. § legis ff. eodem.*

e) *d. l. 15. §. lex Jul. ff. ad l. Jul. de adult.*

f) *L. conſtante ff. ad leg. Jul. de adult.*

g) *L. vim. §. 1. ff. eod.*

h) Cujac. *in Papin. leg. 15. reſponſ. § præſcriptione.*

i) *L. mariti. §. ſex menſium & ſeq. ff. hoc tit. leg. 1. §. accuſationem ff. ad Turpil.* Cujac. *obſ. 15. lib. 20.*

k) *L. mariti 29. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult.*

l) *L. 2. §. penult. leg. 3. leg. 4. §. 1. leg. 11. §. 66. l. 14. §. penult. l. 30. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.*

m) *L. 2. §. 8. ff. eod.*

n) *L. capite 25. ff. ad leg. Jul. de adult. in princ. & §. 1.*

o) *L. is cujus 14. §. 1. eod.*

jecerit,

ecerit, ut eam in fraudem, & crimen impelleret. Nam quilibet ſuaſor, atque auctor, & machinator hujus flagitii hac lege comprehenditur per ea verba: *Ne quis poſthac ſtuprum, adulterium facito ſciens dolo malo*, ubi JCtus ſubjicit, *& ad eum, qui ſuaſit, & ad eum, qui ſtuprum, & adulterium intulit, pertinent. a)* Excidit autem omnino maritus inpoſterum ab accuſandi jure, ſi delatum adulterium non peregiſſet. Quod caput Hottomannus tribuit legi Petroniæ. Verum ne concordes nuptiæ in perpetuo diſcrimine verſarentur, neve conjuges paterent livoribus extraneorum, qui ad accuſandum, non ſtudio alienæ pudicitiæ, ſed vulnere ſæpius acceptæ a muliere repulſæ adducuntur; eripuit Conſtantinus extraneis alieni thori accuſandi facultatem, eamque reſtrinxit ad eos, quos verus dolor urget commaculatæ familiæ, nempe præter maritum, & patrem, ad neceſſarios, & propinquos, uti fratrem, patruum, & avunculum: quibus etiam per Conſtantinum licet, ab accuſatione recedendo, delatum crimen abolere: *b)* nam neque lege Julia extraneis accuſandi facultas ſine modo ullo dabatur; ſed arctiorem habebant: non enim eis licebat accuſare mulierem alienam, niſi prius virum, etiam lenocinii compertum poſtularent. *c)* Scilicet viſum fuit verecundius agendum cum conjuge de uxore ſua bene cogitante, nec per extraneum uxoris fidem ei ſuſpectam reddendam, neque alieno livore conjugalem pudorem publicæ infamiæ ſubjiciendum. Quoniam vero ea ratione Conſtantinus ab accuſando adulterio arcet extraneos, quia indignum videtur concordes nuptias extraneorum audacia perturbare; colligit Cujacius, facto divortio vetera extraneorum jura reſurgere, quia nullæ jam conſiſtunt nuptiæ, quas vexare ſit nefas; ac ſolum permanet crimen, quod utile ſit reipublicæ vindicari. *d)* Mitius etiam ea conſtitutione cum marito agitur, dum accuſat jure mariti; tum enim non cogitur inſcribere in crimen: ideoque ſi accuſationem non probet, calumniæ judicium non ſubibit; unde vel ex ſola ſuſpicione ad accuſandum ei deſcendere licebit; ſecus vero ſi jure accuſet extranei; quam legis benignitatem, ortam ex miſeratione maritalis doloris, minime ad patrem extenderim, cui minor injuria offenſionem parit minorem: ideo cogetur inſcribere in crimen, ut ſi falſum detuliſſe arguatur; calumniæ damnetur. *e)* Et quoniam crimina hæc parietibus concluduntur, tenebriſque teguntur, ut probari nequeant, niſi per ſervos, & familiares efferantur, utpote ſceleris conſcios, & non raro adjutores; ideo lex quæſtioni, tormentiſque ſubjecit ſervos, & ancillas tum uxoris, tum patris ejus, tum etiam viri ſimul viventium. Et ne datis libertatibus judicio ſubducantur, vetuit lex mulierem, vel ipſius hæredes per ſexaginta dies a matrimonio diſſoluto eos manumittere: *f)* ſi vero cognitio criminis diutius trahatur, manumiſſiones etiam protrahendas cenſuit Ulpianus, ne criminis probationes judici eripiantur. *g)* Admittitur autem teſtimonii dictio tum fœminis, tum maribus crimine adulterii damnatis. *h)* Ac Senatusconſulto fuit conſtitutum, ut Prætor quoque in hoc judicio,

a) *L. hæc verba 12. ff. ad leg. Jul. de adult.*
b) *L. quamvis 30. C. eod.*
c) *L. conſtant. 16. ff. ad leg. Jul. de adult.*
d) *vide C. Theodoſ. & ibi* Gothofr. *hoc tit. & hac lege.*
e) *L. 30. ff. eod.*
f) *L. 3. C. eod. ubi* Cujac.
g) *vide* Cujac. *ad leg. 3. C. eod. & l. proſpexit ff. qui & a quibus.*
h) *L. qui teſtamento §. mulier. ff. de teſtam. L. ex eo ff. de teſtibus. leg. 14. ſcio ff. eod.*

ſi fuerit conſcius, teſtimonium edere debeat. *a*) Figuram quoque divortii faciendi hæc eadem lex deſcripſit. Etenim ut adſpectu teſtium pudor conjugibus offunderetur, minusque frequenter matrimonia diſtraherentur, juſſit, uti deinceps divortia coram VII. teſtibus civibus Romanis puberibus fierent, libertis excluſis. *b*) Hanc ad legem * Juriſconſulti revocant caput illud legis Juliæ, quæ *de fundo dotali* appellatur, qua Italici fundi alienatio in dotem dati prohibetur, de quo ſcripſimus etiam ſupra ad legem Juliam, & Papiam, ad quam a Jacobo Gothofredo refertur, niſi idem in utriusque legibus comprehenſum fuerit. Quod ad provinciales etiam fundos poſtea fuit a Juſtiniano porrectum: *c*) nam & diſcrimen rerum mancipi, & non mancipi, quo Italicæ res a provincialibus diſtinguebantur, idem Imperator etiam ſuſtulit: ideoque recte ad provinciales fundos, qui jam nihil ab Italicis differunt, legis Juliæ caput extenditur; addiditque inſuper Juſtinianus, ut ne conſentiente quidem uxore poſſet eum fundum vir alienare: cum lex Julia obligationem quidem fundi dotalis etiam uxore conſentiente vetuiſſet, non vero eodem conſentiente alienationem, cui difficulter mulieres ob ſexus avaritiam conſentire putantur; unde qua in re cavit eis propria natura, non opus fuerat cautione civili. *d*)

LXXXVII. DE STUPRO.

Punito jam adulterio ad ſtupri coërcitionem tranſeamus; ac primo meminerimus, quod initio propoſuimus, omnium libidinum genera in hoc vocabulum convenire: ſtuprumque generaliter pertinere ad virginem, viduam honeſtam, & pueros liberos: a quibus multo ante legem Juliam homines tum Athenis, cum Romæ ſeveris legibus abſterrebantur. Quæ omnia complectitur Comicus in *Curculione* his verſibus:

Dumne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum te abſtineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.

Crimina igitur hæc univerſa comprehenduntur lege Julia de adulteriis, & ſtupro. Verum propter diſtinctionem criminis, nomen ſtupri ſtrictius, & hac propria in ſignificatione accipitur, & peculiare eſt devirginatæ puellæ. Quacumque autem ratione vir fœminam tentaverit ſeu vi, ſeu dolo, ſeu blanditiis, ſeu muneribus, in pœnam labitur; fœmina vero tantum, ſi ſponte, vel provocaverit virum, vel ceſſerit: nam vi compreſſa nec pœnam incurrit, nec amittit pudorem. *e*) Nec ſcæcri-

a) *L. 21. ff. de teſt.* §. 1. Briſſ. *ad hanc leg. cap. de adult. damnat.*

b) *L. unica in fine ff. unde vir & ux. leg. nullum ff. de divort.* Briſſ. *ad h. l. c. de divort.* 7.

* Cui id diſerte quoque acceptum fert Paullus *Sent. l. II. tit. 21. B.* §. 2. quo argumento motus Gothofredus, ſententiam priorem ipſe deſeruerat, ſuffragante Heineccio ad *legem Papiam p.* 324. cui id minime veriſimile videtur, quod a Gothofredo olim & hic a Gravina dicitur, idem caput utriusque legis ambitu comprehenſum fuiſſe.

c) *toto tit. ff. de fundo dot.* Briſſ. *c. dotale prædium ult d. lib. ad l. Jul. de adult.*

d) *L. ult.* §. *& cum lex. C. de rei uxor. act. Inſtit. quib. alien licet in princ. ubi* Vinn.

e) *L. eum qui 28. & l. fœdiſſimum 20. C. ad l. Jul. de adult.*

tatem

tatem legis effugiunt, qui conſilium, opem, aut domum ad hujusmodi flagitium præbuerunt, aut lucrum ea cauſa fecerunt. *a*) Etenim ſtupratorum, aut ſponte ſtupratarum honeſtiores quidem media parte bonorum publicata multantur; humiliores vero relegati corpore coërcentur, ſive, ut Hottomannus *b*) interpretatur, & Vinnius, verberibus cæduntur: humiliores enim ſervos intelligimus, & infames. *c*) Lex Attica ſtupratorem, vel ad ducendam puellam, vel ad dotandam cogebat; lex Moſaica ſimul ad dotandam, & ducendam. *d*) Exacerbatur vero crimen, vindicesque pœnæ ſæviunt aſperius in ſuaſores, adjutoresque flagitii: exemplo legum Atticarum, quibus in hoc genere criminum fraus gravius, quam violentia puniebatur: vis enim a libidine, quæ vicium eſt corruptæ rationis: fraus a calliditate, in qua in ratione incorrupta vitium arguitur voluntatis, eoque pernicioſius, quod cautius nocet, atque arte majori. Quamobrem capite plectuntur, quicunque honeſtas mulieres, aut virgines donis, illecebris, aut dolis ab honeſtate ad turpitudinem abducunt. *e*) Ac perfecto flagitio capite multantur; imperfecto vero deportantur in inſulas: corruptique comites ſummo ſupplicio afficiuntur.

LXXXVIII. DE INCESTU, ET LEGE PEDUCEA.

Quia, uti diximus, lex Julia libidinum omnia genera coercuit, cum iis & inceſtum comprehendit: ac poſt Auguſtum alii Principes ſingula hujusmodi crimina eandem ad legem attexuerunt; ut quidquid novi de his emergeret, ad legem Juliam referretur. Quamobrem Juriſconſulti cum hujus legis expoſitione ſuas de inceſtu diſputationes conjunxerunt. *f*) Hujus autem interdictio criminis oritur a communibus hominum moribus, ſive, ut optime Cujacius exponit, *g*) a jure naturali, quod in mores hominum manavit univerſorum: efferatos enim, quorum ratio, in qua hominis natura verſatur, elangueſcit, vix hominum loco ducimus: qui ſi conſopitam viciis rationem exuſcitarent, cum ceteris mortalibus in eandem honeſtatis legem procul dubio convenirent. Quamobrem ſervi, qui cum cives non ſint, juris civilis minime participant; tamen prohibentur contrahere nuptias inter patrem, & filiam, quia id vetatur jure naturali, quo tenentur omnes. *h*) Ideo Paullus ait: *in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudorem eſſe inſpiciendum: contra pudorem autem eſſe, filiam uxorem ducere.* Pugnat enim conjugalis amoris familiaritas cum veneratione, * cultuque paterno, ita ut oporteat al-

a) Matth. *de crimin. in l. Jul. de adult. cap. 5 n. 7.*

b) *ad tit. Inſtit. de pub. judic. §. item lex Jul.*

c) *L. 7. C. de inceſt. nupt.*

d) *Deut. 22. v. 29. Exod. 22. v. 16.*

e) *L. 1. § ult. ff. de extraord. crimin.*

f) *L. ſi adulterium ; ff. ad l. Jul de adult.*

g) *in l. ſi adopt 14. ff. de ritu nupt. ſive ad lib. 35.* Paull. *ad edict.*

h) *L. adoptivus 14. ff. de ritu nupt. §. ſervilis.*

* Sed quæ cum amore conjugali forſitan conjuncta eſſe poteſt,

Scilicet ut pietas geminato creſcat amore, ut eſt in matrimoniis Principum cum plebejis, aut cui renunciare pater queat, tanquam juri pro ſe introducto. Imo conjuncta hæc reverentia cum amore conjugali eſſe nequit, quia etiam ſola nuptiarum ipſe remitteretur cura educationis, quam natura parentibus non minus, quam curam ſobolis procreandæ commendat, et cui nec renunciare pater poteſt, utpote introdu-

terum ab altero tolli: nullaque utrimque poſſit exiſtere, niſi abſurda prorſus, & monſtroſa conjunctio. Quamobrem jure damnatæ ſunt hæ conjunctiones: quamvis Perſis eſſent uſitatæ: quia ſi non moribus Perſarum, at univerſæ naturæ hominum adverſantur. *a*) Præterea quid iniquius, quam conjugales amores, qui nuptiis extraneorum ſerpere poſſunt latius, & profundere ulterius benevolentiam, atque mutuam caritatem contrahere intra ſuam cujusque domum, ut duplex amor conjugalis, paternusque ſimul in iiſdem perſonis perpetuo vertatur? *b*) ut optime Philo, & poſt eum Chryſoſtomus ratiocinatur. Hinc natura ipſa nobis harum nuptiarum horrorem ingeneravit. Quamobrem hiſce conjunctionibus notandis leve Juriſconſultis viſum fuit nomen inceſtus: ideoque atrocius excogitavere vocabulum, easque nefarias appellarunt: ut hoc vocabulorum diſcrimine prohibitio naturalis diſtingueretur a prohibitione civili, ad quam inceſtum retulere. *c*) Quæ ſane diſtinctio naturalis, & civilis prohibitionis erat neceſſaria notanda, propter diverſitatem juris inde progredientem. Jus etenim naturale, ſive gentium ignorare, minime licet, unde nunquam inceſtum remittitur per cauſam hujus ignorantiæ: nam ut Menander ſcripſit, *οὐκ ἐςὶ τοὺς τῆς Φύσεως λαθεῖν νόμυς*, *nunquam latuerint naturales leges*. *d*) Ignorantia vero juris civilis excuſat, mulieres præſertim, cum quibus lenius agitur, ſi contra jus civile inceſtum concubitum admiſiſſent. Committitur autem jure naturali, ac moribus gentium inceſtus inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum, & inter eos, qui horum locum, vel affinitate, vel adoptione ſubeunt, nempe inter vitricum, & privignam, quam Ovidius pene filiam appellat, interque novercam, & privignum; vel adoptivum patrem, & adoptivam: unde Phocylidis carmina: *e*)

Μητρυιῆς μὴ ψαύειν δευτέρα λέκτρα γονῆος.
Μητέρα δ' ὡς τίμα τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν.

Eodemque jure inceſta etiam habetur conjunctio inter ſocerum & nurum, ſocrum & generum: imitantur enim parentes, & liberos; quorum etiam ſimulacrum naturali honeſtate munitur. Sororum quoque, fratrumque * conjunctio prohibita eſt non in ſui, ſed in liberorum favorem. Earundem ſpe nuptiarum a parte liberorum minueretur ſtudium obſequii, ſine quo felici plerumque exitu caret parentum ſollicitudo. Accedit inæqualitas ſeminum inter parentes & liberos, qua ipſa quoque natura liberos extraneis, ætate æqualibus, deſtinare videtur. Neque eſt, quod ſic etiam nuptias ſenum quasvis cum puellulis nefarias eſſe dicas: cum enim hæ utique decori naturali repugnent, turpitudo nuptiarum inter parentes & liberos eo adhuc intenditur, quod neceſſaria eſt eorum vitæ conſuetudo vagis amplexibus quotidianas occaſiones præſtitura. Non uteremur his argumentis, ſi conſtaret de horrore naturali. Verum hunc conſuetudini multi, ſolique inſtitutioni tribuere malunt.

a) Xenophon. *memorab.* 4.

b) Philo. *de leg. ſpecialib.* Chryſoſt. *ad 1. Cor.* 13. *v.* 15.

c) Cujac. *parat. C. de inceſt. nupt.*

d) Cujac. *ad Papin. quæſt. liber.* 36. *L. ſi adulterium ff. ad l. Jul. de adult. & obſervat.* 21. *cap.* 18.

e) *L. adoptivus* 14. *ff. de ritu nupt. ubi* Cuj. *ad lib.* 35. *Paull. ad edict. Iuſt. de nupt. §. affinitat. & §. ſocer l. aviſ. ff. de ritu nupt.*

* Fratrum & ſororum quoque matrimonia Juri Naturæ repugnant, quia adverſantur

quidem

quidem Chriſtianis eſt jure divino, verum an ſecluſa religione, jure naturali, vel tantum civili prohibeatur, haud parum inter Juriſconſultos ambigitur propter mores aliquot gentium, quibus hujuſcemodi nuptiæ permittebantur. Qua in re Cujacius minime ipſi ſibi conſtat. Cum enim in Papinianum ſcribens *a*) reprehendiſſet Nepotem, quod operis initio falſo tradiderit, Athenis licuiſſe ducere ſororem germanam, & in *commentariis ad Novell. 12.* prohibitionem talis conjugii arceſſat ab jure gentium; tamen in *paratitlis*, *& enarrationibus ad tit. C. de inceſtis nuptiis*, mutata ſententia, quod legibus gentium adſcripſerat, attribuit legibus civilibus, ac ne ſecum pugnare videatur, adjicit jure civili noſtro hæc prohiberi auctoritate juris gentium, nempe quia paucæ admodum nationes inde aberrent, ideoque in hoc, quod ex majore gentium numero coaluit, haud immerito ad jus gentium revocari: utcumque moribus Perſarum, & Ægyptiorum ſororis lectus frati patuerit; & moribus Athenienſium frater cum ſorore conſanguinea jungebatur. *b*) Hoc amplius addit Nepos, Cimonem Athenienſem cum ſorore germana ſe junxiſſe. Quod etſi *παρανόμως*, hoc eſt *non jure* factum arguat Athenæus; *c*) tamen id non reprehendit, quaſi germanam ſibi habere uxorem nefas fuerit; ſed quod ea ſine nuptiis abuteretur. An germanam Nepos accepit pro conſanguinea? minime; nam Ciceronis ætate proprietatis verborum tenaciſſima, Cornelius Nepos puri ſermonis, & Marci Tullii ſtudioſiſſimus, nunquam aliter, quam ille fuiſſet locutus. Cicero enim *pro domo* de Clodio, qui cum ſorore coiverat eodem patre, matreque nata hæc ait: *Clodius cum ſorore germana nefarium ſtuprum fecit*, & pro Fontejo: *Cum præſertim ſoror germana fratrem amplexa teneat.* Quamobrem Livii tempore variaſſe arbitror hujus vocis uſum: ideoque apud ipſum Perſeus, & Demetrius diverſa matre fratres, patre vero eodem, germanitatis nomine conjunguntur. *d*) *Subituram*, inquit, *vobis germanitatis memoriam.* Quin neque Aſſyrii ſororum nuptiis abſtinebant: Lucianus enim Jovem ait cum Junone fœdus conjugale percuſſiſſe Perſarum, & Aſſyriorum legibus. *e*) Quæ populorum auctoritas haud paucis Juriſconſultorum perſuaſit, harum nuptiarum prohibitionem e civilibus potius inſtitutis, quam e communi gentium jure proceſſiſſe: contra Platonis auctoritatem. *f*) Meminit & Cicero legis Peduceæ * de inceſtu, quam notavit Hottomanſini conjugii, procreationi & educationi ſobolis, qui obtineri nequit, ſi promiſcuis & intempeſtivis amplexibus in immaturo adoleſcentulo, immatura adoleſcentula exhauriretur flos juventutis. Ejuſmodi autem amplexus in ſpe nuptiarum facile exſuſcitaret quotidiana conſuetudo. Ovidius:

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus,
Eſt mihi libertas tecum ſecreta loquendi,
Et damus amplexus & jungimus oſcula coram,
Quantum eſt quod deſit?

a) *lib. 36. quæſt. ad l. ſi adulterium 38. ff. ad l. Jul. de adult.*

b) Demoſt. *adverſus Eubulidem.* Cornel. Nepos *in prooem.*

c) *lib. 13. c. 2.* Petit. *ad leges Attic. lib. 6. t. 1. ubi emendat. Athenæi locum pag. 440.*

d) *lib. 40. c. 8.*

e) *de ſacrific.*

f) *l. 8. de legib. lib. 3. de nat. Deor.*

* Imo Peducæa rogatio non ad inceſtum in genere pertinet, ſed ad tres Veſtales, inceſtus reas, quarum una a Metello Pontifice Maximo condemnata eſt abſolutis reliquis ambabus, quare Metellum S. Peducæus, tribunus plebis accuſavit. V. Bouhierius ad *Ciceronem de Natura Deorum pag. 122. edit. Verburgil.*

nus.

nus. In ceteras cognatorum conjunctiones inceſtus maculam non jus gentium, ſed civile perfudit. Quem vero pœnam huic delicto veteres conſtituerint, vix liquido diſcerni poteſt: niſi ſufficiat controverſiæ definiendæ Ciceronis locus de *legibus:* ubi apud eum hoc eſt capitale delictum: quod ſimul cum plerisque aliis a publicis legibus forſan ille tranſtulit in ſuas. Cujacius *a*) ex libris juris colligit, jure antiquo dotem fuiſſe caducam fiſco, & fructus dotis, & donationem propter nuptias. Ac Juſtinianus juſſit inſuper hujusmodi reos humiliores quidem flagris cæſos; honeſtiores flagris exemtos in inſulam deportandos: *b*) ita enim Cujacius in ea Novella exilium accipit, quæ pœna & ante vigebat. *c*) Bona vero ſervantur liberis ex juſto matrimonio ſuſceptis: iisque deficientibus publicantur. *d*)

LXXXIX. DE AVERSA VENERE.

Atque hactenus lex Julia flagitioſam libidinem a mulierum corpore propulſavit: ſupereſt modo caput illud, quo fœda venus ab adoleſcentium pudore depellitur. Quæ aliis criminibus eo pernicioſior eſt, cum publice, tum privatim: quod naturalem ſimul, ac civilem evertit ordinem. Etenim venerea cupiditas, quam ad propagationem natura procudit, ſi in maſculos appetierit, in humani generis vertet interitum: ut merito a Platone, reliquisque ſapientibus contra naturam exiſtimetur: perimit enim generationem, quod naturæ maximum eſt opus [illegible] conſilium. Civilium præterea rerum compoſitionem diſſolvit: quia mares viriſibus artibus, ac generoſis exercitiis inſtituendos aſſuefacit vivere molliter, ac muliebriter, & impudice: ut cum poſtea corporis emtores non inveniant, cogantur reliqua parte vitæ, fraudibus, & lenociniis, aliove turpi quæſtu ſibi parare neceſſaria: ne quid dicam de inſolentia, & intemperantia, & ſuperbia, quam in adoleſcentibus ingenerat amatorum numerus: qui blanditiis, & fœdis obſequiis non corpora modo, ſed & animos puerorum ab ingenio virili transferunt in muliebre, ut grandiores facti, cum ab illis deſerantur, non tamen relinquantur a vitiis, quæ ab amatorum aſſentatione diu contraxerunt. Poſtremo quid indignius, quam amorem virorum mutuum, quem ad animos adglutinandos a natura retulimus, traducere in fœdam conjunctionem corporum: ex qua ſanctiſſima virtutum amicitia in uſum teterrimæ libidinis commutetur. Quamobrem apud Græcos, quorum legibus, & moribus puerorum amores adeo extollebantur, ut pudori duceretur, adoleſcentibus nullos habere amatores, *e*) tamen ſi amor non intra pulchritudinis cultum, ſtudiumque maneret, ſed in concubitum tranſiret; corruptores puerorum meritis pœnis afficiebantur: imo ſi adoleſcens diſſolute, atque impure viveret, culpa in amatorem conferebatur, ut pœnas alieni vitii pendere cogeretur; virtutis enim non libidinis nexum voluerunt eſſe pulchritudinem. Quæ inſtituta Plato in ſuam tranſtulit rempublicam, indeque in Stoicam diſciplinam conceſſere. Unde non apud philoſophos modo turpes habebantur, ſed apud Lacedæmones tota vita

a) *ad Novell. 12.*
b) *Novell. 12. ubi Cujac.*
c) *L. ſi quis viduam ff. de quæſt.*
d) *Auth. inceſtas C. de inceſt. & injuſtis nupt.*
e) Cic. 4 *de repub.* Alcinous Platonicus *cap.* 20. Plutarch. *in apoph. Lacon.*

infa-

infames reputabantur, qui ab amore pulchritudinis ad obſcæna deſideria dilaberentur; utpote amatores corporis, non animæ, quæ, & corpori pulchritudinem afflat.

XC. DE LEGE SCANTINIA.

Romæ autem haud paucis ante legem Juliam annis lata fuerat Scantinia * lex, qua ingenuorum adoleſcentium corruptores, ipſique ſponte corrupti adoleſcentes decem millibus nummorum ** damnabantur. Cujus legis auctorem faciunt C. Scantinium Aricium *** tribunum plebis, quem accuſavit M. Marcellus ædilis curulis, cujus filium Scantinius de ſtupro appellaverat, ut Valerius tradit. a) Ac Scantinio quidem tribunorum aliorum opem imploranti adeſſe illi noluerunt. Quam levem ſane in tanto crimine pœnam Julia lex **** auxit ad ſummum usque ſupplicium, ut Juſtinianus, b) & Paullus teſtantur. Quod Gothofredus junior, aliique accipiunt de libidine cum violentia commiſſa: nam eum, qui puerum perduxiſſet non invitum, dimidio bonorum fuiſſe multandum, Paullus tradit apud Auctorem *collationis legum Moſaicarum.* c) Siquidem hujus pœna criminis ſine exceptione usque ad capitale ſupplicium exacerbata recentioribus temporibus fuit: cum tota urbs hac libidine ita flagraret, ut exemplo ſceleſtiſſimorum principum, Neronis nempe, aliorumque huic monſtro non diſſimilium, adoleſcentes mulierum officia uſurparent, qualique ſexum omnino mutaſſent, pigmenta faciei, veſtimentaque muliebria ſibi adhiberent, ſeque viris in concubitum nuptialibus quoque ſolennibus turpiſſime traderent. Quam ſceleris fœditatem Alexander Severus, & Philippus, aliique honeſtiores Imperatores acerrimis coërcuere ſuppliciis. Vehementius vero exarſere Conſtantius, & Conſtans, qui flammas hujus criminis vindices exuſcitaverunt; quod ſignificatur per illa verba celeberrimæ legis: *Cum vir;* d) *exquiſitis pœnis;* nempe ignis pœna, quod ſummum erat ſupplicii culmen. Idque clarius expreſſit Valentinianus, e) qui ſcelus hoc *vindicibus flammis* cenſuit expiandum; ideo gladii voce mortem ſignificari docet Gothofredus. f) Porro lex

* Scatiniam hanc legem dictam eſſe, non Scantiniam, auctoritate Ciceronis, Suetonii & Auſonii, docet CL. Chriſtius de *lege Scatinia 1. 8.* Scantinia tamen dicitur Valerio & Juvenali.

** Quam ſummam argentarii efficere ajunt unciales 408. numum credo accipientes de ſeſtertio. Qua pœna tamen etiam ſponte corruptos adoleſcentes affectos fuiſſe, non conſtat.

*** Imo Aricio quidem oriunda gens Scatinia, nec tamen ideo Scatinius legislator Aricinus protinus appellandus erat, uti eum appellat Manutius in libro *de legibus.* Lata cæterum lex, ſeu, ſi mavis, plebiſcitum tempore dicitur belli Punici ſecundi.

a) Valer. *lib. 6. cap. 1. n. 7.* Cic. *Philipp. 3. & epiſt. Cælii 12. in lib. 8. famil. M. Tul. Cic.* Juven. *ſat. 6.*

**** Scatiniam tamen legem in Juliam transfuſam, aut ab ea abrogatam eſſe, negat Chriſtius, primo, quia lege Julia ſtuprum tantum committatur in virgine & vidua, tum quia & poſt eam valuerit lex Scatinia, ut ex Fabio, Suetonio, Tertulliano & Lactantio palam eſſe, putat.

b) *Inſtit. de publ. judic. §. 4. L. 1. ff. de extraordin. crim.*

c) *tit. 5. de ſtuprat.* Jac. Goth. *in C. Theodoſ. ad l. cum vir.*

d) *C. ad l. Jul. de adult.*

e) *L. 6. C. Theodoſ. ad l. Jul. de adult.*

f) *ad l. cum vir C. eod.*

illa *cum vir* omnem puerorum corruptelam comprehendit, ſive cum nuptiis, ſive ſine nuptiis: nec enim Ræ3vardo aſſentior, qui eam ad nuptias maſculorum contrahit: *nubendi* enim verbum, quo Imperator utitur, ad omnem concubitum extenditur, ſive legitimum, ſive meretricium ſive quoquo modo impudicum. Hæc enim Plautinus ſenex *a*) ancillæ concubitum appetens clam uxore:

Tantiſper dum faciam cum Caſina nuptias.

& Læna in Ciſtellaria *b*) meretricem ait quotidie nubere:

Hæc quidem ecaſtor quotidie nubit, nupſitque hodie;
Nubet mox noctu: nunquam ego hanc viduam cubare ſivi.
Nam ſi hæc non nubat, lugubri fame familia pereat.

Et ad rem, de qua agimus, Martialis *c*) de pathico dixit:

Qui loquitur Curios, aſſertoresque Camillos,
Nolito fronti credere, nupſit heri.

Nupſit) hoc eſt muliebria paſſus eſt. Pergit lex *in fœminam:* quam particulam Gothofredus explicat *more*, ſive *inſtar fœminæ:* quemadmodum & Virgilius dixit *in arcus Ityræos:* quod Servius explicat in ſimilitudinem *arcuum Ityræorum.* Item Propertius: *d*)

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus.

hoc eſt in ſimilitudinem arcuum. Quamobrem hoc ita legerim, & explicarim conſtitutionis initium: *Cum vir nubit in fœminam viris porrecturam quod cupiatur*, hoc eſt: cum vir fœmineo ritu ſuum corpus viro appetenti ſubjicit. Itaque Ræ3vardi commentum excluditur, eam legem ad ſola maſculorum inter ſe matrimonia referentis. Atque hac in lege obſcuritatem data opera quæſitam fuiſſe crediderim, ut auribus populi honos haberetur: ſceleriſque turpitudo nefarii perplexitate verborum involveretur. Tandem contra hoc flagitium vehementer & Juſtinianus exarſit. *e*)

XCI. AD LEGEM PLAUTIAM, ET LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA ET VI PRIVATA.

Repreſſa libidine reprimamus & violentiam per leges de vi latas, nempe illas, quæ perpetuam habent poteſtatem: nam eæ, quæ pro re nata in temporariis reipubl. neceſſitatibus ad certas ſeditiones coërcendas, motumque aliquem civilem reprimendum ſuis temporibus prodierunt; quia tantum ad eruditionem & ad publicum Romanæ reipublicae ſtatum, non vero ad jus civile pertinent; pro noſtro inſtituto relinquemus: quales fuere lex Pompeja, Clodia, Pedia, modoque in lege Plautia, & Julia conſiſtemus, quarum cognitio eruditionem ſimul veterum temporum, & recepti juris complectitur utilitatem. Igitur ætate antiquiori ea potiſſi-

a) Caſin. *act. 2. ſc. 8. verſ. 47.*
b) *act. 1. ſcen. 1. verſ. 45. vide* Petrum Victor. *var. lect. lib. 21. cap. 3.*
c) *lib. 1. epigram. 25.*
d) *lib. 4. eleg. 6.*
e) *Novell. 77. & 141.* Gudelin. *de jur. noviſſ. l. 5. cap. 18.*

mum

mum vis dicebatur, quæ a Magiſtratu contra jus, poteſtatemque publicam adhiberetur: veluti ſi quis a Conſule prohiberetur provocare ad populum. *a*) Quamobrem vis publica hinc a privata diſcernebatur, quod illa per perſonam publicam, ſive per magiſtratum poteſtatis ſuæ metu; hæc a privatis, domeſticis opibus, ac viribus inferretur. *b*) Poſtea vero deſtiterunt reputare vim a perſona, eamque æſtimarunt ab armis: ita ut hodie vim armis munitam appellemus vim publicam; armis vero exutam nuncupemus privatam, *c*) forſan quia tantum publicis perſonis, publicæque ſolum utilitatis cauſa uſus armorum permittebatur; per leges enim XII. tabul. nemini privato concedebatur eſſe cum telo: etſi non deſint exempla vis absque armis illatæ, quæ referuntur ad vim publicam; credo propter criminis atrocitatem, aut periculum: unde lege de vi publica tenetur, qui virginem rapuerit, aut ex incendio aliquid abſtulerit, aut coactis hominibus etiam ſine armis aliquem preſſerit: quibus actibus libertas, atque tutela publica minuitur, ut notat Cujacius: *d*) ita ut ſine armis potentia tamen exerceatur armatorum. Idem Cujacius definit, vim publicam eſſe, quæ juri publico adverſatur; privatam vero, quæ privatis perſonis. Sed cum quilibet privatus in publici juris cuſtodia immineat, aut falſam putabimus hanc ab eo traditam differentiam; aut ita hæc accipiemus, quaſi publica ſit vis, quæ jus publicum directo petit, privatum oblique, ac per conſequentiam: & contra eam vim exiſtimabimus privatam, quæ directo privatum, oblique vero jura publica labefactat: Nunc, explicata vi, pergamus ad leges. Ac primo ad legem Plautiam, ſive Plotiam (ab *au* enim ad *o* facile delabimur.) Lata hæc eſt eo anno, quo Sylla migravit e vita, nempe A. V. C. DCLXXV. Lepido, & Catulo Coſſ. *e*) Quorum Conſulum diſcordia de Syllanis actis in apertam ſeditionem erupit, cum Lepidus Marianis ſtuderet partibus. Quo urbe pulſo, & in Sardinia intеremto, ferox victoria Catulus traxit in ſuam cauſam Publium Plautium, tribunum plebis hujus latorem legis, quam poſt reditum e Cilicia ſuaſit Cæſar, eaque flagrantes ſeditiones in urbe reſtinxit. Latum eſt enim, ut in ejus caput quæreretur, qui Senatui ſtruxiſſet inſidias, aut Magiſtratibus vim intuliſſet, aut tumultus in urbe commoviſſet, aut numero armatorum, ut alienam poſſeſſionem occuparet, poſſeſſorem de fundo dejeciſſet; atque fundi ejus, unde poſſeſſor fuiſſet ejectus, nulla uſucapio prodeſſet. In eamque legem haud pauca majeſtatis capita conjecta fuerunt: adjecta pœna interdictionis aquæ, & ignis, cujus in locum deportatio ſucceſſit: *f*) humiliores vero capite plectuntur. Quamvis autem, & Julium Cæſarem legem de vi aliquam tuliſſe, appareat ex Cicerone *Philipp.* I. tamen cum Auguſtus poſt eum id fuerit aggreſſus, crediderim ab hoc, utpote recentiori, non ſolum priora capita fuiſſe retractata; ſed addita etiam alia longe uberiora, quorum non pauca nobis Juriſconſulti tranſmiſerunt. Igitur hac lege prohibentur omne genus armorum * in urbe, agro, aut villa, exceptis iis, quæ cum aliena

a) Paull. *ſent. lib.* 5.

b) Cujac. *ad tit. C. ad l. Jul. de vi pub.*

c) *Inſtit. de publ jud.* § 8.

d) *ad tit. C. ad l. Jul. de vi pub. & privata.*

e) *Vide* Sigon. *lib.* 2. *de judic. cap.* 33. & Paul. Manut. *de legib.*

f) *L.* 10. §. *ult. ff. ad l Jul. de vi publ. Inſtit. de publ. jud.* §. *item. lex Julia de vi*, Paull. 5. *ſent.* 26.

* Nec proinde Romani, ut noſtri homines, gladio ubivis accincti verſabantur, & in foro puta, & in templis, & in conviviis.

hæreditato capiuntur, vel ad venationis, itineris, navigationis uſum comparantur; vel promercii, ſive mercimonii, ac venditionis cauſa conſervantur. *a*) Novellis tamen Juſtiniani *b*) omnis uſus, ac retentio armorum eſt interdicta; exceptis illis, quæ apta non ſunt ad prælium, nempe parvis machæris, aut cultris. Coërcet etiam lex Julia de vi omnes, qui ſeditionis, aut tumultus conſilium inierint; ſervos, aut liberos homines in armis habuerint; in concionem, aut locum judicii cum armis, aut doloſo conſilio proceſſerint. Item eos, qui ſimul cum armatis hominibus incendium tulerint, * villas expugnarint, & quod a lege Plautia venit, qui poſſeſſorem domo, nave, agrove depulerint. Illud præterea caput de veteri jure fluxit in legem Juliam, quod cavit, ne ſcilicet quis Magiſtratus Pop. Rom. civem Romanum necaſſet ad populum provocantem, aut ad Imperatorem, qui recentiori ætate populi vicem uſurpavit. *c*) Præter illa vero exempla criminum, a quibus etſi abſint arma, tamen ſupra in legem Juliam venire diximus; hæc etiam propter atrocitatem haud minorem, ad vim publicam referuntur, quamvis arma non eſſent allata, veluti ſi quis incendium ſubjecto igne conflaſſet, aut legatum, & oratorem comitatumve illorum percuſſiſſet; aut reum vinxiſſet, & judici, magiſtratuive ſubduxiſſet, aliave qua ratione judicium turbaſſet. Pœna vero de raptu virginum etiam ſine armis, quam diximus ab hac lege deſcendere, longe gravius exacerbata fuit per Juſtinianum, qui ſummo ſupplicio affecit non eos modo raptores, qui vim honeſtis puellis attuliſſent; ſed & eos, qui perſuaſionibus, & blanditiis conſenſum illarum expreſſiſſent: illi enim corpus tantum, hi vero corpus, & mentem una corruperunt. *d*) Et ad *L. Jul. de vi pub.* Marcianus refert crimen eorum, qui puerum, vel fœminam, vel quemquam per vim ſtupraſſent. *e*) Vis etiam publicæ reus eſt, qui ab invito pecuniam abſtulerit, aut nova vectigalia exegerit, *f*) quive funus diſturbaverit, ejuſque diripiendi auctor fuerit. *g*) Aliquot vero ſunt capita, quæ forſan ad vim privatam, & publicam ** revocantur, placuit enim gravius de criminibus hujuſmodi agi ſimul, & mitius poſſe: veluti adverſus eos, qui aliquid ex incendio, vel naufragio, quorum eadem eſt pœna, & cauſa *h*) rapuiſſent, ac ſine cæde, & ſine armis vim intuliſſent, hominemve agro deturbaſſent; quæ crimina videntur publicæ vis, & privatæ communia: etenim ea duplici nomine apud Juriſconſultos notata reperimus. *i*) Singulatim vero ad vim

Barbarus potius hic mos eſt circumgeſtandi etiam in pace mortiferum telum, qui Germanis debetur, quorum hodie propago ſunt pleræque gentes per Europam.

a) *L. 1. & 2 ff. ad l. Jul. de vi publ.*

b) *85. Novell. cap. 4.* Matth. *de crim. ad l. Plautiam pag. 443.*

* Sive ex incendio aliquid rapuerint, ſive in incendio cum gladio aut telo rapiendi tantum cauſſa fuerint, vel, ut dominum prohibuerint res ſuas ſervare, eos etiam qui cœtu, concurſu, turba, ſeditione incendium feciſſent.

c) *paſſim in tit. ff. & C. ad l. Jul. de vi publ.*

d) *L. unica C. de raptu virg.*

e) *L. in eadem 3. ff. ad l. Jul. de vi publ.*

f) *L. ultim. ff. ad l. Jul. de vi publ.*

g) *L. 8. ff. de ſep. violat.*

** Utraque vulgo ſic differt, quod illa armis, hæc ſine armis inferri dicitur.

h) *L. 1. ff. de incend. ruin. naufrag.*

i) *L. 5. ff. ad l. Jul. de vi publ. l. 10. §. 1. eod l. 4. C. eod. l. 2. ff. ad l. Jul. de vi privat. l. 3. §. item tenetur ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Matth. *de crim. ad l. Jul. de vi priv. tit. 4. c. 3. ad lib. 48. ff.*

priva-

privatam pertinet, ſi quis quæſtionem de alterius ſervo habuerit, hoc eſt, ſi quis alienum ſervum, ut quid ex eo eliceret, tormentis ſubjecerit. *a*)

XCII. DE SENATUSCONSULTO VOLUSIANO.

Item ſi qui coierint improbe in alienam litem, ut quod ex ea redactum eſſet, inter participes fraudulenti conſilii divideretur, hac lege tenentur. Quod vetitum fuit S. C. Voluſiano ad hanc legem condito. Item qui auctoritate privata debitum ſibi a debitore ſuo per vim abſtulerit, & ejusmodi reliqua. *b*) Tenetur lege Julia de vi privata & is, qui receperit, celaverit, tenuerit hominem, cui aqua & igni fuerat interdictum. *c*) Reperimus etiam apud Calliſtratum, lege Julia de vi plura circa teſtium admiſſionem, aut rejectionem fuiſſe conſtituta: ut ſcilicet aliqui vel propter reverentiam, quam reo utpote ſorte patrono ſuo deberent; vel propter ignominioſam vitam, aut turpe artificium a teſtimonii dictione arceantur. *d*) Pœna vero, quæ ab hac lege de vi privata deſcendit, honeſtiores quidem tertia parte bonorum multat, atque ignominia ſuffundit, arcetque loco ſenatorio, & ab omnium ſpe honorum, publicorumque munerum; *e*) humiliores vero, Paullo teſte, damnat in metallum. *f*)

XCIII. AD LEGEM JULIAM REPETUNDARUM.

Atque hæc quidem violentiam compreſſit: occurrit nunc legum Juliarum alia, quæ compreſſit avaritiam magiſtratuum, ne ab iis provinciæ, ac ſocii populi Romani opibus exhaurirentur: cum ob interponendam, vel non interponendam poteſtatem, atque ob judicandum precium acciperent, & in mercimonium verterent auctoritatem publicam. Ne igitur opes provincialium paterent avaritiæ magiſtratuum, leges latæ ſunt de pecuniis repetundis, quibus ob ablatas, captas, conciliatas, averſas, pactasque pecunias graviter puniebantur: * unde merito ſociales leges appellabantur: quod ſociorum per eas fortunis, commodisque conſuleretur. Et cum initio magiſtratus tantum provinciales, eorumque comites, quæſtores, legatos perſequerentur; poſtea ſe converterunt etiam ad urbanos, ** ut ab eorum rapacitate patrimonia tuerentur civium Romanorum. *g*) Atque ante quidem nulla certa, perpetuaque lege, ſed conſtitutis ad tempus judiciis, datisque recuperatoribus, quorum ſententia recuperarentur ablata, ſociis proſpiciebatur: ac magi-

a) *L. 4. ff. ad l. Jul. de vi priv. §. 1. l. 6. ff. eodem.*

b) *L. 17. ff. ad l. Jul. de vi priv. & l. 2. & 3.* Paull. *lib. ſent. 5. cap. 26.*

c) *L. 3. §. 5. ff. de teſtib.*

d) Duaren. *lib. 2. diſp. cap. 23.*

e) *L. 1. & ult. ff. ad l. Jul. de vi priv.*

f) *lib. 5. ſent. tit. 26.*

* Qua pœna? Quadrupli cum infamia. Tacitus *L. II. Annal. c. 7.* Plinius *L. IV. ep. 9.* Judices autem pedanei, ſi pecunia corrupti eſſent, ſubmotione a ſenatu vel curia, miſſione in exilium, relegatione ad tempus plectebantur.

** Ad quos ne Calpurnia quidem lex de qua ſtatim, pertinuit: nam & hac provincialium tantum magiſtratuum avaritia cohibita eſt. Quare de urbanis magiſtratibus etiam poſtea quæſtio extra ordinem habita eſt, ut apparet ex Cicerone *de Finibus L. II. cap. 16.*

g) *L. 6. §. 2. ff. ad l. Jul. repet.*

Digitized by Google

ſtratibus præfiniebantur ſumtus, cavereque jubebantur, ne ſupra præſcriptum modum ſocios onerarent. Flagrante vero in dies avaritia magiſtratuum, oportuit ei coërcendæ perpetuas excitare leges, *a*) a quibus pœnæ metus impenderet atrocioris. Lege autem Julia de vi, & S. C. ad eam condito, Paullus refert, *b*) fuiſſe conſtitutum, ut ſi accuſator deceſſerit, aut aliqua ex cauſa accuſare impediatur, judicium conticeſceret, & reo poſtulante nomen ejus aboleatur: permiſſa accuſatori alteri facultate inſtaurandi judicii, reique de integro repetendi intra triginta dies utiles.

XCIV. DE LEGE CALFURNIA JUNIA.

Quales ante legem Juliam fuere Calfurnia, quæ certum Prætorem in urbe dedit ſociis, ad quem de rapinis magiſtratuum provincialium quererentur; ut ejus auctoritate profuſam pecuniam ab iis repoſcerent, ferente L. Calpurnio Piſone Trib. pleb. anno DCIV. L. Mario Cenſorino, M. Manlio Coſſ. *c*) Hanc excepit lex Junia, cujus auctorem Sigonius facit M. Junium Pennum trib. pleb. Lepido, & Oreſte Coſſ. anno A. V. C. DCXXVII. Qua lege præter litis æſtimationem, etiam exilium reis fuit adjectum: quod utrumque pertulit C. Cato vir Conſularis repetundarum ex Macedonia damnatus. *d*) Easdem pœnas irrogavit & ſervilia lex, *e*) cujus plura ſuperſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſeo: quæ in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit hæc attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acilius Glabrio: cavitque, ne reus ejus legis aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt, ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura cauſa pronunciarent *amplius:* quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando, poſcente accuſatore, vel defenſore, judicium protraherent, de quo late Manutius. *f*) Eſt etiam de repetundis & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla dictatore, qui pœnam auxit ad interdictionem aquæ, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad legem Juliam, in quam, præter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Cæſar primo Conſulatu: *g*) quædam vero ex veteribus immutavit, quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus tranſmiſit. Hac igitur lege tenentur, qui quæſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo præbeant, vel denegent officium ſuum. *h*) Eadem lege prohibentur & Senatores navim habere. *i*) * Et quoniam hæc lex prohibet lucrum ex miniſterio publico, ex quo plurimum quis rem augere poſſet ſuam, aut aliorum, ſi eam in publica legatione curet; propterea commode cum hac lege conjungetur S. C. quo Legati ante perfectam legationem negociis, vel privatis rebus

a) Cic. *lib. 2. de offic.*

b) *L. libellorum §. ſi accuſator 4. ff. de accuſat. & inſcript.*

c) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 27.*

d) Vellejus *lib* 2. Cic. *in Verr. & pro Balbo.*

e) Cic. *eod. &* Liv. *epit.* 70.

f) *de legibus.*

g) Cicer. *in Vatin.*

h) *L. 1. usq. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.*

i) *L. bis, qui in fin. ff. de vacat. & excuſ. muner.*

* Ne ſub ſpecie mercaturæ prædam in provinciales exercerent.

obſtrin-

obſtringi vetantur. *a*) Miniſterium autem publicum negat Cujacius *b*) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut præconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed iis convenire comprobat, qui cum jure Prætorio, aut Conſulari mittuntur in provincias. Hi enim non ſuos tantum, ſed ſuorum quoque mores, nempe ſatellitum, apparitorum, comitum, & univerſæ cohortis ſuæ facta præſtabant, atque accuſabantur publice per actorem ab ipſa provincia conſtitutum. *c*) Huic etiam judicio ſubjiciuntur judices pedanei, & quicunque in urbe aut in provincia judicia ſua, vel ſuum teſtimonium vendunt, *d*) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum * teſtimonium accipiunt. Teſtimonium autem denunciare teſtificari non ſignificat, ſed diem ferendo teſtimonio dicere, ſive præſtituta die ad ferendum teſtimonium evocare, ut optime Budæus explicavit. *e*) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, ſententiamve in Senatu, aut conſilio diceret, *f*) vel accuſaret, aut ab accuſatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut abſolvendam, æſtimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negocium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, *g*) frumentumve publice præbendum, ſarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata præſtita lege fuerint. *h*) Si quid vero uxores provincialium magiſtratuum deliquiſſent, ab ipſis magiſtratibus ratio exigebatur, & vindicta ex S. C. Cotta, & Meſſ. Coſſ. condito. *i*) Ac ne ullam ob cauſam provincialium opes exhauriantur, nefas eſt magiſtratibus, in provincia fœnus exercere, filio ſponſam parare, atque, ut pro noſtro inſtituto capita omittamus ad extinctæ Reipublicæ regimen *k*) pertinentia, breviter hac lege puniebatur, qui munus publice mandatum rumperet, ut priſca locutione Papinianus ait, id eſt *corrumperet*; ſiquidem gerendi magiſtratus cauſa munus accepiſſet: nam extra cauſam magiſtratus licebat accipere munuſcula: dum ne plus in anno acciperet, quam centum aureorum æſtimationem: *l*) ** niſi munera venirent ab uxore, ſobrinis, & propinquioribus, quorum liberalitas erga conjunctum a naturali caritate provocatur: *m*) ut non mirum, ſi ab iis in infinitum liceret accipere. Datum autem contra legem hanc vicium concipit uſucapioni repugnans; unde non ante uſucapietur, niſi poſtquam redierit ad dominum, hoc eſt, eo unde a magiſtratu fuerat averſum. *n*) Atque omnes venditiones, & locationes a magiſtratibus per ſordes pluris, minorisve factas, eadem lex irritas declarat, ne cuiquam lucro ſit ſua

a) *L. legatus 12. ff. de legation.*
b) *7. obſ. 9. & l. 1. ff. eod.*
c) Cujac. *in enarr. C. hoc tit.*
d) *L. 3. C. hoc tit.*
* Qui etiam in legem incidunt Corneliam de falſis *L. 1. §. 2. D. de lege Corn. de falſis.* Vid. van Bynkershoek *Obſ. III. c. 10.* ubi & ipſe plenius explicat, quid ſit denunciare teſtimonium.
e) *in Pandect. vol. 2.*
f) *L. 6. & 7. ff. hoc tit.*
g) *d. l. 7. §. 2.*
h) Cic. *in Verr. 1. & 3.*
i) *L. 4 §. proficiſci ff. de offic. Proconſ.*
k) *de quibus vid.* Manut. *de leg. &* Sigon. *de judic. lib. 2. hoc capite.*
l) *L. 6. ff. hoc tit.*
** Seu unciales 400.
m) *L. 1. ff. hoc tit.*
n) *L. 8. ff. hoc tit.*

poteſtas:

Digitized by Google

poteſtas: adeo ut nec magiſtratu functo liceat remunerationem accipere ab iis, quibus poteſtas illius profuit; ne obliqua hæc via irrepentibus fraudibus aperiatur: ut contra Bartolum *a*) rectius meo judicio docuit Alciatus. *b*) In legem porro incidit, non qui acceperit modo, ſed & qui donaverit. *c*) S. C. porro prohibentur legati ante obitam legationem negociis, & privatis rebus involvi, *f*) quod huc retulimus, cum aptior locus non occurrat. Pœna hujus criminis fuit æſtimatio litis, quæ aliquando ſimplum erat, aliquando duplum, aliquando quadruplum, quale fuit impoſterum. *g*) Quod prius reddebatur actori, ſive illi, cui pecunia fuerat extorta invito: *h*) nam ſi judicem ſua ipſe fraude corrupiſſet, repetitionem pecuniæ minime habebat. Poſtea ex Arcadii, & Honorii conſtitutione quadruplum illud dividi oportuit inter fiſcum, & actorem. *i*) Litis æſtimationem conſequebatur & exilium, & aliquando pœna etiam gravior, ſi crimen hoc aliis criminibus eſſet implicatum, veluti ſi magiſtratus ob tolerandum homicidium, aut furem dimittendum pecuniam accepiſſet: ex quorum criminum varietate judicis erit exacerbare, aut levare pœnas; *k*) unde ſi quando alias pœnas irrogatas legibus abſque ulla exilii mentione invenimus: non propterea debemus exilii pœnam cenſere ſublatam, uti neſcio quam recte docuit Gothofredus junior. *l*) Etſi enim inveniamus aliquos hac lege damnatos amiſiſſe ordinem, aut e Senatu motos; *m*) tamen & Jurisconſulti, a quibus exilii pœnam crimini huic convenire diſcimus, deportationem, & verbera minitantur: unde ſicuti per has graviores pœnas atrocioribus factis congruentes, minime tamen ab exilio receſſum putamus; ita nec per leviores, ubi levius quis deliquiſſet exilium, quod regulare erat, ſublatum exiſtimabimus: quaſi multis propoſitis pœnis, judicis fuerit eligere digniorem. * A teſtimonio quoque tum in judiciis, tum in teſtamentis dicendo talis reus rejiciebatur, ut Paullus tradit: *m*) a quo videtur diſſentire Ulpianus, propterea quod in Florentino codice *n*) deeſt negatio, quam ei ſcripturæ cum Cujacio reddendam putamus, ac legendum: *Eum, qui lege repetundarum damnatus eſt, ad teſtimonium adhiberi non poſſe, exiſtimo.* Quam emendationem ex vulgata lectione ſumtam tuetur ipſamet Ulpiani ratio, quæ ſtatim ſuccedit, nempe illa: *quoniam in judicio teſtis eſſe vetatur,*

a) *ad l. Aquilius ff. de donat.* Matth. *de crim. ad hanc legem pag.* 564.

b) *ad l. Principalibus ff. de rebus credit. & parerg.* 49. *cap.* 2.

c) *L. ult. C. hoc tit.*

d) *L.* 12. *ff. de legation. & l.* 8. *ff. eod.*

e) *L.* 1. *& ult. C. hoc tit. l.* 3. *C. de Aſſeſſor.*

f) Aſcon. *in Verr.* 2.

g) *L.* 3. *C. de aſſeſſor.* Matth. *de crim. ad h. l. pag.* 569.

h) *L.* 7. *ff. hoc tit.* §. 3.

i) *ad l.* 1. *C. Theod. ad l. Jul. repetund.*

k) Sueton. *in Jul. cap.* 43. *& in Oth. cap.* 2. Plin. *lib.* 2. *epiſt.* 11. *&* 12.

* Quæ ſolutio minus idonea videtur. Non migrat judex legem exilium irrogantem, qui ob aliud delictum atrocius accedens verberibus caſtigat, quia delictum levius delicto atrociori abſorbetur. Contra, omnino legis terminos excederet judex, qui lege quibusvis repetundis exilium minitante, in quibusdam pœnam leviorem admitteret. Quare eo potius decurrendum eſt, ut dicamus, ipſa lege Senatores a reliquorum ordinum hominibus diſtinctos, & illos Senatu motos, hos in exilium miſſos fuiſſe.

l) *L.* 15. *ff. de teſtib.*

m) *L.* 20. §. 5. *ff. qui teſt. fac.*

gravius

graviu enim eſt in teſtamentis, quam in judiciis dicere teſtimonium: ut qui a judiciis repellitur, eo ſit magis a teſtamentis arcendus. Frigida enim eſt illa Jacobi Gothofredi interpretatio, * & a contradicendi ſtudio profecta, dum exponit, ideo poſſe in teſtamentis teſtimonium dicere, quia tantum in judicio teſtis eſſe prohibetur. Quem ſenſum affingit Ulpiano invito, atque ut objectionem ab ſe proviſam effugiat, cogitur negare hujusmodi reos infamiam ſubiiſſe, contra perſpicuum illum Juvenalis locum de Mario repetundarum inf ami judicio damnato, *ſat. 1.*

Quid enim ſalvis infamia nummis?

Abſurdius autem videtur nobis, quod idem addit, eam reo turpitudinem nocuiſſe in Senatu, & judiciis; at vero in teſtamentis minime: quaſi locus addat, aut detrahat ignominiam a famoſa ſententia ſemel tota vita ſuſceptam. Porro criminis hujus perſecutio morte non extinguitur. *a*) Sed adverſus hæredes etiam durat ablatæ pecuniæ repetitio, & quadrupli multa: tantum intra annum a morte rei, etiamſi ante ſententiam, & litem conteſtatam deceſſiſſet, ac de hoc judicio intermiſſo, & poſtea contra hæredem redintegrato meminit *b*) Plinius. Neque in magiſtratus tantum, ſed & in comites dabatur, *c*) ac non licebat, niſi poſt depoſitum magiſtratum accuſationem inſtituere, ne provincialium importunitate magiſtratuum juriſdictio turbaretur. *d*)

XCV. AD LEGEM JULIAM PECULATUS, DE SACRILEGIS, ET DE RESIDUIS.

Ac lege quidem repetundarum privata provincialium pecunia repetitur ab avaris magiſtratibus: at ſi quando iidem publicam pecuniam averterint, repetitur per legem Juliam peculatus. Ante Servium Tullium, qui, Plinio teſte, primus æs effigie ovium boumque ſignavit, *e*) & ut aliqui volunt etiam argentum, *f*) Romani precium rerum in pecudibus conſtituebant, aut bobus: ut iis pro crimine multarentur, & vectigalia penderent. Unde furtum pecuniæ publicæ peculatus

* Diſtinctionem hic maluit Lynckerus; quam tamen admittendam negat Schultingius in *jurisprud. Ante-Juſtin. pag. 344.* Et poteſt ratio Ulpiani ex utraque ſententia intelligi. Poſſunt enim verba ejus, *Quoniam in judicio teſtis eſſe vetatur.* & affirmative ſic accipi, *Quoniam in judicio tantum teſtis eſſe vetatur,* & inſerta negativa, *Quoniam in judicio teſtis eſſe non vetatur,* a judicio tanquam a majori duci argumentatio ad teſtamentum, tanquam ad minus. Vidit id Jauchius, qui etiam obſervat, Negativam in Vulgata legi, & ante Cujacium jam Azoni placuiſſe, poſtea Donello & Elberto Leonino. Eadem vero negatio deeſt in libro Tuſco, nec cauſa ſuppetit, quare auctoritatem optimi exemplaris deſeramus, inprimis cum Ulpianum tanquam Paullo contrarium adducat Scholiaſtes Βασιλικῶν ad *lib. XXI. tit. 1. pag. 554. lit. o. & pag. 555 lit. p.* Ulpianus enim benignius legem accepiſſe videtur. Infamia in verſu Juvenalis infamiam facti, ſeu quodvis dedecus ſignificare poteſt.

a) Cujac. *enarrat. C. ad leg. Jul. repet. 4. ult ff ad leg. Jul. pecul. l. 2. ff. ad leg. Jul. repet.* Matth. *de crimin. ad leg. Jul. repet. pag. 508.*

b) *lib. 3. epiſt. 9.*

c) *L. 5. ad leg. Jul repetund.*

d) Matth. *de crimin. ibid.*

e) *lib 18. cap. 34. Scalig. adnot. in Feſtum, verbo peculatus.*

f) Varro *lib. 2. de reuſ. & 4. de L. L.* Gell. *lib. 11. cap. 1.*

Digitized by Google

dicitur, tum quia pecuniæ nomen a pecude venit; tum quia criminis initium a raptis pecudibus extitit; tum denique, quia multam in pecudibus antea perſolvebant. Eſt igitur crimen hoc furtum pecuniæ publicæ, & rerum ſive Populi Rom. ſive Cæſaris: *a*) nam res civitatum furti actione repetebantur, cum haberentur pro rebus privatorum; *b*) conſtitutionibus tamen principum * ſi quid civitatibus ſurripiebatur, ad peculatum redigitur. *c*) Initio crimen hoc nulla certa, & perpetua, ſcriptaque lege, ſed ubi uſus veniret, rogationibus ad populum latis, cognitioneque Prætoribus, vel Conſulibus mandata vindicabatur. Ut proditum & de Lucio Scipione Africani fratre, atque aliis, qui ſecum eadem ſuſpicione criminis involvebantur. Judicium enim datum fuit in eum, quod diceretur pecuniam pacis cauſa a Populo Romano impetrandæ ab Antiocho accepiſſe, illamque minime in publicum retuliſſe. Deinde Syllæ fortaſſe temporibus *d*) criminis hujus perpetua quæſtio in Prætore certo fuit inſtituta. Legem poſtea tulit C. Julius Cæſar, qua plura criminum capita comprehendit, nempe de peculatu, de ſacrilegio, & de reſiduis. Peculatus igitur crimen incurrit quisquis, aut rapit ipſe, vel intercipit, avertit, aufert, inque rem ſuam vertit pecuniam publicam, ſacram, religioſam, & in aurum, argentum, æs publicum deterioris aliquid materiæ confundit; aut alteri, qui hoc meditetur, præſtat operam ſuam. *e*) De quorum omnium in republica impunitate, ac licentia ſuis temporibus his verbis conqueritur M. Cato *f*) ſane vehementiſſimis: *Fures privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus ætatem agunt; fures publici in auro, atque in purpura.* Non incidunt in legem, tamen ii, qui pecuniæ publicæ ab ſe captæ periculum in ſe ipſos ſuſcepere: quid opus eſt enim aggredi lege illum, qui propria obligatione arguitur, ac ſua fide ad reſtitutionem urgetur? *g*) Quamobrem Labeo peculatum definivit pecuniæ publicæ, aut ſacræ furtum non ab eo factum, cujus periculo fuit. *h*) Variis autem exemplis a JCtis pecuniæ publicæ furtum declaratur, & peculatus crimen extenditur ad eum, qui operatur in cudenda moneta publica, & publicam notam argento non publico imprimat, aut ſigno publico furetur impreſſam; *i*) Aut ex commentariis Cæſarianis argentum, aurumve averterit, aut refixerit; vel immutaverit æneam

a) *L. 6. §. ult. ff. ad leg. Jul. pecul. l. ob pecuniam 83. ff. de furt.*

b) *L. eum qui 16. ff. de V. S.*

* Debetur hæc ſententia gloſſæ, probaturque Duareno & Cujacio. Separantur quoque res civitatum, tanquam res univerſitatis, a rebus publicis in *L. 15. D de V. S.* neque tales proprie dici poſſunt. Unde conjectura naſcitur. Papinianum jus vetus reſpexiſſe, non Conſtitutiones principum. Sed quia mirum, Conſtitutiones Trajani & Hadriani, quibus furtum rerum civitatis ad Peculatum redigitur, Papiniano ignotas fuiſſe, malebat Cornelius van Bynkershoek *Obſ. lib. 4. cap. 3.* verba trajicere, & ſic legere: *Crimine peculatus, non actione furti tenetur*, voculam non accipiens pro non tantum. Verum ne ſic quidem Papiniani gloriæ quicquid decedet, etſi eum has Conſtitutiones ignoraſſe dicamus, cum omnia ſcire divinitatis magis quam humanitatis ſit.

c) *L. 4. §. 7. ff. ad leg. Jul. pecul. &* Duaren. *diſp. anniverſ. lib. 2. cap. 76.*

d) Sigon. *de judic. cap. 28. lib. 2.*

e) *L. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.*

f) *apud* Gell. *lib. 11. cap. 18.*

g) *L. 9. ff. ad leg. Jul. pecul. §. is autem.*

h) *L. 9. §. 2. ff. eod.*

i) *L. 6. ff. eod. §. 1.*

tabu-

tabulam, ubi vel publicæ leges, vel agri publici forma deſcribatur; *a*) aut publicarum tabularum inſpiciendarum, vel deſcribendarum poteſtatem injuſſu ejus fecerit, qui ei rei præeſt, quod Senatus cenſuit; *b*) aut minorem pecuniam, quam locationis aut venditionis precium fuit, in tabulas retulerit; *c*) aut qui ex publica præda quid ſubtraxerit; *d*) aut qui ſe fiſci creditorem ſimulaverit, ut pecuniam a debitore ſolius fiſci auferret, nam qui a debitore fiſci, & ſuo exegerit, reſtituere quidem fiſco tenetur propter illius privilegium: peculatum tamen minime admittit. *e*) Criminis hujus pœna interdictio erat aquæ, & ignis: poſtea vero deportatio, in quam ea interdictio migravit; *f*) inſuper & quadrupli condemnatione reus urgebatur, aliisque pœnis ex arbitrio judicis, *g*) & pro delicti gravitate per principum conſtitutiones ad extremum usque ſupplicium puniebatur. *h*) Eædem pœnæ tenent & ſacrilegos, eos nempe, qui ex publicis ſacris quid abſtulerint. Etenim qui rem privatam rapuerit e loco ſacro, jure civili per Antonini reſcriptum non pœna ſacrilegii, ſed actione furti tenetur: quamvis aliter jure Pontificio conſtituatur: quo etiam rei profanæ furtum e loco ſacro in ſacrilegii crimine ponitur. *i*) A qua ſententia, utpote ſanctiori, haud longe abiere veteres: quorum opinione ſacrum erat quidquid cuſtodiæ Deorum concredebatur, ac fidem numinum videbatur in ſuſpicionem adducere, quisquis furando rem eam fruſtrarent ſpem dominorum: unde ſenex Plautinus in *Aulul.* *k*)

Fides noviſti me, & ego te: cave ſis tibi,
Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo
Ibo ad te, fretus tua, fides, fiducia.

Pro re vero ſua principes nomen, crimenque ſacrilegii extenderunt aliquatenus ad eos, qui principum judicium, & auctoritatem in controverſiam vocant, aut ambigunt, an Imperator dignum hominem elegerit ad aliquod munus. *l*) Conſtitutiones quoque principum imprudenter, vel induſtria violare ſacrilegium ducitur: quod multo aptius ad legum divinarum corruptores accommodatur: perperam enim Duarenus *leges divinas* exponit *Conſtitutiones principum;* etſi hoc ſenſu enim accipiantur aliquando; tamen lex prima *Codicis de crimine ſacrilegii*, in qua verſamur, pertinet ad ipſas Dei leges: quia in C. Theodoſiano lex eadem collocata reperitur in *tit. de Epiſc. & Clericis leg. 25.* Unde recte Cujacius de legibus divinis id interpretatur. Qui confugientem ad Eccleſiam per vim abſtraxerit, ſacrilegii damnatur, *m*) & qui ejus, unde originem ducit, adminiſtrationem provinciæ petit: quamvis hodie hac in re lenius agatur. *n*) De reſiduis autem tenetur, qui pecu-

a) *L. 8. ff. eod.* Briſſ. *antiq. cap. 6. lib. 4.*
b) *L. 9. §. 5. ff. eod.*
c) *L. 10. ff. eod.*
d) *L. 13. ff. eod.*
e) *L. 12. ff. eod.*
f) *L. 3. ff. eod.*
g) *L. 6. leg. pen. ff. eod.* Paull. *lib. 5. ſent. hoc tit.*
h) *L. unic. C. de crimin. pecul. §. item lex Julia Inſtit. de publ. judic.* Jac. Gothofr. *C. Theodoſ. ad leg. Jul. pecul. lib. 1.*
i) *Cap. quisquis 17. quæſt. 4.* Cujac. *obſ. 13. cap. 19. l. divi ff. ad leg. Jul. pecul.*
k) *act. 3. ſcæn. 6. L. aut facta §. locus ff. de pœn.*
l) *L. 3. C. de crim. ſacril.*
m) *L. 2. C. eod. ſive de crimin. ſacril.*
n) *L. ult. C. eod.*

niam publicam non in eos uſus contulerit, in quos attributa ſibi fuerat, & is, apud quem quantitas aliqua ex publica emtione, locatione, aut adminiſtratione ſuperſit, quam vel profiteri, vel in publicas rationes referre neglexerit, aut profeſſam, relatamve ultra annum apud ſe habuerit: isque (uti Duarenus explicat verba legis), *a*) præter pecuniam ex reliquatione inferendam, tertia inſuper ejus, quam debet, parte multatur: alii triplo ejus, quod debet, multandum cenſent, præter debitam pecuniam reſtitutam. Subtractæ autem pecuniæ repetitio ex hac lege tranſit etiam adverſus *b*) hæredes. Denique peculatus crimen, ut JCtus tradit, ante quinquennium admiſſum non eſt amplius objiciendum. *c*)

XCVI. AD LEGEM JULIAM DE ANNONA.

Publicæ quoque C. Julius Cæſar utilitati proſpexit lege in eos lata, quorum dolo annona, nempe frumentum, vinum, oleum, panis, caro, ſal, & ſimilia victus elementa cariora reddantur: quique ob eam rem ſocietatem coierint, & conſpiraverint, quo vel iter vectoribus ab urbe averteretur, vel naves, nautæque detinerentur, quique annonam quoquo modo vexant, ſive ſubtrahendo, ſive ſupprimendo, inopiamque rei cibariæ inducendo, ut publica ex egeſtate privatim ditentur: iique a Dardano quodam, forte hujus teterrimæ artis principe, Dardanarii nuncupantur. *e*) Eadem lege plectuntur & ii, qui fraudulenter in annonæ adminiſtratione verſantur, ſive præfectus ipſius annonæ, ſive præfectus urbi. *f*) Et quoniam per hoc judicium publicæ neceſſitati, communique ſaluti conſulitur, delationes mulierum, & ſervorum recipiuntur. *g*) Convicti autem viginti aureis damnantur; aut ſi negotiatores ſint, negotiatione interdum interdicuntur: aliquando relegantur, & ſi humiliores fuerint, ad opus publicum dantur: pœnaque pro gravitate delicti variatur. *h*)

XCVII. AD LEGEM JULIAM AGRARIAM, SIVE DE TERMINO MOTO.

Animadvertendum quoque cenſuit C. Julius Cæſar in eos, qui, ſubmotis agrorum terminis, jura conturbant, miſcentes, atque confundentes dominia privatorum, fineſque obſcurantes, quominus internoſcantur: quos multavit quinquaginta aureis in ſingulos terminos motos; permiſſa cuilibet ex populo accuſandi facultate. *i*) In ſervis vero Nerva pœnam exacerbavit adjecto ultimo ſupplicio: niſi dominus velit multa in ſe ſuſcepta ſervum ſuum liberare, ſi terminum exaraſſet, aut ejeciſſet.

XCVIII. AD LEGEM JULIAM DE AMBITU.

Nihil vero fraudum earum, quæ ſuperioribus legibus coërcentur, formidaturi ſumus a magiſtratibus, ſi ab illorum creatione fraudem omnem amovebimus; ac

a) *L. 4. §. qua lege ff. ad leg. Jul. pecul. &* *§. lege Julia.* Duaren. *hoc tit. ff. 3 cap. 4.*
b) *L. ult ff. eod. l. ex judic. 20. ff. de accuſ.*
c) *L. 7. ff. hoc tit.*
d) *L. 2. ff. ad leg. Jul. de ann.*
e) *L. 6. ff. de extraord. crimin.* Cujac. *10. obſ. 19.* Turneb. *9. adverſ. 17.*
f) *L. 1. §. cura ff. de offic. præf. urb.*
g) *L. 1. & ult. ff. ad leg. Jul. de annon.*
h) *L. 6. ff. de extraord. crimin.*
i) *L. ult. ff. de term. mot.*

reipubl.

reipubl. gubernacula deferemus ad meliores, juſtis, liberis, incorruptisque comitiis. Ideo legum omnium utiliſſimæ ſunt leges adverſus ambitionem latæ: per quas cavetur, ne in honorum petitione virtus a pecunia, probitas a calliditate, ac meliores a deterioribus, de more ſuperentur, neve dignitates donis obtemperent, ac per largitiones, promiſſionesque ſuffragiorum libertas civibus eripiatur. Meritorum enim teſtimonia, non remuneratio largitionum oportet eſſe ſuffragia. Qui tribus igitur clam diviſa pecunia corrupiſſet, populique voluntatem donis emiſſet, cum pluribus fraudulenter coëundo, & homines conducendo, ut rejecto competitore ſuo magiſtratum adipiſceretur, lege primum Tribunitia Poetilia, deinde aliis vario tempore uſu poſcente prodeuntibus, Bæbia nempe, Maria, Fabia, Cornelia, Calfurnia, Tullia, Aufidia, Licinia, Pompeja, * & poſtremo Julia, plectebatur interdictione *a*) aquæ, & ignis; primo quidem per decennium, poſtea vero perpetuo: & honos ab reo ſimul cum tribu, veluti ſuſpicatur Manutius, ad accuſatorem transferebatur. Ex quibus legibus tantum Julia conjecta eſt in libros juris, poſtquam enim Tiberii tempore ſuffragiorum jus a populo ad Senatum devenit, ut ab Senatu facilius ad ſolum principem redigeretur; *b*) Harum legum auctoritas prorſus concidit; quis enim argueret legibus facta principum? Hinc & de lege Julia ſatis levis mentio eſt in Digeſtis. Auctorem habuit non Julium Cæſarem ſolum, ſed & Auguſtum, qui Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis ſingula millia nummum a ſe dividebat comitiorum die, ne quid a candidatis deſiderarent, ut Suetonius tradit: *c*) atque inter alias pœnas per quinquennium interdixit magiſtratus petitione reis hujus criminis. *d*) Ubi vero principes magiſtratus creationem ad curam ſuam revocaverunt, lex ambitus in urbe ceſſavit, manſitque tantum in municipiis, & municipalibus honoribus; ab honoribus autem urbanis, ut hoc vitium abeſſet, ſatis fuit pellere avaritiam ex aula principis, quod conatur Juſtinianus in *Novella 8.* Loco autem interdictionis aquæ, & ignis ſubjecta eſt deportatio, quæ tanquam ex lege Julia de ambitu ex conſtitutionibus principum *e*) impendet iis, qui defuncti muneribus ea continuant aut repetunt ante redditam adminiſtrationis ſuæ rationem. Minor vero ambitus pœna minori, nempe pecuniaria multa centum aureorum, cum infamia, ex Senatusconſulto coërcetur: *f*) quam incurrit is, qui contra legem ambitus in municipio magiſtratum petierit, aut ſacerdotium. Qua lege damnatus amiſſum gradum repetit, ſi alium ejusdem criminis in judicio convicerit: quod ex lege Calfurnia deſcendit. *g*) Senatusconſulto quoque ad hanc legem edito punitur, qui novum vectigal inſtituerit. *h*)

XCIX. AD LEGES JULIAS JUDICIARIAS.

Legibus autem Juliis, quæ judiciariæ dicuntur, ambitus damnatur accuſator,

* Occupata Republica judicium ambitus evanuit, non quod a principe abſciſſe dignitates compararent homines, ſed quod adminiſtri eorum, qui ſæpe liberti & eunuchi erant, de venditis muneribus extra ordinem punirentur.

a) Dion *lib. 40. pag. 145.*

b) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 29.*

c) *in Aug. cap. 40.*

d) Dion *lib. 54. p. 531.*

e) *L. un. C. ad leg. Jul. de amb. ubi* Cujac.

f) *L. un. §. 1. ff. ad leg. Jul. de amb.*

g) *L. un. §. 2. ff. ad leg. Jul. de amb.*

h) *eadem lege.*

aut reus, qui domum judicis ingrediatur, conſtituta multa centum aureorum fiſco inferendorum: *a*) cui adjiciendum ex Dione, iiſdem legibus fuiſſe cautum, ne judices domus alienas introirent. *b*) His autem judiciariis legibus emendabatur forum, & judiciorum diſciplina regebatur, pluribus quidem capitibus; quorum quæ ad nos pervenerunt, poſt Antonium Auguſtinum recenſuit Briſſonius. *c*) Ex his autem legibus Calliſtratus docet, minorem XX. annis judicare non cogendum, * neque compromittendum in eum; neque permittendum, ut qui judex eſt, arbitrium in ſe recipiat ejus rei, ſuper qua judex eſt conſtitutus, curetve, ut in ſe compromittatur. *d*) Facultas etiam prorogandæ juriſdictionis conſenſu partium ab iiſdem fluxit legibus. *e*) Quod vero pertinet ad publica judicia, vetabant leges Juliæ, uno tempore de duobus reis quem queri, niſi ſuarum injuriarum cauſa: *f*) qui enim perſequuntur injuriam ſuam, ii non queſtus, ſed levandi doloris cauſa deſcendunt ad accuſandum; contra vero delatores, quorum improbam ſedulitatem in aliis vexandis coërcere lex Julia voluit: unde certum præſcripſit numerum, ſupra quem delatoribus eodem tempore non liceret accuſare. *g*) Ac Venulejus quidem tradit, præfinitum duorum ** fuiſſe reorum numerum: cujus in verbis Cujacius mendum irrepſiſſe, merito mea ſententia ſuſpicatur: cum Imperatores *h*) tradant, tertiam accuſationem eis, qui duos reos detulerint, non eſſe a lege permiſſam. Unde, ne interpretum vaticiniis involveretur, ita legendum cenſet Venulei locum, *i*) ut pro *duobus reis* ſubſtituatur tribus reis, nempe ita: *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur, ne eodem tempore de tribus reis quis quereretur, niſi ſuarum injuriarum cauſa.* Iisdem judiciariis legibus conſtituebatur, ne quis adverſus affinem, vel cognatum, aliosve, quibus pietate obſtringimur,

a) *L. un. §. 4. ff. ad leg. Jul. de amb.*

b) Dion *lib. 54.*

c) *ſelect. antiq. 4. cap. 7.* Gell. *lib. 14. c. 2. ff. de recept. l. 41.*

* Unde mira dubitatio conſultoris interrogantis Ulpianum, an valeat ſententia a minore xxv. annis judice data, quæ proponitur in *L. 57. D. de Re judicata.* qui Ulpianus æquitatis obtentu ſententiam ejus tuetur, modo octodecim annis major ſit. Quod non eſt contrarium definitioni legis Juliæ, quia in hac quærebatur, quando cogi quis poſſit ad judicandum, cum Ulpianus reſpondeat, qua ætate ferri queat ſententia judicis xxv. annis minoris. Conf. Illuſtris van Bynkershœk *Obſ. lib. VI. cap. 17.*

d) *L. ſed in ſervum §. ſi quis ff. de recept.*

e) *L. 1. & 2. ff. de jud. ut obſervat* Cujacius *ibid.*

f) *L. hos accuſare §. lege ff. de accuſat.*

g) *d. L. hos accuſare.*

** Imo ſingulorum. Ait enim, eodem tempore de duobus reis queri non poſſe, cum contra Macer in *L. 8. D. de Accuſ.* eos ab accuſando removeat, qui duo judicia adverſus duos reos ſubſcripta habent, & Imperatores Diocletianus & Maximianus in *L. 10. C. de his, qui accuſare non poſſunt,* accuſationem tertiam ex rationibus juris interdictam memorent. Quare duorum reorum numerum præfinitum fuiſſe, cenſebat Cujacius, & lege Julia cautum putabat, ne quis de tribus ſimul reis quereretur. Cujacii ſententia veriſimilis eſt, quamvis, ſi velimus Θεμαλίταν, Macrum & Imperatores cum Lynckero intelligere poſſimus de accuſatione duorum ſuper uno eodemque crimine, niſi quod in neutra lege quicquam eſt, quod hanc diſtinctionem ſuggerere poſſit.

h) *L. cum ration. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* Cujac. *6. obſ. cap. 12.*

i) *L. hos accuſare §. lege ff. de accuſat.*

Digitized by Google

nitur, veluti parentes, patronos, liberos, libertos, invitus teſtimonium dicere compellatur. *a*) Item ne reus, qui adverſus novam accuſationem veterem ejus delicti abſolutionem opponit, prius accuſetur, quam per ſententiam de prioris accuſatoris prævaricatione conſtiterit, ex qua deducatur, illum per fraudem effugiſſe judicii ſeveritatem, tum enim licebit vetus judicium, prævaricatione ſopitum, nova delatione ſuſcitare. *b*) Item cavebatur, ut qui reum detuliſſet, locum delicti, perſonam, & menſem deſignaret. *c*) Eædem leges jubebant, ut ſi ſervus capitali crimine poſtularetur, dominus, vel eum ſiſteret, vel ſatisdato promitteret ſive per ſe, ſive per extraneum, ſe illum ſiturum, cum uſus exegerit; ac ſi non defenderetur ſervus, vel non ita ſiſteretur, in carcerem conjectus, cogeretur ex vinculis cauſam dicere. *d*) Hoc loco etiam recenſeri poſtulat S. C. quo cavebatur, ne quisquam eorum, a quibus quid ad utilitatem fiſci peteretur, alia inſtrumenta delatori, ſive accuſatori edere compelleretur, quam ea, quæ pertinerent ad cauſam, ex qua delator accuſet. *e*) Iisdem legibus, etſi nullo auctore, adſcribit Briſſonius, quod legimus in *libris rhetoricorum ad Herennium*, ut ſcilicet in publicis quæſtionibus reo petente, judicium de accuſatore fiat: liceat illi accuſare nec ne. Cum autem referat Suetonius; Cæſarem ſuſcepiſſe conſtituendorum judiciorum curam, eaque rejectis tribunis ærariis ad Senatores, & Equites redegiſſe; recte meo judicio leges hæ judiciariæ Cæſari dictatori ab Antonio Auguſtino tribuuntur. Sed & plura alia S. C. poſſunt ad has revocari leges, nempe illud, quo permittitur, ut excuſationes abſentium in criminum judiciis allegentur: & ex juſta cauſa ſententia differatur: propterea quod neque ad perſequendum, neque ad depellendum crimen procurator admittitur. *f*) Item, ut permittatur mulieri falſum teſtamentum accuſare, ſi ſuam vel ſuorum injuriam perſequatur, ut exponit Cujacius, quamvis regulariter mulieres a publicis cauſis arceantur. *g*) Et iisdem ex legibus arbitror conceptam fuiſſe formulam inſcriptionis libellorum his verbis: *h*) *Apud illum Prætorem vel Proconſulem Lucius Titius profeſſus eſt, ſe Mæviam lege Julia de adulteriis ream deferre, quod dicat, eam cum C. Sejo in civitate illa, domo illius, menſe illo, Coſſ. illis, adulterium commiſiſſe.*

C. DE LEGE CORNELIA DE FALSIS, ET AD S. C. LIBONIANUM, ALIAQUE AD EAM ADJECTA.

Poſt leges Julias progrediamur ad ea crimina, quæ legibus vindicantur Corneliis, exordium ducentes a lege Cornelia de falſis, quam ſicuti & reliquas tulit L. Cornelius Sylla Dictator, ſimul cum lege teſtamentaria duobus explicata capitibus: quorum altero teſtamenta confirmabantur civium Romanor. qui apud hoſtes decederent; altero fraudes præcidebantur illorum, qui teſtamenta vitiaſſent, deleſſent, amoſſent, intervertiſſent, reſignaſſent, recitaſſent dolo malo, corrupiſſent, interce-

a) *L. jureconſultus 9. ff. de grad. & affinib. L. 4. ff. de teſt. l. 11. ff. de accuſat.*
b) *L. 3. ff. de prævaricat.*
c) *L. 3. ff. de accuſat.*
d) *L. 2. ff. de cuſtod. reorum.*
e) *L. 3. ff. de edend.*
f) *L. accuſatore 13. ff. de public. judic.*
g) *L. 2. ff. de accuſat. & inſcript.*
h) *L. libellorum 3. de accuſ. & inſcript.*

piſſent,

piſſent, aut a ſe facta ſuppoſuiſſent imagine veri fraudem adumbrantes. Quod caput ortum occaſione teſtamentorum, comprehendit etiam falſa omnia inſtrumenta, & quaslibet vitiatas, aut adulterinas ſcripturas; imo interpretatione ſapientum, vel auctoritate Senatus aut edictis, & conſtitutionibus principum productum fuit ad facta, dictaque omnia, quibus in aliorum incommodum, aut ſubtrahitur veritas, aut obſcuratur. *a*) Hisque criminibus cognoſcendis Prætorem certum Sylla conſtituit. Quatuor vero S. C. ſuperſunt, quibus aliqua crimina eam ad legem revocantur. Primum S. C. Libonianum ſub Tiberio conditum Statilio Tauro, & Libone Coſſ., ut ex Ulpiano comprobat Cujacius, *b*) diſſentiente Hottomanno, qui S. C. hoc revocat ad Adriani tempora, Torquato, & M. Annio Libone Coſſ., expreſſum fuit hoc S. C. ex edicto Claudii Neronis, * propoſito in eandem ſententiam: nempe ut pœna falſi producatur ad eos, qui juſſu teſtatoris aliquid ſibi, liberisve, aut ſervis ſuis teſtamento adſcripſerint; *c*) ſive per ſe, ſive per ſervum ſuum: cum ſi ſua ſponte injuſſu teſtatoris adſcripſiſſent, directo in legem Corneliam inciderent, ac falſi tenerentur ex ipſis verbis legis, non ex S. C. quo lex extenditur etiam ad eum, qui non falſo, ſed jubente teſtatore ſibi adſcripſerit, *d*) unde prohibetur hæreditatem, aut legatum capere: ideoque ab ejus perſona transferuntur, vel ad hæredem cum onere, quod ſpeciale eſt *e*) ex hoc S. C. vel ad ſubſtitutum, vel ad legitimos ſucceſſores; cum pro non ſcriptis habeantur. Præter hanc autem pœnam ſupereſt etiam communis, quæ oritur ex lege Cornelia de falſis; *f*) niſi teſtator illud nominatim ſubſcriptione ſua adjectum voluiſſet, ſe dictante, aut jubente fuiſſe a legatario, ejusve ſervo conſcriptum. *g*) Quod temperandæ legis cauſa principes indulſerunt. Unde tum & relicta convaleſcunt, & legis Corneliæ pœna quieſcit. Idemque Senatus cenſuit in filia, quæ, dictante matre, ſibi ex ignorantia juris adſcripſerat: *h*) Et in ſervo, qui domini juſſu teſtamento, codicillisve ſibi libertatem adſcripſerat; ita tamen ut libertas ei ex fideicommiſſo præſtetur; ſiquidem

a) *Inſt. de publ. judic. lib. 4. tit 18. §. 7.*

b) *in enarrat. C ad l. Corn de falſ.* Matth. *de crimin hoc tit.* Ulpianus *apud auctorem collat. legum Moſaic. tit. de falſo teſt. 8. L. Divus ff ad l. Cornel. de falſ.*

* Imo ſic Neronianum diceretur, exemplo Senatusconſulti Neroniani, cujus mentio apud Ulpianum *XXIV. 11.* & Aprilis Neronei & Romæ Neropolis apud Suetonium in *Nerone cap. 55.* Porro Divus dicitur Claudius, cujus eſt edictum, Neronem autem inter Divos relatum eſſe, non novimus, hoſtem puta a Senatu judicatum & quæſitum ad ſupplicium more majorum, quamvis, ut memoria ejus coleretur, a Senatu contenderit Vologeſus, Rex Parthorum. Tribuatur igitur hoc S.C. Tiber. Claudio Druſo Cæſari, quem Diis inſertum & numi & ſcriptores veteres teſtantur & feſtiviſſimus Senecæ luſus. De ætate quoque Senatusconſulti Liboniani non ſatis conſtat Claudii ætate in Faſtis nullus occurrit Libo, unde plerique & inter eos. Petrus Faber, Cujacius, Pithœus & Salmaſius ad tempora Tiberii adſcendunt. Quorum ſententiam ſi probemus, dicendum erit, ſummam Senatusconſulti dein Claudii edicto repetitam fuiſſe.

c) *d. l. Divus ff. ad l. Corn. de falſ.*

d) Cujac. *ad Afric. tractat. 3. L. ſi quis ff. ad l. Cornel de falſ.*

e) Cujac. *loco citato.*

f) *L. Divus 15. ff. ad l. Corn. de falſ.*

g) *d. l. & l. 2. C. de his, qui ſibi adſcripſ. in teſt. l. 15. §. plane ff. eod.*

h) *L. 15. §. [illegible] eodem.*

teſta-

teſtator manu ſua poſt eam ſcripturam teſtamento, codicillisque ſubſcripſerit. *a*) Pœna vero locum habet teſtamento jam abſoluto: *b*) neque eum tenet, qui degit ſub poteſtate ipſius teſtatoris, veluti filiumfamilias, tanquam inſtrumentum, quod ab ipſomet patrefamilias exercetur. *c*) Imo neque emancipato filio, qui ſolus ſit, eripitur hæreditas, quam nullo cohærede dato, patre dictante, ſibi adſcripſerat: nam ſi ex teſtamento non poſſet, caperet eam tamen hæreditatem ab inteſtato, *d*) unde huic non eripietur, niſi cohæres datus fuerit, ad quem pars erepta transferatur. Porro excuſantur quicunque ratione poteſtatis, aut neceſſitatis, * parent imperio teſtatoris, ac eo jubente legatum ſibi adſcribunt, quibus aliquando etiam generalis teſtatoris ſubſcriptio ſuffragatur. *e*) Quando vero Senatus, aut Princeps veniam dabant ejus Senatusconſulti juſtis ex cauſis: *f*) indulgentia illa tantum legis Corneliæ pœnis eximebat, legatum vero, aut hæreditatem iis, qui ſibi adſcripſerant, minime condonabat. Porro ex Senatusconſulto vetatur adſcribere ſibi quis etiam in codicillis; quibus ſi adimatur, quod hæres, aut legatarius ſibi adſcripſerat in teſtamento, ceſſat Senatusconſultum. Porro Paullus refert, Senatum cenſuiſſe, ſi quis ſua manu ſervum ſibi legatum ſcripſiſſet, & eum rogatus manumittere fuiſſet; ſervum eum ab omnibus ** eſſe manumittendum: propterea quod adſcriptio illa ex S. C. Liboniano fuiſſet inutilis. *g*) Alterum S. C. quod item ex Ulpiano apud Collatorem *legum Moſaicarum* eruitur, prodiit Licinio, & Tauro Coſſ. quo ad pœnam falſi trahuntur ii, qui fraudulenter inter ſe compararunt, ut mutuum ſibi teſtimonium dicerent, *h*) more Græcorum, de quibus vulgatum erat proverbium, quod legimus in Ciceronis *oratione pro Flacco: da mihi teſtimonium mutuum.* Tertium S. C. conditum fuit Cotta, & Meſſala Coſſ. adverſus eos, qui ob litem, & advocationem inſtruendam, teſtimoniaque cogenda pecuniam acceperint, societatemve coierint, aliove modo ſeſe obſtrinxerint. *i*) Advocationis autem nomine venit, quidquid ad opem ferendam, aut fidem faciendam in judicio comparatur. Quartum Senatusconſultum factum eſt duobus Geminis Coſſ. quo legi Corneliæ de falſo ſubjiciuntur, qui dolo malo adverſus innocentem conſpiraverint, & in illius periculum ſocietatem inierint, ut eum in judicio accuſarent. Unde judicium ex hac lege datur in eos, qui accuſatorem excitant adverſus aliquem, & delatorem ſubmittunt in cauſa etiam pecuniaria, *k*) ubi non corpore, ſed pecunia reus multatur; & in eos, qui ob denunciandum teſtimonium, hoc eſt ob evocandum, cogendumque ad teſtimonii dictionem, & remittendum, aut dicendum, vel non di-

a) *loco citato §. 2.*

b) *L. ſi quis 6. ff. eodem.*

c) *L. 5. ff. eodem.*

d) *L. quamquam 1. C. de his, qui ſibi adſcripſ. D. ad hanc leg.*

* Qualis neceſſitas poteſtatis in ſervo eſt, qui ſibi juſſu domini adſcripſerit. Diocletianus tamen in *l. 6. C. de his, qui ſibi adſcribunt*, generalem ſubſcriptionem ſervo prodeſſe non vult, niſi ad impetrandam veniam.

e) Cujac. 3. *ad African. l. ſi quis legatum ff. ad l. Corn. de falſ.*

f) *L. Divus 15. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

** Puta heredibus, ſcilicet ut & libertas ſervo ſalva ſit, & jus patronatus adſcribenti manumiſſo ademptum, coheredibus omnibus competat, tanquam in communi liberto.

g) *L. cum quidam 17. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

h) *L. 1. l. 9. ff. eod.*

i) *L. 1. l. 20. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

k) *L. 9. §. ult. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

Digitized by Google

cendum *a*) illud pecuniam acceperint, judicemque corruperint, *b*) produxerintve falſas conſtitutiones, *c*) aut edicta publice propoſita dolo malo induxerint, corruperint. *d*) Item hac lege animadvertitur & in eos, qui aliquid fraudis commiſerint in rationibus, tabulis, literis publicis, quo verum celarent, interverterent, obumbrarent; *e*) aut per obreptionem quid a principe impetraverint, vel a magiſtratu ex reſcripto Alexandri Severi; *f*) aut nomine Prætoris literas falſas reddiderint, edictumve falſum propoſuerint. Item qui duobus in ſolidum eandem rem diverſis contractibus vendiderit. *g*) Judex etiam, qui contra principum conſtitutiones, & jus palam propoſitum pronunciat: & qui mentita judicis amicitia, & familiaritate ſententiarum eventus vendunt, aliive cui negotio nomen illius prætendunt, eadem lege plectuntur. *h*) Non ſolum enim ſcripturarum, ſed & cujusque rei falſitas in hujus legis judicium deducitur: veluti ſi quis fraudandi animo æs inauraverit, aut inargentaverit, aut pro precioſiori metallo minus precioſum ſubjecerit, *i*) aut falſum partum ſuppoſuerit; quo principum conſtitutiones legem Corneliam porrexerunt. Fraudem enim naturæ ac ſocietati humanæ facit, qui familiæ familiam inferit alienam. *k*) Cujus facinoris non publica eſt accuſatio, neque ad quemlibet e populo pertinet, ſicuti pertinent alia ex hac lege crimina; ſed tantum ad parentes, qui nulla temporis præſcriptione ab accuſando repelluntur. *l*) Nec opus eſt, ut ea quæſtio ad pueri pubertatem differatur: præſto enim ſemper creditur eſſe mater, quæ naturali caritate ac proprio pudore ſatis ad cauſæ defenſionem incitatur: *m*) maxime cum de ſuo capite mulier periclitetur. Ad hanc etiam legem ſpectat crimen eorum, qui ſignum adulterinum faciunt, ſculpunt, exprimunt, vel verum amovent, aut jam impreſſum reſignant, *n*) aut alienum chirographum imitantur: *o*) aut qui per fraudem in alienam familiam irrepunt, inſigne gentilitium, & cognomen alterius aſſumentes, aut imponentes, aſſeverantes ſibi falſum nomen *p*) dolo malo, quo aliquid non ſuum poſſideant, intercipiant; nam ſi fraus abſit, liberum eſt nomen, aut cognomen, aut inſigne mutare, ſuumque genus alia imagine ſignificare, *q*) quod Reges Galliæ ter feciſſe, Cujacius tradit. Primo enim tres coronas habuere, deinde lilia innumera, poſtremo ex conſtitutione Caroli VI. lilia tantum tria. *r*) Porro Trajanus edicto ſuo legem Corneliam ejusque pœnam produxit ad eos, qui menſuras publicas cujusque generis probatas

a) *L. 1. §. 1. ff. hoc tit.*
b) *L. 1. §. 2. eod. l. qui duobus §. 2. eod.*
c) *L. 1. l. ult. ff. eod. l. 4. & 20. C. eod.*
d) *L. pen. ff. ad l. Corn. de falſ.*
e) *L. 16. ff. eod.*
f) *L. ſi quis 29. eod. toto tit. C. ſi contra jus vel utilit. publ.*
g) *L. qui vendiderit ff. eod.*
h) Paull. *lib. 5. ſent. tit. 25. de lege Corn. teſt. §. ult.*
i) Paull. *ſent. tit. 25.*
k) *L. qui falſi lege 30. ff. ad leg. Corn. de falſ. l. cum ſuppoſiti C. eodem, ubi* Cujac.
l) *L. lege 30. ff. eod. & juribus proxime cit.*
m) *L. ſi partus 1. C. ad leg. Corn. de falſ.*
n) *L. lege ff. hoc tit. & Inſt. de publ. judic. §. item lex Cornel. de falſ.* Paullus *ſent. 5. tit. 25.*
o) *L. quid ſit 23. ff. eod.*
p) *L. falſi 13. ff. ad leg. Cornel. de falſ.* Paull. *ſent. lib. 5. cap. 25.*
q) *L. 1 C. de mutat. nomin.*
r) Cujacius *ad l. 13. ff. eod. ſive ad lib. 15. reſponſ. Papin.*

Ll lucri

lucri ſui cauſa corrumpunt, ac ponderibus utuntur adulterinis, *a*) lege quoque Cornelia plectitur, qui ſe pro milite geſſit, vel illicitis inſignibus eſt uſus, aut iter fecit, ſive, ut Juriſconſultus ait, viam commeavit falſo diplomate, *b*) nempe literis tractoriis, quas princeps dabat miſſis ab ſe, aut evocatis, ut in curſu publico vim omnem, aut moleſtiam evitarent, & ſtativis, manſionibus, aut diverſoriis eodem in diplomate adſcriptis, & imperatis uterentur. *c*) Mulier porro neminem hac lege accuſare poteſt, niſi ipſius mulieris interſit. Quod Senatusconſulto ad hanc legem cautum fuit. *d*) Quamobrem ſi pupillus falſis inſtrumentis in judicio victus fuerit; Alexander Imperator cenſuit non a matre, ſed a tutore, vel curatore, quos habeat accuſanda.

CI. DE LEGE CORNELIA NUMMARIA.

Verum nulla ex fraude damnum fert Reſpublica majus, quam ex adulteratione monetæ: vitiatur enim ſanguis, unde nutritur, a quo ſimul corpus omne putreſcit. Cujus criminis ea eſt gravitas, ut præter communem de falſo, peculiarem a Sylla legem expreſſerit, quæ nummaria dicitur Aſconio Pediano: *e*) eaque tenetur, qui dolo malo precioſiori metallo deterius infuderit: *f*) ut ſi quis argento publico, aut privato æs admiſcuerit, aut æri plumbum, quod crimen Tacitus Imperator *g*) capite puniendum duxit, adjecta bonorum proſcriptione: quod & ad legem quoque Juliam peculatus trahitur; nec mirum, ſi unum idemque crimen pluribus legibus ſubjiciatur. *h*) Item qui monetam attonderit, raſerit, falſave imitatione imaginis adulteraverit, *i*) aut ſolidi orbem circumciderit: ex his enim liberi quidem ad beſtias damnantur; ſervi capite puniuntur. Solidum porro vix demum poſt Diocletianum fuiſſe pro nummo aureo acceptum, docet Scaliger: haud admodum repugnante Jacobo Gothofredo. *k*) Quibus fraudibus quisquis opem præſtiterit, domumve præbuerit falſæ monetæ percutiendæ, aut veræ adulterandæ, abradendæve, in eandem incidet legem. Quapropter non licet percutere aut figurare monetam extra locum huic operi juſſu publico deſtinatum: qui locus *moneta* dicebatur communi vocabulo cum percuſſa, & ſignata materia. *l*) Verum ſicuti nefas eſt, adulterare pecuniam, ita minime licuit, probos nummos principis vultu ſignatos ob eam cauſam reprobare, quod imago principis minore orbe circumſcriberetur; nam & ad eos, qui probam monetam recuſant, pœna legis Corneliæ, teſte Paullo, extenditur. *m*) Pondere namque oportet æquali monetas conſiſtere, non forma ſpacioſe imaginis. *n*) Conſtantinus autem fœneratores, ſive nummularios, aut collybiſtas, apud quos pecuniæ permutabantur, quibusque permutationis pre-

a) *L. penult. ff. eod. l. annonam, ff. de extraord. crimin.*

b) *L. eos qui §. ult. ff. eod.*

c) Cujac. *ad l. unic. tit. 52. de tractoriis, C. lib. 12.*

d) *L. 5. C. de his, qui accuſ. non poſſ.*

e) *in Prætor. Urban.*

f) Cujac. *tit. C. de falſa moneta.*

g) Vopiſc. *in Tacit.* Cujac. *C. eodem.*

h) Cujac. *ad tit. C. de falſ. monet.*

i) *L. 8. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

k) *C. Theodoſ. ſi quis ſolidi cir. exter. incid. l. unic. in fin.*

l) Cujac. *tit. C. de falſ. mon. l. 2.*

m) *ad leg. Corn. de falſ. ſent. tit. 25. lib 5. in pr.*

n) *C. Theodoſ. ſi quis ſolidi circ. exter. inc.*

cium, quod collybum dicunt, adjiciebatur, flammis damnavit, ſi vel veterem monetam veterum principum vultu ſignatam reprobaſſent, vel minoris æſtimaſſent, ut collybum, ſive precium permutationis augerent. Nam ne avaritia fœneratorum, quæ nunc in pecuniæ Neapolitanæ permutatione graſſatur, modum tranſiret, ſtatuerunt ſuis conſtitutionibus principes atque definierunt permutationis precium & mercedem collybiſtarum. *a*) Porro pœna legis Corneliæ de falſo, ſi nummariam excipias, quæ ultimum ſupplicium ſtatuit, eſt regulariter deportatio, bonorumque omnium publicatio in liberis hominibus; in ſervis vero vitæ privatio, ut docet Marcianus: *b*) ut eximantur tamen ab hac regula graviores aliquot, aut leviores caſus, quibus pro delicti ratione, vel exacerbantur pœnæ, vel leniuntur. Etenim falſi teſtes, quorum improbitate innocentes *c*) capitalem ſententiam ſubierunt, vel tabularii civitatum, qui ſuis fraudibus falſas immunitates tribuerunt, *d*) aut qui alterius concutiendi cauſa militiæ, vel ordinis inſignia ſibi uſurparunt, vel falſum partum *e*) ſubjecerunt, morte damnantur: liberti vero, qui ſe pro ingenuis geſſerint, lenius nempe infra deportationis pœnam puniuntur: ne leviores caſus aliquot attingam, qui judicis permittuntur arbitrio. *f*) Claudius enim reo cuidam hujus criminis manus præcidi juſſit. *g*) Similemque pœnam inflixit Alexander Severus, inciſis digitorum nervis.

CII. DE LEGE CORNELIA DE INJURIIS.

Non ſolum vero præcidit Sylla fraudes, ſed pleniori actione a civibus avertit injurias. Quamvis enim actio ea deſcenderet etiam ex legibus XII. tabul. & ex edicto Prætoris: tamen obſcurius, minusque diſtincte proponebatur. *h*) Unde lex Cornelia proceſſit, injurias omnes comprehendens manu illatas, atque, ut ſcribit Cujacius, *i*) atrociores. Ex qua in eos actio dabatur, qui pulſaſſent aliquem, & verberaſſent, aut in domum alienam irrupiſſent, *k*) vel fraudulenter per tegulas, aliove modo ſe direxiſſent, unde directarii appellantur. Quorum auctores facinorum ita extra ordinem puniuntur, ut in exilium, aut in metallum, aut in opus publicum damnentur; *l*) ac judicis eſt hodie pro gravitate delicti pœnam definire. *m*) Eademque lege repellebatur a judicando actoris gener, ſocer, vitricus, privignus, ſobrinus, affiniſve alius proximior, *n*) & patronus. Diſtinguit autem lex Cornelia pulſationem, & verberationem: verberat enim, qui cum dolore cædit, pulſat vero, qui ſine dolore, ut ex Ofilio docet Ulpianus. *o*) Domus hac in lege accipitur pro domicilio quolibet, ubicumque quis moretur ſive in proprio, ſive in conducto, ſive in villa, ſive in hortis: ut ſi dominus fundum locaverit, non domi-

a) Jac. Gothofr. *ad l. 1. C. Theod. ſi quis ſolidi exter. circul. circumcid.*
b) *L. 1. §. ult. ff. ad leg Cornel. de falſ.*
c) *L. 1. ff. ad leg. Corn. de ſic. §. 1.*
d) *L. 1. C. de immun. nem. conced.*
e) *L. 1. C. ad leg. Cornel. de falſ.*
f) Duaren. *hoc tit. cap. 3.*
g) Sueton. *in Claud.*
h) Duaren. *tit. de injur.*
i) *ad tit. C. de injur.*
k) *L. 5. ff. de injur. Inſtit. de injur. §. ſed & lex* Paull. *ſent. 5. tit. de injur. ubi* Cujac.
l) Paull. *loc. cit.*
m) Cujac. *C. de injur.*
n) *L. 5. in pr. ff. de injur.*
o) *L. 5. §. 1. ff. de injur.*

nus.

nus agat contra illum, qui fundum introivit, ſed colonus. *a*) Porro cum quæreretur, an pater poſſit ex lege Cornelia injuriam a filiofam. acceptam vindicare; placuit non poſſe: verum filium quidem habere actionem ex lege Cornelia, patrem autem prætoriam injuriarum; adeoque liberum eſſe filio, ex hac lege agere, ut neque cavere cogatur patrem rem ratam habiturum. *b*) Illud conſultiſſime fuit hac lege introductum, ut liceat actori deferre jusjurandum, ut reus juret injuriam ſeſe non feciſſe: quo actoris exiſtimatio redintegretur, & reus judicio eximatur. *c*) Duplex autem eadem lege naſcitur actio: criminalis nempe, quæ pœnam irrogat reo, *d*) quæque, docente Cujacio, publica erat accuſatio ex cauſis in lege Cornelia contentis; & civilis, quæ a reo æſtimationem repoſcit injuriæ. *e*) Quas actiones qui non diſtingunt, valde ſeſe involvunt, & in earum tempore definiendo diſſentiunt: cum facile diſcordia componatur, ſi criminalis a civili ſeparetur. Intelligemus enim illam, utpote pœnalem, eſſe annuam; *f*) hanc vero perpetuam, quippe civilem. Quæ vero a ſcripto veniunt injuriæ, hac etiam lege vindicantur: qua inteſtabilis eſſe jubetur, ſi quis librum in alterius infamiam conſcripſerit, compoſuerit, ediderit, etiamſi alterius nomine, vel abſque nomine horumve quid faciendum curaverit: *g*) & Senatusconſulto ad hanc legem condito ſubjiciuntur pœnis legis, qui adverſus aliquem injurioſum quidquam dixerint, aut epigrammata ſive inſcriptiones, aliudve quid etiam ſine ſcripto, & voce, veluti picturam in alterius ignominiam protulerit, etiamſi nomen illius, in quem factum fuit, non adjecerit. *h*) Nam ſi adjeciſſet, pateret etiam communis actio injuriarum ex legibus XII. tabul., & ex edicto prætoris. *i*) Nec pœnas effugiunt emtores, & venditores harum peſtium, & deſcriptores: in quos omnes perinde atque in auctores, & in eos, qui auctores ſollicitaverint, & impulerint, itemque & in illos, qui vulgaverint, nec ſtatim inventa ſcripta combuſſiſſent pœna capitis a principibus conſtituitur, tanquam in auctorem illius. *k*) Servo autem qui affecerit aliquem injuria, graviorem pœnam lex Cornelia, ſed extra ordinem minitatur: cum vetuerit Sylla, ſervum inter injuriarum recipi reos. *l*)

CIII. AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS.

Cum hac lege Sylla texiſſet famam civium; alia texit vitam ab inſidiis ſceleratorum hominum, quæ appellatur lex Cornelia de ſicariis, & veneficiis; & quamvis aliis armorum generibus vitæ hominum appetantur; tamen quia ſicæ uſus commodior erat, & uſitatior, ab ea legem placuit appellare. Eſt enim ſica parvus enſis, ac retortus, *m*) qui ſub veſtibus facillus latet, inſtar Perſiei acinacis; unde a

a) *eadem lege.*

b) *L. 5. §. 6. 7. ff. de injur.*

c) *L. 5. §. hac lege 8. ff. de injur. l. jusjur. 34. de jurejur.*

d) *L. hos accuſare §. ult. ff. de accuſat.* Cujac. *ad tit. C. de injur. & ad* Paull. *lib. 5. ſent. tit. de injur § injur.*

e) *L. conſtitut. 37. §. 1. ff. de injur.*

f) Cujac. *C. de injur.*

g) *L. 5. §. 9. ff. de injur.*

h) *eadem l. §. 10.*

i) *L. 6. ff. eodem.*

k) *L. 1. C. de famoſ. libell. ubi* Cujac.

l) *L. hos accuſare in fine ff. de accuſat. & inſcrips.*

m) Joſeph. *lib. 20. antiq.* Sigon. *de judic. in hanc leg.*

Cedreno definitur *μαχαίρια μικρὰ ἃ ἐφέροντο κρυφῆ* *a*) & ab Athenæo aprorum dentibus comparatur *b*) quibus brevibus cultris, ac reflexis tractandis aperto ſpacio non erat opus, ideoque facilius homines iis peribant; quo magis uſus interdicebatur ab antiquiſſimis usque temporibus. Plautus enim in *Aulularia: Ad tres viros ego deferam tuum nomen C. Quamobrem. E. Quia cultrum habes. C. Coquum decet.*

Accuſaturum ſe minatur Euclio coquum, quod cultrum haberet; coquus vero reſpondit, ſibi ob culinariam artem non eſſe interdictum. Atque hominum ſane cædes vetuſtiſſima ætate XII. tabul. legibus, & lege Sempronia per Gracchum lata vindicabatur. *c*) Lucius vero Sylla dictator anno A. V. C. DCLXI. legem tulit ſeveriorem de ficariis, veneficis, parricidis, una cum lege de falſis: quorum criminum perpetuas quæſtiones ſub quatuor prætoribus inſtituit, ut colligitur ex Cicerone in *Verrem. d*) Quæ lex cædem quamlibet a quocunque ortam, ſive a pubere, ſive ab impubere, dummodo doli capace: *e*) atque in quoslibet ſive liberos, ſive ſervos, ſive peregrinos, ſive infantes, *f*) & quibuscunque armis editam coërcebat: nam Homerus etiam infantis cædem *ἀνδροκτασίαν* appellat. Scribit autem Jurisconſultus, nullam eſſe hac lege hominis occiſi conditionem exceptam: *g*) nec intereſſe, occiderit ne ipſe, an alius ab eo conductus: *h*) item integrum ne, an mutilum hominem interemerit, dum ea eſſet forma hominis, in qua anima coaluiſſet; exceptis monſtris & prodigiis, quæ lex XII. tabul. necanda, & ſtatim projicienda jubebat. *i*) Neque refert, mortem quis, an mortis cauſam, & occaſionem attulerit. *k*) Unde judex, aut Magiſtratus, qui, accepta pecunia, capitalem in reum ſententiam dixerit, aut auctoritate ſua dicendam curaverit, & judicii curſum ita direxerit, ut quis necaretur; in inſulam, ademtis bonis, ex hac lege deportatur. *l*) Ejusque legis pœnam incurrit, qui dolo malo falſum teſtimonium dixerit, quo quis publico judicio damnetur: *m*) item & qui falſa judicia confeſſus fuerit, confitendave curaverit, quo innocens perderetur ex Senatusconſulto hujus legis pœnæ ſubjicitur. *n*) Cui ſubeſt etiam qui, etſi non occiderit, hominis tamen occidendi, furtive faciendi cauſa cum telo ambulaverit. *o*) Lex enim hæc unice dolum ulciſcitur: unde neque cædem punit, nullo interveniente dolo, veluti ſi cujus manu caſu telum evolaverit; *p*) neque dolum remittit, * ſi non proceſſe-

a) Cujac. *in parat. ff. ad l. Jul. de ſicar.*
b) *lib. 18. cap. 1.*
c) Cic. VVeſemb. *in parat. hoc tit. n. 1.*
d) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 30.*
e) *L. 1. §. 2. l. 12. ff. ad l. Cornel. de ſic. l. inde Neratius §. ſi dolo ff. ad l. Aquil.* Matth. *de crim. hoc tit.*
f) *L. pen. C. ad l. Cornel. de ſicar.* Cujac. 6. *obſerv. 21.*
g) *L. 1. ff. eod. §. & qui hominem.*
h) *l. 15 §. 1 ff. eod.* Matth. *ibid.*
i) Matth. *ibid.*
k) *L. 15. ff. ad l. Cornel. de ſic.*
l) *L. 1. ff. eod.* Paull. *ſentent. lib. 5. cap. 23. §. judex.*
m) *L. 1. §. 1. ff. eod.*
n) *L. 3. §. item is ff. eodem.*
o) Paull. *lib. 5. ſent. tit. 23.*
p) *L. 1. §. divus ff. eod.* Paull. *lib. 5. ſent. tit. 23. ubi* Cujac.

* Notabile hoc caput legis Corneliæ de ſicariis, quo voluntatis etiam pœnam patitur, qui cruenta mente pura manu cædem tantum meditatus eſt. Proinde ſi quis ex ædibus proſiluerit armatus ad occidendum, quanquam vitæ alienæ tantum inſidiatus

rit:

Digitized by Google

rit: & quamvis nulla cædes intervenerit, cædis tamen conſilium punit. Is enim Græcis eſt homicida, qui cædem animo intendit, niſi quis tam remiſſe aliquo in opere verſetur, ut curam negligat alienæ vitæ: veluti ſi putator, cum ramum ex arbore dejiceret, ante non admonuerit, ut prætereuntes caverent: damnatur enim in metallum, ſi ramus decidens aliquem occiderit, ſed non ex lege Cornelia. *a*) * Neque per hanc legem dolo lata culpa comparatur: ſed quod ex lata culpa proceſſerit, extra ordinem miniori pœnæ ſubjicitur. Cavit etiam lex Cornelia contra ſervos fugitivos, ſi poſt mortem domini fugam capeſſerint, quo quæſtionem elaberentur: attribuitque accuſatori quinque aureos ex bonis occiſi in ſingulos, quos convicerit ſervos, qui cædem admiſiſſent: ac ſi aperto teſtamento domini ſervi iidem liberi facti inveniantur, ex vinculis cauſam dicere coguntur, convictique ſervi puniuntur, & qui convicerint, denos aureos præmii a damnati bonis accipiunt. *b*) Pœna vero nata cum ipſa lege Cornelia interdictio fuit aquæ & ignis; poſtea deportatio in ſublimioris conditionis homines: in conditionem vero mediam, pœna capitis: in infimam, cruci affixio, aut ad beſtias damnatio. *c*) Tandem capitis pœna comprehendit omnes. *d*) Cumque ſequentibus temporibus pœnarum varietas legi Corneliæ acceſſerit; ideo eas omnes ex lege Cornelia deſcendere Juſtinianus tradit: plerumque enim quæ adduntur legibus, tanquam cum ipſis legibus orta traduntur, ut ſupra monuimus. *e*) Legis hujus alterum caput eſt de veneficis, maleficis, & divinatoribus, quod a Marciano *f*) quinto capitum numero ponitur. Eo enim crebrius homines venenis, ac malis hujusmodi artibus, quam gladio pereunt; quod ab occultis ſceleribus pœnæ ſunt remotiores; Romani vero antequam primævam gentis honeſtatem peregrinis viciis, & aliarum nationum commercio polluiſſent, ignari diu non modo pœnarum, ſed & criminum etiam fuere talium. Unde cum crimine carerent, diu etiam abſtinuere remedio: neque venenorum quæſtionem inſtituerunt ante annum A. V. C. CDXXII. C. Valerio Flacco, & M. Claudio Marcello Coſſ. quo tempore patuit pernicioſa fraus mulierum, quæ occulte per totam ſerpebat urbem. Ad quam inveſtigandam ancillæ indicio magiſtratus excitati, matronas ipſas participes nefarii ſceleris invenerunt. Quarum cum

eſt, legis Corneliæ reus eſt, ſi id perfeciſſet, niſi prudentia alterius vel caſus conſilium ejus inhibuiſſet. Habet id commune cum aliis quibusdam criminibus gravioribus veluti, Majeſtatis, veneficii & ſuſurrorum magicorum, ſeu maleficii. Confer van Bynkershœck *Obſ. lib. III. cap.* 10. quod tamen de eo præcipue accipiemus, a cujus conſilio parum abfuerit eventus, ſic, ut eum abſolvamus, qui occidendi quidem cauſa cum telo in publicum perrexerit, mox autem pœnitentia ductus redierit & telum projecerit. Multo minus in legem Corneliam incidit, qui iræ œſtro percitus gladium quidem arripuit, ſed mox ſepoſuit.

a) Paull. *l. c. l.* 1. *§. Divus ff. eod. l. in lege* 7. *ff. eod.* Cujac. *in ſent.* Paull. *loco cit. §. ſi putat* 51.

* Quia hæc, ut mox ſequitur, non culpam, ſed dolum coërcet, neque ex lege Aquilia, quia caput ejus de homine occiſo tantum ad ſervos pertinet, non ad homines liberos, qui æſtimari nequeunt.

b) *L. lege Cornel ff. de S. C Silan*

c) *L* 3. *§. legis ff. ad l. Cornel. de ſic.* Paull. *lib.* 5. *ſent. tit.* 23.

d) *Inſt. de publ. judic. §. item l. Cornel. de ſicariis.*

e) Cujac. *ad Paull lib.* 5. *ſent. tit.* 23.

f) *L. ejusdem* 3. *ff. ad l. Cornel. de ſicar.*

aliquot

aliquot negarent; eaque venena non ad perniciem, ſed ad morborum quorundam curationem parata reſponderent, idque impudentius perſeverarent; bibere coactæ fraudem propria morte prodiderunt. *a*) Cujus ſceleris centum, & ſeptuaginta damnatæ fuerunt mulieres. Qui ſexus ad rabiem pronior viribus exutus, & libertate, non mirum ſi ſe fraudibus armet, & pro gladiis utatur ſæpe venenis. Poſtea judicia hæc lege Cornelia fuerunt adminiſtrata, eaque lex prælata etiam fuit legi, quam eadem de re poſtea Cæſar Dictator tulerat. Venenum autem perinde atque apud Græcos *b*) φάρμακον in bonam, ac malam ſignificationem, prout res propoſita poſtulat, accipitur. Pœna veneficii eadem erat, ac ſicariorum, nempe interdictio aquæ, & ignis, aut deportatio: nunc vero ultimum ſupplicium, cui cum ſicariis etiam venefici ſubjiciuntur, *c*) ſive præbuerint venenum, ſive malo conſilio retinuerint, vendiderint, emerint, attulerint, opemve præſtiterint; ſive non hominis perimendi, ſed abortionis cauſa obtulerint, aut amatorium poculum propinaverint, unde quis vitam amiſerit: *d*) nam ſi vitam non abſtulerint, & conſilium necandi non habuerint, quamvis lege Cornelia non teneantur; tamen propter periculum, quod intenderunt, quaſi contra legem fecerint, honeſtiores quidem bonorum parte multati mittuntur in inſulam; humiliores in metallum. *e*) Plura vero Senatusconſulta, quorum non omnium auctores, aut tempora certa producuntur, ſententiam legis aliquando latentem, ad ſpecies non expreſſas extenderunt: quorum primum eſt illud, quo relegatur quisquis non malo animo, ſed ad conceptionem medicamentum dedit, ſi mulier medicamento accepto perierit. *f*) Alio S. C. plectuntur pharmacopolæ, atque pigmentarii, fucique artifices, qui noxias herbas ad eluendum, purgandumve corpus dederint, vendiderint, *g*) quibus viſcera vitiantur; veluti cantharides, quæ cum urinæ ſuppreſſione veſicam exedunt. Porrigitur etiam per S. C. eadem lex Cornelia ad eos, qui adverſus naturam ingrati, ſummum illius donum virilitatem ſibi, aut aliis præcidunt: ſive ſe, aut alios voluptatis, aut lucri, & ut JCtus loquitur, promercii, libidiniſve cauſa caſtraverit, ut exectis teſtibus ſine muliebri pudore muliebrem mollitiem; & virilem audaciam ſine virili robore præ ſe ferant: quod eſt in utroque ſexu deterrimum in ſui unius perſonam contrahentes; peſtiferosque mores in animos potentiorum effractis, atque obſcœnis cantionibus infundentes; ut non mirum, ſi aliquando præmia virtutibus debita, cinædis, lenonibus, ac meretricibus unice pateant. Quibus ut malis Reſpublica eriperetur ex Senatusconſulto, lex Cornelia ulciſcitur eos, qui caſtrant invitos; *h*) eos vero, & qui non invitos caſtraverint, conſtitutione ſua damnavit Adrianus, qui & medicos virilia excindentes morte punivit, *i*) & eos, qui ſponte ſe caſtrandos præbuerunt. Ac Neratio Priſco, & Annio Vero Coſſ. S.C. prodiit in

a) Livius *lib. 8. cap. 18.*

b) Homer. *in Odiſſ.*

c) Paull. *ſent. 5. tit. 23. in pr.* Matth. *de crim. tit. 6. ff. l. 48. de ſic. cap. 3. & cap. 5. numero 3.*

d) *L. 3. ff. ad l. Cornel. de ſic.*

e) *L. ſi quis 38. §. qui abortionis ff. de pœnis.*

f) *L. 3. §. 2. ff. ad l. Cornel. de ſic. l. 38. §. 5. de pœnis.*

g) *L. 3. §. 3. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Cujac. *15. obſ. 27. &* Gothofred. *ad l. 3. ff. hoc titul. qui omnia venena recenſet.*

h) Paull. *ſent. lib. 5. titul. 23. l. 4. 5. 6. ff hoc tit.*

i) *L. 4. in f. ff. eodem.*

eos,

eos, qui ſervum ſuum caſtrandum obtulerint, ut in dimidia bonorum parte multarentur. *a*) Senatusconſulto etiam trahitur ad pœnas hujus legis is, cujus familia, ſciente eo, adipiſcendæ, aut recuperandæ poſſeſſionis cauſa venerit ad arma; item & qui ſeditionis auctor fuerit: *b*) quæ quamvis reſpiciant etiam ad legem Juliam de vi: novum tamen non eſt, ut eodem de crimine duplici lege caveatur, ut jam ſignificavimus. Qui omnes pro eorum gradu, atque ordine, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur. *c*) Et præterea, qui naufragos per vim ſuppreſſerit, quo minus opem ſibi ipſis ferrent, vel navim periculo eximerent, ex S. C. hujus legis pœna tenetur. *d*) Quo pertinet aliud S. C. Claudianorum temporum de illis, qui ex naufragio clavos, vel unum ex his abſtuliſſent, ut omnium rerum nomine teneantur, *e*) quod etiam convenit cum titulo de furtis. *f*) Circumcidere quoque interdictum eſt omnibus, præterquam Judæis, filios ſuos: *g*) ceteri enim caſtrantium pœna ex hac lege tenentur. Id autem Judæis conceſſum putatur ſimul cum exercitio religionis ſuæ: unde interdicitur aliis, qui non religionis, ſed mundıtiæ cauſa id uſurpabant, ut Ægyptiis, de quibus Herodotus, qui ab illis Colchos profectos argumentatur, quod & hi circumciſione uterentur. Ab Ægyptiis vero putat eundem ritum accepiſſe Phœnices, & Syros, qui erant in Palæſtina, & Æthiopes: minime gnarus, hujus inſtitutionis auctorem fuiſſe Deum, & ex divino præcepto Abrahamum: qua de re Origenes Celſum admonuit. *h*) Ad nefaria etiam ſacrificia ex Senatusconſulto legis hujus pœna porrigitur, ut ſi quis impia ſacra nocturna fecerit, faciendave curaverit, quo aliquem incantaret, interficeret, obligaret; quive hominem immolaverit, ejusve ſanguine litaverit, fanum, templumve polluerit: humilior quidem cruci affigeretur; honeſtior vero capite plecteretur: Tiberio, & Adriano decernente. *i*) Feralis autem hæc, atque ſtygia ſuperſtitio non minus horrenda eſt, quam vetuſta. Homines enim enormes moribus, & errabundi mente, quaſi Deus immanitate delectaretur, ſcelera ſceleribus expiabant, & publicam calamitatem oblatione cariorum pignorum, imo & regiæ prolis mactatione propulſare ſtudebant, ſi ita ſuperſtitio popoſciſſet. Hinc illa fabuloſa de Saturno, qui filium unicum Cœlo patri, fami, peſtilentiæque avertendæ immolavit. *k*) Ab hac fabula dira ſuperſtitio de gente in gentem dilapſa Chananæos inceſſit, qui liberos Molocho Idolo comburebant, *l*) & Phœnices eorum finitimi peſte, aut fame ingruente regum filios nefario ritu devotos Diis mactabant. *m*) Et Ægyptii ad ſepulchrum Oſiridis homines Typhoni colore ſimiles, nempe rufos, qui ea in regione rariores erant; ideoque peregrinos ad immolandum auferebant; unde origo fabulæ de ſævitia Buſiridis in

a) *L. 6. ff eod.*
b) *L. 3. §. item is ff. ad l. Corn. de ſicar.*
c) Paull. *ſent. lib. 5. tit. 23.*
d) *L. 3. in f. ff. de incend. ruin. naufrag.*
e) *L. 3. §. 8. eod.*
f) *L. 21. ff. de furt.*
g) *L. circumcidere ff. ad l. Corn. de ſic.* Paull. *5. ſent. tit. 23.*
h) Marsham. *ſæc. 5. verſ. circumciſio pag. 74. & 75.*
i) Cujac. *ad Paull. ſent. 5. cap. 23. §. qui hominem immolaverit*, *ubi* Cujac. *& §. qui ſacra.*
k) Euſeb. *de præpar. evang. lib. 1. cap. 1.*
l) *2. Reg. 15. 31.*
m) Euſeb. *de præpar. evang. lib. 4. cap. 16.*

advenas: Oſiridis enim tumulus Ægyptia lingua Buſiris appellabatur. *a*) Gallos etiam, refert Cæſar, in ſuis calamitatibus, aut immolare pro victimis homines, aut immolandos vovere conſueviſſe. Nec ejusmodi cædibus abſtinuere Græci, utcunque omnium cultiſſimi, quod in fabulis ab exemplo Iphigeniæ diſcimus; neque Carthaginienſes, utpote a Phœnicibus oriundi, qui Saturno ſanguine humano litabant: immo nec Latini, qui victimas humanas cædebant Ægeriæ Deæ, ut opus fuerit, quod Plinius memorat ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo demum anno ab V. C. S. C. prohibere hominem immolari. *b*) Adeo inſederat omnibus, non poſſe Deorum numen aliter placari, niſi pro ſalute hominis hominis vita redderetur. Nec tanta calamitate urgebantur a Diis, quantam ipſi ſibi producebant, ut longe minorem illam ab ſe deprecarentur. Scælera hæc igitur omnia ſub eo legis Corneliæ capite comprehenduntur, quo venefici, maleficique damnantur. Malis enim artibus non minus, quam venenis homines e vita tolluntur. Ideo aliis S. C. hoc legis Corneliæ caput productum fuit ad divinatores, ariolos, magos, aruſpices, aſtrologos, vaticinatores, aliosque Chaldæarum artium profeſſores, qui in aliorum perniciem ſortes conjiciunt, aut aſtra conſulunt. *c*) Et quoniam hi mathematicarum ſcientiarum auctoritate, fraudes ſuas protegebant; ideo damnati ſub mathematicorum appellatione fuere: cum alioqui nihil honeſtius matheſi, nihil humanæ naturæ conducibilius, unde in damnatione minime continentur geometricæ artes; non enim fuerat id vocabulum dehoneſtatum: *d*) adeo ut eo nomine ſecernantur honeſtiores profeſſores a communi mathematicorum appellatione, qua magi, & incantatores abutebantur. Contra quos ex Tacito patet quamopere leges exarſerint: etſi ſemper levitas * vulgi umbras ipſis rebus anteferentis, poteſtatem legum exuperaverit. Legis autem Corneliæ pœna non modo docentes, & exercentes, verum & diſcentes, & conſcios malarum artium tenet, non ſine aliquo tamen diſcrimine, *e*) nam conſcii, vel tollebantur in crucem, vel beſtiis objiciebantur; ipſi vero magi vivi comburebantur cum ſuis libris, ut non modo exercitium, ſed ipſa quoque ſcientia plecteretur. Supererant medici, qui non ſuo, ſed fallaciſſimæ artis, atque ancipitis doctrinæ vicio non raro mortem afferunt inopinantes: ut plures aliquando medicina vitas hauriat, quam gladius, & venenum. Sed inhumanum eſſet, in crimine inſontibus ponere naturæ obſcuritatem, & ignorantiam

a) Diod. Sicul. *lib.* 1. Marsham. *ſæcul.* 5. *verbo* παιδοθυσία *pag.* 77.

b) Plin. *lib.* 30. *cap.* 1. *vide* Montan. *in not. var. in Cæſ. libr.* 6. *de bello Gallic. pag.* 130.

c) Paull. *ſent. loco citato & toto tit.* C. *de maleſic. & mathem.*

d) *L. artem* 2. *C. de maleſ. & mathem.*

* Quam vehementer propter ejusmodi impoſtoris Alexandri vaticinationes trepidaverint, quotquot erant in orbe Romano, vide apud Lucianum in Ἀλεξάνδρῳ. Cæterum ſuavis eſt Azo in *gloſſa* ad *titulum Codicis de Mathematicis & maleficis*, quando Matheſin, cum Geometriam & Arithmeticam ſignificat, ſine adſpiratione, contra cum adſpiratione ſcribendam cenſet, quando deſignet vaticinationem, ſic, ut ſcire faciat mateſis, ſed divinare matheſis. Inter leges a Principibus Chriſtianis contra Mathematicos latas notabilis ex 10. C. *de Epiſc. aud.* in qua non tantum ex urbe ſed omnibus ſimul ex civitatibus pelluntur ſub pœna deportationis.

e) *L.* 2. *ſeq. C. de maleſ. & mathem.* Paull. 5. *ſent.* 23. §. *magicæ artis.*

cauſa-

cauſarum involuntariam: unde lege Cornelia ſubjicitur pœnis tantum imperitia & imprudentia medicorum, ſi forte medicamen ad ſalutem oblatum artis inſcitia, vel medici negligentia ægrotum interemerit: ac tum honeſtior quidem medicus in inſulam deportabitur, humilior vero capite punietur. *a*) Tandem incendiarios, qui data opera in urbe incendium excitaſſent, & ſi vetuſtioribus legibus obnoxios, punivit etiam lex Cornelia: per quam humiliores beſtiis objiciuntur; honeſtiores, qui locum, & gradum in urbe aliquem teneant, aut capite plectuntur, aut in inſulas deportantur. *b*)

CIV. DE LEGE CORNELIA, ET POMPEJA DE PARRICIDIS.

Capite legis Corneliæ de ſicariis incluſum erat * caput aliud veteris legis adverſus parricidas: quam veterem legem alii pro lege XII. tabul. interpretantur, ut Jacobus Gothofredus; *c*) alii minime. Romulus certe tantum facinus ne opinione quidem aut conjectura præſumens, nulla illud lege coërcuit: etſi pœnas de hominum cæde conſtituerit. *d*) Neque in veteres Romanorum ſanctiſſimos mores tam deteſtabile ſcelus irrupit ante annum A. V. C. ſexcenteſimum, *e*) quo tempore L. Hoſtius parentem occidit, cui acceſſit cædes alia, quam habemus ex epitome Liviana. *f*) Fertur enim Publius Malleolus matrem ſuſtuliſſe de vita: ideoque veteri lege de parricidis inſutum culeo, ſimul cum cane, vipera, ſimia, & gallo gallinaceo, merſum in mare fuiſſe. Quod parricidarum ſupplicium ex vetuſta lege deſcendens, Sylla confirmavit: ut ex *Roſciana* Ciceronis *oratione* docemur, Prætoremque certum, ac perpetuum huic judicio præfecit, cum antea deeſſet. *g*) Quia vero culei pœna repetebatur in capite legis Corneliæ, quo ſicarii, parricidæque continebantur; ideo ſcribit JCtus, *h*) parricidas, qui poſt legem Corneliam, lege Pompeja ** quoque damnabantur, teneri lege Cornelia de ſicariis, hoc eſt eadem pœna culei, quæ repetebatur in lege Cornelia de ſicariis: *i*) Qua eo ſupplicio puniebatur parricidium: Ne nos decipiant Duarenus, & Jacobus Gothofredus: *k*) qui ſublatam cenſuerunt pœnam culei per legem Pompejam, atque communem de ſicariis ſubſtitutam in parricidio putaverunt: Cum tamen lex Cornelia de ſicariis, quo lex Pompeja refertur, peculiarem culei pœnam in parricidio repetierit. Quæ ſane

a) *L. illicitas §. ſicut. ff. de offic. Præſid.* Paull. *ſent. hoc tit. in fin.*

b) *L. ult. §. ult. de incend. ruin. naufrag. L. 10 ff. ad leg. Corn. de ſicariis, & l. 1. ff. eod.*

* Aliter JCtus eximius, Gerardus Noodt, qui *Probab. lib. I. cap. 11.* apud Marianum in *L. 1. D de lege Pompeia* pro lege Cornelia de ſicariis reponebat legem Corneliam de parricidiis. Noſtro tamen conſentiunt Jac. Menardus & Ferratius apud Schultingium in *juriſpr. Ante Juſtinianea pag. 513* utraque autem lege, & Cornelia & Pompeja culleus parricidio pœna præſtitutus, ut contra Cujacium & Gothofredum evicit idem Schultingius *pag. 515.*

c) *in C. Theodoſ. lib. 9. tit. 15.*

d) Plut. *in Rom.* Ant. Aug. *in hanc leg.* Sigon. *de judic. lib. 2. cap 31.*

e) Ant. Aug. *in hanc leg.*

f) *lib. 68.*

g) Sigon. *lib. 2. de judic. cap. 31.* Pomp. *ff. de orig. jur. l. 2. §. capta.*

h) *L. 1. ff. ad l. Pomp. de parr.*

** Lata circiter anno DCC. quo Pompejus Conſulatum ſine collega geſſit

i) *Inſt. de publ. judic. §. alia deinde lex.*

k) *C. Theod. lib. 9. tit. 15.*

pœna obſolevit recentioribus Imperatorum temporibus, *a*) ejusque loco ſucceſſit damnatio ad beſtias, ſi mare proximum non eſſet; & ignis, quo vivi comburebantur, quod breviſſimum ſupplicium Lucianus indicat. *b*) Sane Auguſtus parricidarum pœnas levaverat, easque nonniſi confeſſis impoſuit; ac tanquam ſcelus hoc nemo admittere auderet, ejusmodi reos ita interrogare ſolebat: *certe patrem ſuum non occidiſti? c*) Conſtantinus tamen pœnam culei jam intermiſſam reduxit. *d*) Nulla vero pœna parentes priſco ævo tenebantur, ſi liberos occidiſſent: cum priſca patriæ poteſtatis vi nihil parentibus non liceret in perſonam liberorum. *e*) Igitur legem Corneliam excepit lex Pompeja de parricidiis lata Cn. Pompejo Coſ. ex qua utpote poſteriori, & uberiori, deinceps judicia hæc exercebantur. *f*) Atque ad idem crimen Cn. Pompejus retulit cædem omnium aſcendentium, & deſcendentium, * collateralium etiam cognatorum, & conjugis patronorum, *g*) pœnamque ad conſcios extendit, etiam ſi fuerint extranei, *h*) & ad illos quoque, qui venenum emerint patri ſuo propinandum, etſi ſceleratum conſilium ſibi *i*) non proceſſerit. Neque hujus criminis perſecutio tempore tollitur: atrocitas enim illius exigit, ut ultrix pœna in ſcelerata capita perpetuo impenderet. *k*) Itaque lege Pompeja tenetur non modo qui patrem, matrem, avum, aviam, filium, filiam, aliumve quem ex adſcendentibus, & deſcendentibus; ſed & qui fratrem interemerit, ſororem, patruelem, quem Cujacius *l*) interpretatur natum ex eodem patre, diverſa matre, matruelem nempe, ex eodem Cujacio, eadem ex matre genitum, alio vero patre, ſive uterinum; patruum avunculum, amitam, conſobrinum, conſobrinam, uxorem, virum, generum, ſocrum, vitricum, privignum, privignam, patronum, ſponſum, novercam: quæ perſonæ non omnes verbis legis, ſed ſententia continentur illius: nec excipiuntur ii, quorum dolo malo aliquid tale contigerit. *m*)

CV. DE LEGE TITIA, PUBLICIA, ET CORNELIA ** DE LUSU.

Supereſt e legibus Corneliis ea, quæ ad luſum pertinet, quam Hottomannus L. Sillæ tribuit. *n*) Qua vetuſtiores communi judicio fuere lex Publicia, & Titia, quæ forſan illæ ſunt, quas Talarias Plautus *o*) appellavit in *milite glorioſo*, ibi:

Atque adeo ut ne legi fraudem faciam Talariæ,
Accuratote, ut ſine talis domi agitent convivium.

a) Paull. *ſent. 5. cap. 24. L. 4. ff. ad leg. Pomp. de parric.*

b) *de mort. peregr.* Cujac. *C. de iis, qui parent. occid.*

c) Sueton. *in Aug. cap. 33.* Senec. *de clem.* Cujac. *parat. C. de his, qui parent. occid.*

d) *L. unic. C. eod.*

e) *L. in ſuis 11. ff. de lib. & poſth.* Weſemb *parat. ad l. Pomp. de parric.*

f) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 31.*

* Puta, ſi mater filium filiamve occiderit, aut avus nepotem *L. 1. D. de lege Pomp. de parric.* Patri id demum interdictum *L. un. C. de his, qui par. vel lib. occid.* antea ei licuit, etiam poſt legem Pompejam *L. 11. D. de lib. & poſt. Collat. legum Moſaic. & Roman. tit. 4.*

g) *L. 1. ff. ad leg. Pomp. de parr.*

h) *L. ultim. ff. eod.*

i) *L. 1. in f. ff. eod.*

k) *L. 10. ff. eod.*

l) *obſervat. lib. 6. cap. 17.*

m) *L. 1. ff. ad leg. Pomp. de parr.*

** Leges hæ omnes incertæ ætatis.

n) *L. 3. ff. de aleat.*

o) *act. 2. ſc. 2. verſ. 9.*

Quos

Digitized by Google

Quos verſus perperam Gronovius refert ad rationem ludendi præſcriptam legibus convivalibus, quas ipſi ſibi convivæ ſtatuebant: non enim Periplectomenes omnino talos domo ſua prohibuiſſet. Non ſolum autem aleæ nomine venit jactus talorum e turricula, & fritillo, ſed fortunæ qualiscunque luſus. Nam ex S. C. vetitum eſt in pecuniam ludere, ſponſionemve facere, ut ſcilicet qui vicerit, propoſitam pecuniam auferat, *a*) exceptis ludis ad virtutis exercitium inſtitutis: veluti ſi haſta certetur, curſu, ſaltu, lucta, pilive jactu, pugna. *b*) Ad quod S. C. Juſtinianus *c*) conſtitutionem ſuam accommodavit: ceteris enim ludis damnatis excepit hos, quorum frequens erat olim certamen in campo Martio, & magna celebritas in Græcia: ubi πεντάθλε nomine comprehendebantur quinque iſta certamina, & concurſus eorum ſimul appellabatur πάμμαχον, ut ſcribit Hyginus. *d*) Præter hos autem ludi omnes vetantur, etiamſi pecunia non apponatur, ſed ejus loco lupini ad precium ſignificandum, *e*) vel aurum comicum, quod & pro lupinis apud Plautum accipit Muretus, & Turnebus. *f*) Inviſa vero maxime legibus eſt alea, qua homines mutuis fraudibus exhauriuntur ſimul, & inter ſe irritantur: ut profuſo patrimonio rapinis, & cædibus rei familiaris lacunam explere conentur: ideoque aleatorum genus legibus infame habetur. Unde de Lenticula aleatore a M. Antonio reſtituto, tanquam de homine turpitudine notato, Cicero *g*) loquitur. Ideo Ædilibus mandabatur, ut illorum cœtus ab urbe, ac popinis omnibus arcerent: *h*) unde illud Martialis *lib. 14. Ep. 1.*

Nec timet Ædilem moto ſpectare fritillo.

Nec modo jure civili actio denegatur, & retentio ei, qui alea vicerit; *i*) ſed qui victus pecuniam ſolverit condictione indebiti, rem ſolutam repetet ex conſtitutione Juſtiniani: *k*) quæ condictio non tollitur minori præſcriptione, quam 50. annorum. *l*) Et qui domum ſuam præbuit aleatoribus, nullum a legibus adverſus furta, injurias, & rapinas habet auxilium, nullam actionem, qua res ablatas vindicat, vel damnum reſarciat; imo & ejus domus publicatur, *m*) quique alium ludere compellat, multatur, aut in vincula publica, vel in lautomias conjicitur. *n*)

CVI. DE FURTIS.

Ac de hiſce criminibus hactenus, nunc furta occurrunt, de quibus latius in legibus XII. tabul. unde actio furtiva proficiſcitur. Ex legibus autem aliis eo ſpectantibus monumentum ſupereſt legis Hoſtiliæ, cujus certum tempus ignoratur.

a) *L. 2. ff. de aleator.*

b) *L. qua actione 7. §. ſi in colluctat. ff. ad leg. Aquil.*

c) *L. 1. C. de aleator.*

d) *vid.* Meurſ. *in Græc. ludibun. l. athletas ff. de his, qui not. infam.*

e) *L. 1. C. de aleator.*

f) *p. adverſ. cap. 19.*

g) *lib. 1. de offic. leg. 26. ff. de injur. l. fugitivus ff. de V. S.* Cic. *Philipp. 2.*

h) Senec. *de vita beat. cap. 7.*

i) Cujac *parat. C. de aleat. luſu, & aleat. in ff. L. in exceptionibus ff. de probat. l. ult. §. 1. ff. quar. rer. act. non dat. l. pen. ff. de naut. fœn.* Cujac. *lib. 9. obſ. 28.*

k) *L. 1. C. de aleator.*

l) *L. ult. C. eod.*

m) *C. de aleator.* Cujac. *parat. ib. & l. 1. ff. de aleator.*

n) *L. 1. ff. ult. l. 2. ff. eod.*

Unde dubitat Antonius Auguſtinus *de legibus in prætermiſſis*, a Regibus ne proceſſerit, an a Coſſ. an a Tribunis? Hottomannus conſularem exiſtimat, eamque adſcribit A. Hoſtilio Coſ. cum collega Atilio, anno urbis DLXXXIII. Niſi potius eam cum Antonio Aug. arceſſamus a C. Hoſtilio Mancino, qui collegam habuit M. Æmilium Lepidum Percinam an. DXVI. Ut hujus autem ſententiam legis aſſequamur, meminiſſe oportet priſco XII. tabul. jure nullis in cauſis permiſſum fuiſſe judicio adeſſe per alium; quam poſtea neceſſitas legem ſolvit, & copia negociorum, atque frequens, ac longa in varias regiones peregrinatio civium, quæ obtinuit, ut ſaltem in cauſis civilibus agere, ſeque defendere per alium liceret; minime vero in criminalibus, *a*) præterquam in furto ex lege Hoſtilia, quæ indulſit, ut furti agere liceret nomine illius, qui apud hoſtes infortunio ſuo reperiretur, aut abeſſet Reipublicæ cauſa; *b*) item & ejus pupilli nomiue, quorum tutores ex cauſis iisdem impediuntur. Ceterum generaliter definitum eſt, ut excuſationes abſentium ex S. C. judicibus allegentur, & ſi juſtam rationem habeant, ſententia differatur. *c*)

CVII. DE LEGE FABIA DE PLAGIARIIS.

A furtis tranſeamus ad plagium, quod etſi a furtis diſtet, eis tamen videtur affine. Dictum eſt plagium a græco *πλάγιος*, quod ſignificat obliquus, in latus verſus, transverſus: ut hujus natura criminis exprimatur, quæ tota componitur a dolo, fraude, verſutia. Plagium enim ſuppreſſio eſt liberi hominis, aut ſervi alieni. Quod olim crimen vindicabatur lege Cornelia *de plagiis* * lata, cujus veſtigium reperitur apud Apulejum, *c*) apud quem iſta legimus: *Crimen legis Corneliæ incurram, ſi civem Romanum pro ſervo vendidero*, quæ lex obmutuit poſt latam legem Fabiam fortaſſe luculentiorem, ex qua deinceps judicia ſunt agitata, cum ex ea hoc redactum fuerit inter judicia publica, quale, ut Cujacius *d*) exiſtimat, lege Cornelia non erat: niſi audiamus Duarenum, qui a Diocletiano factum eſſe hoc publicum judicium ſuſpicatur. Quo minus aſſentior iis, qui legem hanc arceſſunt a Q. Fabio Leone, & Claudio Marcello Coſſ. qui magiſtratum geſſerunt anno A. V. C. DLXXI. diu ante Syllam. Si enim Syllana lex fuiſſet lege Fabia poſterior, hæc, non illa obſoleviſſet: uſitatius enim eſt, ut judicia ex novis, quam ex veteribus exerceantur legibus: niſi non a Sylla Dictatore, ſed ab alio ejusdem familiæ longe hoc antiquiori latam hanc legem Corneliam augnremur. Ceterum Fabia minime punit eum, qui vi abſtraxerit hominem liberum, aut ſervum ſurripuerit alieunm: ſat enim alterum horum lege Julia de vi, alterum furti accuſatione vindicatur: ſed damnat eum, qui hominem ſive libertinum, ſive ingenuum celaverit invitum, aut vinctum habuerit, vendiderit, emeritve ſciens dolo malo, aut fuerit

a) *L. 13. §. 1. ff. de publ. judic.*

b) *Inſtit. de iis, per quos ager. poſſ.*

c) *L. 13. §. 1. ff. de publ. judic.*

* Neceſſe non eſt, ut ex verbis Apuleji ſingularis lex Cornelia de plagiis effingatur, cum ea intelligi poſſint de lege Cornelia de falſis, eo quod utique etiam falſi reus eſt, qui hominem liberum pro ſervo vendit. Qua ratione concidunt, quæ Noſter contra annum latæ legis Fabiæ diſputat.

d) *l. 8. metamorphoſ.*

e) *Cujac. paratit. C. ad l. Fab. de plag.*

hoc

hoc in genere alieni criminis conſcius; vel ſervum, aut ſervam alienam induxerit, ac ſollicitaverit ad fugam; vel eum, eamve invito, vel imprudente domino, dominave celaverit, vinctum habuerit, emerit, vendiderit ſciens dolo malo, aut horum fuerit conſcius criminum. Eadem lege continebatur, ut ſi ſervus plagium commiſiſſet, dominus ejus pecuniam pro ſervi crimine penderet, & ſervus per decennium adipiſcendæ libertatis ſpem amitteret. *a*) Ad hanc legem S. C. acceſſit, quod Cujacius *b*) refert ad Alexandri tempora, Modeſto, & Probo Coſſ. Ex eoque fugitivorum ſervorum venditio ad legis Fabiæ pœnam redigitur, etiamſi dominus ipſe venditor ſervi ſit in fuga conſtitui; ſive ut eleganter JCtus ait, ſi ipſe dominus fugam ſervi vendat: *c*) ne venditione ſervi dominus omittat accuſare plagiarium, qui forte fugam ſuaſiſſet, atque hac ratione reus empto ſervo judicium, cui propter publicam diſciplinam eſt ſubjiciendus, elabatur, ut interpretes Græci opinantur: *d*) alii vero alias rationes pro ſuo cujusque arbitrio comminiſcuntur. Pœna vero cum ipſamet lege orta pecuniaria erat, *e*) poſtea cum viſa eſſet levior, plagiarii damnari conſueverunt in metallum. *f*) Diocletianus *g*) pœnam capitis adjecit, quam pœnam extendit Conſtantinus in eos, qui filios viventibus parentibus abducunt: qua explicanda lege ſe implicuit Alciatus; cum levi literarum adjectione nodum ſolvere potuiſſet; legitur enim initio legis *h*) *metalli pœna tenetur:* qui locus palam repugnat ſequentibus verbis, ubi ſtatuitur pœna capitis. Lectionis igitur integritas petenda eſt cum Cujacio, & Duareno e C. Theodoſiano; unde legem deſumſere, ubi pro *teneantur*, legitur *tenebantur*. *i*) * Inſtituitur autem ex hac lege judicium ſicuti ex lege Aquilia, etiam mortuo eo, in quem plagium fuit commiſſum. *k*) Qui vero pro *Fabia Flaviam* nuncupant, palam redarguuntur erroris a C. Theodoſiano, & a M. Tullio, qui hujus legis meminit in *orat. pro Rabirio.* Refert item Ulpianus *leg. pr. ff. de fugitivis* S. C. ne fugitivi admittantur a ruſticis in ſaltus, aut protegantur: & ut intra viginti dies dominis reddantur, aut

a) *L. lege Fabia 12. ff. de manumiſſ. ad quam* Cujac. *lib.* 50. Paull. *ad edict. L. in bello § ſi in captivis ff. de captivis.*

b) *Parat. C. ad l. Fab. de plagiar. & obſ. 17. cap. 10.*

c) *L. 2. ff. ad l. Fab. de plagiar*

d) Matth. *de crim. ad lib. 48. ff. titul. 12. cap 2.*

e) Cujac. *ad Paull. 50. ad edict. ſive ad l. 12. ff. de manumiſſ.*

f) *L. ult. ff. ad l. Fab. de plag.*

g) *L. 7. C. eod.*

h) *L. ult. C. ad l Fab. de plag.*

i) *C. Theodoſ. hoc tit. ubi* Gothofred.

* Rejicit & hanc emendationem Lynckerus in *Conſiderationibus ſuis ad Gravinæ libros de origine Juris.* Cauſſatur & hoc loco ſinceritatem & integritatem lectionis in libris veteris juris, mavultque eos, qui in hoc crimine claruerint, de iis intelligere, qui id aliquoties commiſerint. Sed hunc ſenſum vocis clareſco ipſe quidem nullo exemplo docet: cum contra, nativa vocis ſignificatione vox clareſcere ponatur pro *patere.* Quare probanda eſt conjectura Duareni & Cujacii pro *tenebantur* legentium *teneantur*, inprimis cum hanc lectionem exhibeat ipſe codex Theodoſianus. Videtur autem Conſtantini lege pœna gladii tantum repeti; antea enim jam propoſita erat a Diocletiano & Maximiano in *L. 7. C. ad leg. Fab. de plagiariis* niſi quis dicere velit, legem Diocletiani ad urbem, Conſtantini ad Africam pertinere.

k) *L. 3. §. illud ff. eodem.*

apud

apud magiſtratus exhibeantur, quo pœna evitetur. Item ut liceat militi, vel pagano fugitivos inveſtigare, etiam in prædiis Senatorum, aut paganorum. Additum & S. C. Modeſto Coſ. facto, ut fugitivos inquirere volentibus literæ ad Magiſtratus dentur. In quos Magiſtratus multa ſtatuitur, ſi literis acceptis auxilium ſuum inquirentibus denegarint; pœnaque imponitur & illi, qui apud ſe quæri prohibuerit.

CVIII. DE LEGE REMMIA, PETRONIA, ET SENATUSCONSULTO TURPILLIANO.

Quoniam leges criminum ultrices expoſuimus; nunc ad leges tranſeamus rationem, & viam eorum ulciſcendorum, præter leges Julias judiciarias, aperientes. Primaque omnium, quarum ſuperſunt in jure noſtro veſtigia, lex occurrit Remmia, & S. C. Turpillianum: quibus veritas, pulſa falſitate, atque mendacio in judiciis reſtituitur. Ac lex quidem Remmia incertis nominibus producitur. Menia enim aliquibus appellatur, aliis Memmia, tanquam a latore Cajo Memmio Tribuno plebis Scipione Naſica, L. Beſtia Calfurnio Coſſ. anno DCXLIII. quod excogitavit Hottomannus, qui & hoc pro hujus legis capite affert: ne ſcilicet eorum, qui abſunt Reipublicæ cauſa, inter reos nomina reciperentur. Verum Remmiæ nomen tuentur acriter Antonius Auguſtinus, Cujacius, Duarenus, aliique plures: quamvis enim in Ciceronis codicibus *a*) varie legatur, Remmia tamen conſtanter ſcribitur in Pandectis Florentinis, aliisque codicibus juris civilis. *b*) Tempus auctoremque certum hujus legis, neque nos, neque alius quisquam, quod ſciam, invenit: * ac ne quis nomen admitiere nolit, Cujacius probat, *c*) eſſe Romanum, profertque Q. Remmium Palæmonem libri de ponderibus, & artis grammaticæ ſcriptorem. Igitur calumniatores præter pœnam talionis, cui

a) *Pro Sex. Roſcio Amer.*

b) *L. 3. ff. de teſt. leg. 1. §. 2. ff. ad S. C. Turpill.*

* Nec quicquam certius de ea protulit Henricus Brencmannus V. A. in libro *de legis Remmiæ exitu*, qui inſertus eſt *theſauro Ottoniano Tom. III.* propter nimiam puta rei obſcuritatem. Ex pœnæ tamen acerbitate veriſimiliter colligit, latam legem fuiſſe in aſperis & rudibus P, R. moribus, in ipſis Reipublicæ incunabulis, paullo poſt legem XII. tabularum a Remmio quodam, incertum quo, forſitan tribuno plebis, ſinentibus legibus, Hortenſia & Horatia & hoc plebiſcitum legis vi & poteſtate cenſeri. Idem ſuſpicatur, pœnæ duritie pœnam iſtam interceptam fuiſſe, cum non temere produci exemplum poſſit ſtigmatis inuſti aridæ & exſangui fronti. Ciceronem vero & Plinium, Julianum & Papinianum, cum de duplici K fronti inuſto, de frontis punctis & notis, de homine integræ frontis loquuntur, ita interpretatur, ut alludere eos magis dicat ad ſanctionem legis uſu abolitæ, quam de lege loqui in ipſo rerum uſu obtinente. Quam ſententiam Papinianus magis quam reliqui premere videtur, qui poſtquam in *L. I. §. 2. D. ad Sc. Turpilianum* dixiſſet, *Calumniatoribus pœna lege Remmia irrogatur*, poſtquam dein diſputaſſet, quis calumniari videatur aut non videatur, ſubjicit, *judex* · · · · *ſi in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat.*

c) *ad l. 13. ff. de teſtib. ſive ad lib. 1. Papin. de adulter.*

ſubji-

ſubjiciebantur, quando deferentes nomen rei, *a*) quem accuſabant, ſe ſubſcribebant in crimen, ut eorum delatio reciperetur a Prætore, (cujus arbitrii erat recipere, aut non in reos delata nomina) *b*) ex lege Remmia ſubibant infamiam imprimenda in eorum fronte litera K. *c*) Eaque pœna in eos tantum cadebat, qui publico, non privato in judicio calumniam intendiſſent. *d*) Hinc lege Remmia damnati dicebantur frontis non integræ: unde dubitabatur, an eorum teſtimonium eſſet in judicio recipiendum, quia ſi alius hominis pudendæ famæ, integræ tamen frontis, teſtimonium rejicitur; majori ratione illius, qui nec famam, nec frontem habet integram, teſtimonium rejicietur. Sed quia legis Remmiæ verbis non excludebatur: reliquum eſt, ut judicis officio fuerit excludendum. *e*) Ad hanc legem S.C. illud pertinet, quo calumniæ publici judicii damnati, apud pedaneos judices poſtulare prohibentur. Quod S. C. nullo nomine innoteſcit, ſupereſtque tantum illius mentio apud Ulpianum. *f*) Eo S.C. ſignificatur ex Rævardi ſententia, pedaneos judices non ſolum fuiſſe privatos cives a Prætore ad cauſam cognoſcendam datos, verum & ordinariam aliquando auctoritatem ad certum cauſarum genus habuiſſe, jus dicentes non e ſella curuli, aut pro tribunali, ſed in ſubſelliis. Cum enim poſtulare nihil ſit aliud, quam deſiderium ſuum aperire apud eum, qui jurisdictioni præeſt; & pedaneos judices jurisdictioni præfuiſſe colligitur, ſi apud eos aliqui, dum ne calumniatores eſſent, poſtulabant. *g*) A calumniatoribus tranſeamus ad tergiverſatores, nempe ad eos, qui accuſationem intentatam deſtituunt: & ad quaſi tergiverſatores, qui mora ſua reis proſunt ad effugiendum judicium, dilabente tempore a legibus præfinito. In hos igitur, qui cunctando reis beneficium legis impertiunt, conditum eſt S.C. Turpillianum, ſive lex Petronia, * Nerone imperante, *h*) a Petronio Turpilliano lata, & a Senatu adprobata. Neſcio vero, an hujus legis capita fuerint ea, de quibus legis Petroniæ nomine alibi tractatur, nempe de ſententia pro libertate dicenda, de ſervis pugnam cum beſtiis pœnæ cauſa committuris; quorum capitum Hottomannus auctorem quoque facit Petronium Turpillianum. Ac forſan unius legis plura fuere capita, quorum illud de tergiverſatoribus tranſiit in S.C. quod habemus in manibus. Pœna hoc ex S.C. deſcendens eſt quinque librarum auri redigendarum in fiſcum, præter infamiam. *i*) Quam S.C. pœnam ex lege Remmia ſumſit, ut ea illos adſpergeret, qui poſt ſatisdationem exercendæ litis, & poſt inſcriptionem in crimen, quæ ſolennia ſunt accuſationis, crimine nondum abolito, ſive reo a crimine nondum exemto, ab accuſatione receſſerint, ſine Prætoris venia, vel ad diem conteſtandæ liti conſtitutum vocati non acceſſerint, vel cauſam ita neglexerint, ut inter moras illorum tempus

a) *L. ult. C. de calumniat.* Cujac. *ibid.*

b) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 10.*

c) Cic. *orat. pro Roſc. Amer.* Plin. *in paneg. Julian. ad Antiochen.* Cujac. *tit. C. de calumniat.*

d) Cujac. *ad l. 13. ff. de teſtib.*

e) *L. 13. ff. de teſtib.* Cujac. *obſ. lib. 7. cap. 13.*

f) *L. 1. §. removet. 6. ff. de poſtulat.*

g) Rævard. *lib. 3. conject. cap. 10.*

* Quæ ſententia non improbabilis videtur Hermanno Noordkerk de *lege Petronia c. 4. fin.* etſi is legem Petroniam de ſervis & de ſententia pro libertate dicenda longe alio referat *p. 80. 81.*

h) *L. abolitionem C. ad l. Jul. de adult.* Cujac. *parat. C. ut intra certum tempus.*

i) *L. ſpurii ff. de decur. L. 3. §. ult. ff. de prævar. l. 1. ff. de jur. fiſ.*

legitimum ad reum peragendum effluxerit. Niſi tam ſero ad accuſandum acceſſiſſent, ut breve tempus, quod ſupererat, nulla ſua culpa prætcrierit ante judicium abſolutum. Tum enim nullo ſuo dolo, ſed lege tantum ab ulteriori proſecutione judicii excluſi, *a*) neque tergiverſatores profecto ſunt, neque deſertores, neque moratores, aut fruſtratores. Hoc S. C. tenentur omnes præter mulieres, & eos, qui non publicum, ſed privatum judicium inſtituiſſent. *b*) Eſt & S. C. ad judiciorum exercitium pertinens, cujus nomen, & tempora ignorantur: nempe illud, nequis ob idem crimen pluribus legibus poſtuletur: *c*) ortum fortaſſe temporibus Titi Veſpaſiani, quem Suetonius refert vetuiſſe, una de re pluribus legibus agere: hoc eſt idem delictum varie puniri. *d*) Hinc docet Papinianus, pœnam generalem adverſus omnes legum contemtores minime concurrere cum pœnis certarum legum, quas certis in criminibus cenſet, ſecluſa generali pœna, ſubeundas: quia generi per ſpeciem derogatur, *e*) S. C. item ab eodem Papiniano memoratur, *f*) quo cavetur, ne qui ſiſtitur a fidejuſſoribus in judicio unius criminis cauſa, idem eodem die de alio crimine accuſetur.

CIX. DE SENATUSCONSULTO SILANIANO, ET STATILIANO, ET ALIIS AD EANDEM REM SENATUSCONSULTIS.

Nunc a calumniatoribus, & ab iis, qui dolo accuſant, ad eos tranſeamus, qui dolo refugiunt accuſare. In quos conditum eſt S. C. Silanianum, niſi cum aliquibus ſcribamus Syllanianum, qui meo judicio falluntur, etenim refragantur nummi, & marmora Capitolina, atque crediderim, cognomen id fuiſſe Juniorum. *g*) S. C. vero hujus tempus, & origo diu vel eruditioribus, imo, & ipſi Cujacio latuit; quem in eam cognitionem adduxit P. Faber: qui primus illud retulit ad Auguſti ævum, Dolabella, & Silano Coſſ. etenim in lege *in cognitione ff. ad S. C. Silanianum* affertur ſententia S. C. Statiliani, vel Domitiani temporibus Auguſti Tauro & Lepido Coſſ. A. V. C. DCCLXIII. quo præfinitur quinquennium * ad accuſandum hæredem extraneum, qui contra S. C. Silanianum, hoc eſt ante quæſtionem habitam de ſervis, teſtamentum aperuiſſet ejus, qui a propria familia diceretur occiſus. *h*) Cum autem hæc additio ſit ad Silanianum, apparet, Statilianum eſſe recentius: eoque Silanianum anno ſaltem eſſe antiquius: quia anno ante Taurum, & Lepidum Statiliani auctores, conſulatum geſſere Dolabella, & Silanus, quibus Silanianum adſcribimus. Ex quo colligitur, utraque S. C. originem ab Auguſti ævo traxiſſe, ſub quo tam Lepidus, & Taurus, quam Dolabella, & Silanus fuere Conſules. *i*) Sed quo ſuſpicer, aliquid anterioribus temporibus hac in re fuiſſe conſtitutum, præcipue in lege Cornelia de ſicariis, urget lex 25. hujus tituli ff. qua tra-

a) Cujac. *enarrat. & parat. C. ad S. C. Turpill.*

b) *L. 1. §. 10. in f. ff. ad Turpill*, Perez. *in C. ad S. C. Turpill. num. 2.*

c) *L. Senatus 14. ff. de accuſ.*

d) Cujac. *ad l. Sanctio 41. ff. de pœnis.*

e) *d. l. Sanctio.*

f) *L. 2. §. 2. ff. de cuſtod. reor.*

g) Dauſq. *in orthograph. hac voc.*

* Niſi parricidium argueretur, quo caſu quæſtio vicennium durat *L. 13. D. de S. C. Silaniano.*

h) Cujac *lib. 4. cap. 14. obſ.*

i) Cujac *obſerv. lib. 1. cap. 18.*

ditur,

ditur, ea lege fuiſſe cautum de præmio accuſatoris ſervorum, qui ante quæſtionem aufugerint, & cædem admiſerint, ut quinque aureos acciperet etiam de publico, ſi ex bonis damnati deſint in ſingulos, quos convicerit ſervos. Unde quod lex Cornelia fortaſſe inchoaverat, S. C. hoc abſolvit, pœna in hæredis negligentiam propoſita. Si vero convicerit eos, qui aperto teſtamento manumiſſi reperiantur, iis in vincula conjectis, indeque cauſam dicere coactis, denos aureos in ſingulos ex damnati bonis auferet pro præmio, *a*) de quo & alibi. Igitur ne vita dominorum pateret ſervorum inſidiis: coguntur ſervi per hoc S. C. proprio periculo dominorum vitam præſtare, ut ſciant, ſe proprio capite expiaturos, quidquid adverſi domino contigiſſet: atque ita minime audeant in eum aliquid mali conſulere. Unde mortuo domino, qui a familia occiſus diceretur, Senatus vetuit, teſtamenti tabulas aperiri, aut hæreditatem adiri, aut bonorum poſſeſſionem peti, aliudve quid ad cauſam teſtamenti pertinens agi; antequam haberetur publica quæſtio de ſervis, qui ſub eodem tecto, locove fuiſſent, & ſupplicium ſumeretur tam de noxiis, quam de iis, qui dominum deſeruiſſent, atque opem ferre neglexiſſent. *b*) Ideo vero vetuit Senatus aperiri teſtamenti tabulas, ne crimen caderet in ſervos teſtamento manumiſſos; *c*) itaque pœna ſumenda de liberis hominibus eſſet veluti de ſervis, indeque libertatis dignitas turpitudine ſervilis ſupplicii macularetur. Verum Neronis tempore ad hoc S. C. acceſſit aliud, ipſo Nerone, & Piſone Coſſ. *d*) quo non modo prioris S. C. ſententia confirmabatur, ſed illud etiam adjiciebatur, ut qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent inter ſervos, pœnas darent. *e*) Quod S. C. & Neronianum dicitur, & Piſonianum, atque etiam Claudianum, quia Nero fuerat a Claudio adoptatus. *f*) Ex eo autem S. C. omne dubium ſublatum fuit, quod oriri poterat, ſi contra Silanianum apertum fuiſſet teſtamentum, & rei apparuiſſent ſervi teſtamento manumiſſi, ſervorum ne, an liberorum more puniendi eſſent? Nam S. C. Neronianum juſſit, ut ſimul cum ſervis ſupplicium penderent: quod ante ambigebatur. Huic acceſſit aliud S. C. ſub Trajano, ut de iis etiam quæſtio haberetur, quos teſtator vivens manumiſerat. *g*) Hæres autem ne ſui compendii cauſa familiæ facinus abſconderet, ſi ultionem omittat, malitque ſuo ſibi lucro retinere ſervos, quam ſupplicio amittere, contraque S. C. hæreditatem adeat; ut indignus ab hæreditate, atque omni teſtamenti commodo ſubmovetur, bonaque ſibi erepta in fiſcum transferuntur. Et ſi tabulas contra S. C. aperuerit, recitaverit, deſcripſerit, vel hæres ipſe, vel alius; ex edicto Prætoris in eum centum aureorum judicium datur. *h*) Secus vero ſi ab alio, quam a familia teſtator occiſus dicatur: tum enim hæreditatem adire minime prohibetur, & effectum habebit aditio, ſi poſtea mortem ulciſcatur, alioquin effectu carebit, & hæreditas a fiſco eripietur ex Azonis ſententia, quam probat Cujacius. *i*) Occiſorum autem

a) *ead. lege* §. 2.

b) *L. 25. in f. ff. de S. C. Silanian. & toto tit. ff. & C. eod.* Paull. *ſent. lib. 3. tit. 5.*

c) Cujac. *obſ. lib. 18. cap. 6.*

d) Tacit. *annal. 13. cap. 32. & ann. 14.*

e) Tacit. *eod. ubi* Lipſius.

f) Cujac. *parat. ff. hoc tit. ubi vide Chaſſ. lit. C.*

g) *L. 10. in fin. ff. de S. C. Silan.* Duaren. *ibi §. cap. 2.*

h) Cujac. *parat. ff. eod.*

i) *18. obſerv. cap. 6.*

nomine in reliquis veniunt omnes, qui aut ferro, aut laqueo, aut veneno, aut carmine magico, & quacunque alia nece perierint. *a*) Mors tamen hauſta veneno, vel alia ratione ſine cæde furtim illata hoc S. C. non comprehenditur. Ideo autem ad ſupplicium ſervi depoſcuntur, quod vel attulerint vim, vel auxilium ferre neglexerint: & omni culpa ſolvuntur, ſi ab ignoto ſibi periculo dominum non exemerint; tum enim crimen ab hærede in alios vindicabitur, dimiſſis ſervis, niſi venenum non clam, ſed violenter fuerit infuſum. *b*) Nec ſolum ſervi ſub tecto manentes plectuntur ex S. C. ſed etiam foris, puta qui dominum peregre abeuntem ſequereutur, cum ille in itinere fuerit occiſus, *c*) & qui clamore de proximo exaudito ad vim prohibendam non accurrerint: *d*) item qui dominum ſibi manus afferentem non impedierint, cum potuiſſent; quamvis non incidant in hoc S. C. cum violenti non fuerint; tamen puniuntur. Illud inſuper S. C. Neroniano cavebatur, ut viro, aut uxore necata, perinde de ſuperſtitis conjugis ſervis quæſtio haberetur, ac ſi ſervi eſſent ipſius occiſi. *e*) Quod Marcellus produxit etiam ad ſoceri ſervos, ut marito occiſo de iis etiam quæſtio habeatur. *f*) Non tenentur vero S. C. Silaniano ſervi nedum puberes, aut ætate confecti, vel ſurdi, muti, furioſi, vel qui tempore mortis clauſi, aut in vinculis erant. *g*) Qui vero ſervorum aliquem de occiſi familia receperit, celaverit, protexerit, quo minus de illo ſupplicium ſumeretur, tanquam ſicarius punietur. *h*) Servus etiam ab hærede venditus quæſtioni ſubjicietur, reddito emtori precio. *i*) At ſervus, qui domini cædem indicaſſet (ita enim tum Duareno legendum apud Ulpianum, non *vindicaſſet*, *) aut arguiſſet; ſiquidem ultro proſiluerit ad accuſandum; non modo quæſtionem elabetur; ſed libertatis etiam præmium aſſequetur. *k*) Ad eos, qui accuſare refugiunt, etiam pertinet S. C. memoratum ab Ulpiano, *l*) quo S. C. pro victo damnatur is, qui corruperit delatorem, adeo ut is accuſationem omiſerit; exceptis cauſis ſanguinis, ſive capitis, in quibus reo propriæ vitæ ſollicitudo condonatur. Et in cauſis fiſcalibus Senatus cenſuit, *m*) ut ſi neque delator, neque poſſeſſor judicio adſint, poſtquam tribus edictis evocati fuerint; delator amittat jus deferendi publicam cauſam, & fidejuſſores ejus teneantur; poſſeſſoris vero jus integrum maneat, quale fuerat ante delationem. Porro Cotta, & Meſſala Coſſ. prodiit S. C. quo eadem obſervanda ſtatuuntur, ſi ſervus ac ſi liber poſtuletur. *n*) Item Senatus cenſuit, *o*) ut criminis

a) *L. 1. §. occiſorum ff. ad S. C. Silanian. & Paull. ſent. lib. 3. cap. 5. ubi* Cujacius *§. occiſus.*

b) *L. 1. § 19. ff. de S. C. Silan. l. cum fratrem C. de his quib. ut ind.*

c) *L. 1. §. cum dominus ff. h. t.*

d) *L. 3. §. 2 & l. 1. §. 27. 28 ff. eod.*

e) Paull. *ſent 3. tit. 5. & l. 1. §. ſi vir ff. de S. C. Silanian.*

f) *L. ſi vir ff eod.* Ant. Aug. *lib. de leg. ad hoc S. C.*

g) *L. 1. §. 32. ff. hoc tit. l. 3. §. ſi quis in gravi & ſeq. ff. ad S. C. Silan. & l. ſi excipiuntur ff. eodem.*

h) *L. ſi quis in gravi § ſi quis quem ff. eod.*

i) *L. S. C. ff. eod.*

* Sive vindicaſſet, legas, ſive indicaſſet, parum intereſſe videtur. Pro Florentina tamen, in qua eſt indicaſſent, ſtant Auguſtinus in *Emend. L. 11. c. 19.* & Cujacius *Obſ. L. XVIII. c. 22.*

k) *L. 3. §. utrum ff. de S. C. Silan.* Duaren. *ibid. & l. 1. C in quib. caſ. ſerv. pro præm.*

l) *L 7. ff. de prævaricat.*

m) *l. 2 §. Senatus ff. de jure fiſc.*

n) *L. hos accuſare 11. §. ſi Servus ff. de accuſat & inſcript.*

o) *L. 15. ff. de jure fiſc.*

abolitio-

abolitionem petente delatore, quod erraſſe ſe dicat; idem judex de abolitionis juſta cauſa cognoſcat, errorem condonaturus, & dolum, ut in cauſæ proditorem vindicaturus.

CX. DE LEGE AQUILIA, ET DE ÆDIUM DEMOLITIONE SENATUSCONSULTO PROHIBITA.

Cum leges evolverimus, quibus delictorum damna coërcentur, attexere ad has oportet etiam illas, quibus damna non ex delicto, ſed vel culpa, vel caſu aliquo nata rependuntur. Ac de damnis a beſtiis, & quadrupede illatis cavebatur ſatis ex legibus XII. tabul. quarum vim edicto, & juriſdictione ſua Prætor etiam explicavit titulo: *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.* Quo referenda eſt lex ea, quæ aliquibus ſcriptoribus appellatur *Peſolania de cane.* Quod putatur corruptum nomen e *Solonia*, ſive lege *Solonis*, quæ redacta fuit in leges XII. tabul. *a*) Sanxerat enim Solon, ut canis, qui momorderat, catena vinctus, a domino noxæ dederetur, quod & libro ſuperiori attigimus. De damnis autem vel ab hominibus, vel a beſtiis culpa, & negligentia hominum acceptis, quamvis veteribus XII. tabul. legibus, & aliquibus forſan aliis poſt eas latis caveretur: quia tempore tamen exoleſcerent, oportuit nova aliqua lege vim earum ſuſcitare. Veteres enim leges deſuetudine langueſcentes, novis revocantur ad uſum, & viventium magiſtratuum auctoritate in priſtinas vires reſtituuntur. Parent enim homines novis legibus facilius, ne ſpretis iis, contemnere videantur magiſtratum earum latorem: qui libenter perſequitur violatores legum, ut honorem ſimul ſuum ulciſcatur: unde Macrobius: *b*) *Quæritur ſæpe nova legis auctoritas exoleſcente metu legis antiquioris, ut de ipſis legibus XII. tabul. factum eſt: quarum ubi contemni auctoritas cœpit, in aliorum latorum nomina tranſiere.* Hinc ait Plato, leges picturarum inſtar tempore obſcuratas novis coloribus a novis poteſtatibus eſſe illuminandas. Qua ratione deductum eſt in legis Aquiliæ nomen, quidquid in veteribus de damno ab homine, vel per hominem dato contineretur. Auctor legis C. Aquilius Gallus Tribunus plebis isne, qui formulam de dolo malo concepit, * an alius, non ſatis conſtat. Fuit igitur proprie lex iſta plebiſcitum, *c*) quo poſt auctam plebis auctoritatem populus tenebatur univerſus. Hujus legis tria capita commemorantur. Primo capite cavetur de occiſis qualiterqualiter ſervis, aut animalibus, quæ gregatim paſcuntur, *d*) ** ut actio detur adverſus eum, qui damnum dederit injuria; quæ vox hic pro contumelia non accipitur: injurias enim eas lex Cornelia *** ulciſcitur:

a) Cujac. *ad ſent. Paull. lib. 1. tit. 15.*

b) *Saturn.* 11. & 13.

* Imo legis Aquiliæ jam meminerunt Q. Mucius Scævola in *L. 39. pr.* & Brutus in *L. 27. §. 22. D. ad leg. Aquil* quorum uterque C. Aquilium Gallum ætate anteceſſit. Quare alii hanc legem tribuere malunt L. Aquilio Tribuno plebis anno circiter 572.

c) *L. 1. ff. ad l. Aquil.*

d) *L. 2. ff. ad l. Aquil.*

** Unde nata veteribus quæſtio, an ſues quoque ſint in numero pecudum. Nam paſci eas quidam negabant, quia ſus ſine paſtu ali poſſit faba, hordeo, glande, ut Varro & Columella tradunt. Eam quæſtionem denuo propoſuit Gerardus Feltmannus in tractatu de *incluſione animalium*

*** Quomodo igitur differt damnum ab injuria? Damnum vel conſideratur ut deli-

Digitized by Google

ſed factum injuria dicitur pro non jure ab eo etiam, qui nocendi animum non habuerit, ſiquidem ratione utatur: nam furioſus, & infans, quorum ratio languet, Aquilia non tenentur. *a*) Hinc ſi quis occiderit aggreſſorem, adverſus quem ſe telo defendebat, & juſtæ defenſionis modum non exceſſerit, in Aquiliam non incidet: quia non injuria, ſed jure illum occidit: nam jure naturæ recte vim in ſe imminentem quisque propulſat. *b*) Cum quadrupedibus autem & ſervos congregat lex: quia ſervi ſub dominio noſtro pariter cadunt. Occiſo autem ſervo, vel quadrupede damnum æſtimatur, quanti eo anno ſervus, vel quadrupes plurimi fuerint, quantique noſtra interſuit non periiſſe, *c*) isque annus retrorſum computatur ex tempore, quo quis eſt occiſus: ut ſcilicet mortis tempus anni ſit finis. Quamobrem ſi eo anno ſervus hæres inſtitutus aliena culpa vitam amiſerit, etiam hæreditatis commodum in æſtimationis judicium veniet. *d)* Et ſi pictori ſervo pollex præciſus fuerit, idemque intra annum præciſi pollicis occiſus, in æſtimationem deducetur, quanti prius eſſet, antequam pollicem, & artem amiſiſſet. *e*) Actio autem, qua æſtimatur quanti pluris, anno circumſcribitur: actio vero ipſa, qua æſtimatur damnum acceptum, eſt perpetua, utpote rei perſecutoria. *f*) Porro actio directa, ſive civilis, ex ipſa lege deſcendens, ejusdemque apertis verbis comprehenſa ipſi domino datur: utilis vero, quæ naſcitur ex abdito ſenſu legis, & ab æquitate magiſtratus, etiam non domino permittitur. Quamobrem liber homo, qui dominium non habet in propria membra, læſus nullam ex hac lege directam actionem nanciſcitur, ſed occiſo eo utilis actio ipſius hæredi accommodatur: qua conſequetur quidquid ſumtus factum fuerit in curando vulnere, & quidquid damni ejus cædis cauſa fuerit acceptum. *g*) Eadem ratione fructuario corporis peremti, & creditori, & bonæ fidei poſſeſſori utilis actio conceditur. *h*) Addit Cujacius, * directam competere, ſi corpus corpori nocuerit: utilem ſi corpus cauſam damni, non damnum ipſum obtulerit: quæ plerumque actio in factum appellatur. Etſi vero actio hæc utpote rei perſecutoria ad hæredes tranſeat, & ſucceſſores; adverſus hæredem tamen minime dabitur, niſi quatenus fuerit ex alieno damno locuctum verum, & tum differt ab injuria, quod hæc contumeliæ, damnum nocendi cauſſa infertur, vel conſideratur ut quaſi delictum, veluti quando quis ex imperitia nocet, & tunc injuria dolo a damno diſtat; damnum enim culpa infertur, & detrimentum continet, cum in injuria contumelia dolo illata vindicetur.

a) *L. 5. §. injuriam, & ſeq. ff. ad l. Aquil.*

b) *L. ſcientiam 45. §. 4. ff. eod. & l. 4. & 5. §. 1. eodem.*

c) *L. ait lex ff. eod. §. 2.*

d) *L. in de Neratius ff. eod. in princ.*

e) *d. l. inde Neratius §. 1.*

f) *vide* Weſemb. *in parat. ff. eod. num. 5.*

g) *L. 13. & 14 ff. eod.* Weſemb *loco cit. n. 3.*

h) *L. item Mela §. 10. ff. ad l. Aquil.*

* Imo Juſtinianus *in §. ult. J. de lege Aquil.* ubi directam vocari actionem monet, ſi corpore quis damnum dederit, veluti ſi quis alienum ſervum de ponte in flumen dejecerit, & is ſuffocatus fuerit; utilem, ſi corpori quidem datum ſit damnum ſed non corpore: veluti ſi quis hominem alienum, aut pecus ita incluſerit, ut fame necaretur, aut jumentum tam vehementer egerit, ut rumperetur; in factum denique, ſi nec corpore, nec corpori & tamen damnum datum ſit, veluti ſi quis intempeſtiva ductus miſericordia ſervum alienum compeditum ſolverit, ut is aufugeret, quarum illa actio verbis legum, illa interpretationi prudentum, hæc Prætoris providentiæ originem debere videtur.

pletior.

Digitized by Google

pletior. *a*) Multantur autem confitentes in ſimplum; inficiantes, propter mendacii pœnam, in duplum. *b*) Secundum caput Aquiliæ legis jamdiu intercidit. Eoque Cujacius *c*) comprehenſam fuiſſe putat quamlibet aliam rationem damni dati, non ob rem noſtram læſam, ſed ob commodum aliena opera nobis ademtum, veluti ſi quis nullo jure ſervitutis impoſitæ vicini luminibus contra formam veterum ædificiorum offeciſſet: quo nomine damnatus fuit a Theophilo Imperatore Petronas, ut refert Zonaras; *d*) vel ſi quis impoſito ædificio vicini aream inutilem reddidiſſet. Quod caput in deſuetudinem abiit. * Tertium caput conceptum erat in eos, qui non occidiſſent ſervum, aut gregalem quadrupedem, ſed eum, eamve aliquo modo læſiſſent, corporisve membrum aliquod uſſiſſent, rupiſſent, fregiſſent, aut occidiſſent, vulneraſſentve canem, & animal aliud, quod pecudum numero non eſt, ſive gregatim non paſcatur, aliave ratione rem aliam animatam, aut inanimatam deteriorem reddidiſſent:: ut ejus damni nomine teneantur, quanti res ea plurimi fuiſſet in triginta diebus proximis. *e*) Hic enim actio annua, qua perſequimur ex ſuperiori capite id, quo res plurimi fuerit, contrahitur ad triginta dies: quia minus peccatum vulnerantis, & lædentis eſt, quam occidentis, minorque jactura eſſe ſolet occiſi animalis, quod pecudum numero non ſit. Ad damnum quoque pertinet Senatusconſultum Acilio Aviola, & Corollio Panſa Coſſ. Adriani tempore, quo de ædium demolitione cavebatur, & dirui quid negociandi cauſa, diſtrahive, aut vendi, aut legari prohibebatur. *f*) Non modo autem domus ſed & villas dirui Senatus vetuit, ac venditionem irritavit, & emtorem ad duplum precii fiſco inferendum damnavit.

CXI. DE LEGE RHODIA DE JACTU.

Nunc progrediamur ad ea damna, quæ non ab homine, ſed ſorte, vel natura inferuntur: nempe quæ a mari eveniunt, cujus fallax eſt, incertaque fides. De talibus autem damnis judicia Rhodiis legibus in Romanas tranſlatis exercebantur. Rhodiorum enim erat rei maritimæ tanta peritia, ut nauticus populus a Floro appellentur: ac propter uſum, aſſiduosque caſus, quos frequentia navigationis tulerunt, æquiſſimas, & prudentiſſimas rei navalis condidere leges. Quorum præſtantiam cum alii veterum, tum præcipue Strabo celebravit. Etſi autem Romani leges

a) *L. inde Neratius §. hanc actionem 8. ff. ad leg. Aquil.*

b) *L. contra 4. C. eod. l. 2. §. 1. ff. eod.*

c) Cujac. *parat ff. ad leg. Aquil.*

d) *vide exempla apud* Cujac. *parat. C. eod.*

* De hoc quoque capite frequens ab eruditis poſt Cujacium habitus eſt Senatus. Claudius Chiffletius egiſſe id de ſervo corrupto putabat deindeque exoleviſſe, quia poſtea Prætor de ſervo corrupto ſingulare Edictum propoſuerit, eoque ſemper duplum promiſerit, cum reus ex lege Aquilia, non niſi inficians in duplum condemnaretur. Contra legis Aquiliæ caput ſecundum de dejectis & effuſis egiſſe contendit van Bynkershoek *Obſerv. libr. I. cap. 13.* Sed & de ſervo corrupto & de dejectis vel effuſis agi poterat ex legis Aquiliæ capite tertio, quo damnum datum in omnibus rebus, quæ anima carent vindicatur, quare præſtat cum Ger. Noodt *de Uſufructu cap. 13.* palam profiteri, ignorari vim capitis tertii legis Aquiliæ.

e) *L. ſi ſervus 27. ff. ad leg. Aquil. §. quinto.*

f) *L. 52. ff. de contrab. emt. concord.* Cujac. *obſ. 5. cap. 26.*

Digitized by Google

omnes conquiſierint non modo Atticas, ſed & Græcorum aliorum, ſicut & Pythagoræorum, qui erant in ea Italiæ ora, quæ Magna Græcia dicebatur; tamen Rhodias non acceperunt, niſi poſt uſum rei maritimæ, quo non ante primum bellum Punicum vertere animum. Quamobrem traduxerunt ad ſe leges Rhodias, quæ mari tum dominabantur: aſſiduoque uſu civitatem iis dederunt, judicia maritima ex auctoritate illarum agitantes. *a*) Unde in Servii, Ofilii, Labeonis ſcriptis monumenta erant Rhodiarum legum, quarum adhuc veſtigia in recentiorum Juriſconſultorum reſponſis obſervantur. Quanquam autem plures erant Romanis receptæ Rhodiæ leges, earum tamen ſententias tantum retinemus, quæ merces naufragio jactas reſpiciebant. Atque ex reſcripto Antonini, *b*) quo de naufragorum bonis agitur, Rhodia lex a Cæſare in imperii ſocietatem adſciſcitur, imperio rerum ita tributo, ut orbis quidem terrarum regimen Imperator; maris vero dominium lex Rhodia obtineret. Quamobrem ex collectione Pſelli, ut Gothofredus putat, ſeriem habemus, etſi mutilam Imperatorum, qui Rhodiis legibus arbitrium * in re maritima tradiderunt. Quorum initium non a Tiberio, ſed a Claudio, ſub quo Coſſ. ii fuere, qui collectione illa perhibentur, nempe Q. Aterius Antoninus, & D. Junius Silanus anno a Chriſto uno LIV. *c*) Iſque Imperator pluribus rem nauticam Senatusconſultis conſtituit, quorum duo ab Ulpiano referuntur, de quibus egimus ſupra ad legem Corneliam de ſicariis. *d*) Eos autem, qui ex afflictis, & miſeris naufragorum fortunis quid inhumane rapuiſſent; fiſco tantum pendere voluit Claudius, quanti e Prætoris edicto damnarentur. *e*) Etenim etiam ex edicto Prætoris oritur actio adverſus raptores naufragorum intra annum in quadruplum, poſt annum vero in ſimplum. *f*) Et ut violentia procul arceatur a naufragiis, vetuit Senatus iis colligendis aut militem, aut privatum, aut libertum ſervumve Principis intervenire. *g*) Leges itaque Rhodias utilitate diu ante commendatas, uſque inter Romanas leges invectas Claudius primum convertit in aſſiduam, & neceſſariam juriſdictionem: deinde alii principes eaſdem auctoritate ſua comprehenderunt, quorum nomina in ſupra demonſtrata collectione invenimus: nempe Veſpaſianus, ſub quo S. C. ea de re, Lauro, & Agrippino Coſſ. ſuffectis, ut Gothofredus autumat, & Ulpius Trajanus, itemque Adrianus, ſub quo S. C. ne milites, aut privati, aut ſervus, libertusve principis naufragiis colligendis interveniret: ne pro auxilio, damnum potentia, & rapacitate ſua naufragis adferrent. Quibus tandem & Severi acceſſit auctoritas. Poſſet quis referre in leges Rhodias caput illud apud Ciceronem, quod tamen cum eruditioribus declamandi cauſa confictum putarim de more a Rhetoribus, nempe: *ut ſi qua roſtrata navis, quæ eſt navis militaris, in portu depren ſa ſit, publicetur.* h) Ex omnibus autem Rhodiis legibus, huius ad nos capitis

a) Cicero *pro lege Manilia.*

b) *L. ἀξίωσις, ſive l. deprecatio ff. ad l. Rhodiam de jactu.*

* Auctoritatem hanc, quæ vulgo legibus Rhodiis præmittitur, dubiæ auctoritatis eſſe, putat Illuſtr. van Bynkershœk ad legem *ἀξίωσις p. 324.*, qui ipſas leges Rhodias, quæ vulgo circumferuntur, vel ſolius ſtultitiæ nomine *νοθεύσεως* convincit *cap. 8.*

c) P. Faber *ſemeſtr. lib. 1. cap. 25.*

d) *L. 3. in f. ff. de incend. ruin. & naufr.*

e) *L. 3. ff. de incend. ruin. naufrag.*

f) *L. 1. ff. eod.*

g) *L. ne quid in fin. ff. de inc. ruin. & naufr.*

h) Cicero *de invent.*

integra

integra ſententia pervenit, quo continetur, ut ſi ventorum vi, aut imbribus tempeſtas cooriatur, unde navis in periculo verſetur, quo ut eximatur oporteat eam levare, atque jactura mercium exonerare: mercium projectarum domino damnum illud a dominis mercium conſervatarum pro rata omnium, ipſomet etiam nauta contribuente, ſarciatur: ſiquidem per eam jacturam navis periculum tempeſtatis evaſerit: nam ſi perierit, nullus collationi ſupererit locus; cum vel merces omnes demerſæ ſint, vel ſi quæ recipiantur, a ſorte, aut a dominorum induſtria ſervatæ putentur. *a*) In rationem autem contributionis venit etiam portio ipſarum mercium jactarum: ut earum dominus tanto minus a ceteris exigat, quanto pro rata jactarum oneratur mercium. *b*) Quamobrem ſi duo ſinguli centum haberent in mercibus; Cajus jactarum mercium dominus ducentum; Cajus amiſſis mercibus auferet a ſingulis quinquaginta, & naufragio amittet altera centum: quoniam tantundem ille habebat in mercibus amiſſis, quantum illi duo in ſervatis. Unde ſicuti portio Caji, quæ erat ducentum, ſuperabat portionem ſingulorum, quæ erat centum: eadem proportione poſt naufragium portio Caji, quæ eſt centum, ſuperabit portionem ſingulorum, quæ eſt quinquaginta, ut tam ante, quam poſt naufragium, portio Caji dimidio ſuperet portionem ſingulorum. Contra ſi Cajus merces projecerit, quæ valerent quinquaginta: unus autem, & alter ſervarint proprias cujusque centum æſtimatas, Cajus damnum accipiet in decem; duo vero illi duplum quisque contribuent, pro ſingulis, nempe viginti, ut qua proportione quinquaginta illa unius reſpondebant ſingulorum cententis: eadem ratione quadraginta ejusdem reſpondeant ſingulorum octogenis. In qua ratione ſubducenda veniunt etiam animalia, & ſervi a periculo liberati, & gemmæ ſervatæ, non quia navim onerent, ſed quod aliena jactura ſalvæ fuerint. Homo tamen liber ſervatus in rationem contributionis non veniet: cum nullo precio vita liberi hominis expendatur. *c*) Res autem, quarum nomine conferendum eſt, non quanti emtæ fuerint, ſed quanti venire poſſint, æſtimantur, *d*) & ſi adſpergine deteriores evaſerint, quanto minoris ob id æſtimantur, tanto minus in contributione præſtabunt: ut ſi prius viginti putarentur, poſtea ob adſperginem decem valeant, dominus earum pro decem ſit collaturus. *e*) Nec ſolum contributio locum habebit, ſi merces e navi jaciantur; ſed etiam ſi una cum ſcapha, in qua depoſitæ fuerant, demergantur. *f*) Nave autem perdita, conſervatæ cum mercibus ſcaphæ nulla ratio habebitur; quia naufragium factum eſt, *g*) non jactura. Quamvis autem facto naufragio contributio ceſſet, ſi tamen ea navis, quæ jactura mercium ſervata erat, alio loco ſubmerſa fuerit, & merces per urinatores extrahantur: earum domini conferre debent ei, cujus bonorum jactu navis ſuperius periculum evaſerit: quia niſi ea mercium jactura navis levata eſſet, merces, quæ poſtea extrahuntur, e naufragio fortaſſe non ſuperfuiſſent. *h*) Si autem arbor, aut aliud inſtrumentum levandæ navis cauſa jactum fuerit a nauta; hujus quoque damnum, perinde ac jactarum mercium contributione omnium reſi-

a) *lib. 55. Baſilic. tit. 8. l. 1. ff. de l. Rhod. de jactu.* Paull. *lib. 2. ſent. tit. 7. in fin.*

b) *L. 2. §. portio 4. ff. de l. Rhod. de jactu.*

c) Cujac. *ad l. 3. ff. de l. Rhod. de jact. ſive ad lib. 19. reſp. Papin.*

d) *L. 2. §. portio ff. eod.*

e) *L. navis 4. §. cum autem 2. ff. eod.*

f) *d. l. ff. eod.*

g) *d. l. 4. eod. Paull. ſent. 2. tit. 7.*

h) *d. l. 4. §. ſed ſi navis.* Cujac. *ad Paull. ſent. loco citato.*

Digitized by Google

cietur. *a*) Ceterum ſi nullo periculo navem exoneraverit, fruſtra contributionem poſtulabit: cum id tantum ſit reddendum, cujus jacturæ beneficio, periculum navis effugerit. *b*) Si vero navis a privatis redemta fuerit, omnes domino navis conferre debere, Servius, Ofilius, Labeo tradiderunt. *c*) Porro caput hoc legis Rhodiæ ad naves pertinet onerarias, ad comportandas merces comparatas, quæ plerumque capaces erant decem millium modiorum: non autem ad naves longas, ſeu triremes. *d*) Ceterum ſi navis deterior facta fuerit: fruſtra contributio poſtulabitur. *e*) Tandem judicium hoc ita inſtituetur, ut rerum amiſſarum domini ex locato agant cum magiſtro navis, ne reſtituat res conſervatas, donec ex iis damnum reficiatur dominis rerum projectarum: unde navis magiſter ex conducto aget cum reliquis, quorum ſunt ſalvæ merces, ut detrimentum proportione communicetur.

CXII. DE LEGE LICINIA.

Effugerat pene mihi tot inter lex Licinia, cujus leve mihi admodum veſtigium reperitur apud Marcianum, *f*) quam explicat Cujacius. *g*) Ea lex cavit, ne communi dividundo actione uteretur is ſocius, qui partem rei communis alienavit, ut evitaret licitationem illius, proptereaque tranſtulerit partem ſuam in potentiorem, ut licitando ille vincat incuſſo potentiæ metu. Nam ſi eadem pars, nondum ſublata communione, ad eum, qui alienaverat, redierit; non poterit ipſe amplius duplicem, quam habebat actionem, adverſus ſocium exercere; & ſi potentior ille poſt partem in ſe alienatam communi dividundo agat cum altero ſocio; repelletur * exceptione, quod *alienata res ſit judicii mutandi cauſa.*

CXIII. S. C. DE RELIGIONE SEPULCRORUM.

Finem imponamus operi materia funebri, quo res omnes humanæ commeant, atque referamus S. C. de religione ſepulcrorum, quo prohibebatur ſepulcra in alium verti uſum, quam condendi cadaveris illati, & venundari, aut permutari, ut in profana commercia concedant. *h*) Tantique religio funerum eſt, ut etiam poſt fundos venditos priores domini, qui ſepulcrum ibi habebant, jus adeundorum ſepulcrorum retinerent, propter legem prædiorum venundandorum, qua cavebatur, ut ad ſepulcra, quæ in fundis ſunt, iter ejus aditus, ambitus funeris faciendi ſit. *i*)

Hactenus ex antiquiſſimis monumentis Romana exordia juris privati edita ſunto. Quo minus autem, quicunque lector ſapis, abductus turba imperitorum, quidquam horum uti obſoletum tua cum fraude præterieris; cogitato, labentibus priſcis inſtitutis, perennem tamen recti ſpeciem ibi ſculptam, exemplisque novis, ac ſimilibus, communem, atque promiſcuam, nunquam interituram, neque ullo non tempore mortalibus profuturam ubicunque gentium, non libido, ſed ratio dominetur.

a) *L. amiſſa §. 5. in f. ff. de leg. Rhod. de jactu. l. 3. ff. eod.*
b) Cujac *lib. 19. reſponſ. Papin. L. 3. ff. eod.*
c) *L. 2. ſi navis ff. eod.*
d) Cujac. *ibid.*
e) *L. 2. §. 1. ff. de l. Rhod. de jact.*
f) *L. ult. ff. de alien. jud. mut.*
g) *L. 1. fam. erciſcund.*
* Ille igitur ipſo jure, hic ope exceptionis a judicio communi dividundo arcebitur, & invitus etiam in pœnam fraudis in communione rei manere cogetur *L. 12. D. de alien. jud. mut. cauſſa facta*, ſine tranſpoſitione Ranchini intelligi poſſe, Noodtius & Schultingius oſtendunt ad Tit. *Pandect. de alienatione judicii mutandi cauſſa facta.*
h) *L. 12. §. 1. ff. de relig. & ſumt. fun.*
i) *L. utimur 5. ff. de ſepulcr. violat.*

Impri-

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici. Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

Imprimatur Jo. Paulinus Bernardinus Ord. Prædic. S. A. P. Magiſter.

Ne quid deeſſet ad Tomum I. Originum, hoc loco Cenſuras addere libuit, quæ illi in editione Neapolitana & noſtra priori præmiſſa conſpiciuntur.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Felice Moſca Stampatore ſupplicando eſpone a V. E. come deſidera dare alle Stampe un Libro intitolata de Ortu, & Progreſſu Juris Civilis *dell' Abate Gio: Vincenzo Gravina; per tanto la ſupplica per le ſolite licenze, e l' avra a grazia, ut Deus.*

J. M.

De mandato Eminentiſſimi Dn. Canonicus D. Antonius Cangianus revideat, & in ſcriptis referat. Neap. die 14. Junii 1701.

Jo. Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINE.

Quod ad illuſtrandum Jurisprudentiæ ſtudium fuerat maxime optandum, ut omnis eo temporum cognitio, latinarum, græcarumque literarum erudito, ac recta philoſophandi ratio conſerretur; Joannes Vincentius Gravina in hoc politiſſimo opere, de Ortu, & Progreſſu Juris *inſcripto, feliciter præſtitit. Plurimam quidem ea in re, non inficior, celeberrimi Juris Interpretes operam poſuerant; ſed verſare omnes, conſulere ſingulos, atque optima quæque ex iis excerpere, non cuivis profecto, vel per tempus, vel per ingenium licuiſſet. Hic autem ſelectiſſima illorum inventa miro ordine digeſta, ornatiſſimo ſtylo compoſita, & exquiſita eruditione aucta cunctis patent. Igitur, ut ad optimam juventutis inſtitutionem typis mandetur, e re publica cenſeo, modo graviſſimum Eminentiæ Tuæ judicium acceſſerit. Neapoli XIII. Kal. Januar. MDCCI.*

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, & Addictiſſimus,

Canonicus Antonius Cangianus.

J. M.

Attenta relatione Dn. Canonici Reviſoris, quod poteſt imprimi. Imprimatur 17. Junii 1701.

Jo. Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Petrus Marcus Giptius. Can. Dep.

Digitized by Google

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Felice Moſca Stampatore ſupplicando eſpone a V. E. come deſidera dare alle Stampe un Libro intitolato de Ortu, & Progreſſu Juris Civilis, *dell' Abate Gio: Vincenzo Gravina; per tanto ſupplica l' E. S. per le ſolite licenze, e l' avra a grazia, ut Deus.*

Magnificus U. J. D. D. Nicolaus Caravita videat, & in ſcriptis referat.

GASCON R. ANDREAS R. ANDREASSI R.
GUERRERO R. MERCADO R.

MASTELLONUS.

Tuo Imperio, Excellentiſſime Princeps, primum J. Vincentii Gravinæ librum de Origine, & Progreſſu Juris *ad Majeſtatis regulam exegi; nec ſane in eo Regni amplitudinem, aut dignitatem quicquam minutam offendi. Quin contra e republica reputo: in quo omnes Imperii, & Jurisprudentiæ Romanæ viciſſitudines illuſtri narratione traduntur: & Auctorum ſucceſſione ab ſtirpe ad hæc usque tempora luculenter explicata, Sectarum ſtemmata ab communibus Auctoribus ſuo quæque filo ſubinde diducta ſunt: tantoque ingenii acumine ſingulæ juris cauſæ aperiuntur, tanta gravitate, & ab ſtudio partium religione de Scriptoribus feruntur judicia, ut facem, quæ omnibus de jure libris publicitus alluceat, ubi ita velis, dignam exiſtimem. Dat. Neap. XII. Kal. Januarii* CIↃ IↃ CCI.

Tui
Excellentiſſ. Princeps

Obſequentiſſimus cliens
D. NICOLAUS CARAVITA.

Viſa retroſcripta relatione imprimatur, verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hac die 28. Junii 1701.

GASCON R. ANDREAS R. ANDREASSI R.
GUERRERO R. MERCADO R.

MASTELLONUS.

J. VIN-

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINÆ

DE

ROMANO IMPERIO

LIBER SINGULARIS.

AD

S. P. Q. R.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. DE JUSTIS IMPERII ROMANI CAUSIS. *

QUONIAM imperandi jus inter homines oritur a ratione, per quam, contracta ſocietate civili, ſapientia legislatoris, & potentia principis conferuntur ad communem, & ſingulorum utilitatem, quæ unica eſt juſtorum imperiorum origo, & fons legitimus, atque perpetua cauſa univerſæ poteſtatis; propterea illud inter homines imperium, jure naturæ, dominatur, ubi rationis verſetur plurimum, quale fuerit id, quod non ad certi alicujus hominis, certæve familiæ, aut ad certarum nationum; ſed ad univerſarum ſibi adjunctarum gentium commodum fuerit honorum, atque magiſtratuum participatione comparatum ab hominibus, qui ceteris mortalibus omni virtutum genere præſtiterunt, victoriisque ſuis cultum animi, ac mentis rectum uſum profliganda barbarie propagarunt: quales Romani fuerunt; qui tali erga genus humanum beneficentia, in omnes imperandi jus, veluti majores in minores, a naturæ lege acceperunt. Unde Dionyſius repreſſurus indignationem, & invidiam Græcorum, Romanos iniquis animis ferentium: *Æquo animo* (inquit) *juſta ſubjectio perferenda. Naturæ namque, communique omnium lege, nullo peritura tempore, præſtantiores inferioribus perpetuo præſunt. Neque accuſanda fortuna, quaſi gratuito tantum imperium urbi minus idoneæ tamdiu tradiderit. Diſcens enim* (Græci) *ex hac hiſtoria, urbem talem a ſuis continuo primordiis innumerabiles emiſiſſe virtutes hominum, quibus neque ſanctiores, neque juſtiores, neque temperantiores in univerſa vita; neque in re militari præſtantiores unquam Græca, vel barbara civitas ulla tulit.* Hinc merito Romanorum Imperio juris gentium auctoritatem tributam cenſemus: nimirum, & propter ſummas virtutes victoris populi, & quia legum ſuarum auctoritatem & linguæ uſum, & morum gravitatem, & munera omnia ſua, & civitatem Romanam, & Majeſtatem propriam nempe ſemetipſum cum ſociis ſuis, hoc eſt cum gentibus communicavit univerſis; ut in Imperio Romano ſuam ſinguli libertatem in perpetuum depoſuerint.

* Præcipuum Auctoris conſilium eſt oſtendere, Imperium Romanum a Senatu & P. R. cum principibus tantum communicatum, & certis legibus adſtrictum fuiſſe, quibus neque per vim etſi inſecuto diuturno tempore, neque ulla alia ratione ſolvi potuerint. Quod poſterius falſum eſt, ut infra oſtendemus, cum contra lex Regia, qua poteſtati principis limites ponebantur, etiam a Jo Friderico Gronovio & Gerardo Noodt VV. CL. CL. in ſingularibus orationibus plenius aſſerta ſit. Suadet vero ſimul inſtaurationem ejusdem imperii in c. 2. f. ideoque hoc loco juſtas ejus cauſſas repetere voluit. Conjuncta itaque ſententia Platonis & Ariſtotelis de regno ſapientis cum opinione Hobbeſii de jure potentioris in imbecilliorem, contendit, Imperium Romanum fuiſſe juſtum, quia Romani omnibus reliquis gentibus ſapientiores & potentiores fuerint. Sed cum quævis gens ſibi ſapientiſſima videatur & potentia etiam latrocinia nitantur, juſtitiæ Imperii R. parum præſidii repoſitum eſt in rationibus Auctoris, qui ejus originem ab unico juſtorum imperiorum fonte, legitimo civium conſenſu repetere debebat.

II. DE ROMANI IMPERII NATURA.

Quocirca Romanum Imperium definimus ſocietatem omnium gentium * æqua juris, ac civitatis communione contractam. Conſtat enim inſtituto Romanorum, pluribus quidem antea, poſt Antonini vero Caracallæ conſtitutionem, omnibus, qui ſunt in orbe Romano, Romanam quoque civitatem fuiſſe tributam. Quod ſane imperium juſtis ex cauſis coaluit; quia cum terra pateat omnibus indigentibus, liceatque locum ad habitandum aut petere, aut per ſe capere, in quo naturalis, ac civilis vita ducatur: fas Romulo quoque fuit ſibi, ac gentibus ſecum adlectis, fundare Latino in agro civitatem, præcipue in Albanorum regione, in quam ille, ac frater, permiſſu Numitoris Albani Regis, coloniam deduxerunt: qualem Romam ab initio fuiſſe, Dionyſius, ſcriptor diligentiſſimus, ex veteribus monumentis oſtendit.

Fines autem Imperii ſui populus Romanus propagavit juſtis, piisque gerendis bellis, utpote non ad inferendam, ſed vel ad arcendam a ſe, atque a ſociis injuriam, vel ad opem poſcentibus præbendam, occaſione ipſa ducente, ſuſceptis. Quod fatentur legati Rhodiorum apud Livium *a*) his verbis: *Certe quidem vos eſtis Romani, qui ideo felicia veſtra bella eſſe, quia juſta ſunt, præ vobis fertis; nec tantum exitu eorum quod vincatis, quam principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.*

Et tamen, etſi non omnes cauſas Imperium Romanum habuiſſet juſtas; exitu tamen redderetur juſtiſſimum, propter contributionem, & communionem, quam diximus, juris ſui cum omnibus ab ſe devictis nationibus, quibus perinde ac Romanis magiſtratus capeſſere licuit, & ipſum Imperium. Unde Claudianus *b*)

Hæc (Roma) *eſt, in gremium victos quæ ſola recepit;*
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris non dominæ ritu; civemque vocavit,
Quem domuit, nexuque pio longinqua revinxit:
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes.

* Hyperbolice Auctor Imperium Romanum ſocietatem omnium gentium appellat, cum vix decima pars orbis culti in poteſtate fuerit Romanorum. Neglectis vero ſententiis ſuperioribus, ex quibus hoc loco aſſumendum erat, Romanos etiam ab initio fuiſſe ſapientiores & potentiores reliquis gentibus, juſtitiam Imperii R. aliunde docet, & primo quidem, quia Romanis licuerit caſas in agro Albano ponere, tum quia P. R. bella geſſerit magis ad arcendam, quam ad inferendam vim, & tandem, quia nec ſi juſtas ſemper belli cauſas habuerit, dein tamen redditum fuerit juſtiſſimum, propter jus ſuum cum devictis gentibus communicatum. Quarum rationum prima parum proficit ad rei ſummam, ſecundam æque facile negaveris ac eam Auctor aſſeverat, inprimis ſi memineris dicti Carneadis, Populo Romano, ſi juſtitia colenda ſit, ad caſas revertendum eſſe. Communicatio autem juris cum gentibus devictis lenire jugum potuit, imperium autem per ſe non reddet juſtum, niſi acceſſerit populi devicti conſenſus, ſaltem præſumptus, ex neglecta occaſione ſeſe in libertatem vindicandi.

a) *Lib. 45. c. 22.*
b) *in Stilic. lib. 3. v. 150.*

Item

Digitized by Google

Item paullo poſt

Quod cuncti gens una ſumus.

Unde tot domitis nationibus totum mundum a Probo factum fuiſſe Romanum, ait Vopiſcus, *a*) & Prudentius contra Symmachum. *b*)

Hinc frenaturus rabiem Deus; undique gentes
Inclinare caput docuit ſub legibus iisdem;
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus, & Iſter,
Quos Tagus amphifluus, quos magnus inundat Iberus
Corniger Heſperidum, quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidique lavant ſeptem boſtia Nili.

cum quo conſonat & Auguſtinus. *c*) Qua ratione ſicuti omnium commodo eſt inſtitutum, ita neque ab ullo everti, neque in proprii regni formulam, aut in aliud adminiſtrationis genus, ſive expreſſe, ſive tacite per temporis diuturnitatem transferri licuerit: cum neque tempus ullum, neque ulla ratio contra juſtitiam * dimicet, & communem hominum libertatem, conditam in univerſarum fœdere nationum Imperii Romani vinculo cohærentium. Quod ſi vel everſum, vel lacerum, vel transductum in aliam formam inveniatur, intereſt mortalium ſarcire illud, atque reſtituere collapſum, quia nihil juſtius eſt, quam continere, atque inſtaurare id, cujus diſſolutione dirimitur ſocietas nationum omnium, & civile vinculum mutuæ caritatis: adeo ut jus, quod promiſcue offerebatur ſingulis, contrahatur ad paucos, qui magiſtratus, & honores, aut ad certas familias, aut ad peculiarem populum, excluſis aliis, transferant. Ceteri enim populi a communi jure libertatis adducuntur in ſervitutem, cum eis adimitur promiſcuus uſus, & perfunctio magiſtratuum, quibus viciſſim ſibi parent, & imperant, in quo ſumma vertitur libertatis.

III. DE IMPERIO IN REPUBLICA CONSTITUTO.

Porro Imperii inſtitutio minime rempublicam ſuſtulit, neque delevit libertatem Romanam, qua populorum aliorum libertas comprehendebatur: quia Dictatoriam Auguſtus minime tulit a populo poteſtatem, *d*) quæ patrem ſuum conjuratis objecerat; *e*) ſed Imperatoriam ** ſive militarem, nempe armorum regimen,

a) *in Probo c.* 20.
b) 54. *v.* 601.
c) *in pſalm* 58.
* Paullo ante tamen dixerat, Romanum Imperium etſi non omnes belli cauſſas juſtas habuerit, exitu tamen juſtiſſimum redditum eſſe propter contributionem & communionem juris ſui cum nationibus a ſe devictis, quod quare contra Romanos quoque admitti non debeat, haud apparet. Conſilium cæterum Auctoris de reſtituendo Imperio R. Platonis ſomniis de Republica beata, aut aliorum commentis de pace æterna, vel Monarchia univerſali merito comparaveris.
d) Vellejus *lib.* 2. *pag.* 247.
e) Dion *lib.* 53. *pag* 506.
** Imperatoris tamen nomen Auguſto tributum multo tum plus complectebatur, quam antea nomen Dictatoris, cum Octavium cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium recepiſſe Ta-

non evertendæ, ſed tuendæ Reipublicæ, quæ opus habuit hoc extraordinario munere in tanta vaſtitate dominationis, & multitudine negotiorum, quæ ſæpe fines ordinariarum poteſtatum excedebant. Unde Cujacius *a*) extra ordinem explicat *auctoritate Principis*: ad quam excurrendum erat tanquam ad Reipublicæ dexteram, ubi opus eſſet impreſſione militari ad compeſcendos puta motus multitudinis; & ad alia improviſa, & ſubita, ſive in provinciis, ſive ipſa in urbe componenda, atque ſedanda, una cum capite civilis corporis, nempe Senatu, in quo mens, & ratio manebat; unaque cum aliis magiſtratibus ordinariis, nempe conſulibus, prætoribus, ceteriſque, per quos pro ſua cujusque portione Reſpublica gerebatur more majorum. Unde optime, ac peritiſſime pro ſumma eruditione ſua Cujacius, *b*) ſcribit, regimen Romanæ Reipublicæ perrexiſſe lento progreſſu a vi, & poteſtate Regis ad populum, a populo ad Senatum, a Senatu ad unum non regem, ſed principem, quaſi in Rep. & Senatu primum, qui nec populi ſibi, nec Senatus jus omne vindicaret, ſed cum eo partiretur. Quamobrem Imperator erat in poteſtate Reip., Reſpublica vero ſub adminiſtratione Senatus, & Imperatorum: cum Reipublicæ Senatus conſilium, Imperator opem, & arma præberet. Hinc Antoninus apud Herodianum ait: *Siquidem in illa urbe ſita eſt Imperii fortuna; nobis autem diſpenſatio tantum, atque adminiſtratio principatus una vobiſcum (nempe Senatoribus) poſita eſt.* Et eundem, Dion refert, exiſtimaſſe, ac palam tuliſſe, omnes res, omniaque negotia Senatus eſſe, & populi, *c*) & Tacitus: *Non regno tamen, neque Dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam Remp.*

IV. DE PRINCIPE ROMANORUM.

Principis autem nomen adeo procul erat a Rege, ut florente Rep. tribueretur ei, qui præcelleret inter Senatores, quique totius veluti Senatus caput Princeps Senatus a Cenſore appellabatur. Quo exemplo & Imperator Princeps nuncupabatur, tanquam in urbe Primus. *d*) Quod egregie notat, & ipſius Tiberii verbis diſtinguit Dion, cum refert, Principem Senatus ritu priſco vocatum Tiberium, eundemque dicere conſueviſſe, Dominum ſe eſſe ſervorum, quos habebat, Imperatorem militum, ceterorum vero Principem, hoc eſt caput civium. Talis nimirum eſt imperator, qualem ſe profitebatur Adrianus *e*) in concione, & in ſenatu, cum palam ediceret, ſe Remp. ita geſturum, ut ſciret, populi rem eſſe non propriam. Hinc & Alexander Severus diſpenſatorem ſe publicum re, verbisque ferebat. Diſpenſator vero ſervus erat is, ad quem totius familiæ rationes, & peculii adminiſtratio pertinebat,

citus auctor ſit *Annal. lib. I. c. I.* & multa Veſpaſiano quoque in lege Regia tribuantur, quorum exſors erat Dictator. Nomine Regis & Dictatoris per σχῆμα politicum etiam tum Imperatores abſtinuerunt, cum abſoluto uterentur imperio, donec tandem nomen Imperatorium omnes Regum titulos exſuperaret. Perinde nec in ſequenti capite ſignificatus vocis princeps peti debebat a temporibus liberæ Reipublicæ, aut in §. 5. Imperantis poteſtas tam ſolicite diſtingui ab ea jubentis.

a) *L. ſi cui 92. ff. de condit. & demonſt. lib. 8. reſp. Papin. L. mater 93. ff. eod.*

b) *ad l. 2 §. eodem tempore ff. de O. J.*

c) *vide* Cauſabon. *in not. ad* Spartian. *p.* 36.

d) Lipſ. *in Tacit. p.* 6.

e) Spartian. *in Adrian. c.* 8.

tinebat,

Digitized by Google

tinebat, ut intelligamus, non arbitrium Reipublicæ, quod erat penes S. P. Q. R. ſed miniſterium tantum illius ad Imperatorem, delato Imperio, pervenire.

V. QUID SIT IMPERARE.

Cujus miniſterii moderatio, & poteſtatis temperamentum imperandi, quam jubendi verbo melius exprimitur: quia mitius eſt imperare, quam jubere, ut obſervare licet apud JCtos primæva, propriaque in ſignificatione præ ceteris verba locantes. Unde Paullus *a*) ex verbo *Impero*, fideicommiſſum docet emanare, quod rogantis fere ſit, non legatum, quod eſt jubentis. *b*) Propterea Cujacius *c*) Principem a Domino inde diſtinguit, quod dominus jubeat, princeps imperet: quamvis apud auctores alios in verborum proprietate remiſſiores *jubere*, & *imperare* confundantur. Novit vero, & diligenter eorum differentiam notavit Antonius Popma, *d*) docens, *imperare* eſſe onus imponere, ut *imperavit frumentum; jubere* autem eſſe aliquid neceſſario velle, ut *bellum ex auctoritate Patrum populus juſſit*. Non negaverim tamen, majorem hoc verbum traxiſſe poteſtatem, & vim ab uſu militari, cum dux exercitus ob eminentiam virtutis, & laudis parta inſigni victoria ingenti plauſu appellaretur Imperator etiam Imperio in republica conſtituto, quod de Blæſo memorat Tacitus; *e*) ut hoc verbo ducibus honos militari clamore augeretur. Quod poſtea Senatusconſ. confirmabatur. *f*) Quem Auguſtus honorem vicies circiter a militibus acceperat. *g*) Sed eo anno, quo quintum Conſul fuit, Imperatoris titulum in perpetuum ſuſcepit *h*) ad explicandam extraordinariam poteſtatem armorum, in quem uſum idem titulus Cæſari fuerat ejusque poſteritati tributus. *i*) Hinc poſtea hæc vox & ſummæ poteſtatis militaris exprimendæ vice fungebatur, & honorandi poſt victoriam ducis, atque ipſius etiam Cæſaris celebrandi, qui toties Imperator appellabatur, quoties re feliciter geſta militari acclamatione hanc meruiſſet laudem, unde Imperator III. IV. V. ac deinceps pro numero victoriarum inſcribebatur. *k*)

Cum vero Imperatoris nomen ad poteſtatem ſignificandm adhiberetur, ea voce non veniebat regia poteſtas, ut male Tillemontius, *l*) * Caſaubono etiam auctore *m*) cum vulgo ſcriptorum ex Dione colligit; ſed militare tantum impe-

a) *lib. 4. ſent. tit. 1.*
b) *vide omnino* Alciat. *l 7. c. 13.*
c) *ad lib. 19. quæſt.* Papin. l. *unum ex fam. 67. ff. de leg. 2.*
d) *de differ. verb. lib. 3.*
e) *lib 3. annal.*
f) Sigon. *de jur. provinc. lib. 2. cap. 7.*
g) Caſaub. *in* Suet *lib. 1. c. 76.*
h) Dion *lib. 52. p. 493. & ſeq.*
i) Dion *lib. 44. p. 235.*
k) Dion *eod. lib. p. 236.*
l) *in Auguſt. art. 3.*

* Tota lis cum Tillemontio in fumum abit, quia Gravina ſola imperia obſoluta regni nomine dignatur, cum Tillemontius illud etiam limitatis tribuat, e quorum numero tum omnino erat Imperium Romanum, quum poteſtas Imperatorum lege Regia circumſcriberetur, neque in rei exitu magnopere intereſſe videtur, utrum Imperator jura Majeſtatica, cum exercitum conſcriberet, pecuniam cogeret, bella ſuſciperet, pacem faceret, vi imperii explicuerit, an vi cæterorum munerum in ipſius perſona conjunctorum.

m) *in Jul. Cæſ. c. 76.*

Ppp 2 rium;

rium; quod vi tamen & oblique, atque obſcure perveniebat eo, quo poteſtas regia palam, & directo ferebatur. *a*) Tradit quidem Dion, Imperatoris fuiſſe jus conſcribendi exercitus, belli paciſque arbitrium, pecuniarum contrahendarum facultatem, & capitalem animadverſionem. Verum non ad Imperatoriam auctoritatem hæc omnia revocat, ſed ad munera veteris, popularisque Reip. quorum ſuprema princeps in ſe transferebat, veluti crebros conſulatus, poteſtatem Tribuniciam, Proconſulare Imperium, quibus Imperator induebat ſummam, ac ſupremam civilibus etiam in negotiis poteſtatem in principem tranſeuntem non jure quidem regio, quod Brutus extinxerat, neque ex Dictatura, quam Auguſtus, utpote ſibi maxime periculoſam inviſamque populo recuſavit, ſed jure ordinariorum magiſtratuum a ſe ſuſceptorum: quibus in unius perſonam vel perpetuo cumulatis, vel crebro repetitis ad exitum Regiæ poteſtatis arte hac ſubdola perveniebat is, cui tradebatur militare imperium, per quod munera, quæ vellet, ad ſe civilia trahebat; cum leges plerumque pareant armis. Ideo Dion *b*) poſtquam conſuetos Imperatoris magiſtratus enumeraverat, ſubjicit illius facultates non ex Imperatorio jure, ſed ex illis magiſtratibus profluentes: ait enim, Imperatores *ἐκ μὲν τύτων τῶν ὀνομάτων* ex horum (nempe magiſtratuum) nominibus exercitus conſcribere, pecuniam cogere, bella ſuſcipere, pacem facere, & inferius *καὶ ὕτως ἐκ τούτων τῶν δημοκρατικῶν ὀνομάτων, πᾶσαν τὴν τῆς πολιτείας ἰχυὺν περιβέβληνται.* *Itaque his popularibus nominibus omnem induunt Reipublicæ robur.* Plurima vero eorum, quæ Imperatoribus adſcribunt hiſtorici ſine mentione magiſtratuum ſuſceptorum, ea omnia illorum ad magiſtratuum poteſtatem, non ad poteſtatem ullam regi in Imperatoris eſſe revocanda, plurima antiquitatis monumenta teſtantur, præcipue illud Ancyranum, quo res ab Auguſto geſtæ, atque a ſe ipſo in breviarium redactæ continentur, præcipue cap. 2. cujus hæc ſuperſunt:

Patriciorum numerum auxi Conſul V. juſſu populi & Senatus, Senatum ter legi, & in conſulatu VI. cenſum Pop. Rom. Collega M. Agrippa egi.

En hæc omnia, quorum ad exemplum & alia licet conjicere, non imperatoriæ poteſtati, ſed conſulatibus, & poteſtati cenſoriæ a populo, & Senatu impetratæ tribuuntur. Mos item ſcriptorum eſt, ut qui cauſam mortis reo dedit, pro auctore proferant: veluti Suetonius initio vitæ *Vitellianæ* inquit *accuſavit, condemnavitque*, cum idem accuſator, & condemnator eſſe nequeat. Sed quia cauſa fuit, ut condemnaretur ex accuſatione ſua, propterea judicis etiam ei perſonam impoſuit, ad quod exemplum trahi poſſent plurima, quæ tribuuntur Imperatoribus, non ex auctoritate imperatoria profecta, ſed ex occaſione ab ipſis Cæſaribus oblata. Nam & Ulpianus accuſatori condemnationem tribuit, propterea quod per illius accuſationem reus a judice condemnetur. Unde ſcribit: *peregiſſe reum* (accuſator) *non alias videtur, niſi & condemnaverit*, hoc eſt, niſi effecerit ut condemnaretur.

VI. DE ORIGINE IMPERATORIS.

Eſt igitur Imperator ſummus, ac perpetuus dux exercituum Romanorum. Quam Auguſtus auctoritatem, ne per hanc viam redire occulto videretur ad Dicta-

a) *vide* Sineſ. *apud eundem* Caſaub. *in vita Adrian. c. 11. verbo ergo conv. reg. mor. militib.*

b) *lib. 53 pag. 508.*

turam,

turam, nunquam in perpetuum, ſed aliquando in quinquennium, ſæpius in decennium accepit, ut eam tamen tota vita continuarit, decimo quoque anno Imperio ſibi prorogato per cauſam rebellantium provinciarum, quas decennio pacari poſſe toties obtendebat, quoties exeunte Imperii die rogatus, ac tanquam invitus erat illud iterum recepturus. Inde orta decennalia ſequentium etiam Imperatorum, qui etſi crearentur in perpetuum, tamen decimo quoque anno feſtis diebus, & ſolennibus ludis, velut Imperii ſibi renovati lætitiam ſimul cum populo capiebant. *a*) Provincias vero ita cum Senatu diviſit Auguſtus, ut indomitas, & tumultuantes, quibus coërcendis opus eſſet copiis militaribus, ipſe ſuſceperit, verbo quidem quaſi majus periculum pro Republica ultro ſubiturus; re autem ut ſimul cum provinciis illis etiam exercitus ad eas provincias mittendas, & militiam univerſam, qua cives perterrefaceret, in poteſtate haberet; *b*) pacatas vero provincias, & tranquillas, unde honorificentiæ plus quam virium trahebatur, Senatui, Populoque permiſit: unde & Italia in Senatus adminiſtratione permanſit: *c*) ideoque inter Cæſareas provincias a Dione *d*) minime recenſetur, quod inde contigit, quod nemo unquam imperatorum, ac ne quidem triumviri ipſi de Italia, quæ domina erat omnium provinciarum, ſed pro Italia certare ſe oſtendebant, ideoque in diviſione Imperii inter Lepidum, Antonium, & Octavium nulli eorum Italia fuit attributa: ſed in Senatus poteſtate manſit, nec ad eos pervenit, qui tantum pacandarum provinciarum cauſa, quibus Italia præerat, militare Imperium retinebant. Hæc enim Dion ſcribit: *e*) Italia *ἐξαίρετος ἀεὶ ποτε ἐν τοῖς τοιούτοις ἔμενεν.* pag. 357. *

VII. DE CÆSAREIS MAGISTRATIBUS, ET DE PONTIFICATU MAXIMO.

Sed jam Imperatorem ex acie productum, perducamus ad eos magiſtratus, per quos poteſtatem omnem civilem occupavit. Quam principes tuto ſe minime ſperabant retenturos, niſi eam religione muniiſſent, ſuſceptoque Pontificatu Maximo, arripuiſſent poteſtatem rerum divinarum, *f*) quibus humana omnia obligantur atque volvuntur. Igitur, ut per divina in arbitrium ſuum humana omnia redigerent, Imperatores non ſolum Auguratum, & Quindecimviratum ſacrorum, quæ majora ſacerdotia erant, ſed Auguſti exemplo, ipſum ſuſceperunt Pontificatum Maximum. Quo jure Pontificibus aliis, ac ſacerdotiis omnibus imperabant, de ſacris, cerimoniis, & ritibus, omnique Deorum cultu non edicta proponebant

a) Dion *lib. 53. p. 750.*

b) *lib. 48. in princ.*

c) Dion *lib. 53.* Tacit. *annal. 1.* Strab. *lib. ult. in fine.*

d) Tillemontius *in Auguſt. art. 4.*

e) *libr. 48. in princ.*

* Deſcriptionem Imperatoris, in principio hujus capitis proditam, nemo tulerit in Principe Romano. Auguſtus cum nomen Imperatoris declinat, & Imperium in quinquennium tantum vel decennium ſuſcipit, populi auribus inſidiatur, re ipſa ſatis oſtendens, id ſe agere, non, ut nomine Senatus Imperator ſit exercitus, ſed ut Majeſtatem cum Senatu & pop Romano ſaltem diviſam & communem habeat. Si dux tantum exercitus Romani erat, provinciis turbulentis præeſſe poterat, etiamſi eæ in poteſtate manſiſſent Senatus. Quæ in fine capitis de Italia dicuntur, elegantis ſunt obſervationis.

f) Dion *lib. 53.*

Digitized by Google

modo, ſed & ferebant leges; *a*) ac, ſi vellent, ſimul cum aliorum Pontificum collegio multabant violatores ſacrorum, & cauſas religionum judicabant, & obſcurum quod eſſet in jure ſacro, interpretatione pandebant. A qua ne poteſtate caderent Imperatores Chriſtiani, dum vetus ſuperſtitio adhuc maneret, ad Gratianum usque, Pontificatum Maximum, etſi animo rejectum, extrinſecus tamen hactenus, arbitror, uſurpaverunt, quatenus eis neceſſaria eſſet ſacerdotii illius auctoritas: quam ita cum nomine, & forſan cum amictu etiam Pontificatus induebant, ut ritus tamen, cerimonias, & ſacrificia Pontificalia, quæ in falſorum numinum honorem vertebant, omnino repudiarent. Nam ſi auctoritatem ipſam Pontificiam abjeciſſent, & reliquiſſent aliis tantam muneris potentiam; non ſolum amiſiſſent omnes jus ſacrorum, & auſpiciorum ſive civilium, ſive militarium, quibus populus, & milites in fide continebantur; neque tantum ſe in ſuperſtitione nondum ſatis inclinata magna imperii portione, multaſſent; ſed & grave periculum ſibi creaſſent ab eo, qui falſorum ſacrorum auctoritate per homines veteri errore correptos res & conſilia Principis turbare potuiſſet. Quam ſacrorum poteſtatem, ſuſcepto amictu Pontificio, exprimere oportebat: ideoque haud facile a Zoſimo diſſenſerim, qui refert, poteſtatem ſimul hanc, & inſigne illius prælatum fuiſſe ab Imperatoribus etiam Chriſtianis usque ad Gratianum, qui primus, egregio pietatis exemplo, recuſato amictu Pontificio, exteriorem quoque faciem hujus ſuperſtitioſi muneris a ſe avertit; utcunque Gothofredus junior, & cum recentioribus aliis eruditorum Tillemontius contra Zoſimum pugnent: quem alia præter argumenta, tuetur hæc potiſſimum a nobis adducta ratio exercendæ ſacræ poteſtatis, jurisque augularis, quo ſine vinculo quonam pacto Imperator tot milites a vero cultu aberrantes ad militare ſacramentum adegiſſet, militarique diſciplina rexiſſet, quæ falſorum numinum religione nitebatur? Quin imo Religio non ſolum, quæ dimicat armis divinitatis; ſed etiam falſa, quæ armatur viribus multitudinis, adeo pollet in rebus humanis, ut quando Princeps tuliſſet ullum ſe ſacrorum auctoritate majorem, ſi qua contentio ſacrorum cauſa erupiſſet, periculum fuiſſet, ne inter motus vulgi rerum divinarum arbitrum arbitro humanarum facile præferentis, ab ipſis militibus religione perſtrictis, & dirarum formidine correptis adduceretur in Pontificis Maximi poteſtatem. *

VIII. DE TRIBUNITIA POTESTATE.

Poſtquam autem Imperatores præſidio ſibi adjunxerunt auctoritatem divinam, ſuam in cuſtodiam vim etiam adhibuere popularem, aſſumta poteſtate Tribunicia, *b*) in qua populus vires omnes ſuas, ac talem immunitatem collocaverat, ut qui tribunum verbo aut re violaſſet, is tanquam ſacrilegus, ac devota Diis victima

a) Dionyſ. *lib. 2. p. 132. ſub num. 4.*

* Itaque jus circa ſacra quoque, eximiam Majeſtatis partem, apud Romanos exercebat Imperator. Superſunt etiamnum in Codice complures leges, quibus externus eccleſiæ ſtatus, tum quoque paganorum cultus ordinatur, ſive reſtringendus is viſus ſit, ſive fovendus aliquantulum. Conſtantini M. Conſtitutiones ad ſacra pertinentes inter cæteras expoſuit Balduinus in *Conſtantino Magno.*

b) Dion, *lib. 49. & lib. 53. lit. C.*

impune

impune interficeretur: proptereaque tribunitia poteſtas ſacroſancta dicebatur, quia ſancitum erat, ut ſacer Diisque immolandus eſſet, quisquis tribunum offendiſſet. Quoniam autem tribunus creandus erat e plebe, Imperator vero in Patriciorum numero cenſebatur, propterea non tribunum ſe conſtituebat, ſed ſuſcipiebat tribunitiam poteſtatem, ut relicto munere plebejo, muneris tamen auctoritatem aſſequeretur: quæ in Senatusconſultis impediendis per interceſſionem tribunorum propriam, & in legibus ad populum ferendis, & in defendendis civibus verſabatur, & præſertim in vitæ famæque ſecuritate, quam omnem Princeps trahebat a poteſtate ſacroſancta tribunorum, in qua fundabantur majeſtatis leges: quibus eo nomine rei damnabantur, quod populum in tribuno, & tribunum in Principe violaſſe cenſerentur: adeo ut animadverſio capitalis, qua plurimos ſibi infenſos, aut ſuſpectos Imperatores ſuſtulerunt, non e regio jure, quod Roma exulabat, ſed e poteſtate tribunitia profluxerit, per quam jura populi univerſa Princeps exhauſerat. Ideo Tacitus *a*) ait: *Id ſummi faſtigii vocabulum reperiſſe Auguſtum, ne Regis, aut Dictatoris nomen adſumeret: & tamen appellatione aliqua cetera Imperia præmineret.* Et Suetonius *b*) refert, Tiberium jure Tribunitiæ poteſtatis ultum fuiſſe convicium in ſe jactum, cum inter græculos ſophiſtas Rhodi verſaretur: citato pro tribunali, atque in carcerem convitiatore conjecto. Tribunitiam porro poteſtatem, excepto Tiberio, cui tribuebatur in quinquennium, *c*) Auguſtus *d*) exemplo Julii Cæſaris accepit perpetuam, quam ſequentes Imperatores ſibi renovabant ſingulis annis, quibus Tribuni alii creabantur: adeo ut ex annis Tribunitiæ poteſtatis qui notantur, anni colligantur Imperii: quamvis Imperatores non a Kalend. Jan. quibus Tribuni magiſtratum inibant, ſed a die, quo poteſtatem * ſuſceperant, annos poteſtatis ſuæ Tribunitiæ ad Claudium usque II. Cæſarem numerarent.

IX. DE CENSURA.

Ut autem Principes famam, & ſtatum aliorum propriæ poteſtati ſubjicerent, atque in vitam, & mores civium animadvertentes, quem vellent Senatorem e Senatu moverent, Equitem ex equeſtri ordine ad plebejos rejicerent, bonaque aliena cenſu agendo pro ſuo arbitrio æſtimarent; cenſoriam poteſtatem gerebant, vel ſolo exercitio ſine ullo honore, & nomine, *e*) vel cum nomine, atque honore magiſtratus, ut Domitianus, *f*) qui cenſuram perpetuam ſuſcepit, vel ſub nomine præfecturæ morum, ut Julius Cæſar, *g*) aut morum legumque regiminis, ut Augu-

a) *lib. 3. ann. p. 125.*

b) *in vita Tiberii cap. 11.*

c) Sueton. *in Tiber. cap. 16.* Dion *lib. 42. pag. 194. & p. 243.*

d) *idem in Auguſt. cap. 27.*

* Eadem ſententia Pighii, Pagii & Ezechielis Spanhemii, ſed eam luculenter refellit Vir eximius, Chriſtianus Gottlieb Schwartzius in *Exercitatione de numeranda Tribunitia poteſtate Auguſtorum Cæſarumque Romanorum*, qua oſtendit, hanc regulam in iis tantum Imperatoribus veram eſſe, qui ex vita privata ad Imperium evecti fuerint, fallere in his, quibus data fuerit Tribunitia poteſtas, antequam Imperio admoverentur, quales fuerint Tiberius, Titus, Trajanus, Marcus, Lucius Verus, Commodus, Caracalla & Gera.

e) Dion *lib. 53.*

f) *Faſti conſulares.*

g) Cicer. *lib. 9. epiſt. 15. ad fam.* Dion *lib. 43.* Sueton. *in Jul. cap. 76.*

ſtus,

guſtus, *a*) qui patris exemplo, mutato ejus magiſtratus nomine, cenſuræ odium invidiamque mulcebat.

X. DE PROCONSULATU.

Urbanis hiſce magiſtratibus in eorum perſonam collatis Imperatores conjunxerunt ſupremum provinciarum regimen delatum a Senatu per imperium proconſulare, quod iis tribuebatur omnibus, adeo ut non modo in provinciis univerſis eam poteſtatem nanciſcerentur, quam ſinguli Proconſules in ſua, ubi rebus in civilibus poteſtatem, & in militaribus imperium habebant lege Curiata; ſed imperium quoque liberum, ac ſummum ſine provocatione, quale Cn. Pompejus bello piratico lege Gabinia impetraverat, *b*) ubi fuiſſent Imperatores creati, a Senatu accipiebant. Quod imperium proconſulare extra pomœrium, ſive urbe ſtatim egredientes ſublatis inſignibus expromebant in omnem orbem Romanum, proptereaque & Proconſules appellabantur: *c*) quamvis & intra pomœrium Auguſtus idem imperium ex S. C. retinuerit. Idque imperium eſt illud militare, in quo cardo vertitur principatus: quod florente Republica perquam raro & paucis, ac præfinito tempore; Imperatoribus vero tota vita tradebatur, tanquam conſules crearentur provinciarum omnium; cum proconſul in certam provinciam conſularem poteſtatem explicaret. Quo imperio cum principes omnem Proconſulum poteſtatem adprehenderint, propterea non conſueverant ſolenniter inſcribi *Proconſules*, ne veluti certis provinciarum finibus incluſi modum imperio ſuo accipere viderentur. Quæ cauſa latuit Caſaubono valde admiranti, quod in ſuis titulis principes illum *Proconſulis* non inſererent. Etſi non deſint inſcriptiones antiquæ * Imperatorum, *d*) in quibus abſciſſe legitur *Procos.* vel *Proconſ.* Sed vel ab ignaris hæc, & plerumque imperitis rerum civilium fabris adjecta fuerunt, quod intelligerent, Imperatorem agere, atque haberi ubique Proconſulem; vel Proconſulare ſignificant imperium. Quo facilius mihi perſuadeo, ex omnibus Imperatorum juribus Proconſulare imperium, velut eorum fuiſſe ordinariam poteſtatem; cum nunquam illis a Senatu deeſſet, ubi ſemel a militibus Imperatores appellati ſub ductu, auſpicioque ſuo P. R. exercitus accepiſſent. Tum enim eos, tanquam cognata poteſtas, Proconſulare imperium perpetuo comitabatur: utpote auctoritas militaris, quæ a Senatu ad confirmandum militum judicium, & ad expediendum munus Imperatorium tribuebatur: adeo ut in Imperio Proconſulari juris Imperatorii ſumma verſetur: quo imperio ablato, ipſe videtur ademtus Imperator; cum ſi auferantur magiſtratus urbani, nempe tribunitia poteſtas, & cenſura, nihil de Imperatorio munere pereat. Ideoque Tribunitia poteſtas, utpote adventitia ſimul, & ſummopere principi neceſſaria, titulis interjicitur ſemper, ne ſua cum fraude intermiſſa

a) *faſti conſulares* Sueton. *in Aug. cap. 27.*
b) Plutarch. *in Pomp.*
c) Dion *lib. 53. pag. 508.*
* Ex Marſigli *monumentis Danubialibus* quoque inſcriptiones duas, in quibus Proconſulis titulus nomini Imperatoris ſubjicitur, Schwartzius exhibet. §. 13. Rationes rei alii alias reddere ſatagunt. Spanhemius inter cæteros id ideo factum putat, quia Imperatores tantum, cum extra Urbem eſſent, hoc nomen uſurpaverint.
d) *vide* Salmaſ. *in Marc. Antonin. cap. 6.*

videre-

videretur ab Imperatore; Proconſulare vero Imperium ſæpius omittunt, quia omnium opinione cum jure imperatorio cohærebat, ut opus eo expreſſo non eſſet. Quod enim in diſcrimen venire nequibat, nullo unquam erat monumentis repertum. Ad coercendas quippe provincias per Imperium Proconſulare, Reſpublica elideret Imperatorem. Ideo Trajanus, ut videretur ſibi deſignaſſe ſucceſſorem Neratium Priſcum, *a*) hæc ad eum verba direxit: *Commendo tibi provincias, ſi quid mihi fatale contigerit.*

XI. DE JURE REFERENDI.

Ad horum magiſtratuum plenitudinem, Senatus adjiciebat Imperatoribus munera quædam conſularia, quæ ſcilicet etiam quando conſules non crearentur, communia cum conſule habebant Imperatores, non jure quidem ſuo, ſed ex facultate tributa. Eaque ſunt poteſtas habendi Senatus, & Senatusconſulta faciendi, & ad Senatum referendi ſemel, aut bis, aut ter, ſive de una, duobus, tribusve rebus: quod jus primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis appellabatur: nam hunc ſupra numerum conceſſum non invenitur. Quod ſatis arguit, quam procul abiret ab imperatorio munere poteſtas regia illa, quæ, pulſis Tarquiniis, ſingulis annis per populi comitia conferebatur in conſules, in quos jure magiſtratus tranſibant munera illa, quorum Imperator Senatus conceſſione potiebatur: adeo ut non quemadmodum conſules ſtatim poſt initum magiſtratum, aut aliquando poſt ipſorum deſignationem; ſed poſt jus referendi eis a Senatu oblatum totidem de rebus relationem facere poſſent Imperatores, quot ferret a Senatu tributa facultas: quæ non eodem ſemper numero ad eos perveniebat. Auguſtus enim, quoties Senatus convocaretur, jus habebat unius tantum relationis, ut refert Dion, *b*) cujus ſincerum ſenſum a Xilandro everſum, optime reddidit Caſaubonus, *c*) * qui locum Dionis illum ita reſtituit: *καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτε ἂν ἐθελήσει κατ᾽ ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ ἔδωκε.* *Et ei permiſit* (nempe Auguſto Senatus) *de una re quamcunque voluiſſet, quoties Senatus haberetur, relationem facere, quamvis conſul non eſſet.* Xilander, neglecto *ἑνὸς*, non ſine ſummo crimine, verterat, *de quibuſcunque rebus vellet*: quaſi liberum Auguſto per Senatum eſſet de rebus omnibus referre in infinitum: cum id, mpote portio poteſtatis conſularis, nempe regiæ, per quam parce tribueretur Imperatoribus, inter quos Probus *d*) jus tertiæ relationis accepit, Pertinax quartæ, *e*) M. Antoninus quintæ. *f*)

XII. DE PATRIS PATRIÆ APPELLATIONE.

Quo autem admoneretur Imperator, ſe Reipublicæ cauſa imperare, non ſua, eundem honorem ferebat a Senatu, quem M. Tullius conſervator urbis acceperat

a) Spartian *in Adrian. pag.* 21.
b) *lib.* 53 *in fin. p.* 510.
c) *in Sueton. lib.* 2. *cap.* 20.
* Ex Caſauboni ſententia Dionem interpretatur Gutherius *de Off. dom. Aug. lib.* 1. *capit.* 41. Caſaubono illaudato. Sed poterant hæc eadem etiam pluribus in mentem venire.
d) Vopiſcus *in Probo.*
e) Capitolin. *in Pertinace.*
f) *idem in M. Antonin.*

a Q. Catulo, nempe Patris patriæ appellationem: qua principi populus non tradebatur tanquam in patriam poteſtatem; ſed tanquam liberi paternæ benevolentiæ, ac beneficentiæ commendabatur: ut Imperatores quidem benefactis eorum a populo parentum cenſerentur loco; populus vero illorum, tanquam parentum officiis, & laboribus frueretur. Quo ſenſu inſtitutum hunc honorem fuiſſe, cum primum Julio Cæſari, *a*) deinde Auguſto deferretur, ſcribit Dion, *b*) utcunque huic eidem honori ſequentium temporum adulatio juris patrii aliquid indiderit: quod forſan in hortando, atque admonendo ponebatur. Hinc Tiberius, ſive [illegible] modeſtiæ ſimulator callidiſſimus, qualis a Tacito in deterius omnia principis illius trahente perhibetur; ſive poteſtatis, quam illuſtrium nominum appetentior, cognomentum hoc tanquam inutiliter invidioſum refugit. Adrianus *c*) diſtulit, Auguſtum imitatus, a quo ſero acceptum memorabat: tribuebatur enim, ut Appianus ſcribit, non ad amplificationem poteſtatis, ſed ad perfectum teſtimonium egregie meritorum.

XIII. DE SENATORIA IMPERATORIS DIGNITATE.

Præterea ut princeps potiretur Senatus juribus, & ejus ordinis majeſtatem tueretur, unde & ipſe duceret ſuam; ſi creatus Imperator antea Senator non fuiſſet, ad imperium vocatus continuo in Senatum legebatur: propterea quod ex Imperatore, ac Senatoribus unum in Republica corpus componeretur ad regimen orbis terrarum: ut profitetur Julianus. *d*) Quam poteſtatis communionem cum Senatu ita oderat Nero, ut Vatinius, cum gratius ei blandiretur, diceret: *Odi te Cæſar, quod Senatorius es.* Urebat nimirum ſuperbos principes plura ſibi eſſe permiſſa, tanquam Senatoribus, quæ pro ſuo jure, tanquam principes uſurpare maluiſſent. *e*) Nam Auguſti appellatio venerationis, & honoris, non poteſtatis incrementum afferebat. Octavius enim erubeſcens ſibi Romuli nomen adſerere, illud Auguſti ejus loco accepit ad ſucceſſores productum, ſimul cum Cæſaris cognomento, quo ille ſucceſſionem hæreditariam Julii; poſteriores vero principes proximam ſuam Imperii ſpem notavere: unde Cæſar tanquam deſignatus; Auguſtus tanquam ſublatus ad Imperium, princeps dicebatur, de quo alio loco fuſius. Nunc enim opportune ſubjiciemus Senatus poteſtatem, ut doceamur, quæ Princeps tanquam Senator gereret, & quam poteſtatem Senatus in principem, utpote Senatorii corporis portionem retineret.

XIV. DE AUCTORITATE SENATUS.

Romulus igitur imbutus inſtitutis Græcorum e commercio finitimarum gentium, apud quas Numitoris [illegible] fuerat educatus, regimen fundaturus in eadem turba, & [illegible] ac [illegible] hominum odio ſervitutis, & ſpe augendæ libertatis ad eum [illegible]; ſed principatus exemplum non cepit a [illegible] dominatione Barbarorum, atque Perſarum, quorum jura omnia e Regis voluntate fluebant; ſed a Theſei regno, qui belli tantum ſe ducem, & legum cuſtodem

a) Sueton *in Jul. Cæſ. c. 76. in Aug. c. 58.* Dion *lib 54 p 242.*
b) *lib.* [illegible] *pag.* 529.

c) Spartian. *in Adrian p. 17.*
d) *L.* [illegible] *C de dignit ubi* Cujac.
e) Plinius *in panag.*

ferebat;

ferebat: cetera civibus permittebat, *a*) & a Republica Lacedæmoniorum, quorum ſub regibus Senatorii, ac plebeji ordinis auctoritas, & per eam civium libertas integra manebat. *b*) Quocirca publicam poteſtatem Romulus inter Regem, Senatum, & Populum ita diſtribuit, ut nullius potentia communem everteret libertatem. Quamvis enim domi, militiæque ipſe præeſſet; juſſa tamen ſua ſuſpendit a judicio Senatus: *c*) illi enim arbitrium omnium negociorum permiſit auctoritatem, plebe ipſa minime neglecta, cui, cum in univerſi populi corpus concederet; * magiſtratus creationem, & legiſlationis jus, & belli paciſque reliquit arbitrium. Unde Minucius apud Dionyſium *d*) memorat, ſub Regum adminiſtratione nil actum ſine S. C. fuiſſe, adeo ut nec populi ſcita ſine S. C. rata haberentur; *e*) quamvis poſtea verſa ratio fuerit, aucta populi potentia, qui non modo lege Valeria judiciorum capitalium poteſtatem accepit inſtituta provocatione ad populum; ſed tribunitiis contentionibus obtinuit, ut omnia Senatusconſulta populi judicio comprobarentur.

XV. DE REPUBLICA IN SENATUM TRANSLATA, ET DE COMITIIS.

Imperio autem in Republica exorto, elanguerant quidem vires animique Senatorum ſibi cuique metuentium a potentia militari unius in manu collocata: non tamen ceciderunt, ſed potius invaluerunt jura Senatus: quoniam Imperatores facilius ſibi ducentes nobilium, & paucorum, quam ignotæ, atque infinitæ multitudinis, ſive metu, ſive gratia verſare animos; arte, potentiaque ſua curarunt, ut comitia e populo transferrentur ad Senatum; in quem una cum comitiis tranſierunt omnia jura populi, & conſequenter magiſtratuum creatio, & judicia capitalia, & ſumma legum poteſtas, & belli paciſque arbitrium: ut breviter omnis Reſpublica e campo migrarit in curiam. Quæ comitiorum ſub Dictatura, & Triumviratu turbatorum translatio non Auguſtum, qui ea priſtino more ad populum ſibi morigerum revocaverat; *f*) ſed Tiberium habuit auctorem, qui ſibi minus putans negocii fore cum paucis, quam cum univerſis; ut deprimeret plebem, avito plebejorum odio extulit optimates, & exercitium poteſtatis civilis populo ereptum, tradidit Senatoribus: quorum voluntas, motus, atque conatus ei & apertiores erant, utpote cum de illorum numero eſſet ipſe unus, & flexibiliores propter militarem potentiam, qua facilius divites, & nobiles opibus, honoribusque ſuis metuentes, quam ignota, & improvida multitudo, comprimuntur. Unde ab eo tempore popularis quæ fuerat, verſa eſt in Rempublicam optimatum, cujus militare caput erat Imperator, civile Conſul; corpus vero integrum Senatus. Et quamvis Tiberio, niſi ab omnibus rogaretur, fas non fuiſſet mutare Rempubl. tamen quia initio populus non admodum indigne tulit, poſtea vero neglexit, ac diſſimulavit, ut Tacitus

a) Plutarch. *in vita Cleomenis, & Ageſilai.*
b) Polyb. *lib* 6.
c) Dionyſ. *lib.* 2. *p* 87. *de Sen.*
* Ratio loquendi minus perſpicua. Illud vult, credo, reliquum tum populum, præter Romulum & Senatum, plebem fuiſſe.
d) *lib.* 7. *p.* 445.
e) Livius *lib.* 1.
f) Dion *lib.* 53. *p.* 511. Suet. *lib.* 2. *cap.* 40. Tacit. *annal. lib.* 1.

Qqq 2 teſtatur,

teſtatur qui ſcribit, *a*) *populum ademtum ſibi comitiorum jus queſtum non eſſe, niſi inani rumore;* propterea quod initio quidem erat infirmum, utpote non a communi conſilio, ſed ab unius potentia procedens, poſtea tamen tacita populi voluntate, atque illius ratihabitione convaluit: præſertim quia loco ſuffragiorum, populus favorem ſuum præſtabat iis, qui a Senatu crearentur, ne deeſſe videretur populus Conſulibus creatis; ut oſtendit Tacitus, cum ait: *Vitellium, ut ſe popularem ferret, comitia Conſulum cum Candidatis celebrantem, omnem infimæ plebis rumorem in theatro ut ſpectatorem, in circo ut fautorem affectaſſe. b*) Propterea etiam Dionis tempore comitia durabant: ne contra leges creati viderentur magiſtratus ὁσίας ἕνεκα, ut ille ait. *c*) Nam neque Spartanorum, aut Athenienſium inſtitutorum variatio ex Licurgi, aut Solonis auctoritate; ſed ex populorum comprobatione ſuſtinebatur. Et adfert item, *d*) ideo Cæſari poſt devictum Pompejum ſumma omnia munera fuiſſe decreta, ut iis decernendis, auctoritatem eorum conferendorum populus Romanus retineret, atque ex nativa poteſtate ſua tribueret, quod præ ſe ſibi Cæſar arripuiſſet. Hinc a Tiberii tempore magiſtratus creabantur ſuffragiis Senatorum convenientium in Curiam, quo princeps mittebat candidatos: quorum aliquot omnium ſuffragia laturos Senatui commendabat, alios candidatis fautoribusque ſuis, & ſorti tradebat, ut refert Dion. *e*) Ex quibus qui impetraſſent, ne populus a comitiis omnino videretur excluſus, in publicum a ſuis deducti neceſſariis prodeuntes, ad imaginem vetuſtatis renunciabantur. Unde tradit Suetonius in *Domitiano: f*) *Domitianum comitiorum conſularium die deſignatum perperam a præcone non conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronunciatum.* Qua in adumbratione veterum comitiorum populus auctoritatem ſuam retinebat, ejusque jura his in imaginibus perinde in poſterum vivebant, ac nobiles & res perpetuo vivunt in monumentis literarum. Nam, per figuram eam veterum comitiorum, populus conſtantem ſui juris conſervandi voluntatem ſignificabat, atque ſuffragia Senatorum & Principis, perque adhibitam ſpeciem vetuſti moris, ipſe populus poteſtatem civilem ſibi nunquam ex itam fundere videretur in candidatos. Neque Dion *g*) diverſitatem [illegible] creationis conſulum, & magiſtratuum aliorum prodit: quia ſermonem ille non de creatione magiſtratuum inſtituerat, ſed de arbitrio, quo Tiberius, inſtituendo tempore conſulatuum, ac numero magiſtratuum aliorum, utebatur. Unde cum retuliſſet arbitrium illius ſuper tempora conſulatuum; poſtea tranſit ad arbitrium ejusdem ſuper aliorum numero magiſtratuum: quos, cum in Senatu creari ſcribat, non excludit conſules, de quibus ſupra memoraverat: eos enim [illegible] ſub nomine magiſtratuum, qui in Senatu petebantur, meo judicio comprehendit: cum oratio ſequens, quatenus pertinet [illegible], quæ [illegible]bantur in Senatu, [illegible] referatur etiam ad conſules in ſuperiori [illegible] parte [illegible]tos. Dum enim Dion arbitrium Tiberii refert in [illegible] tempore, ac numero [illegible], non ad creationem ordinariorum conſulum reſpectum habet; ſed ad ordinationem ſuffectorum: quorum aliquando unum, aut binos, aut

a) *lib. 1 annal. pag. 12.*
b) *lib. 3. hiſt. cap. 92.*
c) *pag. 42.*
d) Dion *lib. 42 p. 19*[illegible]
e) *lib. 15. p.* [illegible]4.
f) *cap.* [illegible]
g) *lib. 58 p. 632.*

ternos

ternos eis ultrave duos menſes conſuetos arbitrio ſuo creabat, exemplo Julii Cæſaris, qui primus, teſte eodem Dione, a) commentus eſt hujuſcemodi conſules, ut eluderet poteſtatem ordinariorum, qui nomen anno dabant, & ſoli legitimam poteſtatem retinebant, utpote a Senatu manantem, ubi erant auſpicia, & auctoritas inſtituta more majorum; adeo ut in ſuffectos tantum transiret exercitium. Hinc inſignia conſularia, & ſcipiones eburnei, quæ ſymbolum erat, & argumentum conſularis imperii, a Senatu tradebantur: perinde atque hodie a ſummis principibus tribuitur auctoramentum, quod barbari vocant inveſtituram. Quamobrem non dubitarim ex eodem Dione deducere communem Conſulum, & magiſtratuum aliorum creationem: per commendationem ſcilicet, & ſuffragium Principis, ac Senatorum, & deſignationem apud populum: ne Senatu, ac plebe prorſus excluſis, vitio creati conſules haberentur, & religione vetarentur munus nefarie impetratum exercere. Unde, utcunque aliquid peculiare habuerint comitia conſularia quod nondum innoteſcat, omnino certe oportuit Principes non e potentia ſua militari proferre conſulatum candidatis, ſed rite Senatus e legitima poteſtate, publicaque auctoritate: ſine qua non conſules fuiſſent, ſed ſatellites tyrannorum. Et ſane ſi ſuo jure Princeps creabat conſules, quid opus erat ejus teſtimonio ad futurorum conſulum creationem? Atqui ex Spartiano b) ſcimus, Didium Julianum conſulatum ſibi meruiſſe teſtimonio Imperatoris. Teſtimonium vero Imperatoris, non apud Imperatorem ipſum proferendum fuit; ſed apud alium, qui auctoris loco aut judicis eſſet, nempe apud Senatum, & populum; repugnat enim, eundem eſſe teſtem, qui & judex. Quam Tacitus c) Conſulum creationem per comitia ignorare non potuit; utcunque illam, quæ ſub Tiberio uſurparetur, obſcuram ſibi fateatur. Etenim præter Suetonii locum d) ſuperius adductum, alium ejuſdem locum habemus in Vitellio, e) quem comitia conſularia in decem ordinaſſe tradit annos. Quo in loco notandum, inter nefaria Vitellii a Suetonio poſitum fuiſſe, quod in decem annos conſularia comitia ordinaverit, & ſe perpetuum Conſulem ediderit. f) Et in *Veſpaſiano* memorat g) comitia ſecundi conſulatus: ut intelligamus, ſine comitiis Imperatoris arbitrium ſatis non fuiſſe ad legitimum conſulatum. Nec deſunt aliorum ſcriptorum teſtimonia de comitiis conſularibus. Nam apud Lampridium h) invenimus in Conſulum creatione mentionem trinundinum: quæ vox eſt popularium comitiorum. Et Vopiſcus i) refert, *Tacitum impetrare fratri ſuo conſulatum a Senatu non potuiſſe.* Quid autem oportebat a Senatu conſulatum petere, ſi ab arbitrio pendebat Imperatoris? Aut quomodo Senatus negaſſet, ſi concedere jure ſuo nequiſſet? Neque obſcurum vetuſti moris in comitiis conſularibus veſtigium ſe nobis offert ex Plinii panegyrico. Ex quibus colligo, Imperatorem nominaſſe conſ[illegible]eriſſe in Senatu, quos vellet Conſules; ſola vero Imperatoris appellatione Conſules non fuiſſe, ſed ex ſuffragiis Senato-

a) *lib. 43. pag. 236. vide eund. p. 1. pag. 378. lib. 48*

b) *in Julian. c. 1.*

c) *lib. 1. annal. in fin.*

d) *in Domit. cap. 10.*

e) *cap. 11.*

f) *in Vitell. cap. 11.*

g) *cap.* [illegible]

h) *in* [illegible] *Severo cap. 28.*

i) *in Tacit. cap. 9.*

rum. Nam Lampridius, ut Alexandri reverentiam erga Senatum extollat, refert, eum Conſules, niſi ex ſententia Senatus, nunquam non iniſſe. Tandem dubitationem tollit omnem S. C. ſub Veſpaſiano conditum, quam legem Regiam appellant: ubi non excepto conſulatu, decernitur eorum omnium candidatorum, extra ordinem rationem habendam, quos Princeps S. P. Q. R. commendaverit. Ex qua Caſaubonus *a*) optime concludit, hac formula, imitatione C. Cæſaris, fuiſſe uſos ſequentes Principes, cum candidatos ſuos S. P. Q. R. commendarent: *commendo vobis illum, & illum.* Majeſtatis porro ſummam etiam, exorto imperio, in Senatu manſiſſe, hinc præ ceteris colligitur, quod Imperatores Senatui aſſurgerent; quod cum vel oblivione, vel faſtu Jul. Cæſar neglexiſſet, & Senatum ad ſe ſedentem venire ſuſtinuiſſet; in eam invidiæ flammam, & arrogantiæ opinionem ſe conjecit; ut juſtam percuſſoribus ſuis cauſam inſidiarum præbuerit, & excuſationem eis apud populum, eo Senatus contemtu, paraverit. *b*) *

XVI. DE JUDICIIS PUBLICIS.

Ab eo quoque, nempe Tiberii tempore, judicia illa omnia, quæ populi erant, præcipue perduellionis, & majeſtatis; & quæcunque negotia provocationis jure ad populum ferrentur, devenerunt in Senatum, ſimul cum comitiis popularibus, ubi antea tractabantur. Etenim Senatus & antea quidem, Polybio teſte, *c*) judicia extraordinaria tenebat plurima; & poſtea ſub Imperatoribus in populi locum ſuccedens, cognitionem popularium quoque ſuſcepit negotiorum, quæ paſſim apud ſcriptores in Senatu agitata comperiuntur; præſertim apud Tacitum, *d*) qui ſub Tiberio ſcribit: *publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur, dabaturque primoribus diſſerere.* Cum autem inter Senatores, ut eorum unus, cognoſceret, ac judicaret Imperator, qui etiam in omnibus judiciis calculum ſuum ferre poterat, quod, Dione teſte, *e*) Auguſto primum conceſſerat Senatus; & periculoſum eſſet ſolius præſidio legis diſcrepare a ſententia potentioris; judicia illa, quæ inſtituto Reip. liberis Senatorum ſententiis permittebantur, opinione militaris potentiæ plerumque trahebantur ad voluntatem ejus, qui legiones ha-

a) Sueton. *in Cæſ. c. 41.*

b) Dion *lib. 44. p. 244.*

* Fluctuat hoc capite Auctor, & modo Rempublicam, quæ fuerit popularis, in Rempublicam Optimatum verſam fuiſſe, ait, cujus militare caput fuerit Imperator, civile Conſul, corpus vero integrum Senatus; modo poteſtatem civilem nunquam populo ademtam putans, continuoque miſcens Senatus populique poteſtatem. Debebant tamen ſejungi, quos promiſcue accipit, & diſtingui quæſtio juris & facti. Majeſtatem populo diſerte adſcribit Ulpianus in *L. 1. §. 1. D. ad Leg. Jul. Maj.* idem & Senatus ſemper conjunguntur in lege Regia. Tiberius tamen, cum periculoſum videretur, populum amplius ad Comitia convocare, Senatum pro populo conſuli maluit, & quamvis jus priſtinum populo, Cajus, ut eſt apud Suetonium, reddere tentaſſet, tamen id paullo poſt ab ipſo, aut a ſucceſſoribus ejus omiſſum, Lipſius oſtendit. Sed Senatus quoque auctoritas ſæpe acciſa, quem in poteſtate facile habere poterat princeps per rationes Conſiſtorii, de quo mox.

c) *lib. 6.*

d) *lib. 4. annal. c. 6.*

e) *lib. 51. p. 457. lit. B.*

bebat in poteſtate, quique judicabat quidem æquo jure cum ceteris; metu vero tacite in animos immiſſo, ſententias corripiebat univerſorum. Quia vero, ut refert Suetonius, *a*) Neronis tempore, atque a Probo etiam *b*) conſtitutum fuit, ut ab omnibus judicibus ad Senatum appellaretur; evenit, ut Princeps judicans cum Senatoribus ipſius potentiam verentibus, ejusque ſententiam plerumque complectentibus, cauſarum fere omnium redderetur arbiter.

XVII. DE CONSILIO IMPERATORIS, SIVE DE CONSISTORIO.

Et quoniam, ſi res ad pauciores pervenerint, facilius deducuntur in poteſtatem unius, cui expeditius eſt aliquot ſuperare, quam omnes; Auguſtus etſi nihil ademerit Senatui, qui vetera, & conſueta judicia ſub eo, aliisque Principibus exercebat, & populorum legationes excipiebat, & Regibus reſponſa dabat; *c*) ne tamen omnibus, ac minoribus etiam in negotiis conſulere atque induſtria ſua ducere Senatores cogeretur univerſos; & ſimul, ne præter jus fasque decernere videretur absque auctoritate Senatus, ſine quo nihil erat legitimum; conſilium ſibi conſtituit ex duobus, vel altero Conſule, quando ipſe conſulatum gereret; & ex magiſtratuum ſingulis, & ex primoribus Patrum XV. ſorte datis ad ſex menſes. Quo ſpectat illud Suetonii in Auguſto, *d*) *ſibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.* Quinto vero adminiſtrationis publicæ ſibi delatæ decennio, a Senatu petiit XX. Senatores annuos, quos ſibi adhibebat in conſilium; ut quod eo conferretur cum ceteris quoque Senatoribus conſultum, atque in commune decretum videretur cum univerſo Senatu: cujus integra poteſtas, ab ea ſui corporis portione ſuo conſenſu in conſilium Principis, una cum Conſulibus, & Magiſtratibus coëunte præferebatur: cum ipſe Auguſtus propter ſenectutem frequens in Senatu adeſſe nequiret. *e*) Nec tamen ſatis erat e Senatoribus, atque ex Senatorum ſententia Principem conſilium ſibi legiſſe, ut quod ibi ſtatueretur tanquam legitimum, & e poteſtate publica profectum, perpetuo permaneret: quia poteſtas publica, & juris ratio, non in parte Senatus, neque in culmine ipſius, nempe in Imperatore, ſed in univerſo cœtu legitime coacto conſidebat. Ideo Auguſtus decretis ſuis perpetuam firmitatem comparaturus impetravit, *f*) ut generali S. C. poteſtas judicialis, & publica Senatus univerſi transferretur in conſilium illud Principis: quod ab eo tempore S. C. condendi facultatem accepit, quam Princeps ſibi apud populum tuebatur auctoritate Magiſtratuum eo convenientium, qui poteſtatem ſuam in commune adducebant, ſuumque jus cum ceteris conſiliariis, & cum ipſo Principe communicabant: atque huc revocanda ſunt Pomponii verba In *l. 2. ff. de orig. juris §. 2. Conſtituto Principe datum ei jus eſſe, ut quod conſtituiſſet ratum eſſet.* Hoc enim de fonte, nempe de conceſſione Senatus jura ſua Principi tribuentis, & e præſentia compro-

a) *in vita* Neronis *c. 18.*
b) Vopiſcus *in* Probo *c. 13.*
c) Dion *lib. 53. p. 511.*
d) *cap. 34.*
e) Xiphilin *in* Auguſt. *pag. 217.*
f) Dion *lib. 56. ann. 766. p. 588.* Zonar. *in* Aug. Tiberm. *t. 1. p. 48.*

bantium Magiſtratuum, non e poteſtate ulla regia duxerunt Imperatores legitimam judiciorum, & legum condendarum facultatem, e populo primum ad Senatum translatam, & e Senatu ad conſilium Principis, poſterioribus temporibus conſiſtorium appellatum; quod ubi Princeps eſſet, ibi conſiſterent Magiſtratus majores & primores Patrum, qui propterea, & Conſiſtoriani comites vocabantur: inter quos, quia de publico privatoque jure ſtatuebatur, adſumebantur, & jurisperiti: qui propterea circa latus Principis agere a Papiniano, *a)* & ab Ulpiano *b)* circa Principem occupari dicebantur. Quod conſilium ſemel a Senatu Auguſto traditum Tiberius, & ſequentes Principes valde retinere ſatagerunt; ne illo dimiſſo, legitimam amitterent auctoritatem. Imo illud ſecum perpetuo duxerunt, ut Senatum integrum, cujus poteſtas etiam conſiſtorio hærebat, apud ſe habere viderentur. Hinc Spartianus ait, *c)* tempore Adriani jam tranſiiſſe in morem, ut *cum Princeps cauſas cognoſceret, & Senatores, & equites Romanos in conſilium vocaret, & ſententiam ex omnium deliberatione proferret. d)* Et rurſus eundem Adrianum refert *cauſas Romæ, atque in provinciis frequenter audiviſſe, adhibitis, conſilio ſuo, conſulibus, atque Prætoribus, & optimis Magiſtratibus.* Idemque *e)* ſcribit, adſciviſſe ſibi Adrianum in conſilium JCtos: quos tamen Senatus probaſſet omnis. Alexandrum autem Severum, tradit Lampridius, *f)* vocaſſe ſibi in conſilium ad ſeptuaginta, quantum, ut ea forſan ætate inoleverat, S. C. condendo eſſet opus ad juſtum Senatorum numerum. *g)* Cum autem Imperator perpetuo ſecum duceret jura Senatus, collata in ſe tanquam Senatorum uno, & Senatus Principe, atque in Senatoribus aliis, inque Magiſtratibus, qui eum comitabantur; & eadem jura in univerſo Senatu integra manerent; evenit, ut Princeps cum ſuis conſiliariis, atque Magiſtratibus; item & Senatus urbis univerſus publicam poteſtatem præ ſe in ſolidum exprimerent, quamvis diviſis portionibus, & perſonis, & locis eam exercerent: perinde ac plures hæredes, quorum ſinguli quidem certam hæreditatis portionem, certasque actiones ſibi diviſas exercent, unusquisque tamen hæreditatem univerſam & jus hæreditarium omne in ſolidum ſuſtinet. Siquidem tam hæreditas, quam imperium inter incorporalia veniunt; & utraque in jure conſiſtunt: ac ſicuti de hæreditate Papinianus ait, ita & imperium etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet.

XVIII. DE COMMUNIONE SENATUS, ET PRINCIPIS.

Unde princeps cum comitatu ſuo eandem, ac parem, atque, ut cum vulgo Doctorum loquar, cumulativam * cum Senatu poteſtatem habebat: quia conſiſtorium Principis non jure, ſed perſonis, locisque ab univerſo Senatu diſtinguebatur.

a) *l. jurisperitos ff. de excuſat.*
b) *l. verum 11. §. ex furto ff. de minor.*
c) *in Adriano cap. 8.*
d) *cap. 22. in Adrian.*
e) *cap. 18.*
f) *in Alexandro cap. 15.*
g) Cujac. *in Novell. 20.*

* Poteſtatem populi per Senatum cum Principe communicatam fuiſſe, Noodtius quoque docet *oratione de lege Regia & Obſervationum l. I. c 3.* quamvis negari nequeat, ſæpiſſime contigiſſe, ut Senatus auctoritas in ſolis ſe exſereret nominibus, titulis & inſignibus. Civiles tamen Principes

Ideo

Ideo appellationes, quæ perferrentur ad Principem, & ad Senatum perveniſſe putabantur. Nam regulariter neque a Senatu ad Principem provocatur. *a*) Quamvis præter ordinem aliquando, turbato judiciorum jure, ſub Cajo a Senatu ad Principem fuiſſe appellatum, obſervet Lipſius *b*) ex Dione. *c*) Quod oratione ſua expreſſit Adrianus *d*) ſequentium forte Imperatorum ambitionem, aut licentiam; & aſſentationem repreſſurus eorum, qui a Principe ad Senatum per eam cauſam provocare tentarent, quod in conſiſtorium Cæſaris flos Senatorum, & Magiſtratuum, una cum ipſo Principe, conveniret. Ac ne quid diſcriminis inter Principis judicium quis, & Senatus ſuſpicetur, refert Tacitus, *e*) ſub ejusdem pecuniæ amittendæ periculo recipi provocationes ad Senatum, quo recipiebantur appellationes directæ ad Principem; ne temere, atque trahendæ ſententiæ cauſa litigatores ad appellationis auxilium confugerent: ſcribit enim: *Auxitque Patrum honorem, ſtatuendo, ut qui a privatis judicibus ad Senatum provocaviſſent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui Imperatorem appellavere.* Neque ſupremam, atque communem cum Imperatore Senatus auctoritatem depreſſit * Novella ſua LXII. Juſtinianus: qua de Novella plurimi, aut negligentiores, aut craſſiores, colligunt, ſententiam Senatus a Principis confirmatione indiſtincte pendere. Verbum etenim *confirmare* quod ibi legitur (Græco enim exemplo caremus) non ſemper *adprobare*, ſed aliquando *ſimul firmare* ſignificat, *f*) hoc eſt, unius calculum calculis aliorum adjicere, qui ſi ab aliorum ſententiis diſcrepet, non propterea judicium vacillabit, utcunque calculus ille ante dimiſſum judicum conſilium ſit expectandus. Quin neque hujus argumentum Novellæ ab his recte, ac germano ſuo ſenſu proponitur: ſiquidem non de provocatione ad Senatum hic agitur, ſed de provocatione ad ipſum Principem. Qui etiam in cauſis ad ſe adductis ſententiam poſcit Senatus univerſi, ſententia Principis confirmandam, ut patet, additum

Senatus etiam faſtigio ſæpe ſtuduerunt. Exemplum Hadriani a Senatu ad Principem appellari nolentis apud Auctorem eſt. Sed nec ad Senatum frequenter adeo appellatum fuit, poſteaquam Præfecto Prætorio, Magiſtratui plane Imperatorio, datum eſt hoc privilegium, ut ab eo appellari non poſſet. *L. un. §. 1. D. de offic. præf. Præt.*

a) *l. 1. ff. a quibus appell. non licet.*

b) *lib. 14. ann.* Tacit. *p. 321.*

c) *lib. 58.*

d) *l. 1. §. 1. ff. a quib. appell. non licet.*

e) *lib. ann 14. c. 28.*

* Si integræ frontis eſt Procopius *in arcana hiſt. c. 14.* Senatum omnimodo parvi fecit Juſtinianus, cujus verba in *Novell. 62. Ut ex divina ſententia ejus Senatus calculus confirmetur*, interpretationem Auctoris & Cujacii admittere non videntur, etiamſi Senatus ibi vice Principis cognoſcat. In Gallia quoque quantum mutata res ab iis temporibus, quibus Cujacius floruit, palam eſt; etſi vel ſic verum ſit, quando Senatus appellatur, Principem appellari, quia Senatus Principis nomine jus dicit. Ultimum jus, quod Senatus exercuit, fuit facultas Prætores tres conſtituendi, quæ ad tempora usque Leonis duravit, qui in *Novella ſua 47.* id demum abrogavit & omnia penitus a Principis cura pendere voluit.

f) *l. 3. §. ejusdem 1. ff. de teſtibus, ibi* alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem: *vide* Natal. *ab* Alexandro *hiſtor. Eccleſ. Sæc. 4. p. 1. fol. 157. ubi hæc adducit epiſtolæ Synodicæ Epiſcoporum Arianorum verba:* Num in Roma ſub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum conſilium ab orientalibus confirmatum eſt.

Digitized by Google

potius, quam detractum fuiſſe hac Novella poteſtati Senatus: quem univerſum Juſtinianus conſultum voluit, etiam cum ipſe Princeps appellatur. Quam nobis interpretationem præſtat auctoritate ſua Cujacius, *a*) qui conſtitutionem hanc accipit de appellantibus, non ad Senatum, ſed ad ipſum Principem. Regna porro, quæ in orbe Romano ſunt, & quidem civiliora, uti regnum Galliæ, ſibi exemplum ceperunt a Romana Rep., quæ unice novit imperium cum libertate contexere. De qua Gallici Regiminis inſtitutione, Regisque cum Senatu æqualitate, Cujacius ita teſtatur: *b*) *Hodie moribus noſtris dum appellatur ad Senatum, appellari videtur ad Principem.* Eſt enim Princeps ex Romanorum, & regnorum ad id exemplum conditorum moribus pars Senatus, qualem ſe profitetur Julianus: *c*) & contra Senatus pars Principis, qualis agnoſcitur ab Arcadio, & Honorio *d)* his verbis: *Senatorum etiam (nam & ipſi pars noſtri corporis ſunt.)* Ex quibus Cujacius colligit, *e*) non oportere a Principe Senatus decreta confirmari. Cur? Num forte quia Princeps vocaverit Senatum in partem ſuæ civilis poteſtatis? minime: nullam enim jure ſuo Princeps habebat, ſed jure magiſtratuum ſuſceptorum, aut ipſius communione Senatus, de quo velut ex fonte publici Juris Imperator poteſtatem partim, oblata occaſione, hauriebat, partim perenniter ducebat; ut ideo Princeps pars Senatus, & Senatus pars Principis cenſeantur, quod ſimul ex Senatoribus, & Principe Senatorum uno, eorumque capite univerſus Senatus ejusque corpus componeretur integrum. Nam in Senatum præter cognatam, veteremque majeſtatem a Tiberii ævo, conceſſerat majeſtas etiam populi: quæ utrinque prodiens in perſona Imperatoris per Tribunitiam poteſtatem, & Senatorium principatum ita exprimebatur; ut derivaretur quidem in Cæſarem; ab radice tamen ſua, nempe ab Senatu nunquam avelleretur.

XIX. DE DISCRIMINE INTER IMPERIUM, ET REGNUM.

Id enim interfuit P. R. Imperatorem creare, non Regem, quod Imperator deducit; Rex vero abducit a populo ſuſceptam ſibi majeſtatem. Cum enim Rex creatur, (qualis creabatur apud barbaros, quorum vile ſervitium Romani averſabantur,) in eum omnis populi poteſtas, & voluntas publica recta confertur: eſt enim, uti Rex Perſarum, *αὐτοκρατὴς καὶ ἀνυπεύθυνος*, ut principem illum jus, fasque quandoque perturbantem, vitamque aliorum, & bona rapientem, ſi populus tollere conetur, cogatur civilem evertere ſtatum, & publicam commutare voluntatem, novamque inde fundare Rempub. Quo ne cives adigerentur, ſi Rex regni everteret leges publicas, eum, uti moris olim erat Perſarum, jurare cogebant in leges; ut cujus poteſtas a populo coërceri amplius nequibat, ſine regni everſione, auctoritate jurisjurandi, atque ultione divina contineretur. *ſ*) Quod & de Regibus noſtratibus teſtatur Cujacius. *g*) At Romanum Imperatorem ſumen-

a) *in Novell. 62.*
b) *ead. Novell. 62.*
c) *l. 8. C. de dignit.*
d) *l. quisquis ff. ad l. Jul. majeſt.*
e) *dicta Novell. 62.*
f) *vide* Grot. *de jur. belli & pacis lib. 1. cap. 3. XVI.*
g) *ad l. 3. enarr. C. de teſtam. & quemad. teſt. ordinentur.*

tem

tem ſibi, minime vero abſumentem S. P. Q. R. majeſtatem; ſi abuteretur Imperio, licebat, ſemperque licuit, niſi violentia militari muniretur, nulla variatione ſtatus civilis, nullaque mutatione Reipub. vel Imperio exuere, vel vita. Qua toties auctoritate uſum Senatum inferius prodemus e memoria rerum geſtarum. Ideo Imperatore creando, eum ad jurandum in leges non adigebant, *a*) quia publica poteſtate in populo, & Senatu adhuc permanente, violentiam avertere licebat illius. Regnum nimirum Remp. totam exhaurit, & cum ea majeſtatem univerſam transfert in perſonam unius, aut ſucceſſorum; quo vel ſolo, vel cum poſteritate, ſi regnum ſit hæreditarium, populi ſeditione ſublato, ſolvitur poteſtas publica, quæ in eorum perſona coaluerat: niſi civile regimen ex integro nova populi voluntate reſtituatur. Imperium contra eſt cumulus magiſtratuum e Republica penes Senatum, populumque locata continenter in principem confluentium; ut ſublato Imperatore, vel Imperio, jura magiſtratuum eorum refluant ad Remp. neque Imperatore damnato a proprio ſtatu diſcedentem, neque Imperio illo extraordinario evulſo pereuntem, ſed in Senatu, & in ordinariis magiſtratibus perpetuo permanentem. Non bene igitur Dion aſſequebatur ſenſum dominatoris populi, quando mirabatur Populum Romanum, cum Regiam poteſtatem per tot magiſtratus Imperatori contuliſſet, exultare tamen quod Regem non ferret. Nimirum quamvis Senator eſſet Dion, græciſſabat tamen, neque tam ſerio, ac populus Romanus, diſcrimen expendebat inter Regem, & regia poteſtate præditum magiſtratum, ſive civilem, quales erant Conſules, qui cum regia etiam poteſtate creabantur, quippe qui & in Regum loco ſucceſſerant. Unde ſicuti Conſules, ita, & Imperator, pars erant Reipub. univerſæ: cujus ſub poteſtate ſimul cum ceteris magiſtratibus continebantur. *

XX. DE LEGISLATIONE SENATUS.

Translatis quoque comitiis ad Patres, tranſiit in Senatum jus condendarum legum, quod fuerat penes populum univerſum: *b*) quo in jure ſumma vertitur majeſtatis: quæ ob ſuperiorem rationem, & diſcrimen regnum inter, & Imperium, neque a Senatu abſceſſit, neque a populo, cujus imago a Senatu reddebatur. Nam, utcunque legislatio cum principe, ipſiusque conſiſtorio ex S.C. a nobis memorato communicaretur; tamen ob impreſſum in animis antiquæ Reip. ſtudium, atque religionem; Principum placita, quæ ab univerſi Senatus auctoritate proce-

a) Cujac. *add. leg. ex* Plinii *Paneg.*

* Sumit hoc loco Regis vocabulum Gravina pro Rege abſoluto, cum tamen apud ipſos etiam Romanos hoc nomine Reges limitibus circumſcripti venirent. Ecce enim primi Reges Romanorum, Romulus & reliqui, minime abſoluti erant, ſed leges ex voluntate populi ferre cogebantur. Confunduntur dein jura quoque regni hereditarii cum juribus regni abſoluti, & minus recte procedunt binæ differentiæ, quas dein inter Regnum & Imperium conſtituit, nimirum, primo, tyranno in regno ſublato tolli formam Reipublicæ, non tolli, ſi tyrannus perimatur in Imperio, & tum, Reges in leges jurare, non jurare Imperatorem, cum neutrum Regno aut Imperio proprium ſit, & Regnum ab Imperio ſolo verborum ſono diſtet.

b) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 26. in fin.*

derent more majorum; legis quidem habebant vigorem, *a*) ut Juriſconſultus docet, non tamen continuo, ac ſtatim, ſed poſtquam tempore invaluiſſent, atque inoleviſſent uſu, & conſenſu civitatis: qui & ſententiis judicum tribuit juris auctoritatem. *b*) Unde Cujacius *c*) obſervavit, Paullum ſæpe improbaſſe decreta principum, ſcribens: *Nec decreta Principum jus faciunt, niſi quæ invaluerint. Nam quod cognoſcens decrevit Princeps, ſcio legem eſſe, ſed cum hoc modo, ſi invaluerint.* Macrinus autem Imperator, *d*) qui peritus erat juris, reſcripta omnia veterum Imperatorum tollere ſtatuerat, quod non ab univerſa Republica ſcilicet, ſed ab unius voluntate manarent. Volebat autem, ut jure, non reſcriptis ageretur: *nefas eſſe*, dicens, *leges videri Commodi, & Caracallæ, & hominum imperitorum voluntates.* *

XXI. DE CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM.

Communicata nimirum populi, ac Senatus cum Principe, non vero in Principem tranſlata univerſa poteſtate, leges a Principe latæ, ſive conſtitutiones, non a Principe tanquam ex Regia perſona prodibant, ſed tanquam ab oraculo Reipublicæ atque ipſius voce Senatus: quem antequam quidquam in perpetuum, ac pro univerſali lege ſtatueret, oratione conſulebat, apud Patres habita, eadem ratione, qua populum univerſum rogabat laturus legem Tribunus plebis, cujus poteſtatem ſibi adjunctam Princeps roganda lege, non apud populum, ut Tribunus exercebat, ſed apud Patres, qui jura omnia populi, & Rempublicam retinebant univerſam. Cujusmodi conſtitutiones, quarum habemus plura veſtigia in libris Pandectarum, *e*) figura, & more apud Senatum conditæ vetuſtatis imitatione migrabant in legem, ſive in S. C. in quod, populi juribus tranſlatis ad Patres, transfuſæ fuerunt vires legis: quæ antea Patrum auctoritate, ac populi ſuffragiis, magiſtratu rogante, condebantur.

XXII. JURAMENTA IN ACTA PRINCIPUM.

Nec fugiebat Imperatores eorum placita, ſicut & alia, quæ non habebant jure magiſtratus, haud ſecum ab origine ſua ferre, ſed ab auctoritate Senatus perpetuam accipere firmitatem. Ideo ne vel auctoribus mortuis a Senatu abrogarentur, vel iis adhuc viventibus tantiſper ſuſpenderentur, donec S. C. accederet, in futura Principum acta, cenſente Senatu, *f*) jurabatur. Quod a Triumvirorum

a) *l. 1. ff. de conſtit. princip.*

b) *l. ſi de interpretat. ff. de legibus.*

c) *lib. 3. qu. Papin. l. in ration. 11. §. quæſitum ff. ad l. Falcid.*

d) Capitolin. *in Macrin. cap. 13.*

* Legiſlatio quoque Senatus magis in ſpeciem valebat quam re. Id enim agebant Principes, ut cum paucos facilius in poteſtate retinere poſſent, quam plures, populum per Senatum legibus obſtringerent, unde Senatusconſulta ad Orationes Principum fiebant. Invaleſcentibus Conſtitutionibus Principum, Senatusconſulta quoque fieri deſierunt, donec Leo in *Novella ſua 78.* Senatui omnem penitus poteſtatem adimeret.

e) *L. item veniunt §. pridie ff de petit. hæredit. l. oratione ff de ritu nupt. & alibi.*

f) Tacit. *lib. 1. c. 72.*

tempo-

Digitized by Google

tempore inolevit, qui & in actis Cæſaris interemti * jurarunt, & poſteritati tradiderunt, ut idem quoque juramentum præſtaretur omnibus a Republica non damnatis Imperatoribus. *a*) Quod juramentum cum initio reſpuiſſet Tiberius, *b*) poſtea ut acta ſua m[illegible]iret, libenter a Senatoribus accepit univerſis: *c*) adeo ut non ex Imperatorio jure, ſed ex voluntate Senatus, per jurisjurandi religionem continuata, Principum juſſa tranſierint in legitimam poteſtatem. Quod forſan latebat in animis eorum, quos amare carpit Juſtinianus, ſive ſub ejus perſona Tribonianus *d*) indignatus, quod ſupremum in legum interpretatione judicium opinione ſua Imperatori adimerent, cui uni condendarum legum poteſtas permitteretur: quaſi ſapientes illi, qui ſenſus gerebant adhuc Græcanica in urbe Romanos, ſi animum libere promiſiſſent ſuum, dedidiſſent Triboniano, quod ultro ſibi ſumit, ſupremum nempe jus legum condendarum ſolo in Imperatore conſtitiſſe, nec perenniter ad eum fluxiſſe a conſenſu, atque communione Senatus.

XXIII. DE LEGE REGIA.

Quamobrem Tribonianus doctiſſimus una, & mendaciſſimus, ** ut aliquo colore ſuffunderet impudentiam, adulationemque illam ſuam, qua Imperium Romanum in regnum, invita Republica convertere conabatur, nactus occaſionem turbandi juris publici obruendæque antiquitatis ab emendatione juris privatorum, quorum in negotiis tota fere Tribonianea digeſtio verſatur, per commotionem, atque confuſionem illam, in quam adducere oportuit leges, antequam illius arbitrio reſtitutæ, aut interpolatæ populis redderentur; legem extulit neſcio quam Regiam, quaſi natam ex inſtitutis Romanorum, quibus antea vel ignorabatur prorſus, vel vera ſub ſpecie, nempe ſub facie veteris Reipublicæ atque ſub libertatis imagine offerebatur. Quod veluti ſalutare ſidus legentium aciem perſtricturum, & legisla-

* Unde putet, hoc jusjurandum primo tantum ad Acta Imperatorum defunctorum pertinuiſſe, donec etiam ad Acta futura porrigeretur. Nimium autem ſpatium inter tempora Tiberii & Juſtiniani intereſt, quam ut ab illis ad hæc argumentum ducere liceat. Juſtiniani enim ævo Imperium dudum potentiam Senatus principum artibus labefactatam abſorpſerat, eademque tacito populi conſenſu in Principem tranſierat.

a) Dion *lib. 47. p. 337.*

b) Tacit. *lib. 1. cap. 72.*

c) Dion *lib. 48. p. 632.*

d) *L. ult. C. de legibus.*

** Mendacii abſolvi poterit Tribonianus, ſi animadvertamus, alios quoque auctores veteres ita, ut ipſe diſſerit, locutos eſſe. Cæſari ſane omnia Divina ſimul atque humana Senatusconſulto decreta eſſe; Auguſtum autem morum legumque regimen perpetuum recepiſſe, Svetonius in vita eorum auctor eſt, quem cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium recepiſſe, Tacitus auctor eſt *Annal. lib. 1. c. 1.* Veſpaſiano quoque in lege Regia poteſtatem dari videmus, ut quæcunque ex uſu Reipublicæ, majeſtate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum eſſe cenſuiſſet, ei agere jus poteſtasque eſſet: Quia adulatus videtur, præterii Senecam, qui de *clem. lib. 1. cap. 8. v. 11.* ad nutum Neronis nationes funditus excidi, ait, & ipſius arbitrio tribuit, quos transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur.

Digitized by Google

tionis ſuæ præſidium, ac Principi novum imperandi jus comparaturum præfixit in veſtibulo librorum; ut amatores juris ipſomet initio hamum vorarent; veterumque juriſconſultorum ita doctrinam haurirent, ut fraudem ſimul novorum legislatorum ad recentis Regni uſum imbiberent. Quamobrem ita loquitur ex perſona Juſtiniani: *a*) *Cum enim lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus, omnisque poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſit poteſtatem; nos vero ſanctionem noſtram non dividimus in alias, & alias conditorum partes, ſed totam noſtram eſſe volumus: quid poſſit antiquitas noſtris legibus abrogare?* quod repetitur in *C. l. 1. eod. §. 7. de vet. jur. enucl. & Inſtit. de jure nat. gent. §. 6.* Cujus Regni novitatem Tribonianus, utcunque nullius frontis, tamen ita diſſimulare non audebat in recenti adhuc memoria vetuſtatis, ut eam lectoribus non reliquerit expoſitam, adjectis verbis *b*) *in præſenti:* Ex qua diſcimus, antea tantæ ad poteſtatis faſtigium principes minime aſcendiſſe. Adeo ut interpretibus, præſertim Accurſianis, & Bartolinis Romanam Rempubl. & Imperium extra Juſtinianeos codices nunquam explorantibus luſus verborum videatur diſcrimen inter Regem, & Imperatorem, quem illi non varietate juris, ſed amplitudine ditionis diſtinguunt a Regibus; quod ſcilicet Reges dominantur ſuis quisque populis, Imperatores autem Romani orbis nationibus univerſis, quaſi P. R. ſub Imperatoris nomine ſibi Regem impoſuerit, quando ei, & in eum per legem Regiam jus omne ſuum, & poteſtatem contulit. Quem Tribonianus laqueum imperitis tendere potuit, non vero eruditis optime gnaris jurium populi, apud quem a primæva usque inſtitutione Reipublicæ ſi tribunitiæ ſeditiones civilia fœdera non turbarent, minime licebat ulla de re agere cum populo, niſi præiret S. C. & Patres auctores fierent. *c*) Quomodo igitur tranſierit ad principem populi poteſtas in condendis legibus, niſi conditione ſub eadem, qua erat apud populum, nempe ſi legibus condendis Senatus prævertiſſet auctoritas? Unde etiam ſi legem Regiam perfunctorie, & ſine ullo examine accipiamus, & populi omne jus in Principem translatum demus; integram tamen legum condendarum auctoritatem in Senatu conſervabimus.

XXIV. DE VERO LEGIS REGIÆ SENSU.

Verum quoniam neque Cæſaris æmulatio cum Pompejo, neque perfidia Triumvirorum, neque violentia legionum, & inſolentia Prætorianorum cohortium; ſed unice abuſio, pravaque intelligentia legis iſtius Regiæ Rempubl. perdidit; ideo revocabimus eam ad ſuam lucem, quam Tribonianus, contra fidem monumentorum veterum, obumbravit, viam inde Principi ſuo muniturus ad Regnum; & Imperio Romano generoſitatem ſuam. æquitatemque priſtinam, & populorum benevolentiam, cultumque reddemus, ademta invidia regiæ dominationis, a pulſis Tarquiniis ex urbe perpetuo exulantis. Nemo profecto negaverit, Romanos in Græciam transductos cum cœlo, & animos una mutaſſe, fractosque abjectione, atque adulatione Græcorum, pertuliſſe nomina *ὑπάτων* & *βασιλέων* *ſupremorum* & *Regum* pro *Conſulum*, & *Imperatorum;* quibus lacerabantur aures, animique Latinorum, a mutatione nominum, mutationem rerum prudenter metuentium, ac ſuſpican-

a) *in præfat. 1. Digeſt. §. 7.*
b) *d. l. ult. C. de legibus.*
c) Dionyſ. *loc. cit.* Livius *lib. 1.*

tium,

Digitized by Google

tium, ne cum regiis appellationibus regia dominatio in Imperium latenter ſerperet. Sicuti potiſſimum contigiſſe videmus S. C. quod Ulpiani tempore, *a*) niſi quid nobis, Ulpiani nomine, Tribonianus obtrudit, legis Regiæ vocabulo vulgabatur, propter poteſtates Conſulares, Senatorias, & populares, quæ Imperatori creato tribuebantur. Et quidem regiis inde facultatibus Imperator induebatur, ut propterea Senatusconſultum illud legis viribus a comitiorum translatione munitum Regia lex appellaretur: at Rex minime conſtituebatur, quia poteſtates illas princeps non avellebat radicitus a Senatu, neque in ſuam ſolius perſonam transferebat; ſed cum eo habebat, veluti cum corpore univerſo, communes. Et tamen quia earum poteſtatum complexio legis Regiæ nomine ferebatur, facile Triboniano fuit, auctoritate legis, & nominis illius, Regni opinionem Imperio comparare ab iis præſertim, ut diximus, qui non aliunde, quam a libris e Triboniana ſtrage ſuperſtitibus Reipublicæ Romanæ cognitionem, & ſtudium antiquitatis exordiuntur.

Et tamen, quod miremur, quæ lex Triboniano murus eſt æneus, & cardo regiæ poteſtatis, meminiſſe tantum ſatis habuit illius, particulam * vero inter leges poſteris tranſmittendam inſeruit nullam. Cur? niſi ut exaggeranda verbis ea lege, quam nobis una cum ceteris brevi morituris ſubtrahebat, ita involveret mentes hominum, ut plus juris in eam legem ex Triboniani teſtimonio conferrent opinione ſua, quam re ipſa contineretur. Quamobrem ii, qui S. C. illud, quod Legis Regiæ nomine vere profertur, vel ignorarunt, vel pro lege Regia non agnoverunt, quia talem poteſtatem, qualem Tribonianus jactat, ibi non inveniebant; aut cum Cujacio in hanc etiam fraudem inducto natam contenderunt in urbe ſub priſcis Regibus, & poſt ad Cæſares revocatam, *b*) quaſi regnum non Rempubl. a Rege, ut oſtendimus, adminiſtrandam Romulus inſtituiſſet; aut putarunt, Auguſto primum, & deinceps ceteris Regiam poteſtatem fuiſſe collatam per legem Regiam, cujus nomen tantum ad nos pervenerit: quaſi adeo fuerit excors, & fraudum imperitus artifex Tribonianus, ut qui tot alias minoris momenti conſervarit, legem Principis ſui tutelarem perire ſiverit; vel (quod opinionem refellit utrorumque,) quaſi opus fuerit Imperatoribus ſingulis per ſuſcipiendos magiſtratus, perque tot ambages obrepere ad poteſtatem regiam, ſi per publicam legem ad eam recta via tetendiſſent; ut neceſſe ſit, hunc errorem vel inter imperitos habitare, vel locum invenire tantum inter adulatores, qui etiam liberalia ſtudia, quibus excellunt, in ſervitutem ſecum trahere conſueverunt. Cum igitur legis Regiæ monumentum non interciderit, age videamus, qua fide Tribonianus eam Regno ſuo prætenderit, & qua calliditate homines ab inquiſitione, atque lectione illius ad novam fabulam, nempe ad ſententiam, ab ſe inde mala fide collectam, atque ad poſteros fraudulenter tranſmiſſam averterit.

a) *L. quod principi ff. de leg.*

* Imo Juſtiniani ævo jam adeo auctum erat faſtigium Principatus, ut majeſtati Principis injurioſum videretur, repetere legem, qua olim poteſtas ejus accidebatur, tanta autem rerum ſimul veterum in Senatu & populo Romulo ignorantia, ut nec ullius uſus eſſet, apponere particulam legis, uſu dudum abolitæ.

b) Cujac. *Inſt. lib. 1. de jur. nat. gent.* §. 6.

CON-

CONTEXTUS
LEGIS REGIÆ.

FOEDUSVE. CUM. QUIBUS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG.
TI. JULIO. CÆSARI AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO.

UTIQUE. EI. SENATUM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATUS
CONSULTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQUE. FACERE. LICEAT
ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TI. CLAUDIO. CÆSARI
AUG. GERMANICO,
UTIQUE. CUM. EX. VOLUNTATE. AUCTORITATEVE. JUSSU. MANDATUVE. EJUS
PRÆSENTEVE. EO. SENATUS. HABEBITUR. OMNIUM. RERUM. JUS. PERINDE
HABEATUR. SERVETUR. AC. SI. E. LEGE. SENATUS. EDICTUS. ESSET. HABERETURQUE
UTIQUE. QUOS. MAGISTRATUM. POTESTATEM. IMPERIUM. CURATIONEMVE
CUJUS. REI. PETENTES. SENATUI. POPULOQUE. ROMANO. COMMENDAVERIT
QUIBUSQUE. SUFFRAGATIONEM. SUAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORUM
COMITIS. QUIBUSQUE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATUR,
UTIQUE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CUM. EX REPUBLICA
CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. TI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG.
GERMANICO,
UTIQUE. QUÆCUNQUE. EX. USU. REIPUBLICÆ. MAJESTATE. DIVINARUM
HUMANARUM. PUBLICARUM. PRIVATARUMQUE. RERUM. ESSE
CENSEBIT. EI. AGERE. JUS. POTESTASQUE. SIT. ITA. UTI. DIVO. AUG.
TIBERIOQUE. JULIO. CÆSARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI
AUG. GERMANICO. FUIT,
UTIQUE. QUIBUS. LEGIBUS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTUM. FUIT. NE. DIVUS. AUG.
TIBERIUSVE. JULIUS. CÆSAR. AUG. TIBERIUSQUE. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG.

GERMA-

GERMANICUS. TENERENTUR. IIs. LEGIBUS. PLEBISQUE. SCITIS. IMP. CÆSAR
VESPASIANUS. SOLUTUS. SIT. QUÆQUE. EX. QUAQUE. LEGE. ROGATIONE
DIVUM. AUG. TIBERIUMVE. JULIUM. CÆSAREM. AUG. TIBERIUMVE
CLAUDIUM. CÆSAREM. AUG. GERMANICUM. FACERE. OPORTUIT
EA. OMNIA. IMP. CÆSARI. VESPASIANO. AUG. FACERE. LICEAT
UTIQUE. QUÆCUNQUE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA
DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CÆSARE. VESPASIANO. AUG.
JUSSU. MANDATUVE. EJUS. AQUOQUE. SUNT. EA. PERINDE. JUSSA. RATAQ.
SINT. AC. SI. POPULI. PLEBISVE. JUSSU. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SI. QUIS. HUJUSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSUS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA
SENATUSVE. CONSULTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QUOD. EUM. EX. LEGE. ROGATIONEVE
PLEBISCITOVE. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HUJUS. LEGIS
ERGO. ID. EI. NE. FRAUDI. ESTO. NEVE. QUIT. OB. EAM. REM. POPULO. DARE. DEBETO
NEVE. CUI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. JUDICATIO. ESTO. NEVE. QUIS. DE. EA. RE. APUD
SE. AGI. SINITO

XXV. ANIMADVERSIONES IN LEGEM REGIAM.

En legem produximus, quæ ſupereſt, integram, & ſimul cum facultatibus auctores, & modos earum conferendarum. Dic modo ſodes, quid in Imperatorem his verbis confertur, quod non a populo proficiſcatur, & ad eundem ſublato Imperatore non revocetur? An his collatis poteſtatibus popularia jura exhaurirentur? An opus erat easdem facultates iterum tradere novis Cæſaribus per legis Regiæ repetitionem; ſi ea lege in perpetuum a populo ad ceteros creandos principes abſceſſerant? Quid contuliſſet Tiberio, Claudio, Veſpaſiano populus, qui jam inde ab Auguſto jus omne ſuum in perpetuum exuiſſet? Cur porro Caligula, & Nero hac in lege prætereuntur, quorum alterius acta Senatus reſciderat, *a*) alterius memoriam uti hoſtis patriæ damnaverat, quaſi minime compotes harum facultatum, ſi jure ſuo legitima juſſa, juſtasque leges edidiſſent? Nam Galbæ, Othonis, & Vitellii præteritionem nihil moror, qui ſeditionum inter fluctus brevi tempore de Imperio dimicarunt potius, quam imperarunt, & in ipſa Imperii contentione Imperium amiſerunt, e quibus etiam Galba fuerat a Senatu hoſtis judicatus. *b*) Aut qui licuiſſet Senatui acta illorum reſcindere, quorum poteſtas non amplius manaret a

a) Dion *lib. 60. p. 667. idem lib. 63. p. 727.* Sueton. *in Nerone.*

b) Plutarch. *in vita Galb. p. 1055.*

Digitized by Google

S. P. Q. R. jure omni ſuo ſpoliato, ſed a lege Regia, quæ jus omne publicum per Auguſti perſonam ad cæteros transduxerat Imperatores? Quid? Firmitas actuum, & ratio legitimæ poteſtatis peteretur ne a principibus de auctoritate populari, ſi populi majeſtas exaruiſſet? Nonne enim poſtremo hujus legis capite habemus, ideo juſſa, quæ ab Imperatore ante hoc S. C. edita erant, perpetuo conſiſtere, quia populus ipſe juſſerit ea juſta, rataque eſſe, perinde ac ſi populi plebisque juſſu acta eſſeut? Quomodo convaleſcerent ſingulorum principum acta ex poteſtate populari poſt novam ipſius populi voluntatem collectam; ſi jam Auguſtus, creandique inde principes, perinde ac futuri Reges, lege Regia omnem populo poteſtatem, ac voluntatem eripuerunt? Tandem vel hanc habemus legem Regiam, vel aliam pleniorem. Si aliam: cedo: quam? Hiſtoricos, & ſcriptores ſi excuſſerimus ſingulos, ne veſtigium quidem, aut nomen invenerimus facti, quo nullum fuiſſet in omni Romanorum memoria memorabilius, Reipublicæ nimirum in regnum non violenter, & ad tempus, ſed publica lege contra inſtituta majorum perpetuo transeuntis. Quorſum præterea oportebat principem omnibus populi facultatibus indutum, eas iterum a populo facultates particulatim accipere: prout feciſſe hujus teſtimonio fragmenti palam evincitur? Quid rivos ſectabatur, qui fontem ipſum jam abſorbuerat? Aut quid opus erat Imperatoribus capeſſere Tribunitiam poteſtatem ſingulis annis; ſi cum populi majeſtate jam illa perierat, & multo amplius princeps e regio jure, quam a Tribunatu ferebat? Quantula enim portio fuiſſet poteſtatis, & majeſtatis Regiæ Majeſtas Tribunorum, & interceſſio, ſive S. C. impediendornm facultas, quæ ab eo magiſtratu præſtabatur? Cur toties conſulatus ſuſcipiebat princeps, ſi plus regiæ poteſtatis ad eum lege regia pervenerat, quam e conſulatu ipſo adduceretur? Sin bona fide agere velimus, & ſine fraudatione, atque cum eruditis plerisque hoc fragmentum unice pro Lege Regia recipiemus; non aliunde quam regia de lege argumentum trahemus illuſtrius ad regiam poteſtatem evertendam, & majeſtatem priſtinam adhuc ſub Imperio in Senatu, & populo continendam. Qua de poteſtate, ac majeſtate plures particulæ nominatim conferuntur in Imperatores ſingulos, eas nova lege ſuſcepturos; quia neque cum Imperio militari commiſcebantur, neque egrediebantur ſingulas Imperatorum perſonas: exemplo Imperii meri, quod cum lege detur, neque cum jurisdictione magiſtratus confunditur, neque a magiſtratibus illud accipientibus cum aliis communicatur. Quorum ſimilia ex lege Regia contra regiam poteſtatem argumenta ducebat olim Nicolaus Laurentii F. Romani Tribunatus inſtaurator, qui prolato in concione fragmento iſto P. R. gloriam extollebat, atque clamabat: *En teſtimonium, ac monumentum juris veſtri, Quirites, qui ſuæ Imperatoribus largitores eſtis poteſtatis.* a) Quo ille, aliisque argumentis e publico jure, ac veterum auctoritate petitis, publice, palamque contendebat, nunquam, ne ſuo quidem tempore, Imperium, utcunque ab exteris nationibus adminiſtratum, a populo Romano, atque a Capitolio diſceſ-

a) *vita Nicolai Laurentii F. populari ejus ævi lingua conſcripta hæc habet:* Poſtea en quanta erat magnificentia Senatus (dixit) qui auctoritatem Imperio tribuebat. *Sequitur hiſtoricus:* Inde ſcriptum recitari juſſit pactionum, & auctoritatis, quam populus Romanus Veſpaſiano Imperatori concedebat, *& deinceps pag. 24.*

ſiſſe,

ſiſſe, cujus ſententiæ ſocium habuit primum eruditionis latinæ reparatorem Franciſcum Petrarcham, qui eam profitetur in epiſtola, qua Romanum populum ad liberatorem ſuum e vinculis, quibus detinebatur, ope atque auctoritate publica, precibusque totius populi liberandum hortatur. *a*) At quin (excipient aliqui) ea, quæ certa lege tribuuntur, etſi non veniant jure magiſtratus, *b*) ad eosdem tamen, per ſe, magiſtratus tranſeunt, atque ipſa lege deferuntur ſine nova populi voluntate: veluti datio tutoris non competit quidem Prætoribus jure magiſtratus, ſed ex lege Attilia, *c*) cum ante legem illam eo jure Prætores non potirentur; Et tamen ejus legis poteſtate jus dandorum tutorum, creatis omnibus Prætoribus, absque novis populi actibus accedebat. Quidni igitur & lex Regia ſemel lata poteſtatem, atque majeſtatem perpetuo detractam populo ad futuros principes per ſe transmiſerit univerſos? Hos quo a nobis amoveamus, ſatis erit rogare, ut oculis utantur, animadvertentes, non perpetuam hanc eſſe legem, qua jura iſta Imperatoribus tribuuntur, ſed temporariam, & temporarias ex ea procedere poteſtates, non Imperatorio muneri, ſed certis, propriisque Imperatorum nominibus, traditas, morte illorum ad venam earum populum redituras, novaque voluntate ipſius populi, novos ad principes proferendas: cum lege Attilia nullo tempore circumſcripta Prætores non propriis nominibus, ſed appellatione magiſtratus ad jus dandorum tutorum perpetuo vocentur. An enim haberemus has facultates in Veſpaſiani perſona, nova legislatione renovatas, ſi ab Auguſti tempore ex perpetua poteſtate legis in ceteros tranſiiſſent Imperatores? quorum in ſingulorum perſonis, ne dum in Tiberio, & Claudio in lege memoratis, idem decretum, niſi merſiſſet ætas, conditum, tabulisque inciſum inveniremus.

XXVI. AD LEGEM QUOD PRINCIPI PANDECTARUM DE CONSTITUTION. PRINCIPUM.

Ne vero plus minusve hoc e S. C. falſis interpretationibus eruatur, quam ibi continetur, illud brevi explicatione percurremus, exordientes a lege: *Quod Principi 1. ff. de conſtit. Princip.* Ait lex: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: cum lege regia, quæ de Imperio Principis lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat.* Ex hac regiæ poteſtatis aſſertores interpretationem petunt ſuperioris S. C. cum potius illo ex S. C. Ulpiani ſenſum inde hanc in legem transductum expendere deberent. Siquidem Ulpianus, cui lex iſta, neſcio an bona fide, a Triboniano adſcribitur, hic retulit nobis S. C. ſententiam de legum latione non ſatis explicatam, neque plus diligenter, quam res ibi nata poſceret; ſed perfuſorie, ac per verborum compendium, vocabulis nempe generalibus, & plenioribus, quæ ſolemus arripere, cum celeritati magis, quam diſtinctioni ſtudemus. Qualiter affectus Ulpianus facultatem legis condendæ collatam in principem, expreſſit illis verbis *omne imperium, & poteſtatem*, legis nimirum condendæ, qui ſenſus ſupra deſcendens, * tacite in orationem reliquam penetravit. Nam Ulpianus

a) *in lib. epiſt. ſine tit. epiſt. 4.*
b) *L. 1. ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſd.*
c) *Inſtit. de Attilian. tut.*
* Seu finibus eorum, de quibus ſupra actum erat, circumſcribendus.

Digitized by Google

familiariſſimus Principis debuit ambitioſis, uberibusque vocabulis ornare, atque ſine modo ullo extollere poteſtatem illius. Nec tamen aſſentatione ſua fulſerit, aut obruerit veritatem: nam optime illius oratio, & S. C. conveniunt: cum liceat, absque calumnia verborum, ita Ulpianum exponere: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, quia lege Regia, quæ de imperio principis lata eſt, ſive S. C. quod fert legis regiæ nomen, P. R. ei, & in eum* (qui pleonaſmus eſt non inelegans) *contulit omne ſuum Imperium, & poteſtatem, in legibus ſcilicet condendis.* * Quod additamentum, & relatio imperii, & poteſtatis ad ſolam legum lationem, offertur ab ipſo argumento hujus legis, quod ad ſe rapit ſequentem orationem, quæ quamvis generaliter concepta ſit, natura tamen ſua contrahitur ad rem propoſitam, nempe ad legis condendæ facultatem: nam ſi poteſtatem infinitam principis ex Ulpiani verbis colligamus, directo illum opponemus ſuperiori S. C. ſive ipſi regiæ legi, qua non infinita, ſed certis modis, ac diſtinctis capitibus poteſtas principi confertur: ne hic repetamus, quod ſupra oſtendimus, opus minime futurum fuiſſe Imperatoribus tot magiſtratibus gerendis, ſi ex hoc Ulpiani loco evinceretur populi poteſtatem principi fuiſſe non communicatam tantum, ſed & univerſam in eum, exuto jam populo, translatam, ut contendunt Goveanus, *a*) & illius auctoritate Coccejus, aliique, *b*) qui ne ocioſam ſinant particulam illam legis *in eum*, exiſtimant, Ulpianum per illa verba *ei contulit*, ſignificaſſe voluntatem populi erga principem; per additionem autem *in eum*, innuiſſe diſceſſum univerſæ poteſtatis a populo ad Principem; in quo non cumulativam, ſed etiam privatam, ut vulgo loquuntur, poteſtatem collocant: molem tantam, in tam lubrico extruentes, orbemque Romanum una, & jus omne publicum ſurſum, ac deorſum leviſſima conjectura vertentes. Qui ſi noluerunt illa verba *ei, & in eum* habere, ut a me habentur, pro concinna brevique repetitione ſenſus ejusdem: quin applectebantur explicationem Cujacii *c*) verba *in eum* conferentis in ipſum Principem? At quin (inquit Coccejus) quis unquam audivit a populo Principi poteſtatem in ipſum dari Principem? imo vero recte & in ipſum. Siquidem potuiſſet populus ita tribuere Imperatori poteſtatem ſuam, ut conſuli vel magiſtratibus aliis tribuebat, qui populi judicio tenebantur: cui ſubjiciebatur etiam Dictator: nam & Papirium Curſorem, cum Dictator eſſet, provocationi ad populum ceſſiſſe legimus. Cæſari autem ita contulit, ut ei etiam remiſerit poteſtatem, quam populus habebat in ipſum Cæſarem: per quam populi remiſſionem Principi diem apud populum dicere non licuiſſet, dum eum populus principem eſſe pateretur. Quid præterea eos prohibuit Duareni explicationem *d*) arripere, qui relativum accipit pro reciproco, ac docet, *eum* hic ſignificaſſe *ſe*: quaſi dixerit Ulpianus populum contuliſſe *ei*, ſive Principi

* Quæ interpretatio commentitia videtur. Nam verba Ulpiani generaliter patent. Poſt tempora quoque Ulpiani lex Regia plenior lata eſſe poteſt, ad quam digitum intendat Ulpianus. Porro ſi Principi datum jus leges ferendi, data eidem quoque ſumma poteſtas. Nomen legis Regiæ, quo in Græco ſermone jam utuntur Joannes Evang. *cap. 19. v. 15.* & Petrus *1 Ep. 1. v. 21.* facile etiam apud Latine loquentes invaleſcere potuit tempore Ulpiani, cum, Græcam urbem eſſe, jam Juvenalis queratur.

a) *variar. lect. lib 2. cap. 30.*

b) *ad leg. Princep. ff. de conſtit. Princip.*

c) *obſervat. 15. cap. 30.*

d) *lib. 2. diſput. cap. 19.*

poteſtatem *in eum*, hoc eſt *in ſe*, nempe in ipſum populum, nedum poteſtatem, quam habebat populus in provincias. Sed non patitur Coccejus pronomen in eadem oratione varie acceptum, ut ſit modo relativum in ſua propria ſignificatione, modo reciprocum: quaſi non ita ſitum, itidemque etiam acceptum inveniatur in *lege quæ filium ult. ff. ut legat. ſive fideicom.* illis verbis, referendis una hic, & explicandis; *fideique ejus* (nempe hæredis) *commiſit* (nempe teſtatrix) *ut quidquid ad eum* (hoc eſt hæredem) *ex hæreditate ejus* (hoc eſt ſui teſtatricis.) En *ejus* eadem in oratione vice relativi fungitur, cum refertur ad hæredem, & reciproci, cum refertur ad teſtatricem. Tandem quidvis aliud potius moliri oportebat Porſenas iſtos, qui Regem P. R. reddere conantur invito, quam ad hæc abſurda ruere; cum in monumentis veteribus invenientes Senatum ſupremam poteſtatem, ac ſummum Imperium exercentem, id non legitimæ S. P. Q. R. auctoritati adſcribant, ſed patientiæ Imperatoris tolerantis invaſores ſuæ poteſtatis; quaſi lupus, qui petulantiam agnorum benigne tulerit.

Verum quid tantopere laboramus in lege incerti ſenſus incertæque auctoritatis: quam legem plurimi Ulpiano adfictam autumant a Triboniano, ut regiæ poteſtati, quam principi ſuo parturiebat, gravioris Juriſconſulti, & longioris temporis fidem conciliaret? Quid volutamus epitomen, aut perſuſorie, aut mala fide concinnatam, ſi verba iſta, & germanus legis Regiæ contextus hoc S. C. nobis a Capitolino monumento proferuntur, cujus e ſenſu commenta, & compendia quælibet explicare debemus. Eo autem S. C. quid Cæſaribus tribuatur, jam ſupra ſatis demonſtravimus; reliquum eſt, ut obſcuriora verborum illius illuſtremus. Ait lex:

TIBERIO JULIO CÆSARI AUGUSTO TIBERIOQUE CLAUDIO CÆSARI AUGUSTO GERMANICO.

Per *Tiberium Julium Cæſarem Auguſtum* ſignificatur in lege Tiberius Nero Octaviani Auguſti filius, Julii Cæſaris Dictatoris nepos, qui poſt Octavium imperavit; quique Julius quoque Cæſar appellabatur, ut obſervavit Gruterus ex faſtis Capitolinis. *a*) Omiſſo autem Caligula, tanquam hoſte patriæ, damnatique nominis cive, *b*) ſubjicit lex Claudium, quem Germanici cognomentum, quod hic legitur, adſumſiſſe, memorat Suetonius. *c*)

Item lex ait: UTI QUOS MAGISTRATUS, &c. En luculentiſſimum teſtimonium popularis poteſtatis ſub imperio adhuc vigentis, offerentiſque ſe in creatione magiſtratuum: quibus tribuendis omnis legitima vis commendationis Imperatoriæ, non ex Imperatorio jure manabat, ſed ex iſto capite, unde jus ſuum Principis commendatio trahebat. Quo capite per illa verba *extra ordinem*, permittit populus candidatis a Principe commendatis honorum petitionem, etiamſi lege vetentur contendere ad honores, puta quod juſta ætate careant, aut juſtum intervallum inter unam, alteramque petitionem non excurrerit, aut præſentes Romæ non profiterentur. *d*) Nam neque abſentium, neque ſuperiorum, quos memoravimus, habenda ratio erat per leges publicas, quarum venia iis, quos princeps

a) Coccej. *ad l. 1. ff. de conſt. Princ.* Guther. *de offic. domus Auguſt. lib. 1. cap. 31.*

b) Dion *lib. 60. pag. 667.*

c) *in Claud. lib 3. cap. 2.*

d) *lex agrar.* Rull. *apud* Sigon. *de leg. curiat. p. 19.*

commendaverit, vel quibus honores promiſerit, conceditur a populo: cujus neque hac in re, neque in aliis capitibus, quibus alias facultates concedit, ullæ fuiſſent partes, ſi condendo Imperio, regnorum inſtituendorum ritu, poteſtatem, & majeſtatem ſibi abdicaſſet, eamque univerſam in munus Imperatorium contuliſſet. Ad magiſtratus autem, principis commendatione, cum ætatis venia creatos, referendus eſt Ulpiani locus, *a*) cujus hæc ſunt verba: *Princeps enim, qui magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit;* Dediſſe dicitur princeps magiſtratus, quos candidati minores XXV. annis, de quibus hic agit Ulpianus, a populo, principis commendatione, per hoc legis Regiæ caput impetraverint.

Pergit lex: UTIQUE QUIBUS LEGIBUS PLEBEIVE SCITIS.

XXVII. AN PRINCEPS SOLUTUS LEGIBUS INTELLIGATUR.

Hoc privilegium Auguſto tributum, Dion refert, *b*) ac ſenſum ſimul explicat illius, docetque, Imperatores eo liberari a neceſſitate legum *τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης* ſive a pœnis, quibus lex, nempe communis voluntas, tranſit in neceſſitatem, ne ſcilicet cum deliquerit Princeps, puniatur, ut Græci legum doctores interpretantur *ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται;* cum haudquaquam eximatur Princeps a vinculis honeſtatis, quæ leges perpetuo comitatur, quæque tantam a natura ducit auctoritatem, ut Imperatores *c*) pronunciaverint, *majus Imperio eſſe ſubmittere legibus principatum;* & Alexander *d*) ſanctiſſime ſcripſerit, *nihil tam proprium Imperii eſſe, quam legibus vivere; utcunque lex Imperii,* qua S. C. hoc meo, & plurium judicio indicatur *ſolennibus juris Imperatorem ſolverit.* Unde neque a communi gentium fœdere, neque a nexibus humanæ ſocietatis eximitur princeps, neque legibus illis, quibus ſuſceptum a ſe regimen incumbit. Imperantium, ſiquidem nulli licuerit, perfractis publicis legibus, evertere id, cujus cauſa imperat. Omni enim privilegio ſtatim excidet, quisque accepta poteſtate abutatur contra Rempublicam, quæ communis ſalutis, communisque honoris cauſa principem peperit, & honoravit: exhæredationem namque meretur, quisquis filiorum parentem oppreſſerit. Quod nobis ſuggerunt Severus, & Antoninus, *e*) cum fatentur, ſe quamvis legibus ſolutos, vivere tamen legibus, nempe cauſa legum: quarum tuendarum gratia vivit Imperator; cum vocem legibus non ſexto, ſed tertio caſu poſitam autumem: præcipue, quia ex auctoritate legum principum pendet auctoritas; propter quam rationem Imperator ſe legibus alligatum profitetur. *f*) Hoc autem capite, quo plurimum extollitur Imperator, minime tamen deprimitur, ſed potius ſuſtinetur, auctoritas populi, tum quia populus dum concedit, palam ſe fert publicæ poteſtatis auctorem, ut privilegio princeps jure fruatur, donec ſibi per populum, & Senatum gerere Remp. licuerit; tum quia ex S. C. verbis non omnibus, ſed certis legibus ſolvitur; nempe iis, quibus condendis adjectum fuerat, ne Principes tenerentur: atque ita Dionis locum, ubi princeps dicitur ſolutus legibus, Cujacius inter-

a) *L. quidam 57. ff. de re judic.*
b) *lib. 53. pag. 509. & 516.*
c) *L. digna vox 4. C. de legib.*
d) *L. 3. C. de teſtam. & quemadmod. teſt. aper.*
e) *Inſtit. quib. mod. teſt. infir. §. ult.*
f) *d. l. 4. C. de legibus.*

preta-

pretatur, *a*) nec enim vitiatur ſenſus orationis; nam enunciatio hæc *ſolutus eſt legibus*, illi etiam recte congruit, qui non omnibus, ſed ſolennibus juris, *b*) uti ſunt ſolennia manumiſſionis, *c*) & aliquibus legibus fuerit ſolutus: uti ſolutus erat princeps lege Papia Poppæa, ſive legibus conjugalibus, & caducariis, quæ etiam per eminentiam appellabantur leges, ad quas ſcripſerat Ulpianus, cujus locum ad eas ſolas leges pertinentem, ut monet inſcriptio leg. princeps ff. de legibus, Tribonianus ad leges protulit univerſas; ut auctoritate Ulpiani principem ab omnibus legibus ſolutum eſſe perſuaderet illis, qui magis verbis ejus ducuntur, quam totius teſtimonio antiquitatis, cum qua conſonat & ipſa Triboniani compoſitio legum: cujus pluribus ex locis ſuæ ille fraudis coarguitur. Nam non modo e Dione *d*) diſcimus, Auguſtum ſupra juſtam portionem Liviæ relicturum, petiiſſe a Senatu veniam legis Voconiæ, quam certe veniam non petiiſſet, ſi leges omnes habebat in ſua poteſtate, aut ſi earum poteſtate non habebatur; ſed docemur etiam ex libris juris, teneri principes lege Falcidia, & lege Glicia de inoff. teſtam. *e*) & teſtamentariis pluribus, *f*) aliiſque omnibus, in quibus nominatim non erat exceptum, ne tenerentur: ut ex legis Regiæ capite iſto colligitur. Nam quamvis contemtarum legum Principes pœnam non ſubirent, niſi quando a Senatu capite damnati cum vita Imperium, & privilegia ipſius amitterent; verecundia tamen dum imperarent, & pudore obligabantur, *g*) & opinione civium tacito eos judicio plectentium; Paullo ſiquidem *h*) judice is, *qui leges facit, pari majeſtate legibus debet obtemperare.* Porro ut reliqua S. C. hujus expediamus, habere Senatum licebat magiſtratibus majoribus, ideoque etiam Prætoribus, ſi urbe aberant, qui majori cum imperio eſſent. Quod jus etiam Principi tribuitur, & tribuendum erat ex lege; cum non veniret a munere Imperatoris. Unde lege opus habuit, ut poſſet cogere Senatum, quando conſulatum non gereret. Senatusconſultum autem per diſceſſionem fiebat, cum Senatores in ſententiam alicujus non verbis, ſed pedibus tacite conveniebant, diſcedentes a ſuo quisque loco ad eum, cujus ſententiam probabant. *i*) Quod item in hoc capite legitur *remittere Senatum*, ſignificat rem in poſterum diem Principis auctoritate differre. *k*) Additur de proferendo pomœrio, quod non Cæſaribus tantum, ſed omnibus iis concedebatur, qui fines Imperii Romani ſuis victoriis propagaſſet. *l*) *

a) *obſ. 15. cap. 30.*
b) *L. 3. C. de teſtam.*
c) *L. apud. eum ff. de manumiſſ.*
d) *L. 56. p. 590.* Cujac. *obſ. 15. cap. 30.*
e) *L. 4. C. ad l. Falcid.* Papin. *l. Imperator ff. de inoffic. teſtam.* Cujac. *d. obſ. 15. cap. 30. & lib. 26. cap. 35.*
f) *L. 3. C. de teſtam. & quemadm.*
g) *vide* Cujac. *enarr. C. l. 3. de teſtam., & quemad.*
h) *lib. 4. ſent.*
i) Gell. *lib. 3. cap. 18.*
k) Gell. *lib. 14. cap. 17.*
l) Tacit. *lib. 12. hiſt. cap. 23.*

* Non poteſt de poteſtate Principis diſſeri ut de ente metaphyſico, ſemper invicem renitentibus Principe & Populo, mixtisque quæſtionibus juris & facti. Ipſi Imperatores dum id agunt, ut ſoli præſint rerum ſummæ, populo ſæpe ſpecie & coloribus adſcititiis illudunt, & eodem tempore legibus ſe ſolutos & alligatos profitentur. Ex quo Reſcriptis quoque & Decretis & Edictis Principum jus novum conſtitui cœpit, nemo dubitet, principes ſupra leges fuiſſe. Quod de temporibus Ju-

XXVIII. DE AUCTORITATE SENATUS, ET POTESTATIS CIVILIS IN MILITAREM EX JURE GENTIUM.

Satis adhuc oſtendimus, poteſtatem civilem ad Imperatorem creatum non ab ipſa creatione manare, ſed a S. P. Q. R. voluntate ſuam ei majeſtatem contribuentis, partim tradendis magiſtratibus, partim repetendis legis hujus Regiæ capitibus. Nunc duriora tentabimus, atque contendemus, ne quidem Imperium illud militare ſola voluntate militum in Imperatoris perſona conſtitiſſe ſine S. C. quo totius Reipublicæ conſenſus proferebatur. Quod tam ex jure gentium, quam ex jure Romano comprobabimus. Siquidem jure gentium exercitus pars eſt civitatis, cui miniſtrat, cujusque poteſtate continetur: cum ad uſum Reip. milites conſcribantur, ducique ad Reip. conſervationem, aut propagationem creato committantur. Quamobrem non poteſt a corpore militari præferri jus univerſæ civitatis; niſi civitas ipſa ſe duci eorum tradiderit: nec milites civilem ullam particulam juris nanciſcuntur, niſi civium numero cenſeantur: non raro enim ex exteris milites conducuntur, aut leguntur e ſociis. Et qui cives militiæ nomina dederunt, publico civitatis jure ſeorſum a ceteris civibus, & procul a corpore univerſo minime potiuntur: cum non a ſuo ſingulorum jure, ſed a communione totius corporis civilium rerum gerendarum poteſtatem cives accipiant: Nec Reſp. tranſeat in caſtra, ſed hæreat, inſideatque perpetuo in civitate, ubi radicibus ſuis, nempe legibus, inſtitutis, & ritibus, continetur; Civitas autem vivit in corpore integro civium in ſuos ordines deſcriptorum, & ad exercitium publici juris rite convenientium. Ideo Antonius, ut edicto ſuo adverſariorum auctoritatem everteret, exprobrabat Quiritibus, quod caſtra Pompeji Senatum appellarent. Quia igitur jus belli, quo ducis potiſſimum creatio continetur, manet in Republica ſimul cum ceteris juribus majeſtatis, quorum nihil a militibus in bellum abducitur, niſi quantum eis ab ipſa, cui militant, Rep. mandetur; abſurdum fuerit militare Imperium conſenſu militum tranſire in aliquem ſine auctoritate illius Reip. cui bellum geritur, & a quacingulo induuntur; ne famuli jura uſurpent ſibi dominorum, neve pars a corpore avulſa munere fungatur totius corporis. Quamobrem jure gentium neque civilis, neque militaris rei tradendæ poteſtatem habent milites, ſed exercitium tantum illius a Repub. mandatum: cum facultas ipſa rei militaris mandandæ portio ſit ipſius civilis poteſtatis, minime cum corpore militari abeuntis, ſed in Republica vel regno perpetuo permanentis.

XXIX. DE AUCTORITATE SENATUS, ET POTESTATIS CIVILIS IN MILITAREM EX JURE ROMANO.

Nunc ex veteribus Romanorum inſtitutis palam faciemus, militare Imperium nonniſi lege, vel S. C. mandari potuiſſe, adeo ut miles voluntatem tantum ſuam

ſtiniani multo magis rerum eſt, qui non ipſe tantum complurima conſtituit, ſed & innumeris veterum Principum Reſcriptis vim legis univerſalis dedit. Interpretatio Auctoris, qua vocem, legibus, in tertio caſu accipit, nimis arguta videtur. Legem Gliciam jam ſupra e numero legum eliminavimus, etſi certum ſit, teneri Principem querela inofficioſi teſtamenti *L. 8. §. 2. J. de inoffic. teſtam.* Quamvis autem leges ex ſenſu Paulli & Ulpiani ad ſolas leges Papias Poppæas referri debeant; minus tamen ſuccenſendum eſt Triboniano, de Principe omnibus legibus ſoluto id affirmanti in dudum laxatis imperii finibus.

Impe-

Imperatori tribuerit, Senatus vero, & populus legitimam auctoritatem. Cum enim omnia inſtituta veterum publica, unde prodit ratio civilis, ita firmiter hæreant, ut rerum variatione difficulter convellantur, tum ea præcipue, quæ a religione in animos hominum demittuntur. Unde urbis parentes Romulus, Numa, Regesque alii, quorum prudentiſſima initia felicitatem peperere poſterorum, ute leges, & inſtituta, quibus futuram imperii magnitudinem moliebantur, ullo unquam tempore dilaberentur; neve fundamenta Reip. abriperentur motu curſuque perpetuo, ac vario rerum humanarum; ea ritibus implicuere ſacris, & veteris illius ſuperſtitionis auctoritate ita munierunt; ut Remp. populus non tam a magiſtratibus, quam a commentitiis illis Numinibus, quibus virtutis eventus aſſignabantur ſuſtineri, atque augeri exiſtimaret: dum legibus jubendis, & creandis magiſtratibus, conſilia, quæ caperet a propria prudentia, tribueret Diis; quos per augures de cœlo ſervantes, conſulebant captis auſpiciis, quibus veluti nunciis divinæ voluntatis res a populo geſtæ comprobabantur: ut magiſtratibus, & legibus a Deo repetitis, cives non humana tantum, ſed divina etiam, & æterna ultione ſubjicerentur.

XXX. DE AUSPICIIS, ET LEGE CURIATA.

Qua de cauſa comitiis centuriatis, & curiatis, quibus leges ferebantur, & creabantur magiſtratus, quibusque Reipublicæ majora negotia tractabantur, ita jus auſpiciorum attexuerunt, ut nihil apud Romanos juſtum haberetur, aut legitimum, niſi fuiſſet auſpicatum; *a*) & quidquid numine auſpicioque careret, inauſpicatum, ſive injuſtum, nefasque diceretur. Quamobrem Cæſar, qui Rempublicam violenter occupaverat, ne religione amitteret, quod armis arripuerat, comitiis, & auſpiciis utcunque ſimulatis, injuſtam ſibi dominationem confirmabat: nam, ſine illorum umbra, ne colorem quidem juſti obtineret Imperii, unde Lucanus *b*)

Fingit ſolennia campus,
Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana verſat in urna,
Nec cœlum ſervare licet: tonat augure ſurdo,
Et lætæ jurantur aves bubone ſiniſtro.

Non mandabatur igitur Imperium, niſi lege Curiata, quia curiatis comitiis, ſive veris, ſive per triginta lictores, triginta Curias referentes, adumbratis, inerat jus auſpiciorum, quibus creandus erat Imperator; nempe is, qui ductu auſpicioque ſuo regere debebat exercitum, & bellum adminiſtrare: *c*) unde ille auſpicato, comitiis curiatis, auſpiciorum cauſa, retentis, creabatur, & ita creatus in Capitolio accipiebat auſpicia, ſub quibus milites duceret, *d*) veluti Jovis Capitolini, & Martis Quirini miniſter. Nam, niſi ex urbe auſpicia duxiſſet in caſtra, nihil auſpicato gerere potuiſſet, ideoque inutilem poteſtatem inter milites jactaſſet.

a) Dionyſ. *lib. 1. p. 81. n. 35.*
b) *lib. 5. v. 392.*
c) Cic. *de orator. lib. 1.*
d) Livius *lib. 4.* Cic. *de leg. Agrar.* Sigon. *de leg. Curiat. cap. 5.*

Qui ritus auſpiciorum, auſpicii que nexa civilia inſtituta exorto Imperio minime interire potuerunt, quia ſimul cum imagine veteris Reipublicæ religionis nexu tenebantur. Quam religionem ſimulare ſaltem, & adumbrare cogebatur quisquis utcunque impius dominator: niſi convellenda religione ruere ipſe voluiſſet. Unde diu etiam poſt Chriſtianorum Imperium, ſimulacra veteris ſuperſtitionis, civilium inſtitutorum cauſa, permanſerunt. Cum autem comitiorum omnium jus una cum jure auſpiciorum iis adjuncto tranſierit in Senatum; poteſtas legis curiatæ conceſſit in S. C. ſine quo nemo juſtus erat Imperator, quamvis a militibus appellatus; quia milites & poteſtate civili carebant; & jure auſpiciorum, quibus ſublatis, civilis aut militaris nulla conſiſtit auctoritas. Quæ auſpiciorum, publicæque auctoritatis religio, mandando imperio, adeo inſidebat animis Romanorum; ut quamvis C. Marcius rem Romanam in Hiſpania, Scipionum clade prolapſam, inopinato reſtituerit; eum tamen a militibus ducem, ſine Senatus auctoritate creatum, nullo modo tulerint indignantes, quod ſine auctoritate Patrum, ſe *Proprætorem* inſcripſerit, nulloque modo permittentes, ut *Proprætori* ei reſcriberetur. *Rem enim*, ut ſcribit Livius, *a*) *mali exempli putabant, Imperatores legi ab exercitibus; & ſolenne auſpicatorum comitiorum in caſtra, & provincias procul ab legibus, magiſtratibusque ad militarem temeritatem transferre:* prudenter prorſus, nam niſi Senatus auctoritatem Religio ſuſtentaſſet, & Senatus auctoritas militem continuiſſet; ne coaleſcere quidem potuiſſet Reſpublica illa militaris, quæ, quo pluribus pollebat viribus, ad perdomandas nationes, eo validioribus nexibus indigebat ad coërcendos, ac moderandos ex uſu Reip. nationum domitores: quos in poteſtate ſua nunquam habuiſſet, neque ab ipſius urbis direptione avertiſſet, ſi militum in voluntate jus imperii condidiſſet, non in legibus publicis, ritibusque ſacris, quorum auctoritate Imperium antea quidem a populo univerſo lege Curiata, *b*) poſtea vero a Patribus ex S. C. mandabatur. Quamobrem in Senatu conditam auctoritatem omnem publicam, ibique ab initio a Romulo auſpicato conſtitutum profitetur Otho *c*) apud Tacitum, his verbis:

Quid vos pulcherrimam hanc urbem domibus, & tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? Muta iſta & inanima intercidere, ac reparari promiſcue poſſunt, æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum veſtra ſalus, incolumitate Senatus firmatur. Hinc auſpicato a parente, & conditore urbis noſtræ inſtitutum, & a Regibus usque ad Principes continuum, & immortale, ſicut a majoribus accepimus, tradamus. *

a) *lib. 26. cap. 2.*

b) Sigon. *de lege Curiat. c. 11. l. 1. §. qui mandatam ff. de offic. ejus, cui mand. eſt jurisdict.*

c) *lib. 1. p. 447.*

* Ultra progreſſus Auctor contenderat, Imperium Imperatoribus a ſolis militibus conferri non potuiſſe, primo, in capite vicelimo octavo, ex ratione juris gentium, quia milites ſint tantum pars Reipublicæ, iique proinde non poſſint perferre jus univerſæ civitatis, tum capite ſequenti, quia Romæ nominatim auctoritas legitima a Senatu & Populo tribui debuerit, militibus autem nihil niſi honos obſequii Senatui debiti relictus ſit. Subjicit hoc capite, id porro vel ideo fieri non potuiſſe, quia Imperatoribus auſpiciis opus fuerit ad rite ſuſcipiendum Imperium, legitima autem auſpicia fieri nequierint niſi præcedente

Digitized by Google

XXXI. QUALE FUERIT IMPERIUM CÆSARUM.

Non enim aliam * tulit naturam Imperium Cæſarum ab Imperiis, quæ ante Cæſarum creationem, cum res poſceret, extra ordinem, vel privato, vel magiſtratui decerneretur: quale fuit Imperium, quod a populo Auguſtus, omnium Cæſarum auctor, & parens, primo ad quinquennium, ne in ſuſpicionem Regni cum aliis triumviris veniret; *a*) poſtea decimo quoque anno pacandis provinciis accipiebat, quodque per eandem cauſam ſibi tota vita continuatum patefecit poſteris: qui ne plus quam Auguſtus ſibi viderentur adrogare, retentis ludis decennalibus Imperii repetitionem, per temporum intervalla ſimulabant, ut ſupra ſignificavimus. Cujus Imperii exempla jamdiu ante Reſp. dederat plurima; tum in ipſius Octaviani perſona, quem utpote admodum adoleſcentem legibus a populo ſolutum Senatus, ex ſententia Ciceronis, Proprætore miſit, & Imperatorem creavit adverſus Antonium; tum in perſona Cn. Pompeji ad bellum Sertorianum & Piraticum, & rei frumentariæ cauſa Proconſulis; *b*) itemque Caji Cæſaris ad Gallicum, & P. Scipionis ad Hiſpanicum, & aliorum ſive magiſtratuum, ſive privatorum; quibus magiſtratus adjungebatur, quia Imperii jure poteſtatem tantum accipiebant in milites ſacramento ſibi obnoxios; *c*) jure vero magiſtratus, & appellatione ſive Proconſulis, ſive Proprætoris poteſtatem accipiebant in ipſos provinciales, & Provincias, per quas, aut in quas ducerent exercitus, ad militare Imperium facilius expediendum. Cum autem olim militaris, & Proconſularis Imperii tantum portio, æque ad tempus certis civibus mandaretur; Cæſaribus inſtitutis tribuebatur univerſa, & infinita per Imperatoris nomen, & Imperium proconſulare, quod ut ut recentioribus temporibus in Imperatorem, tacito populi conſenſu forſan tranſierit, quippe quia ſine illo minime poterant Imperatores explicare Imperium illud militare, ac bellum ubique adminiſtrare, cogendis Provincialibus, conſcribendisque militibus, & pecuniis ad ſtipendia impendendis; initio tamen non nominibus tantum, ſed etiam temporibus, actibusque diſtinguebatur, nec ſimul cum Imperio militari Proconſulare tradebatur: ne ſi confunderentur, obſoleſceret Senatus aucto-

Senatusconſulto. Sed ut jure gentium nihil impedit, quo minus ſumma poteſtas a potiſſima Reipublicæ parte deferatur, eamque partem conſtituant milites, ſic Romæ in rerum id uſu eveniebat, ut occupata Republica milites & in tuendo, & in deferendo Imperio, auctoritate Senatui prævalerent. Argumentum, quod ab auſpiciis petitur, minus validum eſt, cum auſpicia præcedentibus Senatusconſultis adhibita fuiſſe, & Auctor agnoſcat, & aliunde conſtet. Sed hæc Senatus auctoritas tum dicis cauſa adhibebatur. Illud cæterum memorabile, Conſtantinum inter dicta, ſub pœna capitis, aruſpicina privata, publice eam a Senatu & magiſtratibus exerceri ſiviſſe in *L. 1. C. Th. de malefic. & mathem.* quam præter Gothofredum illuſtrat Relandus in *Faſtis Conſularibus. p. 309.*

* Imo, quis credat, Imperatorum, occupata Republica non aliam, quam libera ea, fuiſſe poteſtatem, cum iis tot egregia jura, ipſa lege Regia conceſſa, legamus. Porro quæ de ſingulis dignitatibus, Imperatoribus, ſingulis legibus Senatusve conſultis delatis, dicuntur, talia ſunt, ut ipſe Gravina agnoſcat, locum iis dari non poſſe, niſi in ſolis Imperii incunabulis.

a) Dion *lib 48 p. 379.*

b) Dion *lib 39. p. 96.*

c) Sigon. *de lege Curiat. c. 6.*

Digitized by Google

ritas: quæ binis deferendis Imperiis repetita, & multiplicandis actibus multiplicata crebrius emergebat. Quamobrem Dion *a*) refert, eas poteſtates omnes, quas Imperatores accipiebant, quamvis ſuis temporibus conferrentur ſimul, tamen ſingulas antea certa lege fuiſſe mandatas: adeo ut prius quidem pluribus vicibus; poſtea vero ſemel Senatus efferretur auctoritas in poteſtatibus tribuendis, iisque titulorum diverſitate ſecernendis, ne aut coiiſſe ſimul, aut tanquam civilia militaribus hæſiſſent, & Magiſtratus cum Principatu coaluiſſent imperiis rerum civilium, quæ ſeorſim per ſe conſiſtebant, in Imperatorium titulum transfuſa viderentur.

XXXII. DE IMPERATORUM CREATIONE.

Quæ Imperatorum creatio etſi S. C. & Patrum auctoritate compleretur; apud hiſtoricos tamen haud raro invenitur tributa militibus; non quia jus aliquod ab eis conferretur, ſed quia Patrum auctoritas eo plerumque vertebatur, quo militum voluntas tenderet: adeo ut Imperatoris creatione milites voluntatem ſuam, vel appellando, vel purpura eum induendo ſignificarent; patres vero, quem acclamatione ſua exercitus petebat, Imperatorem inſtituerent: quando potentiori exercitu, qui a Patribus ſtaret, militum votis repugnare nequirent, ut omnium Imperatorum creationem, cujus initium proceſſerit a militibus, ita debeamus accipere, quemadmodum Neronis creationem deſcribit Tacitus *b*) his verbis: *Illatusque caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur. Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta.* Et quoniam vulgo, ac ſemper ad Imperatorem juſtum, ac legitimum futurum accedebat S. C. propterea hiſtorici de more tranſeunt in medio poſita, ſatisque habent voluntatem referre militum, neque Senatus operam fere commemorant, niſi quando novus Imperator initium, & culmen fortis ſuæ a Patribus unice acciperet. Nam neque hiſtoricorum eſt adhibere cautiones Juriſconſultorum, neque ſi quis Catholicum Epiſcopum a Sacerdotum collegio creatum noſtris temporibus referret, propterea Pontificis Romani auctoritatem, quam reticuiſſet, excluſiſſe cenſeretur; nam quid ineptius, quam quoties uſuvenit id repetere, ſine quo minime res geſta conſiſteret? Quid frigidius, quam illa inculcare, quæ propter eorum neceſſitatem, atque uſum animis omnium præſumuntur? Hinc Tacitus, poſtquam Veſpaſianum ad imperium ſublatum oſtendit, breviter adjicit: *Senatum ei cuncta Principibus ſolita decreviſſe:* Facultates nempe iſtas, & munera civilia, & militaris imperii confirmationem, qua militum voluntas adprobabatur: ut palam ex hoc evincatur, eadem in ſingulis Imperatorum creationibus fuiſſe repetita; prætermiſſa vero eſſe tum ab eo, tum ab hiſtoricis aliis ſæpe, quia vulgo paterent: nec nominatim Senatus partes fuiſſe commemorandas, niſi cum non auctoritatem tantum, ſed & opem, conſiliumque ſuum Patres præſtitiſſent; aut appellati a militibus Imperatores non ante quod a militibus offerebatur accepiſſent, niſi poſtquam intellexiſſent Senatus voluntatem; cum aut contendere armis nequirent, aut legum auctoritatem violenter partam non minus turpem ſibi, quam periculoſam exiſtimarent.

a) *lib. 53. pag. 509.* *b*) *annal. lib. 12. cap. 69.*

XXXIII.

XXXIII. DE SENATUS AUCTORITATE IN CREATIONE IMPERATORIS.

Qua opinione qui pervolvet hiſtorias paſſim creandis Imperatoribus, intuebitur Senatus poteſtatem explicatam, non tantum per ſeriem priorum inde ab Auguſto exorſam; ſed etiam poſteriorum, quorum creationem ad ſe milites trahere cœperunt, poſt detectum in legendo Galba illud, quod Tacitus appellat *a*) *Imperii arcanum; poſſe Principem alibi quam Romæ fieri:* hoc eſt poſtquam agnoverat exercitus vires ſuas, atque comperierat, quem exercitus ducem legiſſet, ei Senatum oportere legitimam conferre poteſtatem; ni vane ſperarent Patres jure ſe ac legibus potentiam, & violentiam ſuperaturos. Unde prudenter monuit Tacitus Imperator, non eſſe committendam injuriæ militum auctoritatem Senatus, ideoque militum ante judicium explorandum; alioquin, ut ille animadvertebat, niſi fieret a militibus, quod a patribus diceretur, & electi periculum fuiſſet, & eligentis invidia. *b*)

Cum autem jus Imperatoris creandi eſſet unice penes Senatum; Galba, cui primo in provincia milites imperium obtulerunt; antequam a Senatu probaretur, legatum S. P. Q. R. ſe profitebatur; *c*) neque Cæſaris appellationem ſuſcepit, niſi poſtquam ex nunciis urbe cum S. C. miſſis omnes in verba ſua juraſſe cognovit. *d*) Et Otho, Galba interemto, imperium quod violenter arripuerat, impetrare voluit a Senatu, a quo & ſacramentum, & Cæſaris, atque Auguſti appellationem accepit. *e*) Item Vitellio refert Tacitus tributa omnia fuiſſe initio principatus, quæ tempore intermiſſo aliis principibus decernebantur. *In Senatu* (inquit) *cuncta longis aliorum principatibus compoſita, ſtatim decernuntur. f*) Verum neque Otho dignus eſt, unde proferatur exemplum, neque Vitellius, qui a militibus in Germania Imperator conſalutatus, incerto jure fluctuans, Auguſti nomen diſtulit, Cæſaris in perpetuum recuſavit; *g*) adeo ut ſeditionum potius tumultuarii duces hi fuerint, quam Imperatores P. R. Quamobrem trium horum principatum, *imperium incertum, & vagum* appellat Suetonius; *h*) ideoque, ut ſupra indicavimus, lex Regia nomina eorum handquaquam recepit. Quo unice argumento contra omnes vicerim ſincerum illud, ac germanum eſſe monumentum; tantum abeſt, ut inde ulla ſuſpicio, aut nota falſitatis oriatur. Veſpaſiani creationem S. C. munitam idem nobis monumentum fundando illius imperio conditum offert, præter hiſtoricorum Taciti, *i*) & Suetonii *k*) teſtimonia. Titum vero, & Domitianum filios in ipſa patris creatione jam Senatus Cæſares appellaverat: *l*) quæ appellatio, ut mox oſtendemus, pignus erat publicæ voluntatis, ac ſpes imperii, ſponſioque illius, cujus fiebant compotes Auguſto extincto, niſi expreſſe Senatus a priſtina vo-

a) *lib. 1. hiſt.*
b) Vopiſc. *in Aurelian. c. 40.*
c) Sueton. *in Galb. c. 10.*
d) Dion *lib. 63. p. 727.* Plutarch. *in vita Galb. p. 1055.*
e) Plutarch. *in vita Galbæ in fin.*
f) *hiſtor. lib. 2. 55.*
g) Sueton. *in Vitell. cap. 8.* Plutarch. *in vita Galbæ* Tacit. *hiſt. c. 62.*
h) *Init. vitæ Veſpaſian.*
i) *lib. 4. hiſt. cap. 3.*
k) *in Veſpaſ.*
l) Dion *lib. 66. p. 744.*

luntate deceſſiſſet. Nam Cæſarem nomen primo hæreditatem Julii Octaviano delatam ſignificavit; poſtea deſignationem ad imperium, ad cujus ſpem per eam appellationem vocabatur a Senatu Imperatoris naturalis filius, vel adoptivus; ut in Auguſti familiam adſcitus, & patris potentiam nactus favorem prætorianorum, & paternam ſibi factionem adjungeret; eaque via poſt patris mortem perveniret ad imperium, & impetraret Auguſti nomen, quo plena, & perfecta dignitas, atque poteſtas Imperatoria exprimebatur, cum per Cæſaris nomen tantum exordium, & ſpes adumbraretur illius. Quamobrem cœpit poſtea Cæſarum dignitas, utpote Imperatoriæ familiæ nota, tribui ab ipſis Imperatoribus, quorum arbitrio deprimebatur, aut extollebatur poteſtas Cæſarum: qui ſub patris tyrocinio in munere Imperatorio exercebantur, ejusque viribus ita muniebantur, ut, Imperatore mortuo, cogeretur Senatus, aut civile bellum, aut imperium, ſive nati, ſive adoptivi ſubire Cæſaris. Porro Heliogabali tempore Cæſaris appellandi ſolius Senatus erat poteſtas: Lampridius enim *a*) ſcribit, Heliogabalum, quem pœnituerat adoptaſſe Alexandrum, Senatui mandaſſe, ut Cæſaris nomen illi abrogaret.

Nervam, legionibus poſcentibus, Patrum omnium plauſu ad imperium ſublatum ſcimus. *b*) In Trajanum a Nerva patre imperii conſortem adſcitum, Senatus adoptione probata, & Cæſaris ei cognomento tributo, una cum populo univerſo conſenſerat, eo plauſu, atque utilitate orbis terrarum, ut ſi tot aliis nominibus nullis; tamen unice ob imperium Trajano pariundum, imperium Nerva meruiſſet. *c*) Adrianus etſi ſtatim a Trajani morte imperium a militibus oblatum Antiochiæ in Syria ſuſcepiſſet; continuo tamen illud a Senatu poſtulavit per literas, quibus veniam a patribus petens, excuſavit militarem feſtinationem, ac motus exercituum, quibus ſe ducem negare, ſalva Rep. minime quiverit. *d*) Antonino Pio Senatus judicium ſuum jam ab eo usque tempore tribuerat, quo a patre Adriano adoptatus in curia proconſulare imperium, & tribunitiam poteſtatem ex S. C. cum patre participavit: *e*) quibus titulis tantum Imperatori congruentibus Imperator fuerat a Senatu deſignatus. M. Aurelius, qui adoptatus, *f*) & Cæſar appellatus, & in ſocietatem tribunitiæ poteſtatis adſcitus ab Antonino Pio fuerat; poſt illius mortem a Senatu non probatus tantum, ſed & coactus accepit imperium: utpote Platonis diſcipulus, nec verbo, ſed re philoſophus ad ſupremam poteſtatem, tanquam ad ſcopulum propriæ tranquillitatis, votisque, atque precibus populorum, non ſua, ſed illorum cauſa unice acceſſurus. Is Imperator omnia philoſophiæ præcepta, quæ propriis reddiderat exemplis, fœde conturbavit, extollendo filio ſuo Commodo gladiatore ſceleſtiſſimo, quem adhuc puerum Cæſarem appellatum, & ante juſtam ætatem damno publico ſolutum legibus, ad ſummos magiſtratus erexit, indeque ad conſortium tribunitiæ poteſtatis, ac denique ad ipſum imperium, *g*) non militum opera, ſed ſummarum opinione virtutum, quibus ſibi

a) *in vita Heliog. cap.* 13.

b) Dion *lib.* 67. *p.* 769. Aurel. Vict. *epit. in Nerva.*

c) Dion *lib.* 69. *p.* 770. & 771. Plin. *in Paneg.*

d) Dion *lib.* 69. *p.* 788. Spart. *in Adrian. c.* 6.

e) Capitolin. *in vita Adrian. cap.* 4. Dion *lib.* 69. *p.* 766. & *ſeq.*

f) Capitolin. *in Antonin. c.* 5. & 6. & 7.

g) Capitol. *in Anton. c.* 16. & 27. Lamprid. *in Commod. cap.* 1. & 2.

Marcus

Digitized by Google

Marcus adeo Senatus, & populi animos obligaverat atque ſubegerat, ut facile illi ſuerit, Senatu haud invito, Rempublicam imprudentiſſime filio tradere diripiendam.

Pertinax a Læto Præfecto Prætorio, & ab electo cubiculario deductus in caſtra, militum animos exploraturus, in Curiam inde conceſſit, non tam accepturus, quam recuſaturus imperium; quod demum non auctoritate tantum, ſed precibus etiam Senatorum admiſit. *a*) Adeo ut plurimi cum Patribus gratularentur, quod Pertinacis imperio Commodianam factionem demum evaſiſſent, & Pertinax, apud Herodianum, *b*) graviſſima oratione a Senatu habita, ei tantæ dignitatis faſtigium acceptum tulerit: *τῆς τοσυντῆς παρ' ὑμῶν τιμῆς obtigentis mihi a vobis honoris*. Didius Julianus partum pecunia imperium, ne fruſtra emiſſet a Prætorianis, ut ſibi rectius conſuleret, auctores quæſivit idoneos, nempe Patres, quibus oratione in Senatu habita, principatum debere voluit, ut ſcribit Spartianus in ejus vita *c*) his verbis: *Veſpera in Senatum venit, totumque ſe Senatui permiſit; factoque S. C. Imperator eſt appellatus.*

Severum, quem cogente Juliano, prius hoſtem *d*) judicaverunt, poſtea vero ejuſdem voluntate ad imperii participationem vocaverant; eodem S. C. Patres Imperatorem appellaverunt, quo Didio Juliano, contra quem plurimi Severum occulte ſuſcitabant, vitam, & imperium ademerunt.

Caracalla parente vivo, & Imperator deſignatus fuerat, *e*) & Auguſtus appellatus, & jam ante ſimul cum patre tribunitiam poteſtatem acceperat. Et quoniam alii primum Tribunitiæ illius poteſtatis annum teſtimonio hiſtoriarum exordiuntur a menſe Aprili A. a C. N. CXCVIII. alii auctoritate inſcriptionum a menſe Junio; ideo acutiſſimus Noriſius putat, modo initium fuiſſe ductum a tempore, quo ei tribunitia poteſtas, patris voluntate, deſtinabatur; * modo a tempore legitimo, nempe a die, quo eam rite tulerat a Senatu, a quo die, qui conſultius loquuntur, tales poteſtates auſpicantur: *f*) Siquidem Dion, *g*) irrita ſignificat omnia Imperatoria cognomenta, quibus uſurpandis, aut a militibus accipiendis, Patrum decretum Principes antevertiſſent. Hinc ille annos, quibus Severus imperavit, a S. C. die numerat, non a tempore acclamationis militaris, *h*) ut recte Tillemontius obſervavit, *i*) Macrinus quamvis in magna rerum fluctuatione adminiſtrandum

a) Capitolin. *in Pertinac. c. 4. & 5.* Dion *lib. 73. p. 830.*

b) *lib. 2. cap. 10.*

c) *cap. 3.* Dion *lib. 73. p. 836.*

d) Spartian. *in Julian. c. 5 & 6.* Herodian. *l. 2. cap. 41.*

e) Spartian. *in Sever. c. 16.*

* Forſitan ei tanquam Cæſari hæc poteſtas delata & dein initio Imperii repetita eſt, ſic, ut alii annos Tribunitiæ poteſtatis a tempore, quo Cæſar dictus eſt, computaverint, aliis annos ſubducentibus Imperii. Librum de *Tribunitia Imperatorum poteſtate bifariam dinumerata* meditatus eſt Nicolaus Toinardus, ſed qui lucem non vidit. Conferendi Valſechius in *diſſert.* de *Elogabali Tr. pot.* & Chriſtianus Gottlieb Schwarzius de eodem argumento.

f) Tillemontius *in Sever. not. 19. & articul. 14.*

g) *lib. 79. pag. 907.*

h) Dion *lib. 74. p. 839.*

i) Tillemon. *in vita Sever. nota 7.*

ſuſce-

ſuſcepiſſet imperium oblatum a militibus, quibus occiſo in caſtris Caracalla, Dux non ſine magno ab hoſtibus periculo defuerat; non eſt auſus tamen profiteri ſe Imperatorem, antequam literis ad Senatum miſſis, ſibi & Diadumeno filio a Senatu imperium impetraſſet. *a*) *Detulerunt* (ſcripſit ille iis in literis a Capitolino relatis) *b*) *ad me imperium* (ſcilicet milites) *cujus ego tutelam recepi: tenebo regimen ſi & vobis placuerit, quod militibus placuit*. Quamobrem ingenti gaudio Senatus ei Auguſti nomen, & omnia Imperatoria jura decrevit. *c*)

Heliogabalum fœdiſſimum illud, & vulgare ſcortum, qui nondum conſulto Senatu, ſola voluntate militum ſe Imperatorem, & Auguſtum inſcripſerat, adeo indigne tulit S. P. Q. R. ut mortui memoriam ſtatim damnarit, *d*) ac ſolo metu ad tempus eum agnoverit, quoad ab iisdem tolleretur, per quos non legitima creatione, ſed rapina imperium occuparat. Unde Dion *e*) pro novo illius ſcelere affert, quod cognomenta Imperatoria, contemto Senatu, & patriis inſtitutis, contra jus faſque præſumſiſſet. Quo unice loco proſtraverim omnes legum, & antiquitatis imperitos, qui jus Imperatoris creandi a Senatu avertunt ad milites.

Alexander Severus Cæſar, Patrum decreto, dum Heliogabalus viveret, renunciatus, *f*) & poſt illius mortem acclamatione militari deductus in Senatum; ibi cum Auguſti nomine novo exemplo eodem die Pontificatum Max. Tribunitiam poteſtatem, & Conſulare imperium ſe accepiſſe gloriatur, eoque nomine gratum ſe univerſo Senatorum ordini futurum profitetur.

Maximinus *g*) parricida, cæſo Alexandro primus a militaribus, absque Senatus decreto, Auguſtus appellatus, etſi perfidioſe, ac violenter arripuiſſet imperium; tamen ut indignum facinus, auctoritate legitima, prætexeret, per literas militum voluntatem ſignificavit Patribus, *h*) qui metu perculſi, eam comprobarunt: *i*) donec in libertatem redeuntes, ac ſpem ab Africano exercitu capientes, immanem illum Thracem hoſtem judicarunt, Imperium ab eo in Gordianum ſeniorem, & filium, *k*) quibus ſeſe Africanus exercitus tradiderat; iisque mortuis ad Maximum, & Balbinum, indeque ad Gordianum alium juniorem transferentes, quem Balbino, & Maximo vivente, Senatus Cæſarem appellaverat. *l*)

Maximino ſceleratior ſicarius Philippus Arabs, qui fidei ſuæ traditum Gordianum imperio exuit, & vita, *m*) exercitibus ad ſe transductis, miſit ſtatim ad Senatum literas, quibus ut ab eo militaris acclamatio probaretur, Gordianum morbo periiſſe mentiebatur, cui mendacio Patres fidem habentes, aut habere ſimulantes, metu atrocioris facinoris, Auguſtos ei honores decreverunt. *n*)

a) Capitolin. *in vita Macrin. cap 7.*
b) *cap. 6. &* Herodian. *lib. 5. cap. 2.*
c) Herodian. *lib. 5. p. 161.*
d) Lamprid. *in vita Alexand. cap. 7.*
e) *lib. 79. p 907. & 909.*
f) Herodian. *lib. 5. c. 18. vide* Lamprid. *in Heliogab.*
g) Capitolin. *in Maximin. cap. 8.* Aurel. Vict. *in Maximin.*
h) Zonar. *annal. tom. 2. in Maximin.*
i) Aurel. Vict. *in Maximin.*
k) Capitolin. *in Maximin. c. 15. & in* Gordian. *cap. 10.*
l) Capitolin. *in Gordian. 3. cap. 22.*
m) Capitolin. *in Gordian. 3. cap. 29. & 30.* Aurel. Vict *in Philipp.*
n) Capitolin. *in Gordian. c. 31.*

A Phi-

A Philippo ad Valerianum plurimæ Cæſarum vitæ intercurrunt, quæ in Latinorum hiſtoria Auguſta deſiderantur, & aliis ex ſcriptoribus a Caſaubono ſupplentur, *a*) quorum aliquibus vix lambere contigit Auguſtam poteſtatem, vixque ſpatium patuit ad Patrum conſenſum impetrandum; aliquibus vero ſuorum factorum omnium teſtimonium deeſt hiſtoriarum; quarum lux non adeo tamen elanguit, ut per novem circiter annos illos, quibus imperium plurium Cæſarum varia fortuna fluctuavit, non emineat in Imperatorum creatione Senatus auctoritas, eaque ſine ulla miſtione acclamationis militaris: qua unice Senatus poteſtate a Zonara creatus fertur *b*) Imperator Marcus, & Severus Hoſtilianus, quorum adhuc memoria ſolius Zonaræ beneficio vivit. Gallo item, & Hoſtiliano Perpennæ a Senatu delatum fuiſſe imperium, tradit Aurelius Victor. *c*)

Decii adeo monumenta perierunt, ut potius impia ſua facta e ſacra, quam civilia ex profana hiſtoria prodantur. Unde non mirum, ſi tanta in imperii brevitate, ac tumultuatione Reipublicæ, quæ rite proceſſerint, lateant poſteris. Quantopere vero ei tribuerint PP. oſtenderunt, cum L. Priſcum ſub illo invadentem Imperium hoſtem pronunciarunt; *d*) ut ei nullo modo Senatus auctoritas deeſſe potuerit. Neque Decius rerum humanarum peritiſſimus tot bellis implicatus deſeruiſſet provincias, & Romam ſeſe contuliſſet; niſi ſententiam Senatus impetraturus, commotasque ſeditiones auctoritate Reipublicæ in ſuum imperium, ſuæque ſobolis ſpem conſentientis compoſiturus.

Valerianum virtute ſimul, & calamitate memorabilem, inſigni perfidia in Saporis Perſarum Regis poteſtatem deductum, non tam milites, quam conſenſus mortalium univerſorum, & omnium ordinum, & conſequenter Senatus potiſſimum legerat Imperatorem; *e*) cui ſuæ voluntatis & antea quidem pignus tradiderant Patres, ſuſcitanda in illius perſona cenſura jamdiu intermortua; *f*) & poſtea fœnus perſolverunt, cum Gallienum filium illius Cæſarem appellarunt, *g*) patrique conſortem Imperii dederunt, *h*) ut omnia eis contuliſſe Senatum ſatis liqueat, utcunque Valeriani tempora ſint obſcuriora.

Quid loquar de tumultuariis aliquot Imperatoribus, & Ducibus iis provincialium exercituum, qui ſub Gallieno in commotione illa civili, ſuorum cujusque militum ſtudiis ad ſe Imperium rapiebant? quibus uti plena vis ad ſuperandum apud Senatum Gallieni potentiam, ita jus omne defuit ad imperandum; adeo ut a Scriptoribus XXX. tyrannorum numero habeantur, donec ad Claudium ventum eſt hujus nominis alterum, quem ante militum ſententiam, communibus ſuffragiis Imperium ſuſcepiſſe, tradit Zoſimus, his verbis: *i*)

Κλαύδιος τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν παραλαμβάνει, καὶ πρότερον τῆς κοινῆς ψήφου ταύτην δὲ ὄσης αὐτῷ. *Claudius ſummum Imperium occupavit ſibi ante com-*

a) *In notis varior. ad ſcr. hiſt. Aug. poſt* Gordian. 3.

b) *Annal.* 3. *in* Gordian. 3.

c) *de Cæſar. num.* 31. *item auctor hiſt. miſcell. hoc loco.*

d) Aurel. Vict. *in Decio n.* 25.

e) *Veter. hiſtor. fragm. inter hiſt. varior. apud* Trebel. Poll. *in vita Valer.* Zoſimus.

f) Trebel. Poll. *in vita Valer.*

g) Eutrop. Aurel. Vict.

h) Vict. *in Gallien.*

i) Zoſim. *lib.* 1.

muníbus conceſſum ſuffragiis. Cum Zoſimo non obſcure convenit Trebellius Pollio, *a*) a quo & Senatus univerſi plauſus in illius Imperio comprobando referuntur. Quintilius illius frater Imperator a militibus, & a Senatu Auguſtus appellatus ab Eutropio, *b*) & a Zonara traditur. *c*)

Ab hoc paucis diebus ad Aurelianum commigravit Imperium, non conſenſu militum tantum, ſed hominum univerſorum: ut cum Romam ille ſtatim Imperator appellatus petierit, nullo modo ei deeſſe potuerint conſueti honores a Senatu prodeuntes; nec neceſſe fuerit, ut anxie ab hiſtoricis memorarentur, propter electionem illius omnium concordia ordinum initam. *d*)

Aureliano in necem Reipublicæ Mueſtei liberti ſui fraude intereınto, *e*) milites, qui tot ſub eo victoriis claruerant, obſequio etiam erga Patres, & memorabili pudore, præquam antea, excelluerunt. Ultro enim ſex menſium *f*) illuſtri contentione ter Senatui remiſerunt judicium de legendo Imperatore, quod Senatus permittere conſueverat exercitibus, ut ejus libentius ducerentur auſpiciis, cui ſe propria voluntate tradidiſſent. Nam Suetonius *g*) refert ſub Tiberio, militum aliquorum ſeditionem eſſe ortam, qui detrectarent principem non ab ſe datum.

Poſt Aureliani porro interitum, tot a Romuli morte ſæculis, revixit inter milites antiqua illa modeſtia plebis, quæ Patribus Regis creationem, ab eis ſibi conceſſam, reddiderat. *h*) Iidemque milites Senatus jus in edendo militiæ Principe, inque regendo orbe terrarum, pietate pleniſſimis literis, *i*) ad Patres miſſis, teſtatum reliquerunt, quarum hæc verba deſcripſimus: *Hunc* (Aurelianum) *inter Deos referte Sancti, & Domini P. C. & de vobis aliquem, ſed dignum veſtro judicio, Principem mittite.* Quamobrem Patres Tacitum primæ ſententiæ Senatorem, *k*) virum priſca integritate invitum, & reluctantem, lubentibus, & plaudentibus legionibus obtulerunt: & cum Romæ, tum ad exteros populos, Patres publicis literis exultarunt, quod plenum, & integrum creandi Principis arbitrium, potentia militari prius extenuatum, ad fontem ſuum, Taciti creatione, refluxerit: *l*) ac patres redierint ad exercitium ejus juris, quod ſemper habuerunt. *Gratias* (ſcribebat Senator Claudius) *m*) *Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis, quam ſemper habuimus, poteſtatem.*

Florianus Taciti frater, quia contra Romanorum inſtituta, mortuo fratre, Imperium præ ſe, tanquam hæreditarium, ſumſerat, nunquam Cæſarum numero eſt habitus. *n*) Quamobrem proximus a Tacito Probus occurrit, qui repentino motu a militibus Auguſtus appellatus, non ante tamen Imperium ſuſcepit, quam illud a Patribus officioſiſſimis impetraſſet literis, quibus ab eo Senatus pro arbitro, ac principe rerum humanarum agnoſcitur, per hæc verba: *o*) *Recte atque ordine P. C.*

a) *in vita Claud.*
b) *lib. 9.*
c) *in Claud. tom. 2.*
d) Zoſim. *lib. 1.* Zonar. *in Aurelian.* Vopiſc. *ibid.*
e) Vopiſc. *in Aurelian. cap. 36.*
f) *idem in princip vit. Tacit.*
g) *in Tiber. lib. 3. cap. 25.*
h) Livius.
i) *apud* Vopiſc. *in Aurelian. cap. 41.*
k) *idem ibidem.*
l) Vopiſc. *in Florian.*
m) *in epiſtola ejuſdem apud* Vopiſc. *in Florian. cap. 6.*
n) Vopiſc. *in Florian.* & Aurel. Vict.
o) Vopiſc. *in Probo cap. 11.*

proxi-

Digitized by Google

proximo ſuperiore anno factum eſt, ut veſtra clementia orbi terrarum principem daret, & quidem de vobis, qui & eſtis mundi principes, & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris eritis. Atque utinam id Florianus expectare voluiſſet, nec velut hæreditarium vindicaſſet Imperium, vel illum, vel alium quempiam majeſtas veſtra feciſſet. Nunc quoniam ille Imperium arripuit, nobis a militibus delatum eſt nomen Auguſtum, vindicatum, quin etiam in illum a prudentioribus militibus, quod fuerat uſurpatum. Quæſo ut de meis meritis faciatis, quidquid juſſerit veſtra clementia.

XXXIV. DE MILITUM JURE IN CREATIONE IMPERATORIS.

Hactenus pervolvimus ſeriem Imperatorum, quorum vel omnis a Senatu creatio proceſſerit, vel ab eo poſt militaria ſuffragia teſtimonio hiſtoricorum legitimam, & civilem traxerit anctoritatem. Quæ auctoritas minime deeſſe potuit ſequentibus creationibus: quantumvis a veteribus, ſuppreſſa mentione Senatus, militibus aſſignentur, idque non quia nullum S. C. eas comitaretur; ſed quia tam certum erat, & impetrabile, tamque neceſſarium, & ſolenne, ut omnium opinione præſumeretur. Ab eo enim tempore, ſicuti militaris potentia electionem omnem ſummi Ducis ad ſe trahebat; ita ne jus Patrum inerme cum armata violentia dimicaret, Senatus, qui niſi ſponte ceſſiſſet, ac libere, turpiter, atque ſerviliter ſuccubuiſſet, poteſtatem civilem nunquam negavit iis, quos potentia militaris ad Imperium extulerat: ut eis confirmandis auctoritatem retineret illam, quam eiſdem rejiciendis prorſus amiſiſſet. Quod unum poſt varia, & exitialia experimenta remedium invenerunt bellorum civilium, quibus ſua cum clade Senatores implicabantur, ante Gallienum, qui primus eos prohibuit a caſtris: *a*) quæ antea cum ſequerentur *b*) vitare nunquam poterant odia partium, ſi creando ſummo Duce, auctoritate ſua ſtudia dividentes, unam præ alia militarium factionum attollerent, eoque Senatum converterent univerſum, ancipitem diu futurum, dum de Imperio agitaretur, ſub obnoxio ne ſibi eſſet, an ſub offenſo principe cadendum.

XXXV. DE REMOTIONE SENATORUM A MILITIA.

Quam fuiſſe cauſam putaverim, cur adeo patienter tulerint Patres ademtam ſibi a Gallieno militiam, neque ſategerint amplius repetere a militibus creandi Principis arbitrium ſæpius præreptum, & aliquando Taciti, & Probi creatione ſibi pleniſſime redditum. A quo tempore tradit Victor *c*) ad ætatem uſque ſuam, ita militarem potentiam convaluiſſe, ut imperium Senatui, creandique jus principis abſtulerint, quieſcentibus Senatoribus. * Quibus ſi ſpes proſperi ſucceſſus affulſiſſet, nunquam defuiſſet animus repetendi juris ſui.

a) Vict. *in Probo.*
b) Tacit. *hiſt.* 2. *cap.* 52.
c) *in Probo.*
* Tunc priſtino juri ſuo renunciaſſe Senatus, & ſumma Reipublicæ ad milites perveniſſe, videri poterat. Poſt mortem Aureliani tamen odio præſentium, ut loquitur Vopiſcus, judicium de novo Imperatore ad Senatum rediit, miſſis ab exercitu literis, quibus a Senatu petebant, ut ex ordine ſuo Principem eligerent. Sed ſibi diffidens Senatus, probeque ſciens, lectos a ſe Principes militibus non placere, rem aliquoties ad milites retulerat, a quibus Tacitus quoque, quem tandem Senatus legerat, ſexto poſt menſe interemptus eſt.

XXXVI. DE JURE CIVITATIS IN EXERCITUM.

Quod utcunque a militibus interciperetur, ac turbaretur; nunquam tamen avellebatur a ſede, capiteque imperii Republica, quæ a Senatu præferebatur. Non enim Respublica exercitui; ſed exercitus Reipublicæ miniſtrat; neque Respublica propter exercitum, ſed exercitus propter Rempublicam inſtituitur: ut Plato docet in libro de regno, ubi cum omnes artes, & facultates, tum præcipue militarem civilis poteſtatis miniſterio addicit, his verbis:

Ξε. τίν' οὖν ποτε, καὶ ἐπιχειρήσομεν οὕτω δεινῆς, καὶ μεγάλης τέχνης ξυμπάσης τῆς πολεμικῆς δεσπότην ἀποφαίνεσθαι, πλήνγε δὴ τὴν ὄντως οὖσαν βασιλικήν; Σω. οὐδεμίαν ἄλλην. Ξε. οὐκ ἄρα πολιτικὴν θήσομεν ὑπηρετικήνγε οὖσαν, τὴν τῶν στρατηγῶν ἐπιστήμην. a) Ideo perire Senatui nunquam poterat jus imperii ſive creandi, ſive regendi, ſine diſſolutione civilis poteſtatis vitæ populi Romani perpetuo hærentis, incumbentisque in immortali corpore, atque in urbe principe rerum humanarum, quæ jus æternum retinebat imperii: ut in milites, & Imperatores tantum exercitium transferri illius, ita futurum legitimum, ſi orbis terræ conſilio, & Senatus auctoritate comprobaretur. Etenim, & ipſi milites, ſi quando non expectato decreto Senatus, ſummum ſibi Ducem creaſſent; ſuum factum non jure, ſed neceſſitate conſueverant excuſare, ut tradit Lamprid. in *Alex. cap. 1.* his verbis: *Milites jam conſueverant ſibi Imperatores, & tumultuario judicio facere, & item facile mutare, aſſerentes nonnunquam ad defenſionem ſe idcirco feciſſe, quod neſciſſent Senatum Principem appellaſſe.* En igitur ipſi milites fatentur in Imperatoris creatione potiores patrum, quam militum fuiſſe partes. Atque ideo cum Senatus Alexandrum Severum vellet imperare, omnia ſimul ei contulit imperatoria, ne, ſi quid differrent, milites ignorantiam creationis ſimulantes, veluti negligente Senatu, & uſu Reipubl. poſceute, crearent alium. Ideo Claudius Capellianus apud Vopiſcum ita reſtitutum Senatui jus a militibus gloriatur: *Nos* (nempe Senatores, ex quibus erat unus) *Nos principes facimus, noſtri ordinis ſunt poteſtates. Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis quam ſemper habuimus poteſtatem.* Et paullo poſt: *Imperatores damus, principes facimus; poſſumus & prohibere, qui cœpimus facere.*

Cum enim jura publici regiminis ipſius civitatis conſtitutione contineantur, & civitas verſari nequeat in exercitu corpore vago, & incerto, parteque illius miniſtro, quem unius diei clades ipſo cum duce aliquando deleverit; ne nimis in lubrico ſalus publica verſetur, & corpus civile periculis, vel injuriis militaribus objiciatur; lex ipſa naturæ, ac ratio conſervationis humanæ, quæ civitatem, & militiam peperit, ad Senatum, & Rempublicam, perpetuo retrahit copiarum, & Imperatoris ipſius ſupremum regimen atque creationem: ut ſi vel Imperator cum exercitu ab hoſtibus profligetur; vel civitas ab Imperatore ſuo, & violentia militari diſſolvatur; emergat civilis poteſtas, exurgatque Senatus auctoritas, qua vel novus mittatur exercitus, vel princeps perduellionis damnetur, & violentia militaris a Republica deflectatur, atque ita civitas vel hoſtibus, vel civilibus injuriis quaſſata reparetur. Ideo nemo Imperatorum negligere poterat S. C. niſi expreſſe tyrannidem profiteretur: cum enim jura civitatis non in exercitu, ſed in Republica & Senatu

a) Plato *de regno pag. 151.*

conde-

conderentur, ſine auctoritate Reipublicæ ac decreto Senatus non Imperator a militibus, ſed tyrannus, & hoſtis patriæ creabatur. Ideo variant ſcriptores in recenſendis temporibus imperii, cum aliqui annos numerent a creatione militari; alii vero, iique peritiores publici juris, a decreto Senatus, ut obſervat apud Suetonium Caſaubonus. *a*) Quamobrem apud Tacitum *b*) Otho Imperator ſuum alterius imperio præferebat, quod a ſe ſtaret Senatus, cujus voce univerſa Reſpublica loqueretur, perque Patrum decretum legitimam conferret poteſtatem, ut patet ex his Othonis verbis: *Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut hinc Reſpublica, inde hoſtes Reipublicæ conſtiterint.* Quod igitur ex naturæ, ac gentium legibus venit, ut juri publico ſedes perpetua tradatur, ac majeſtas vel in una, vel in pluribus ſibi ſucceſſuris familiis, per hæreditarii regni conſtitutionem, aut ſi de aliis rebuspublicis agatur, in certis ordinibus civium nunquam perituris, inque certis eorum conſiliis collocetur; id etiam procedit ex inſtitutis Romanorum, qui militare quidem exercitium, quod poteſt abſque interitu Reipublicæ decedere a perſona morientis principis, uni perpetuo tribuerunt, quem appellarunt Imperatorem; jus autem illius tribuendi, ejuſdemque moderandi, ſcatebramque majeſtatis, quam oportet eſſe perennem, non in brevi, & ancipiti unius hominis vita, volucrique, ac lubrico rerum ſtatu depoſuerunt; ſed retinuerunt apud certum, & invariabile corpus, eamque cum æternitate, quam ſibi deſpondebant Senatus, & Reſpublica, contexuerunt: ut Romanus principatus, Romanumque Imperium ſocietas fuerit, & communio majeſtatis illius, quam continuam, & nativam Senatus habebat. Unde non mirum, ſi etiam exorto Imperio, Senatus jure ſuo munera illa gereret omnia, quibus potiebatur, florente Republica, præter judiciorum popularium & comitiorum poteſtatem Tiberii tempore in ſe translatam; ceteraque communia cum Principe ſimul exerceret, & in Principem ipſum, ſi Rempublicam Senatui creditam everſum iret, capitis etiam ſupplicio animadverteret, adeoque Senatui publica poteſtas hærebat, ut quamvis eam Triumviri extorto quoque Senatus conſenſu arripuiſſent; tamen rebus ab ſe geſtis, ut ſecuritatem, & firmitatem haberent, Senatus auctoritatem adjiciendam curarunt: ut refert Dion. *c*)

XXXVII. DE PERPETUA POTESTATE SENATUS IN IMPERATOREM.

Ex quo intelligimus, jure publico Imperatorem fuiſſe in poteſtate Senatus; utcunque violentia militaris, quæ nutu Principis regebatur, Senatum plerumque, ac Rempubl. univerſam libidini objiceret Imperatoris. Cui enim vel leviter hiſtorias pertractanti non ſe obtulerunt exempla damnatorum ex S. C. Principum?

Caligulam ſane infamia notare decreverant Patres, ni Claudius, qui tribunitia intercedendi poteſtate Cæſaribus conſueta potiebatur, obſtitiſſet, aut potius diſtuliſſet: ſiquidem infamem poſteris fuiſſe Caji memoriam, tum ex lege Regia didicimus, tum ex Dione *d*) cognoſcimus, qui abfuiſſe refert Caji nomen a numero

a) *in Calig. cap. 59.*
b) *lib. 1. hiſt. cap. 84.*
c) *lib. 8. cap. 377.*
d) Dion *lib. 60. pag. 667.*

Digitized by Google

Imperatorum, quorum Senatus in juramentis, & votis meminiſſe conſueverat. Quin & ipſe Claudius amovendas noctu ejus ſtatuas, *a*) & conſtitutiones ipſius abolendas curavit: Senatus nimirum voluntatem amplexus. Neronem, adhuc viventem, Senatus hoſtem patriæ judicavit, & latentem ad ſupplicium depoſcebat, ut puniretur more majorum, nempe, ut detractis veſtibus cervix ejus furcæ insereretur, corpusque de ſaxo dejiciendum per urbem tractum ad necem cæderetur. *b*) Galbam a Senatu, impellente Othone, hoſtem fuiſſe judicatum, ſupra ex Plutarcho docuimus, *c*) ejusdemque memoriam Veſpaſiani tempore Senatu ad libertatem redeunte fuiſſe a Patribus, qui eum inviti damnaverant, reſtitutam, ex Tacito cognoſcimus. *d*) Othonis, & Vitellii nomen exulavit e corpore legis Regiæ per Senatum conditæ, cum neuter eorum, ut jam animadvertimus, inter Imperatores ibi deſcriptos inveniatur: ex quo intelligimus, Patres Othonem, ut Vitellio, Vitellium, ut Veſpaſiano blandirentur, hoſtem judicaſſe. Pari Domitianum ignominia Senatus affecit, cujus a conjuratis occiſi nomen, ac memoriam damnavit, *e*) imagines detrahi, delerique, ac ſtatuas, ubique conquiſitas fundi metallicas, evertique marmoreas juſſit: adeo ut nonniſi unam ſuo tempore Domitiani ſtatuam extare Procopius tradat. *f*) Avidium Caſſium Senatus hoſtem appellavit. *g*) Similibus pœnis in Commodum, a conjuratis item interfectum, Senatus animadvertit: qui projiciendum etiam in Tyberim cadaver decreverat, *h*) atque ubi a Pertinace Imperatore tum creato accepit, jam eſſe conditum, ira exarſit adverſus eum, qui hoſtem patriæ honore affeciſſet, parumque abfuit, quin ex S. C. cadaver effoderetur. *i*) Jam vero ſuo loco indicavimus, qua Senatus poteſtate fuerit uſus adverſus Julianum, ac Severum: quorum hunc Juliani; illum Severi metu hoſtem judicavit, ut & Peſcennium Nigrum, *k*) & Albinum: *l*) adeo ut nemo victorum, niſi auctoritate Senatus ageret, jure ſuum æmulum ſuſtuliſſe, ac tyranni notam effugiſſe videretur.

Caracallam metu militum, quos liberalitate ſua devinxerat, Senatus quidem hoſtem publicum non judicavit, ſed indignis probris, ac fœdis execrationibus memoriam, & nomen laceravit illius: *m*) cui ut honorem apud poſteros detraheret, prohibitis Circenſibus die natali ſuo inſtitutis, argenteas illius omnes, aureasque ſtatuas fundi juſſit, ut illis liqueſcentibus, ejus, quem potiſſimum oderant, inſigniora monumenta perirent. *n*)

Cumque non jus, ſed furor dominaretur militum, qui Macrino extincto impuriſſimum cinædum extulerant; inviti Senatores contra Macrini memoriam, auctoritatem ſuam direxerunt: *o*) quam poſtea lubentes averterunt in Heliogabalum, ab ipſis militibus fœdiſſime diſcerptum, & in Tyberim projectum: cujus flagitioſi

a) *idem ibid.*
b) Eutrop *&* Sueton. *in Nerone cap. 49.*
c) Plutarch. *in vit. Galb. p. 1055.*
d) *lib. 4. hiſt. cap. 40.*
e) Suetonius *in Domit. cap. 23.*
f) *hiſt. arcan. pag. 37. edit. Lugdunen. in fol. an. 1623.*
g) Vulcat. Gall. *in Avid. Caſſ. cap. 7.*
h) Dion *lib. 37. p. 830.* Herodian. *lib. 1.*
i) Lamprid. *in vita Commod. in fine c. 18.*
k) Spartian. *in Sever. cap. 9.*
l) Capitolin. *in Albin. cap. 9.*
m) Capitolin. *in Macrin. cap. 2.*
n) Dion *lib. 78. pag. 856.*
o) Lamprid. *in Heliogab. cap. 3.*

ado-

Digitized by Google

adoleſcentis Senatores, ſublato imperio fœminarum, quæ per eum dominabantur, inſcriptiones omnes, abrogato etiam ei Antonini nomine, quod propudioſis factis polluerat, delendas decreverunt. *a*)

Maximinum & viventem, & mortuum, Senatus adeo execrabatur, ut nunquam validius Patres poteſtatem ſuam expreſſerint, quam ejus tumultus tempore, quo adverſus hoſtem patriæ, qualem eum judicaverant, quos ſupra memoravimus, crearunt Auguſtos.

Æmilianum, quem Senatus, forte ſuperante legem, Auguſtum appellavit, jam antea, urgente Gallo, declaraverat hoſtem. *b*)

Gallieni tempore, quamvis ejus ſocordia pluribus a ducibus ſui cujusque exercitus acclamatione, Auguſti nomen ſibi trahentibus, dilaceraretur Imperium: tamen firmum in Gallieno, & in ſolidum conſtitit, quia Senatus auctoritate fundabatur. Et qui Auguſtam poteſtatem ſibi ſolo militari ſuffragio carpſerant, tyrannorum exitum, nomenque meruerunt.

Poſtquam vero Senatus a Gallieno, ut memoravimus, militia excluſus, auctoritatem ſuam comprobanda potius, quam tractanda Imperatoris creatione retinuit, commiſſamque ſibi ex inſtituto Reipublicæ civilem poteſtatem flectere cogebatur ad voluntatem potentiorum; ut exordia, ita & exitus neglexit Imperatorum, quibus deinceps, neque attollendis, neque deprimendis admodum ſtuduit, ne militaribus factionibus involveretur: præcipue poſt Carini mortem, a tempore Diocletiani, ſub quo, ſuccumbente viribus ratione, ad militiam omnia fluxerunt: adeo ut Senatus non duceret amplius, ut debebat, armatam potentiam, ſed ſequeretur: quia Imperatores, fractis viribus populi, & civitatis, accitisque ſibi commilitonum opibus, & facultatibus provincialium, nihili pendebant pro tyrannis haberi, dum tyrannide potirentur impune; neque admodum laborabant eſſe juſti, dum injuſtitiæ periculum avertiſſent. Ideo Reipublicæ forma, quæ defluxerat e moribus, impreſſa manſit in legibus; & publica jura populi Romani latuerunt in ritibus, * & S.C. ex inſtituto prodeuntibus: quæ, quamvis ad voluntatem potentiorum conderentur; nativam tamen auctoritatem nunquam amiſerunt: quia volentia non eſt cauſa efficax extinguendæ civilis facultatis, & permutandæ Reipublicæ. Quæ ſi ſuorum inſtitutorum faciem pandat, in mutis quantumvis, & inertibus ritibus, juſtum ſemper, apertumque habet reditum ad priſtinum uſum, cujus jus, atque voluntatem nunquam dimiſiſſe cenſetur. Titulos enim, ritus, & ſolennitates conſervandis a prava conſuetudine juribus, conditores legum invenerunt. Quamobrem nunquam Senatui periit jus creandi, regendique Imperatoris, quamvis illius juris exercitium non Patrum, ſed militum a voluntate penderet. Quod ad ceteras Patrum, & populi facultates, ac jura porrigitur: quæ nunquam interiiſſe putantur, quamvis non tam

a) Lamprid. *in Heliogab. cap. 18.*

b) Aurel. Vict. *in Æmil.*

* Jam igitur hoc loco poteſtas Senatus omnis in ritibus poſita eſt & Senatusconſultis. Rituum vero nil niſi vana in capiendis auſpiciis cærimonia erat. Senatusconſulta autem etſi ea Gratiani adhuc, Valentiniani & Theodoſii temporibus in uſu fuiſſe noverimus ex *L. un. C. de Senatusconſultis*, tamen ad nutum Imperantium facta, ipſe Gravina agnoſcit.

ex

ex Senatus, quam ex Imperatoris arbitrio adhiberentur: & conſequenter via ſemper Senatui patuit ad priſtinam ſui juris libertatem, ſibi violenter diu ereptam. Quam ad libertatem jure ſuo rediit novo Imperatore creando, cum a Græcis Cæſaribus opprimeretur.

XXXVIII. DE RELIQUIS SENATUS JURIBUS, ET DE CONSULARI POTESTATE.

Nunc cetera jura Patribus ante, ac poſt exortum Imperium quæſita memoremus. Quæ quamvis turbata, & intercepta violenter, nunquam tamen intercidere potuerunt; quia, uti ante oſtendimus, gentium lege, ac jure ipſo humanæ ſocietatis, publicoque inſtituto urbis Romæ, militaria civilibus addicuntur. Quibus expeditis progrediemur inde ad conſularem poteſtatem: in qua regia jura, quæ perpetua in uno fuerant, annuo tempore a duobus exercenda coaluerunt. Ex quo evincemus, poteſtatem ſummam civilem, qua jus regium continetur, in populo, Senatu, & Conſulibus conſtitiſſe, perque munera illorum, variante Republica, permeaſſe; ad Imperatorem vero creatum tantum transſiſſe in perpetuum jus militare civili obnoxium: * quod antea certis temporum, locorumque modis tradebatur, quamvis & poſtea Cæſaribus tribueretur in perpetuum, diuturnitas tamen addita imperio Cæſarum, naturam non mutavit illius, neque illud exemit a poteſtate civili: quia productio temporis vertere non poteſt rationem humanam, humanæque ſocietatis variare legem; quæ propter publicam tranquillitatem, cui fruendæ civitas conſtituitur, militaria ſubjicit civilibus, ad quorum uſum militaria comparantur. Quilibet enim auctor operi, quod ſuo uſui peperit, jure naturæ dominatur. Auctor autem Imperii Senatus, populusque fuit, qui & arma prius inſtituit ad uſum civitatis, & armatis ducem perpetuum dedit ad tutelam urbis, & provinciarum, atque non ad privatam ipſius Imperatoris dominationem, ſed ad conſervationem Romanæ Reipublicæ communionemque perpetuam generis humani: quam legibus & Senatusconſultis inſtitutam, ac S. P. Q. R. auctoritate contractam, Imperator militari potentia tuebatur. Quam Senatus poteſtatem libro de *originibus* primo diſtinctius retulimus, & ſuperius hoc eodem etiam libro innuimus. Unde ad hujuſce operis continuationem atque ordinem, ſatis hic erit, redigere in memoriam Senatus majeſtatem, etſi variis populi motibus modo labentem, modo reſurgentem; tamen ante Cæſarum creationem in eo conſtitiſſe, ut omnis publicorum proventuum adminiſtratio, negotiaque legationum, ſive mittendarum ad exteros, ſive ab exteris venientium recipiendarum, reſponſaque danda legatis, item & provinciarum diſtributio, earumque prorogatio, & rerum geſtarum judicia, quibus facta militaria Conſulum, & Imperatorum, eventusque præliorum, aut extollebantur decretis, ſupplicationibus, orationibus, & triumphis, aut iis negatis extenuabantur, ad Senatus auctoritatem, tanquam ad communem publici judicii, civiliſque

* Potius civile Imperium exſpiraſſe penitus per derelictionem cenſendum eſt, poſtquam ad tuendum jus ſuum incumbere Senatus deſiit, quod, ut præſumptio ſapientiæ in ampliſſimo ordine ſuadet non antea fecit, quam poſtquam compluribus exemplis didiciſſet, Rempublicam ſalvam eſſe non poſſe.

ſapien-

ſapientiæ, atque incorruptæ fidei fontem rite referantur. Quoniam autem Romanæ Reipublicæ inſtitutis populus publicorum judiciorum, belli, pacisque, legumque ſive jubendarum, ſive abrogandarum arbiter conſtituebatur; & imperante Tiberio, ut ſupra memoravimus, per translationem populariun comitiorum, jura omnia popularia tranſierunt ad Patres; evenit, ut ab eo tempore omnis adminiſtratio civilis, cui militaria ſubeſſe oſtendimus, & conſequenter omnis poteſtas regia, quæ olim in Senatum, & populum tribuebatur, inter ſolos Patres, vocato tantum ad vetuſtatis imaginem populo, verſaretur. Quam poteſtatem agnoſcens infenſus Galbæ Germanus Romanorum exercitus, recuſavit adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus. *a*)

Quæ omnia & antiqua, & nova Senatus jura, Tiberius agnoſcens, ita Patres apud Suetonium *b*) alloquitur: *Dixi & nunc, & ſæpe alias, P. C. bonum, & ſalutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera poteſtate ornaſtis,* (En jus, & creationem Principis penes Senatum) *Senatui ſervire debere, & univerſis civibus ſæpe & plerumque etiam ſingulis: neque dixiſſe me pœnitet, & bonos, & æquos, & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Hinc Nero, ut aliquando non vi, ſed jure ageret, effigiem Cn. Domitio patri; conſularia inſignia Aſcanio Labeoni tutori, olim ſuo a Senatu petiit. *c*)

Neque nos, qui ſuſcepto argumento urgemur, plenius partes Senatus in adminiſtranda Republica expreſſerimus, quam ex Tiberii ſenſu idem Suetonius, qui ſubjicit, Tiberium conſervaſſe Senatus, & magiſtratuum majeſtatem priſtinam, & poteſtatem, deque magnis una, & parvis, privatorum, & publicorum negotiorum ad Senatum retuliſſe, veluti de vectigalibus, & monopoliis, de operibus aut extruendis, aut reficiendis; de prorogandis imperiis, mandandisque bellis extraordinariis, deque reſponſis ad Regum literas edendis. Et, quod magis miremur, etiam de iis, quorum curam in ſolum Principem lex militiæ tranſtulerat, Senatum decernere jubebat: Nempe de exauctorando milite; de legionum, & auxiliorum deſcriptione: coëgitque præfectum alæ de vi, & rapinis reum in Senatu ſententiam dicere; neque indigne tulit, ut quædam Senatus contra ejus ſententiam ſtatueret, increpuitque conſulares exercitibus præpoſitos, quod de rebus geſtis Senatui non ſcriberent. *d*) Imo interemto juvene Agrippa per Tribunum militum, qui Tiberii nomine miſſum ſe ferebat; Tiberius negavit, adjecitque redditurum eum Senatui rationem. *e*) Publica judicia Senatus adeo erant propria, ut Domitianus *f*) auctor fuerit Tribunis plebis, ut Ædilem ſordidum, petiiis a Senatu judicibus, accuſarent: & ipſe his ſupplicibus verbis, ſimul cum Patribus ſententiam diceret, cum reo aliquam pœnæ remiſſionem precaretur: *Permittite, P. C a pietate veſtra impetrari, (quod ſcio me difficulter impetraturum) ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes Senatui interfuiſſe. g*) Imo multa, quæ Scriptores tribuunt Imperatoribus, ea tanquam ſuaſoribus, non tanquam ſolis auctoribus unice aſſignantur. Quod colligitur ex eo, quod cum ſcribant Imperatores aliquos prohibuiſſe Senatorem occidi; tamen id non directo, ſed per ſententiam Senatus inſtituiſſe apparet ex

a) Suetonius *in vita Galbæ cap. 17.*
b) *cap. 29. in vita Tiber.*
c) Tacit. *annal. lib. 13. cap. 10.*
d) *idem* Sueton. *ibid. cap. 30.*
e) Sueton. *in Tiber. cap. 21.*
f) Sueton. *in vita Domit. cap. 8.*
g) Sueton. *in Domit. cap. 11.*

Voleatio Gallicano in *vita Avidii Caſſii cap. 8.* his verbis: *Eo ipſo tempore, quo rogavit* (nempe Senatum) *ne quis Senator temporibus ſuis capitali ſupplicio afficeretur.* Quæ Romanorum inſtituta non jure, ſed per violentiam abrumpebantur ab iis Cæſaribus, qui tandem proprio capite Reipublicæ, quam læſerant, ulciſcebantur injurias: & majeſtatem Senatus, quam fregerunt, morte ſua reſtituebant: adeo ut qui vim a Republica vellent abſtinere, & ſecuritatem imperii ſibi pararent; ſuſcepta ſibi militia, Rempubl., quod fecit, Plinio teſte, *a*) Trajanus, Senatui reliquerint adminiſtrandam: unde Adrianus integram Senatui detulit judicium de Imperio ſibi tradendo, quamvis a militibus oblato, ut ſupra tradidimus, execrabaturque Principes, qui Senatui minus, quam ipſe, detuliſſet. *b*) Supremam hanc etiam Senatus auctoritatem verebatur & Adrianus, quando, literis ad Senatum de Imperio ſuo ſcriptis, hæc expreſſit: *Veſtrum eſt æſtimare quid velitis: nam ego usque ad Senatus judicium incertus, & varius fluctuabo.* Cujus item Imperatoris, qui poſtea plures offenderat, acta, parum abfuit, quin Senatus abrogaret eo mortuo, eidemque Divi appellationem negaret; niſi precibus ſuis Patres flexiſſet Antoninus; ut intelligamus, Senatum fuiſſe fontem perennem publicæ poteſtatis. *c*) Et Clodius Albinus delata ſibi a Commodo imperatoria inſignia cum Imperii participatione recuſavit, quod id munus non a Senatu veniret Imperii auctore legitimo, unde his verbis concluſit ſuam ad milites concionem: *Quare, Commilitones, ego Cæſareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint, ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, Senatus provincias dividat, Senatus nos Conſules faciat, &c. d*)

Item & Probus, cujus particulam orationis dudam retulimus: qui Patribus non modo Imperii ſibi deferendi deliberationem tradidit; ſed & jura omnia reſtituit, quæ aliquorum violentia Principum partim turbaverat, partim abſtulerat: voluitque, ut ad Patres e ſummis quibusque judiciis appellaretur, & a Senatu Proconſules crearentur, ab eodemque legati Conſulibus darentur, & Præſides cum prætoria poteſtate in Provincias mitterentur; *e*) item ut quidquid Imperator decerneret, S. C. ſtabiliretur; *f*) ita ut ſummam omnem ad Senatum, tanquam ad caput publici regiminis, ex naturalis, & civilis juris norma retraxerit.

Hinc tota Juriſconſultorum ætate, quæ ad Conſtantinum usque pertinet, eodem loco Senatum haberi videmus, & Principem, a quo Paullus minime Patres diſtinguens ait: *g*) *Quod Principis, aut Senatus juſſu opus* (nempe publicum) *factum fuerit: in hoc judicium* (nempe aquæ pluviæ arcendæ) *non venit.* Hinc ſub Imperio nihilo minus, quam antea cenſebat, ſive pro ſumma poteſtate conſtituebat Senatus, *h*) a quo propterea, ut alibi retulimus, non licebat appellare ad Principem,

a) *tam in Paneg., quam lib. 8. epiſt. 14.*
b) Spartian. *in vita Adrian. cap. 8.*
c) Spartian. *in Adrian. cap. 27.*
d) *Cap. in Alb. 13.*
e) Vopiſc. *in vita Probi cap. 13. ubi* Salmaſ.
f) Salmaſ. *ibid.*
g) *L. quod Principis ff. de aqua & aquæ pluvia arcenda.*
h) *L. 3. C. qui manumitt. non poſſ. L. 4. ff. de accuſ. l. 2. in princ. ff. de hæredit. petit. l. 1. §. 1. ff. de fugit. l. 1. C. de compenſ. L. 64. in princ. ff. eod. L. 52. in princ. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. unic. §. 1. ff. de libert. univerſ. l. 7. §. 1. ff. de oper. publ. l. unic. C. de Senatu, & l. 8. C. de leg.*

utpote

utpote Senatu minime maiorem. *a*) Propterea Claudius, ut initio principatus, lege, non vi agere videretur, neminem exulum, niſi ex Senatus auctoritate, reduxit: atque non ante Præfectum Prætorio, Tribunosque militum ſecum in curiam introduxit, quam veniam impetraſſet a Senatu; a quo etiam res a ſuis procuratoribus judicatas comprobari voluit. *b*) Commeatus præterea Senatus dare conſueverat, quod ad ſe traxiſſe, ſive beneficii ſui feciſſe Claudium, Suetonius refert; ſed ex S. C. hanc ei poteſtatem acceſſiſſe, refert Dion. *c*) Et ſtatuas bene merentibus, Imperatores a Senatu poſcebant. *d*) Quamobrem vetandi aquam ex flumine publico ducere jus eſt Senatui pariter, atque Principi; *e*) ut & relegandi, *f*) & improbandi conditiones inſtitutionum; *g*) item famæ aliquem reſtituendi, criminum publice abolendorum; paſſim *tit. ad S. C. Tertull. h*) hæredis faciendi: quæ non magiſtratus poteſtas eſt, cum Prætor non hæredem, ſed bonorum tantum faciat poſſeſſorem; *i*) ſed ejus, qui poteſtatem habeat legis condendæ, qualis eſt Senatus, *k*) & Princeps. Siquidem privatus non ſuo jure in teſtamento hæredem facit, ſed poteſtate accepta ex lege XII. tabul. ea, quæ voluit, ut quemadmodum paterfamil. de re ſua legaſſet, ita jus eſſet. Senatus item poteſtas erat in publicis gratulationibus, reis vincula laxare, atque abolere crimina; *l*) Civitatibus imponere cognomina, *m*) indignis hæreditatem auferre, *n*) hoſtes judicare, *o*) immunitates, & privilegia concedere, *p*) permittere petentibus in agro ſuo nundinas, *q*) quas Claudius Imperator a Coſſ. impetraverat, *r*) matrimoniorum veniam Senatus ipſi Auguſto concedebat: unde Tacitus *s*) refert, Senatum nuptiarum facultatem inter patruum, & fratris filiam, nempe inter Claudium & Agrippinam, novo exemplo conceſſiſſe. Et hoſtis patriæ publicus inſidiator, qui contra Principem conjuraſſet, a Senatu declarabatur: qualis per Senatum judicatus fuit Avidius Caſſius, qui ſub M. Antonino Imperium invaſerat. *t*)

Et mortuo violento dominatore, a Senatu acta omnia illius reſcindebantur, ſtatuæ evertebantur, memoria rerum ab eo geſtarum irritabantur, ut poſt Commodi mortem evenit; cujus etiam nova menſium appellatio, Senatus auctoritate, ceſſavit, prioribus nominibus reſtitutis. *u*) Denique incedentibus per antiquitatem, nihil crebrius occurret, quam Senatus majeſtas circumfuſa ſupremæ, ac Regiæ poteſtatis exemplis, ac juribus cum principe quidem communibus, ſed auctoritate præſtantioribus. Nam Senatus eam poteſtatem nativam præferebat, & e corpore ſuo perpetuo manantem; Princeps vero eandem habebat ſibi a Senatu communicatam,

a) *L. 1. ff. a quibus appell. non licet.*
b) Sueton. *in Claud. cap. 12.*
c) Sueton *in Claud. cap. 24. ubi* Caſaub.
d) Capitolin. *in Marc. c. 3.*
e) *L. quo minus 2. ff. de flum.*
f) *L. relegatus c. 4. §. 1. ff. de interd. & releg.*
g) *L. filius 15. ff. de condit. inſtit. l. captatorias 70. ff. de hæred. inſtit.*
h) *L. 1. §. 10. ff. de poſtulat.*
i) *L. 12. & 13. ff. de bon. poſſeſſ.*
k) *L. non ambigitur ff. de leg.*
l) *L. ſi ſervus 2. ff. de cuſt. reor.*
m) Dion *lib. 54. p. 537. E.*
n) *L. cum quidam 12. ff. de his, quib. ut ing.*
o) *L. amiſſione §. 1. ff. de capit. deminut.*
p) *L. non tantum 17. §. 1. ff. de excuſat.*
q) Plin. *lib. 5. epiſt. 4. ad Valer.*
r) Briſſon. *lib. 1. antiq. cap. 15.*
s) *lib. 12. pag. 242.*
t) Capitolin. *in Anton. cap. 24.*
u) Lamprid. *in vit. Comm. in fin.*

Digitized by Google

& translatitiam, uti Senatus portio, ac majeſtatis ſummæ participatio. Quæ Principis poteſtas corruebat ſimul cum actis ejusdem, quandoque a Patribus reſcindendis, ea ſi poteſtate abuteretur. Cui ne periculo Principum conſtitutiones paterent, orationes ab iis habitæ, ſententiæque in Senatu dictæ S. C. confirmabantur, ut Jurisconſultorum monumenta teſtantur: apud quos S. C. & Principum orationes promiſcue accipiuntur. *a*) Quod rerum arbitrium ad Conſtantinum usque in Senatu manſiſſe inde liquet, quod Senatus Conſtantino primas imperandi partes, poſtpoſito Maximino, tribuerit. *b*)

XXXIX. DE FALSA IMPERII TRANSLATIONE AD GRÆCOS.

Neque Regiam Senatus poteſtatem, poſtea Conſtantinus aut fregit, aut urbe avulſam Bizantium adportavit. Quinimo, longe aliter ac vulgo temere fertur, & priſtina ille Senatus jura, Maxentii nimirum crudelitate turbata, Patribus reddidit, ut narrat nobis vetus orator, *c*) & ſedes Imperii, publicique juris auctoritas etiam diſcedente Conſtantino, Romæ permanſit. * An enim commigraſſet cum Imperatoris perſona, ſi poteſtas civilis nunquam cum poteſtate militari ex Romanis inſtitutis, niſi ſuſceptis ad tempus magiſtratibus, confundebatur? Et Imperatori quidem fas erat ſe transferre quocunque bellorum neceſſitas, Imperii tutela, & locorum opportunitas traheret; haud vero jus eſſe poterat Imperium ſecum trajicere, aut movere Rempublicam avertereque alio poteſtatem rerum humanarum, quam conditorum, & civium ſuorum ſanguine ac virtute ſupra mille annorum ſpatium ſibi Roma pepererat. Rempublicam nimirum Conſtantinus Imperio tenebat, non patrimonium, aut familiam ſervorum; nec dominabatur ille liberis populis, ſed tantum imperabat, hoc eſt in Romanorum utilitatem arma, & publica jura, extraordinaria majeſtate, tractabat: unde nec in mentem ei venire potuit, quod grex mancipiorum, nedum in Romana Republica, ſed & in naturali jurisprudentia hoſpites, poſteris tradiderunt.

XL. QUOMODO ACCIPIENDA SIT IMPERII DIVISIO.

Sane omnes illi ante Conſtantinum Cæſares, qui voluiſſent accurare penſum ſuum, toto fere Imperii tempore, procul ab urbe, per Scythas, Thraces, Sarmatas, regionesque eas ferebantur, quacunque barbari crebrius in Romanos fines effunderentur. Quæ barbarorum audacia undequaque, ac ſæpe cooriens Diocletianum principem prudentiſſimum coëgit dividere ſibi cum Maximiano curam provinciarum Occidente tradito; ſibique Oriente retento ad Perſas, aliosque regionum illarum barbaros coërcendos. Eaque non Imperii diviſione, ſed adminiſtrationis,

a) Briſſon. *antiquit. lib. 1. cap. 16.*

b) Lactant. *de mort. perſec. cap. 44. p. 38.* Tillemon. *in collect. art. 27. p. 138.*

c) *Paneg. vet. 6. pag. 137. editi a* Livinerio Antverp. *1599.* Nam quid ego de tuis in Curia ſententiis, atque actis loquar, quibus Senatui auctoritatem priſtinam reddidiſti.

* Ita tamen, ut cum Senatu Conſtantinopolitano communicaretur, unde bini Conſules, alter Romanus, alter Conſtantinopolitanus. Quod ſe ægre non ferre ſola ſatis patientia ſua declaravit S. P. Q. R., cum dudum antea plerisque juribus ſuis per derelictionem excidiſſet.

cujus

cujus ſumma penes Diocletianum erat, duplici veluti munimento, a Romanis finibus hoſtes propulſabantur. Quod Diocletiani conſilium Conſtantinus confirmare in perpetuum ſtuduit, & contra orientales barbaros, æternam arcem Romano Imperio, novamque ſedem Imperatori collocare, ampliata, munitaque, ac mœnibus, & ædificiis, ad urbis imaginem, ſublata Byzantio: quam a ſe incrementi ejus auctore, Conſtantinopolim appellavit, ſuumque ibi domicilium ſtatuit, ut longius a noſtratibus aculeis abiret, judiciisque cavillatoris populi, non admiratione ulla potentiæ, aut inſolentia ſummarum virtutum, ſed ſola curioſitate, ac ſpe ſua res æſtimantis; ut cedente novitate, ſatietas illico ſubiret; pluſque Cæſaribus Romæ præſentia ſua detraheret, quam longinquæ victoriæ attuliſſent.

XLI. DE SEDE IMPERATORIS.

Quoniam igitur nullus certus locus, ſed caſtra, & militia, ſedes erant Imperatorum, qui domicilium ibi habebant, unde tutius barbaris obſiſterent; Quid mirum, ſi ſe Conſtantinus Byzantium contulit, quo Aſia ſimul, & Europa veluti coëunt, undeque, pacatis, imo ad Latinam humanitatem redactis Gallis, & cis Rhenum Germanis, utracunque de orbis terrarum parte barbari erumperent, facile avertebantur. Neque tam abſurde cogitare poterat Conſtantinus, ut urbe ſua condenda, domicilioque altero Imperatori parando, domicilium everteret ipſius Imperii; deducendaque colonia, & filia pariunda, majeſtatem parentis in eam transferret, quod in Imperatoris poteſtate non erat; cum ei, & Romanorum inſtitutiones, ex quibus majeſtas realis Senatui hærebat, & gentium leges repugnarent, ex quibus coloniæ urbi, de qua fluxerunt, patriæ quodam poteſtatis jure ſubjiciuntur: utcunque Gothofredus junior, *a*) qui, neſcio qua ſui fiducia, proprium ſenſum, in re tam vetuſta, veteribus anteponit, Conſtantinopolim eximat e coloniarum numero: quaſi aliud ſit colonia, quam civitas ex civitate Romana quodammodo propagata? *b*) in quem numerum a Plethone refertur, *c*) qui eam appellat *ἀποικίαν τῆς ἐν Ιταλίᾳ Ῥώμης*: *Coloniam Italiæ Romæ*: &, Zonara teſte, a Conſtantio Heraclii nepote, *d*) qui regiam ſuam Romam veterem, ut in matris ſinum, revocare ſtudebat, cum honos major matri, quam filiæ debeatur, *δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας, ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν, matrem præ filia honorandam eſſe*; item ab Auguſtino, *e*) & a Themiſtio, qui cum Conſtantinopolim coleret, Romam *μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν metropolin noſtram* appellat; eamque ait, urbibus univerſis imperare, ac ſecum Conſtantinopolim *ἣ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων βασιλεύει τῇ δὲ ὑμετέρᾳ συμβασιλεύει*. *Quæ* (Roma) *urbibus imperat aliis, cum veſtra vero* (Conſtantinopolis) *imperat una ſimul*. I nunc, & cum Imperatore Imperium Roma ceſſiſſe arbitrator; aut ab honorum exæquatione, juris exæquationem arguito, quando, ne honores quidem Conſtantinopolis habuit Romæ pares: quantocunque Græcus verborum faſtus, Sozomeni ore, ac fronte *f*) ſibi apud poſteros arrogaverit: quem

a) C. Theodoſ. *lib. 14. tit. 13. p. 223.*
b) Gell. *apud* Sigon. *lib. 2. cap. 2.*
c) *orat. 1. de bello Peloponen.*
d) Zonar. *in vita Conſtantii.*
e) *5. de civit. Dei cap. 21.*
f) *lib. 2. cap. 3.*

Digitized by Google

Sozomenum, vel hoc uno Petavius *a*) mendacii palam coarguit, quod Conſtantinopolis Præfectum urbis minime ante annum a Chriſto nato treceuteſimum ſeptuageſimum nonum acceperit.

XLII. DE COMMUNIONE URBIS CUM BYZANTIO.

Atque ipſa hæc Imperii Themiſtio memorata ſocietas Conſtantinopoli haudquaquam competebat jure ſuo nativo, ſed adventitio, deſcendente a perſona Principis, ibi permanentis, ibique poteſtatem illam exerentis, quam Senatus Romanus Cæſari, atque conſiſtorio illius a nobis ſupra deſcripto, & ex Senatorum aliquo numero, magiſtratuumque coacto contribuebat. Ex cujus poteſtatis diuturno uſu, moraque principis, Conſtantinopolis Regiæ urbis nomen aſſequebatur, & ipſius Romæ locum ſubiiſſe videbatur iis, qui umbram, & imaginem cum re ipſa confundentes, juraque urbis utriusque conturbantes, errores ubique, atque ad nos usque ſcriptis ſuis transmiſerunt. Quamvis enim Gallienus Senatores prohibuerit a caſtris; minime tamen (in quo & Tillemontius *b*) labitur) conſiſtorii poteſtas, & uſus expiravit: cum corpus hoc, & comitum conſiſtorianorum nomen, qui & illuſtres dicebantur, toto tempore manſerint, quo Cæſares floruerunt. *c*) Excluſit enim Gallienus Senatores a militia, quæ ad ipſius curam pertinebat, non vero a conſilio militaris principis, & ſummi ducis: cujus regimen Senatum nunquam dimittere oportebat, ne ſi caſus aliquis incidiſſet, ſimul cum principe, qui temporariam habebat auctoritatem, Respublica ipſa rueret, quam propterea in poteſtate Senatus æterna docuimus eſſe collocatam. Hæc publicæ poteſtatis portio Principi, & ejus conſiſtorio ab univerſo Senatu, ſive a tota Republica tributa, quia cum ipſo Principe ambulabat, migravit etiam Conſtantinopolim, ibique cum Cæſare conſtitit ad juſtam, & legitimam rerum adminiſtrationem Principi permiſſam: adeo ut ad Principem publicæ poteſtatis per Senatum Romanum compotem, & ad Conſiſtorium ipſius ex magiſtratibus, & Senatoribus Romanis lectum referre oportebat publicarum auctoritatem rerum Conſtantinopoli gerendarum; non vero ad imperium ipſius urbis, quam potuit quidem ludorum, ædificiorum imitatione, ac morum Romæ Conſtantinus æquare, non vero poteſtate: nihil enim agimus, cum tradimus alienum.

XLIII. DE CONSTANTINI JURE IN IMPERII TRANSLATIONE.

Nam quid in Conſtantinum tranſierat, niſi exercitium poteſtatis publicæ radicibus ſuis in populo Senatuque Romano hærentis, & majeſtas perſonalis, quæ Cæſaris vita definiebatur, poſt a vero nova Principis creatione ad alium, voluntate militum, & S. P. Q. R. auctoritate transferebatur? An enim potuiſſet Imperator, remota violentia, per quam jura omnia conticeſcunt, imperium ſibi exutum, in quem voluiſſet deponere, & Rempubl. ſibi commiſſam alteri, ſe invita, tradere? Quod ne in regno quidem licere, niſi transferatur ad proximos ex præcedenti populorum ſacramento ſuc eſſuros, libro *de jurisdictione* demonſtravimus. Cur

a) *in Julian. epiſt. pag.* 327.
b) *in* Gallien. *artic.* 2.
c) *vide* Goth. *in C. Theod. ad L. quisquis C. ad leg. Corn. de ſicar. pag.* 100.

enim

Digitized by Google

enim inutiliter uſufructuarius jus ſuum in extraneum transfert; niſi quia jure perſonali potitur, quod ſuæ vitæ ſpatio concluditur? *a*) Quanto minus igitur Conſtantinus exuere poterat Senatum Romanum ſuprema poteſtate civili, cujus auctoritate acceperat, & retinebat ipſe militarem civili ſubjectam, cum vita Cæſaris ab eo deceſſuram, atque ad universæ majeſtatis fontem, nempe ad Romanam Rempublicam redituram, novaque creatione, a novo principe ſuſcipiendam.

XLIV. DE CONSTANTINI VOLUNTATE IN IMPERIO TRANSFERENDO.

Verum quid contra Sanctiſſimum Principem excutimus leges publicas, quaſi ullo eas unquam facto, præſertim in re ſumma, violarit: cum poſteriores Scriptores Conſtantinopolitani, Senatus vicem apud ſuorum temporum Imperatores conquerantur, eosque precibus, & lacrymis obteſtentur, ut auctoritate aliqua curiam illam inopem, atque deſpectam imperti{a}ntur, ne proceres eam in curiam lecti ſupplicium potius e ſumtibus, quam ſolatium e potentia ferant, ut ait Themiſtius *b*) *ἡ γερουσία καὶ ἡ τιμὴ μωρίας*, vel ut Harduinus legit, *τιμωρίας ἐδόκει μηδοτῶν διαφέρειν.* *Hic Senatus, & is honos a ſtultitia*, vel ex Harduini lectione, *a ſupplicio minime differre videbatur*, & alibi *c*) *τρίτον συναυξηθῆναι τιμαῖς τὴν γερουσίαν* *tertium* (*rogo*) *Senatum honoribus augeas*, nempe ut vere Conſtantinopolis altera Roma dicatur: *τότε* (inquit) *ἀληθινῶς ἔσαι δευτέρα Ρώμη σὴ πόλις.* *Tunc revera erit altera Roma tua civitas.* Ex quibus apparet jactabunde magis, quam vere Sozomenum, aliosque fuiſſe locutos, cum Romæ Conſtantinopolim æquarunt, & ab ædificiorum, ac ſtatuarum ſumtu, atque magnificentia, non autem a civium auctoritate, urbi ſuæ Græcos alterius Romæ nomen tribuere potuiſſe, oſtendit idem Themiſtius in legatione ad Theodoſium: *νῦν δε ἐπὶ μὲν τοῖς τῶν ἀνδριάντων μεγέθεσι σεμνούμεθα, ἐπὶ δε τοῖς τῶν ἀνδρῶν ἀξιώμασιν οὐ θαῤῥοῦμεν:* *nunc magnificentia ſtatuarum decoramur, at minime hominum dignitatibus efferimur.* Ideoque ab Imperatore petit, ut quos nomine Patres conſcriptos appellaverat Senatores Conſtantinopolitanos, poteſtate, atque jure hac appellatione dignos redderet: *τιμαῖς δὲ καὶ ἀξιώμασιν σὺ καταπυκνώσον ἡμῖν τὴν γερούσιαν . . . . καὶ οὓς πατέρας ὠνόμασας συγγεγραμμένους ποίησον ἀξίους τῆς ἐπικλήσεως*, *congere dignitates, & honores in Senatum, quosque P. C. appellaſti, hac appellatione redde dignos.* Hæcne flagitanda Græcis erant ab Imperatore, ſi Conſtantinopolis poteſtatem publicam urbis Romæ aut participaverat, aut, ex vulgi opinione, ſive ex communi ſomnio prorſus exhauſerat? *

a) *Inſt. lib. 2. tit. 4. de uſufr. §. finitur 3.*
b) *orat. 4.*
c) *orat. 14. pag. 180.* Hard.

* Præter conſilium repellendorum barbarorum, quod obtendebat Conſtantinus, ſedem ſuam Roma Conſtantinopolin transferens, id quoque præcipue agebat, ut Majeſtatem Imperatoriam in tuto collocaret, eandemque inſidiis & inſultibus Senatus Populique Rom. eximeret. Videbatur enim Imperator in Oriente, Regibus adſveto, facilius Regem acturus, quam in urbe, cujus cives priſtinam adhuc libertatem ſomniabant. Huic autem conſilio parum conveniebat, Senatum Conſtantinopolitanum iisdem prærogativis augere, quibus fruitus

XLV. DE PRIVILEGIIS URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

Quid igitur eſt reliquum, niſi ut publica negotia Conſtantinopoli perinde ac Romæ agitata, & definita, non civitatis, curiæve illius, ſed ipſius Cæſaris, ejusve conſiſtorii juribus de imperii ſcatebra, nempe de Romano Senatu, ad Cæſaris vitam ex S. C. ſuſceptis, adſcribamus; & Conſtantinopolitanum Senatum, potius pompam Principis, quam Reipublicæ Romanæ portiorem reputemus? Quam notionem non ex affectione patria, ſtudioque latinitatis, ſed ex vero nobis oblatam fuiſſe præter ſuperiora teſtimonia, etiam Juliani Cæſaris auctoritate patebit. *a*) Is enim tantum præſtare Conſtantinopolim ceteris urbibus tradit, quantum Roma Conſtantinopoli antecelleret. Πόλιν τὲ ἐπώνυμον ἀυτȣ̃ κατέστησεν ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δέκα, τοσούτῳ τῶν ἄλλων ἁπασῶν μείζονα, ὅσῳ τῆς Ῥώμης ἐλατlȣ̃σθαι δοκεῖ: *Urbem ſibi cognominem fundavit minus annis decem tanto aliis majorem, quantum ipſa Romæ cedere videretur.* Cum autem ædificiis, multitudine hominum, magnificentia ſumtuum, Græcis ipſis teſtibus, Romam æquaverit; qua parte, niſi auctoritate, * atque imperio tantopere cedere, quantum Julianus indicat, urbi Romæ Conſtantinopolis potuit? Quis modo negaverit Græcos nativo verborum faſtu, & ingenita ſibi adulatione, ita Principis opus extuliſſe, ut omnia diſcrimina, & jura ipſa publica tumore, ac jactantia ſua conturbarint: excepto Socrate Sozomeno *b*) longe modeſtiori? Et ignotus auctor *c*) Ammiano Marcellino adjectus refert, Conſtantinum Byzanzio condendo regias omnes opes effudiſſe, Romæque illam æquare ſtuduiſſe, Senatumque ibi conſtituiſſe ſed, ut ille ait, ſecundi ordinis, eosque claros appellaſſe, cum Senatores Romani clariſſimi appellarentur. Tantine igitur fuerit unus Sozomenus, ut ejus auctoritas omnia rerum geſtarum teſtimonia, & juris rationem everterit? Atqui auctoris hujus levitatem, atque jactantiam Valeſius ſatis prodit in conſtituendis Imperii Græci finibus, *d*) quos Sozomenus eosdem Conſtantini, ac Theodoſii junioris tempore deſignat; cum diviſionem Imperii Con-

fuerat Senatus Romanus, quare ne angvem in ſinu foveret, priſcos quidem titulos ei dedit veteris Senatus Romani, ſed non eandem poteſtatem. Romanum tamen Senatum tum multo plus potuiſſe, quam Senatum Conſtantinopolitanum, vix credibile eſt, cum per urbis communionem cum Conſtantinopoli nihil Romæ, præter veteris gloriæ umbram & vana priſtinæ dignitatis nomina relinqueretur. Conſiſtorii vero Conſtantinopolitani aſſeſſores Conſiliarii magis Principis, quam Senatores erant, eorumque ſtudium præcipuum erat, adorare Principem, & auribus ejus inſervire. Illud vero notandum maxime, quod, cum poſt Honorium, Theodoſii M. filium, ſine liberis extinctum, imperium diviſum maneret, & alius in Oriente, alius in Occidente Imperator eſſet, is, qui Romæ agebat, non eſſet certus juſtusque Princeps, antequam a Conſtantinopolitano confirmaretur.

a) *orat. 1. pag. 14. edit. Petav.*

* Quidni vero de rerum geſtarum gloria loquatur Julianus, non de auctoritate Populi Romani, qui paulo poſt tempora Juliani etiam tributarius Imperatoris Conſtantinopolitani factus eſt, eique quotannis ſolidum aureum pendebat viritim. Sozomeno invidiam inde parare, quod is fines Imperii male indicaverit, argumentum eſt, parum roboris habiturum apud peritos.

b) *lib. hiſt. 1. cap. 16. p. 41.*

c) Ammian Valeſ. *p. 475. vide* Tillemon. *in Conſtantin. art. 67.*

d) Sozom. *lib. 2. cap. 3.*

ſtanti-

Digitized by Google

ſtantinus Magnus nullam cogitaverit, & ſub illius filiis primum non quidem imperium, ſed adminiſtratio ipſius aliter diviſa fuerit atque a Sozomeno refertur, ut contra eum erudite probat Valeſius, *a*) cum oſtendit, orientale in Europa imperium ſub Conſtantii ditione Thracia definitum fuiſſe; Romani vero, & Illyricum, ex fœdere inter fratres percuſſo, ad Conſtantem pertinuiſſe.

XLVI. DE COLONIIS ROMANORUM.

Hoc etiam, præter imaginem exteriorem civitatis, urbi Romæ ſimile, præ coloniis plurimis, habuit Conſtantinopolis, quod ab inſtitutione ſua ſuſcepit mores Romanos, & jus Quiritium privatum, quo in contractibus, uſucapionibus, poteſtate patria, tutelis, actibus legitimis, aliisque civilibus ritibus Quirites utebantur. *b*) Siquidem *c*) coloniarum quædam potiebantur jure Quiritium privato, & coloniæ Romanæ dicebantur; quædam Latinæ, quæ quamvis deducerentur ex civibus Romanis, non tamen jure Quiritium fruebantur, ſed jure Latii, ſive Latinorum illorum veterum, qui cum nondum civitatem Romanam accepiſſent, ſuffragium Romæ ferre non ultro poterant, ſed cum a magiſtratu Romano vocarentur; & cum in civitate Latina magiſtratum geſſiſſent, civitatem Romanam adipiſcebantur; neque a Romanis magiſtratum accipiebant, ſed proprium ſibi creabant. *d*) Quæ veniunt ſub nomine juris Latii: quod aliis etiam populis, nedum coloniis, a Senatu concedebatur, ſi populum Romanum demeruiſſent. *e*) Diverſa porro a coloniis erant municipia, cum coloniæ, ut Sigonius ait, ſane perelegantér, ex urbe Roma educerentur, municipia vero introducerentur in urbem; *f*) etenim non modo civitatem Romanam, & jus Quiritium privatum, verum etiam publicum accipiebant, eamque in tribum ingrediebantur, in quam a Cenſoribus adſcriberentur, & Romanos magiſtratus pari cum ceteris civibus jure, ac ſorte capiebant: exceptis iis, quæ honoris cauſa nomen aſſequerentur municipiorum, quorum populi tantum id cum civibus Romanis commune habebant, quod conſcriberentur in legionibus, *g*) quæ tantum ex civibus Romanis componebantur: ut municipes tales in ſola militia pro civibus Romanis haberentur. Municipiis, & coloniis longe inferiores erant Præfecturæ, quæ civitatis jus ob noxam, & leges ſuas amiſerant, legibusque parebant iis, quas Præfectus Romanus ad eos juri dicundo quotannis miſſus impoſuiſſet. *h*)

XLVII. DE CIVITATE ROMANA ITALIÆ UNIVERSÆ.

Quæ diſcrimina juris Quiritium, juris Latii, Municipiorum, Coloniarum, & Præfecturarum ex Italia univerſa ceſſerunt poſt compoſitum ſociale bellum a Latinis Italisque populis, participandæ Romanæ civitatis cauſa, commotum. Etenim L. Julia per Sex. Julium Cæſarem lata, civitas Latinis populis primo, *i*) deinde

a) *in* Sozom. *lib. 2. cap. 3. annot.*
b) Cujac. *obſ. 10. cap. 35.* D.
c) Sigon. *de antiquo jure Ital. lib. 2. cap. 3.*
d) Sigon. *eod. tract. lib. 1. cap. 4.*
e) Sigon. *ibid.*
f) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib. 2. cap. 6. de municipiis.*
g) Sigon. *loco proxime citato nempe c. 7.*
h) Sigon. *eod. tract. lib. 2. cap. 12.*
i) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib. 1. cap. 4.*

Digitized by Google

Italis patuit univerſis; adeo ut Italia omnis unius fuerit urbis continuatio, atque complexio: *a*) varietas vero Juris ſive Quiritium, ſive Latii, ſive municipalis remanſerit extra Italiam eos apud populos, quibus, ut diximus, hæc a Senatu præmia pro meritorum ratione concedebantur. Tandem diſcrimina iſta juris e toto ceſſerunt orbe Romano, poſtquam Antoninus non Pius, aut Marcus, ſed teſte recenter edito Dionis fragmento, Caracalla Romanam civitatem in Romanam omnem ditionem, ſive in univerſum orbem terrarum extendit, effecitque, ut mundus omnis eſſet unius Romæ municipium. Verum etſi Roma cum omnibus extra Italiam populis communicaretur; coloniæ tamen, & provinciæ haud ita cum ipſa Italia confundebantur, ut non diſtinguerentur immunitate tributorum capitis, & ſoli, qua pari cum Roma jure tota Italia, non vero provinciæ, aut extra Italiam coloniæ, jam inde ab Auguſti ævo potiebantur. Ideo ſi quibus extra Italiam populis capitis, & ſoli concederetur immunitas, iis jus Italicum tributum dicebatur, quod ea libertate ſola Italia, non vero nationes aliæ jure ſuo gauderent; ſed largitione Senatus aut Cæſaris. Quæ manſit ex coloniarum notis una poſt jus Quiritium ubique profuſum; *b*) ut deductæ coloniæ vel tributum capitis & ſoli ſuſtinerent; vel illud, accepto nominatim jure Italico, ſibi excuterent. Quod coloniarum Romanarum erat ab urbe Roma diſcrimen a Juriſconſultis in *titul. ff. de cenſibus* paſſim indicatum.

XLVIII. DE JURE ITALICO URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

Hinc & Conſtantinopolis etſi non exiguam civium Romanorum partem ſibi attraxerit, & Romanæ urbis faciem ædificiorum, viarum, collium, ſitus, ludorum, rituumque ac morum imitatione ad ſe tranſtulerit, ac ſub urbis Romæ perſona in ſcenam prodierit; latere tamen adeo nequit, ut non ſe, velit nolit, coloniam Romanam profiteatur, quando immunitatem tributorum capitis, & ſoli, nempe jus Italicum, non ab origine ſua, ſed a Cæſarum beneficentia duxit: adeo ut opus habuerit, ut ei a ſingulis Cæſaribus renovaretur: nimirum quia non ingenitum erat, ſed adventitium, ideoque cum vita Cæſaris concedentis expirabat. Unde legimus in Theodoſiano Codice *c*) hanc Valentis conſtitutionem: *Italici juris auxilium arbitra æquitate renovamus. Arbitra æquitate* (inquit) quia jus Italicum minime cum coloniis naſcebatur, ſed arceſſebatur extrinſecus. Et in C. Juſtinianeo hanc Arcadii, & Honorii legem habemus. *Urbs Conſtantinopolitana d*) *non ſolum Juris Italici, ſed etiam ipſius Romæ veteris prærogativa lætetur:* nempe, ut æque ſit ſedes non quidem imperii, ſed Imperatoris, & in honorem Cæſaris præeſſet orienti, ſicut Roma orbi terrarum præſidebat univerſo. Nam etiam alibi *e*) ſacris in negotiis *f*) id repetitur: cum tamen ſciamus, vel ipſo Juſtiniano teſte, qui in Novellis veterem Romam ſacerdotii fontem appellat, Conſtantinopolitanum antiſtitem orientalibus Epiſcopis utcunque prælatum, ipſum tamen ſimul cum ceteris

a) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib. 3. cap. 1.*
b) Spanhem. *in orbe Roman. cap. 19. pag. 404. & 405.*
c) *L. 1. tit. de jure Ital. urb. Conſtant.*
d) *L. unic. C. Inſt. de privat. urb. Conſtant.*
e) *C. Theod. de Epiſcop. l. omni 45.*
f) *L. 45. de Epiſc. Chalcedonenſ. Concil. cap. 28.*

eccle-

Eccleſiis Romano paruiſſe; *g*) ut palam ſit parem hanc urbi Romæ prærogativam non ita eſſe accipiendam, ut ad omnia extendatur: nam & poſt has leges, quanta poteſtate Conſtantinopoli Roma præſtiterit, in ſequentibus oſtendemus. *

XLIX. IN JACOBUM GOTHOFREDUM DE FALSA EXÆQUATIONE URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ CUM ROMANA.

Proſpexit iſtas in ſe impendentes difficultates Gothofredus, qui ut has plagas effugiat, induit ſe in majores. *b*) Primo enim nullo rerum geſtarum veſtigio confinxit jus Italicum fuiſſe Conſtantinopoli a Procopio tyranno per vim ereptum; poſt autem a ſequentibus Imperatoribus reſtitutum. Quod refutatione minime indiget, utpote ad priorem errorem tuendum gratuito, ne dicam temere, prolatum. Deinde novum comminiſcitur juris Italici diſcrimen e ſuo jecore, non ab ulla juris veteris ratione, aut antiquitatis monumento editum. Diſtinguit enim jus Italicum Conſtantinopolitanum a jure Italico civitatum aliarum, poſito in immunitate capitis, & ſoli; cum jus Italicum Conſtantinopolitanum ab eo in juris Italici concedendi facultate, pari cum Roma jure collocetur: ut Roma quidem illud civitatibus occidentis, Conſtantinopolis vero populis orientalibus conceſſerit: quaſi a jure civitatis Conſtantinopolitanæ beneficia iſta orientalibus urbibus advenirent; non vero a jure ipſius Imperatoris ibi permanentis, & publici juris diſpenſationem a Senatus Romani auctoritate trahentis: quo jure Cæſar & controverſias inter populos ortas dirimebat, cum Conſtantinopoli degeret: quod cauſam erroris obtulit Gothofredo, qui auctoritatem a Cæſare ad domicilium tranſtulit illius. Verum hoc Gothofredi figmentum confutare non cogimur, cum ipſemet ei ſuum patrocinium negarit *c*) confutatus a Petavio, *d*) & a Valeſio, *e*) atque admonitus *βασιλεύουσαν πόλιν* a Juliano, quem Gothofredus in ſuam cauſam vocaverat, non Conſtantinopolim nuncupari, ſed Romam veterem; ideoque jus Imperii non alibi, quam Romæ ab eo collocari, ubi degeret Imperator. Et Sozomenus, *f*) quamvis alioquin inflatius pro Conſtantinopoli ſua loquatur, minime tamen Imperium a veteri Roma

g) *Reſponſ. Juſtiniani incipiens reddentes poſt. L. 7. C. de ſumma Trinit. & fide Cathol. item diſt. 22. & Novell. 123. §. 1. Novell. 9.*

* Neque eo vehementer extollitur dignitas urbis Romæ, quod Conſtantinopolis eſt Colonia Romana. Eidem enim veteris quoque Romæ prærogativa data. Coloniæ quoque ſæpiſſime urbes, ex quibus ductæ ſunt, valde ſuperant, exemplo Romæ ipſius, quam Albanorum Coloniam fuiſſe, ferunt. Renovare autem ſinguli Imperatores privilegia novæ urbis maluerunt, quam concedere in perpetuum, ne criſtas temere Conſtantinopolitani extollerent & ipſis Imperatoribus graves eſſent. Etſi porro quam maxime Epiſcopus Conſtantinopolitanus Epiſcopo ſubfuerit Romano, nihil inde cogeris pro Imperio Romano, cum & hoc inter artes aulæ eſſe potuerit, quibus id agebatur, ut ne ægre ferrent Romani translationem ſedis Imperatoriæ. Et tandem Græca quoque eccleſia Romano ſe Pontifici ſubtraxit.

b) *L. 1. C. Theod. de jure Italic. urb. Conſtantin. p. 222. & ſeq. in commentar.*

c) *ad L. 1. C. Theod. de jure Italic. verbo Conſtant. pag. 222.* Spanhem. *in orbe Rom. cap. 19. p. 465.*

d) *in not. ad epiſt. Julian. 35.*

e) *annot. in* Sozomen. *lib. 7. cap. 9.*

f) *lib. 7. cap. 9. p. 714.*

transfert ad novam; ſed nomina ſimul urbis utriusque committit, & curias, & inſtitutiones, & contrahendi ritus, ut recte Valeſius pro συμβόλα legerit συμβόλαια. Imo cum ſimilitudinem inſtituat a poteſtate ſacra, qua, ſe ipſo teſte, Romanus Conſtantinopolitano longe præcellebat; ſat oſtendit, quantopere in publica rerum civilium adminiſtratione urbs Roma Conſtantinopoli anteiret.

Μετὰ δὲ τῆς Ῥώμης τὸν Κωνςαντίνου πόλεως ἐπίσκοπον τὰ πρεσβεῖα ἔχειν, ὡς νέας Ῥώμης τὸν θρόνον ἐπιτροπεύοντα. ἡ δὲ γὰρ ὐ μόνον εἶχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερυσία τάγμασι δήμων, καὶ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο. ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλία ῥωμαίων ἐκρίνετο, καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ γερα περὶ πάντα ἑκατέρα ἰσάζετο.

Poſt Romanum præcellere Conſtantinopolitanum Epiſcopum, utpote novæ Romæ præſidentem. Jam enim non modo appellationem hanc civitas (Conſtantinopolitana) *habebat, & Senatu, & populi ordinibus, & magiſtratibus ſimiliter utebatur; ſed & contractus ex legibus Romanorum, qui ſunt in Italia, celebrabat: a) & inſtitutis, ac muneribus alteri per omnia æquabatur.*

VALESII verſio ejusdem loci:

Præterea ut poſt Epiſcopum urbis Romæ Conſtantinopolitanus habet honoris prærogativam, utpote qui junioris Romæ Epiſcopatum adminiſtret. Jam tum enim urbs illa, non ſolum hanc appellationem meruerat, & Senatum & ordines populi, & magiſtratus ſimiliter habebat; Verum etiam contractus civium ejus urbis juxta leges Romanorum, qui in Italia ſunt, judicabat, juraque omnia, & privilegia æqualia ſeniori Romæ poſſidebat. Ita vertit Valeſius pro erudito ſane homine, ac docto, ſed non juris: ſine cujus fraude, ſervata etiam verborum proprietate, nobiſcum potuiſſet poſtremas voces explicare.

Æquemus illas cum Sozomeno moribus, inſtitutis, ædificiis, magiſtratibus, contractibus, muneribus; parem vero poteſtatem in ſumma Reipublicæ, atque in apice dominationis habuiſſe, unde liquet? An non enim provinciales magiſtratus erant urbanis ſimiles, iisque in provinciis pares, & tamen longe in majeſtate ſupremâ inferiores urbanis, in quibus, utpote a fonte manantibus, una cum Senatu ſumma erat poteſtatis, quæ per gradus in provincias ex urbe diffundebatur? Neque alia poteſtas Conſtantinopolim commigravit præter provincialem. Siquidem, ut obſervat Tillemontius, b) Senatus Conſtantinopolitanus initio a Proconſule regebatur, quamvis procedentibus temporibus, usque ad Juſtinianum, teſte Procopio, c) Conſulum alter, qui occidentalis erat, Romæ crearetur; alter vero nempe orientalis Conſtantinopoli, ut ſecum ea in urbe portio illa civilis poteſtatis Roma fluentis habitaret, quæ ad juſtam negotiorum publicorum adminiſtrationem requirebatur: utque præſente Conſule, ſi quid in conſilio ſuo decerneret Imperator, id non ex potentioris arbitrio, ſed ex legibus, & ex ipſa Republica in Conſules collata, prodire videretur.

Neque Conſtantinopolis, quod alterum Conſulem acciperet, propterea Romam

a) hæc omnia officio judicis celebrari oportet, hoc eſt dirimi, *diſceptari, judicari pro græco ἐκρίνετο. Ulp. l. ſi alius 7. §. 3. ff. quod vi aut clam.*

b) in vita Conſtant. art. 67.

c) In arcana hiſtor. pag. 114. & notæ in illum pag. 106

æqua-

ſequabat: tum quia primas in honoribus ferebat Conſul Romæ creatus, ut ex Procopio Grotius refert; *a*) tum quia Zonaras *b*) principatum Romæ remanſiſſe teſtatur, utcunque Conſtantinus ſecum Conſtantinopolim tranſtulerit exercitium juris Imperatorii Romæ radicibus ſuis hærentis, quod ad actus Reipublicæ neceſſarios expediendos ab Imperatore ſecum trahebatur. Quo ſenſu eam tranſlationem accipiendam eſſe, docet Ammianus Marcellinus, cum ſcribit, Romam cum Imperio ab ſe parto ſeſe commiſiſſe Cæſaribus, non tanquam dominis ancillam, ſed tanquam parentem liberis, per victorias eorum, & militarem virtutem non oppreſſuris matrem, neque ab illius gremio convulſam dominationem ad exteros, ſibique ſubjectos populos, ex vulgi errore, tranſlaturis; ſed majori præſidio contra barbaros munituris auctoritatem eam, qua exercitibus Romanis ad S. P. Q. R. uſum princeps imperabat. *Urbs venerabilis* (inquit Ammianus) *c*) *poſt ſuperbas efferatarum gentium cervices oppreſſas, latasque leges, fundamenta libertatis, & retinacula ſempiterna, veluti frugi parens, & prudens, & dives Cæſaribus tanquam liberis ſuis regenda patrimonii jura permiſit.* Hæc homo Græcus, cum inter Græcos habitaret Imperator. Nimirum quia, etſi Roma procul abeſſet perſona imperantis, nihilo tamen minus ipſa urbs per eum imperare putabatur: ut clarius elucet ex his, quæ idem ſubjicit, ſcribens: *Licet otioſæ ſint tribus, pacataque centuriæ, & nulla ſuffragiorum certamina, ſed Pompiliani redierit ſecuritas temporis; per omnes tamen quotquot ſunt partes terrarum, ut domina ſuſpicitur, & regina: & ubique Patrum veneranda canities, populique Romani nomen circumſpectum, & verecundum*, & lib. XVI. hæc de Conſtantino ad urbem adventante refert: *d*) *Cumque urbi appropinquaret, Senatus officia, reverendasque patriciæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non ut Cineas ille Pyrri Regis legatus in unum coactam multitudinem Regum; ſed aſylum mundi totius adeſſe æſtimabat.* Hactenus Marcellinus, qui usque ad Theodoſium vixit. Et qui Honorii tempore floruit Claudianus nativum, ac legitimum, perpetuumque Imperii ſolum, etſi ſuo ævo alter Imperator Conſtantinopoli degeret, Romam tamen unice agnoſcit his verſibus:

Quem precor ad finem laribus ſejuncta poteſtas
Exulat, imperiumque ſuis e finibus exit?

Roma enim ille imperium velut e fonte manare alibi docet, inquiens:

Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium.

Alioque loco per Cæſarum creationem non avulſum a Patribus imperium docet, ſed ſocietatem illius inter Patres, & Principem initam his verſibus ad Honorium Imperatorem, ſimulque Conſulem pertinentibus:

- - - - - - *numeroſo conſule Conſul*
Cingeris, & ſocios gaudes habere Patres.

Scriptorum porro teſtimoniis conſentiunt monumenta rerum geſtarum, quæ Senatus auctoritatem pandunt etiam inter publicas res violentia militari, a barbarorum incurſione, perturbatas. Cujus auctoritatis exemplum prodiit illuſtre ſæculo prope

a) *lib. 2. de jure belli cap. 9. XI. 2. in not.*
b) *Annal. 3. in Conſtant. pag. 84.*
c) *lib. 14. n. 15.*
d) *pag. 70.*

 poſt

poſt Conſtantinum, nempe ſub Arcadio, & Honorio. *a*) Quo tempore cum ipſos inter Cæſares de Imperii finibus certaretur, mos antiquus fuit revocandus, Senatusque Romanus conſulendus, ut per poteſtatem Cæſarea imperatoriaque majorem, lites eorum, veluti poteſtate patria liberorum controverſiæ, componerentur. Quæ ſi poteſtas unquam corruiſſet, reſurgere nullo modo valebat imperium, ubi ſemel Imperatorum ipſorum diſſidiis inclinaſſet. Cum igitur Gildo Africam, quam Honorii nomine regebat, occupaturus, eam traheret, vel trahere ſimularet ad Arcadium, atque ab occidentali avellere ſluderet imperio; res vetuſto ritu ad Senatus Romani judicium devenit. Quo judicio Pátres hoſtem patriæ Gildonem judicarunt, bellumque adverſus eum decreverunt, repetitamque Africam Honorio reddiderunt. Hinc Claudianus Stiliconem ingentibus effert laudibus, quod ad rectæ rationis, atque priſcæ Romanorum inſtitutionis normam, ex Senatus ſententia bellum decernendum, remque militarem gerendam curarit: unde inquit *lib. 1.* de laudibus Stiliconis:

Hoc quoque non parva fas eſt cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adſtitit ultor,
Ordine quam priſco cenſeret bella Senatus.
Neglectum Stilico tot jam per ſæcula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres;
Decretoque togæ felix legionibus iret
Teſſera. Romuleas leges rediiſſe fatemur,
Cum procerum juſſis famulantia cernimus arma.

& *libro 6.* de Honorii conſulatu:

- - - agnoſcunt proceres, habituque Gabino
Principis, & Ducibus circumſtipata togatis
Jure paludatæ jam Curia militat aulæ.

eodemque libro pluribus laudaverat Honorium, quod omnibus de rebus ad Senatum referret, more majorum, his verſibus:

Hic eſt ille puer, qui nunc ad roſtra Quirites
Evocat, & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſas ex ordine rerum,
Eventusque refert, veterumque exempla ſecutus
Digerit imperii ſub judice facta Senatu.

& *libro 3.* de laudibus Stiliconis, exultat idem Poëta, quod Roma rerum domina nomine ſuo legiones duceret:

Ipſa jubet ſignis, bellaturoque togatus
Imperat, & ſpectant Aquilæ decreta Senatus.

Ubi ſunt, qui aut periiſſe funditus Romani Senatus poteſtatem ſomniant, aut in Græciam avolaſſe? Cur? quia nimirum rara inveniunt hujusce poteſtatis exempla poſt Conſtantini diſceſſum, quaſi ad nos monumenta publica pervenerint omnia, vel frequens fuerit hujus remedii, talisque poteſtatis exercendæ neceſſitas: præſertim ex quo Cæſaribus creatis per legem, quam expoſuimus, Regiam, belli, pacisque

a) Symmach. *lib. 4. ep. 4.* Claudian. *de bello Gildon.*

cum

Digitized by Google

eum hoſtibus arbitrium a Senatu permittebatur; adeo ut Cæſaribus tantum ipſis ſecum contendentibus exuſcitandum fuiſſet judicium Patrum, ipſam Rempublicam reddentium, viresque proferentium publicæ, nativæ, perennisque majeſtatis, qua majeſtatem temporariam, & commodatitiam Principum aut definirent, aut explicarent, ad uſumque Reipublicæ flecterent componendis, recideudisque diſſidiis militaribus auctoritate civili: quæ niſi conſtitiſſet in corpore Senatus perpetuo, cum ipſa imperantis vita, ut ſupra expoſuimus, occubuiſſet; remque omnem Romanam, ſive orbis terrarum regimen, in ſuum interitum traxiſſet. Quæ publici juris ratio communis eſt & regnis illis omnibus, quæ per electionem traduntur, non autem per ſucceſſionem, quorum poteſtas publica cum ipſo hæreditario Rege nunquam perierit: quia utcunque ſecum ambulet majeſtas perſonalis; majeſtas tamen realis defuncti Regis poſteritate, tanquam capite, ac radice perpetuo continetur. Quod autem in regnis electione tradendis lineæ Regiorum deſcendentium non adplicatur; id oportet vel in civitate univerſa, vel in primoribus civium, atque in Senatu, & magiſtratibus perpetuo locatum exiſtimetur. *

L. OPERIS CONCLUSIO.

Ut autem eo revertamur, unde diſceſſimus, ſatis, arbitror, oſtendimus, Romam fuiſſe imperii fontem; Byzantium vero ſedem Imperatoris, non quidem perpetuam, ſed diuturniorem: cum Imperator non aliam ſedem habeat perpetuam præter militiam, quæ habitat in caſtris: cum quibus mutat & ipſe domicilium, utpote ad obeundas armis provincias Romanorum, atque ad victorias Pop. Rom. multiplicandas, fineſque tuendos, aut propagandos inſtitutus. Ideo Byzantium utpote ſedes certior, atque conſtantior ſummi Ducis, Prætorium erat ſtabile, quaſi caſtra vallata muris, & tentoria in ædificiis collocata. Quamobrem cum aut Reipublicæ neceſſitas exercituum Ducem ad occidentales regiones vocaret, aut ad plures Cæſares imperii adminiſtratio deveniret, Roma ſuum repetebat Principem; ipſeque in ipſius imperii domicilium remigrabat. Quod rerum geſtarum, & antiquitatis totius fide comprobatur: ſiquidem quoad majeſtas Romana, & imperium omne ſtetit incolume, nempe ad Auguſtulum usque, Odoacris parricidio ſublatum, res Romana, vel ab uno, vel a pluribus Cæſaribus ita gerebatur, ut vel unus præſto eſſet, quocunque belli cauſa traheret; vel plures ſibi provincias ita dividerent, ut alter orientalem, alter occidentalem Romani orbis partem tueretur, ac regeret: aliquando vero plurifariam, pro imperantium numero, dividerent ſibi Romanum orbem pluribus ducibus concreditum, tanquam unius tutela, quæ pluribus tutoribus gerenda committatur. Sed

* Neutra conjectura Gothofredi a veriſimili magnopere abhorret, prodeſtque poſteriori, quod neutiquam Conſtantinopolis a ſede Imperatoria ſola dignitatem ſuam nacta eſt, ſed, ut toties obſervavit Noſter, Romæ veteri exæquata. Sozomenus ut Imperium a veteri Roma ad novam translatum diceret, nulla neceſſitas erat, cum ſatis ſit, idem inter utramque communicatum fuiſſe. In nominibus magiſtratuum ſæpe luſum, enervata jam poteſtate dignitatum, quibus libera Respublica utebatur. Temporibus Honorii, quod exemplum memorabile eſt, Africam ei patres adjudicarunt, Gildonem hoſtem patriæ pronunciarunt, ſed hunc ipſe Claudianus

Neglectum dicit tot jam per ſecula morem,
nec ſententiæ patrum ceſſit Gildo, ſed armis in ordinem cogendus fuit.

jam

jam vela contrahentes, & Reipublicæ Romanæ formam de ſuperioribus diſputationibus breviter exprimentes colligamus, poteſtatem omnem Romanorum publicam, jam a Tiberii tempore ad Senatum translatam, in civilem, & militarem ab urbis primordio diſceſſiſſe. Civilem variis portionibus ſub jurisdictionis nomine ad ſingulos manaſſe magiſtratus; militarem per S. C. tranſiiſſe in Imperatores: ut duo principatus prodierint. veluti duarum ex univerſo terrarum orbe nationum; Quiritium videlicet, & militum. Illorum principatus erat civilis nempe Conſulatus, aut regnum unius anni; horum principatus erat militaris, nempe jus armorum perpetuum, ſive imperium ex Romanis inſtitutis nunquam jure magiſtratuum, ſed certa lege tranſiturum: unde natum apud JCtos nomen imperii meri e ſummo jure militari venientis, neque jurisdictionem unquam comitantis.

Hinc a ſcriptoribus priſcis utriusque principatus inter ſe munera peritiſſime ſecernuntur: Cum principatus Civilis militari præcellens Conſules, Cenſores, Prætores, aliosque minores magiſtratus, omnemque Rempublicam; principatus militaris Legatos, Tribunos, Duces, omnemque militiam Reipublicæ cauſa inſtitutam contineret. Unde Tacitus Neronem, nondum felicitate labefactatum, ita jura publica temperantem, ac partientem inducit: *Teneret antiqua munera Senatus. Conſulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ aſſiſterent.*

Nempe provinciæ pacatæ, quas una cum Italia ſibi Senatus retinuerat: ideoque adminiſtrabantur a Conſule, cum exercitu, & Imperatore opus non haberent: *a*) deinde ſubdit: *ſe* (nempe Cæſarem) *mandatis, exercitibus conſulturum*; *b*) & alibi: *Deinde ceteri compoſita indignatione, quod Conſul Rempublicam Dux Imperatorem prodidiſſet.* Et Suetonius Rempubl. omnem ad Conſules revocat, cum ſcribit, Caligulæ tempore, prolata conſulum creatione, triduo Remp. fuiſſe ſine ſumma poteſtate.

Quamvis autem Imperator, ſuſceptis ſibi per militarem potentiam frequentibus conſulatibus, aliisque magiſtratibus majoribus, & Tribunitia poteſtate, quotannis, jus præferret pene regium; tamen quia nunquam ex inſtituto Pop. Rom. munera cum muneribus, aut poteſtas militaris cum civili confundebantur; ſed ſemper, etiam ſi unius in perſonam coirent, natura ſua diſtinguebantur; propterea neque jus Imperii extinxit jura magiſtratuum; neque poteſtas militaris extinguere unquam potuit poteſtatem civilem in Senatu perpetuo inſidentem, & magiſtratibus omnibus, ſicut & Ducibus, ipſisque Imperatoribus, Reipublicæ nomine, imperantem.

Atque hæc de Romano Imperio ad Auguſtulum usque. De variatione autem ipſius a Carolo Magno, & a Germanici Regni miſtura, ſi vita, & facultas dabitur, peculiari tractatione differemus: cum ſylvam rerum ſuis locis ad ſententiæ noſtræ munimentum, & lumen tribuendarum, ex idoneis auctoribus, & e civilis, & Pontificii juris interpretibus, longo, gravique labore a nobis collectam, ad manum habeamus. Hunc autem librum modo editum, propter diſcrimen juris ab ea tractatione ſejunctum, & propter affinitatem rerum, & temporum, cum tribus hiſce ſuperioribus conjunctum, vobisque, QUIRITES, dicatum voluimus, qui tam bene armis legibusque veſtris de omni humano genere meruiſtis; Quique membra divulſa orbis terrarum, hominesque agreſtibus moribus diſtractos, & diſſipatos, ad honeſtatis commercium, urbis veſtræ communione, convocaſtis; ut ſi qua cultura ſupereſt animorum, ea omnis vobis debeatur, & latini ſermonis uſu, legumque veſtrarum ſtudio conſervetur.

Βύλευμα χρηςὸν ὗπερ ἕνεκα πόλις ςρατοπέδων κρατεῖ. Thucyd. lib. 8. cap. 76.

a) *annal. 13.* *b*) *lib. 3. hiſt. p. 527.*

J. VINC.

JANI VINCENTII GRAVINÆ

OPUSCULA
ET
ORATIONES
VARII
ARGUMENTI,
SEU
OPERUM TOMUS III.

Digitized by Google



Digitized by Google

JOANNIS BAPTISTÆ ANCIONI

PRÆFATIO
AD LECTOREM,

EDITIONI ULTRAJECTINÆ PRÆMISSA.

Hominum generi ea ſunt utiliora ſcripta, quæ fallacibus adverſantur opinionibus; quibus plerique aut propter ignorationem veritatis, aut propter ambitionem, turpiſſime blandiuntur; quaſi aſſerendis, non avertendis erroribus inventa ſint ſtudia literarum. Nimirum pars magna hominum potius eruditionem ad popularem famam, quam ſapientiam ad rerum humanarum contemtum e literis ducunt. Quo pluris faciendæ ſunt lucubrationes eæ, quæ veritate detegenda plus legentibus, quam ſcribentibus proſunt. Quales hæ ferme ſunt orationes, quarum edendarum injuſſu auctoris conſilium cepimus, nihil veriti, ne iraſcatur. Qui enim in tot invidioſis argumentis ſenſus palam nuncupavit ſuos, oſtendit ſatis, quanti mortales honores, & vulgi ſuffragia æſtimet præ amore veritatis, communique ſtudioſorum utilitate, quo toto ſuorum ille curſu laborum intendit: utpote qui a diuturno cultu Romanæ linguæ mores contraxerit, mentemque Romanam, ſine quibus neque egerit fortiter, neque ſcripſerit egregie quiſquam. Nam quid eſt aliud eloquentia, niſi recte atque eleganter expreſſa ſapientia? Quid igitur ſtultius, quam expertem Romanæ virtutis Romanam ſibi ſperare facundiam, tanquam Latine quis unquam dixerit, qui non Latine identidem cogitarit? niſi Latinam dictionem ducamus Nizolianas quorundam offas, phraſiumque manipulos, quibus alicubi quilibet in honorum petitione vel tecum feliciter certaverit, Marce Tulli. Quid mirum igitur, ſi noſter, qui Latinis e ſtudiis Latinos ſibi animos arripiendum cenſuit, calumniarum imbrem nullo ſcripto, ſed ſola integritate vitæ, animique præſentia in ipſos refudit auctores? Quibus diu ſuſtinendis virtus ejus ita percalluit, ut eo vehementius incumbat, ubi recta ratio potentioribus

 frau-

Digitized by Google

fraudibus occultatur. Qua conſtantia in errores vulgares vehementer perrupit, aſſuetus eo minus vereri hominum inſaniam, quo religioſius divinas colit humanasque leges, quæ ſemper, præſertim ſub ſanctis æquisque moderatoribus, vindices texere veritatis. Isque ingenium ita obfirmavit ſuum, ut, cum placere maxime ſtudeat bonis, aliorum offenſionem nihili pendat, nec refugiat iis diſplicere, quibus ipſe gratuito, & immerito diſplicet. Honorum vero ſpem, quam inſidiis, credo, ſuis ereptum ibunt, jamdiu ille ultro remiſit iis, qui, ut paucis aliquando imperent, ſervire perpetuo gaudent univerſis. Enimvero præmia literis vel nunquam, vel tam ſero tribuuntur, ut præſtet brevi ornamento ſenectutis, quam tota vita honeſta ingenii libertate carere, conſiliaque ſua ſuſpendere ab inanibus pariter & incertis. Tanti doctis viris non emitur popularis aura, judiciumque ſtultorum, qui ſapientiam non virtute, ſed ſucceſſu ponderant, nec ſtudiis merita hominum, ſed veſtium colore diſcernunt. Cetera vitæ commoda, ſi non opinione, ſed neceſſitate definiantur, neque inſidiis hominum patent, neque ipſius imperio fortunæ. Hominibus etenim frugalibus omnia ſuppetunt ab ipſa natura; cujus opes ibi deſunt, ubi ſuperant vitia, quibus nullus unquam ſumtus fuerit ſatis. Nec pecunia opus eſt ad oblectamentum iis, qui voluptates inemptas capiunt & maximas e communibus deliriis hominum, qui dum vanis rerum inflantur, & ſurſum deorſum in honorum contentione feruntur, quem ludum, Dii boni, præbent ſapientibus! Hæc ſecum reputantem hominem haud arbitror mihi offenſum iri, ſi haſce orationes octo, quæ ſparſim ad nos, & fortuito pervenerunt, ego inconſulto ipſo Auctore typis excipiendas curaverim, utpote dignas, quæ propter earum ſalubritatem animis plurimorum hærerent, & tibi, humaniſſime Lector, ac reipublicæ perpetuo prodeſſent. Vale.

J. VIN-

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINÆ JCti
SPECIMEN
PRISCI JURIS,
AD
CASPAREM CARPINEUM
CARDINALEM.

Sæpe contigit, CASPAR Cardinalis ampliſſime, ut, cum Juriſconſulti & eruditi contenderent inter ſe, ac ſuam viciſſim doctrinam verbis extollerent, extenuarent alienam, ipſe a neutris gratiam inirem; propterea quod apud eos, quorum pars a jurisprudentia eruditionem removerant omnem, pars nunquam eruditioni jurisprudentiam adjunxerant, negarem ea ſtudia diſtrahenda, ſed ad ſummam eruditionem veteris Juris notitiam, & ad plenam atque maturam jurisprudentiam reconditam & exquiſitam eruditionem pertinere, confirmarem. Quam ego ſententiam noſtris quidem temporibus, in quibus fæx interpretum ſordesque forenſes non modo innatam Juri civili eruditionem, ſed Jus civile ipſum ab injuſtis poſſeſſoribus jam diu occupatum obruerunt, ſatis invidioſam, tibi tamen præ cæteris probatum iri confido; utpote cum ad diuturnum, ac ne punctum quidem temporis in vita intermiſſum, civilis & Pontificii juris ſtudium, aſſiduumque veterum & novorum interpretum uſum, antiquitatis Romanæ notitiam, & ſeveram ac ſolidam, non fucatam aut ambitioſam eruditionem, ſumma cum laude nominis tui, ac omnium fere mortalium utilitate contuleris.

Etenim ne aliquis illorum eſſes, qui, quum interpretes populo dati ſunt, interpretem ſibi alium e populo quærere coguntur; usque ab adoleſcentia ſacrorum curam, & privatarum publicarumque cauſarum cognitionem pro deferendis muneribus ſuſcepturus, non modo Jus, in quo verſamur, cognoſcendum; ſed veterem omnem Eccleſiæ ſtatum percurrendum tibi putaſti, & antiquorum patrum ſapientiam tui muneris ſociam, atque conſortem dignitatis adſciviſti; ut e ſtirpe ſua repeteres eam conſiliorum copiam & maturitatem, qua diu gentibus proſpexiſti, quaque tuis ſententiis eam auctoritatem conciliaſti, ut non modo hæc ætas æqui & iniqui diſcrimen a tuo judicio deducat; ſed & graviſſimi illi antiqui moris judices Coruncani, & Caſſii, ſi tecum irent in conſilium, tibi deliberationem ſuam committerent, tibi jus omne traderent mentis ſuæ, plusque in reſponſis tuis, quam in propria conſcientia ponerent. Jure igitur urbs univerſa de ſummis rebus deliberatura veretur, ne quid ſine auſpiciis aggrediatur, niſi te antea conſuluerit; ita ut rerum arbitrium extra ordinem quodammodo tibi permiſerit. Quo effectum eſt, ut incremento gloriæ, quam tibi uni debes, ampliſſima illa ornamenta ſuperaveris, quæ a majorum tuorum ſplendore proficiſcuntur; & cum ſubliniores honorum gradus adſcenderis, nullam adhuc meritis parem inveneris dignitatem.

Nos vero contentionibus illis excitati, quo demonſtremus, jurisprudentiam a retruſiori eruditione deſcendere, ac ſimul facem aliquam, quantum in nobis eſt,

 Juris

Juris civilis ſtudioſis præferamus, adjecimus nuper animum ad exponendas origines Juris civilis. Quod ſi mihi ſucceſſerit ex ſententia, facile vicero, eruditionem omnem incurrere in jurisprudentiam, ac jus civile vix ab ullis melius poſſe præſtari, quam ab iis, qui exemplo graviorum interpretum leges e ſuis hauſere fontibus, iisque ſtudiis uſum incorruptæ Latinitatis, & philoſophorum acumen, ac veterum notitiam temporum adjunxerunt. Quod opus cum plurium annorum ſit, & immenſi laboris ac induſtriæ; interea loci quo monumentum aliquod obſequii & cultus erga te noſtri ſtatuamus, ex rudibus adhuc illis, nec dum digeſtis commentariis, ſpecimen hoc excerpſimus, in quo breviter expoſuimus, quæ fuſius in primo *de originibus* libro diſputabimus. Quod munuſculum, quantulumcunque illud ſit, pro tua humanitate non gravate accipias, rogo.

Quoniam igitur nemo eſt auctor ſui, nec ullam homo ſibi tribuere facultatem poteſt, ſed tantum edere atque verſare, quod in tributis facultatibus conditum a Deo fuit, a quo proficiſcitur quantumcunque præferimus; ideo quatenus cujusque facultas excurrit, eatenus cupiditatis jura porriguntur: ſiquidem natura nemo alteri jure propriæ facultatis exercendæ præcellit. At quia diſpares hominum ſunt & finitæ facultates, infinita vero cupiditas ſingulorum; ideo, concurrentibus cupiditatibus omnium, ſimul facultates impelluntur; ita ut vel minores coërceantur a majoribus, vel pares mutuo collidantur. * Quam animorum conflictationem rapinæ, jurgia, & mutuæ cædes, & tumultus, & rerum omnium perturbatio conſequeretur, niſi cupiditatum impetum ratio comprimeret recto uſu libertatis, quæ regendis data eſt flectendisque motibus animorum, eaque ratione magis exprimitur quam cupiditate: ratio enim expeditur cujusque naturæ poteſtate, cupiditas rebus externis vel coërcetur, vel impellitur, vel agitatur; ut quo cupiditas latius effunditur, eo libertas arctius contrahatur; ideo cupiditatem, ſupra quam fert naturæ facultas, attollentes ab ipſa natura, quam maxime conamur augere, deſciſcimus: quoniam ea complectimur animo, quæ rebus potius externis, quam naturæ facultatibus, gubernantur, & ab alienis occupati, curam noſtri externarum cauſarum potentiæ tradimus, iisdemque rebus obnoxii, quas urgemus, dum ad majorem poteſtatem contendimus, miſeriorem incurrimus ſervitutem. Quo igitur ſe quisque ſibi vindicet, naturæ poteſtati cupiditas eſt exæquenda, & componenda ratione, quæ nihil aliud eſt, quam propriæ naturæ poteſtate circumſcripta voluntas, quam vel honeſtatis initium appellemus licet, vel ipſam potius honeſtatem.

* Siſtuntur hic primo loco ſententiæ Spinoſæ & Hobbeſii, commentis Gravinæ incruſtatæ. Quæ dein ſequuntur paginæ aliquot ad verbum fere deſcriptæ ſunt ex *libri II. cap. 17. 18. 21. & 23.* niſi potius hæc capita ex hoc opuſculo mutuatus eſt Noſter: quod veriſimilius, quia opuſculum prius editum. Reliqua totius opuſculi usque ad finem ejusdem, epitomen ſiſtunt commentarii ad XII. tabulas, qui eodem libro ſecundo continetur, & quem ſupra illuſtravimus. Epitome ipſa ſæpe verba commentarii ſiſtit. Diſcrimen in ſolo ordine tractationis, quem hic ſecundum tabulas, præeunte Gothofredo ſequitur, cum in *libro I.* ad exemplum Hotomani, ordinem materiarum ſectetur, niſi quod in fine opuſculi uſurpationem actibus legitimis annumerat, quam in commentario ad XII. tabulas prætermiſit, & quod paullo ante, venditionem familiæ inter actus legitimos ſigillatim recenſet, cum eam rectius ſupra generali mancipationis vocabulo complexus ſit.

Virtus

Virtus enim, quæ nullis rebus extra ſe poſitis ducitur, ſed propriæ naturæ viribus explicatur, ſummum eſt libertatis & honeſtatis opus; ideo ſapiens, qui omne bonum in virtute ponit, ſummam, quæ quidem homini convenit, aſſequitur libertatem. Quamobrem ſapientes, qui potiſſimum rationem habuerunt expeditam, ſuo ſibi conſilio regendos ſuſceperunt eos, qui animum quodammodo in poteſtate non tenent, quique magis alienarum opum, quam propriæ tranquillitatis deſiderio rapiuntur, & a cupiditatibus & voluptatibus, quibus indulgent, ſuo & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur uſu compertum fuit & ratione proviſum, homines, ſi jus quisque ſuum propria utilitate ac facultate metirentur, cupiditatibus diſtractos perpetuo conflictatum iri, ac omnium ſalutem in aſſiduo periculo verſari; propterea ſapientia, ſive adulta ratio, ſua cuique rerum portione tributa, ut inteſtinum & externum periculum arceret, ſocietatem conflavit; utque conſtatam ſocietatem perpetuo tueretur, civile bonum propria & communi utilitate definivit. Quo vero ſingulorum & commune bonum perpetuis vinculis contineretur, certis pactionibus conſtituendis atque firmandis ſuam quisque voluntatem contribuerunt, ac in medium proprias contulere facultates, ut ex omnium voluntatibus & facultatibus eodem confluentibus publica voluntas exoriretur, & ſumma poteſtas: quarum altera dicta lex eſt, ſive communis ratio, vel civilis ſapientia, & publica philoſophia; altera imperium, ſive virtus, & facultas univerſorum. Eaque non ſapientibus, ſua quibus ratio lex eſt & imperium, ſed iis ſunt poſita coërcendis, ad quorum animos componendos ratio non valet, ut, quæ perturbatio propria ratione non reprimitur, ratione ac poteſtate publica, & alia majori perturbatione, nempe mortis & pœnarum metu, contineatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus ſæpe triſtiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem & ignem admovemus.

Hinc ex placida & inermi armata prodiit & imperioſa ſapientia, cujus vi libertas noſtra minime præciditur, quoniam ea poteſtas exſtitit ex confuſis omnium facultatibus, & lex, univerſorum complexa voluntates, ſingulorum rationem & poteſtatem in ſe ipſa conditas perpetuo conſervat: unde qui lege premitur, non aliena vi, ſed ſua potius imperii portione gubernatur. Quocirca omnium intereſt tueri leges, utpote vinculum publicæ ſalutis, qua unusquisque intelligit contineri ſuam. Ubi enim homines mutuo compulſi metu convenerunt in civitatem, portio ſuæ fit quisque reipublicæ, cujus commodum, privatorum criminibus reſciſſum, eorundem eſt pœna ſarciendum, ut exemplo alieni ſupplicii a publica ſalute, quæ ſingulos tuetur, novorum criminum pericula propulſentur. Ideo conditis legibus, & imperio conſtituto, rei adminiſtrandæ ratio quærenda fuit: unde publica poteſtas vel ad optimates adſcendit, vel conſedit in principe, vel tributis communi conſenſu partibus per ſingulos ordines permeavit. Quæ poteſtas ad communem utilitatem publica voluntate inſtituta, ſi publicæ ſalutis detrimento, & ſingulorum injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, eodem revolvitur. Abeſt enim a tyrannide conſenſus univerſorum, ſine quo nullum ratum eſt & juſtum imperium. Unde, quod commodo civium fieri poſſit, licebit ſane rempublicam a prædone repetere, ne cunctorum opes & ſalus paucorum aut unius cupiditatibus vel libidinibus devoveantur. Etenim res eſt ſacroſancta libertas, & divini juris, quippe humanæ a Deo implicata naturæ, ut eam tentare ſcelus ſit, impium cir-

cum-

Digitized by Google

cumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicæ utilitatis cauſa jus eſt principibus atque potentioribus, legum vim armis & auctoritate reſtituere, ſi juſtam libertatem effuſiori licentia multitudo corruperit.

Suprema vero poteſtas, ſive in populo, ſive in optimatibus, ſive in principe, ſive pro ſua cujusque portione conſiſtat in omnibus, explicatur per magiſtratus & judices, adhibitis in conſilium jurisconſultis, qui ſunt legum voces, & Juris cuſtodes, atque Juſtitiæ ſacerdotes. Hanc autem univerſam rationem publicæ tranquillitatis prudentiſſimi legum latores, ut populorum natura ferebat, formarunt, atque flexerunt, & ad ſuos cujusque regionis & temporis mores derivarunt. Hinc, quamvis unam omnibus honeſtatis informationem natura dediſſet, vultu tamen ac ſpecie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diverſæ populorum & diſcrepantes ſunt inter ſe leges; quoniam non iisdem ex fontibus ſuam omnes ducunt utilitatem: cumque unum ſit opus univerſorum, ſingularum tamen urbium regimen pro temporum & morum varietate diſtinguitur. Sane Judæis, quem ſibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipſius divinitatis voce conſtitutum: unde recte Joſephus Judæorum rempublicam *Θεοκρατίαν*, ſive divinum regimen, appellavit.

Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas deſcendemus, ex humano profluxere conſilio. Omnium autem principem leges dediſſe ferunt *a*) Cererem, in majorum deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab Ægyptiis relatam; quorum ſimulacra deorum, nemini, niſi ſacerdotibus, adeunda, Cambyſes poſt longam ejus ſuperſtitionis deriſionem incendit. *b*)

Ea ſacra Erichteus Ægyptius Athenas, ubi magna erat rei frumentariæ penuria, comportato frumento tranſtulit, *c*) eoque beneficio meruit, ut regnum ei deferretur, ac in Eleuſi ſacrum Cereri ſolenne inſtitueretur. Sunt, qui legum inſtitutionem tribuant Onomacrito, de quo hæc ab Ariſtotele traduntur *lib. 2. Politic.* *πειρῶνται δὲ καὶ τίνες καὶ συνάγειν ὡς Ὀνομακρίτου μὲν γενομένου πρώτου δεινοῦ περὶ νομοθεσίαν.*

Alii primas leges ducunt a Rhadamantho *d*) Lyciæ Rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Ilienſibus fuerit inſtitutus, isque ob inſigne ſtudium juſtitiæ, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas æſtimare. Perſis Zoroaſtrem leges tradidiſſe complures exiſtimarunt, ac eum eſſe cenſuerunt antiquiſſimum. Cum autem de illius ætate ſummopere contenderetur, ac a Xantho Lydio ſexcentos annos *e*) a Zoroaſtre ad Xerxem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxiſſe a Zoroaſtre ad excidium Trojæ crederetur, duo ab aliquibus poſiti fuere Zoroaſtres, cum teſtimonia ſcriptorum frequentiora ſint de illo aſtronomiæ peritiſſimo, quem Perſæ recentiores Hyſtaſpis Darii Regis patris æqualem faciunt: a quo Hyſtaſpe Magorum doctrinam enatam eſſe, Darius filius in patris monumento inſcribendum curavit. Cæterum Apulejus Zoroaſtrem conſtituit ſub imperio Cambyſis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Apulejus tradit, doctores habuit Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrem. Ægyptii ab

a) Plin. *Hiſt. lib. 7. cap. 56.*
b) Herodot. *lib. 3.*
c) Diodor. Sicul. *lib. 1.*
d) Plin. *lib. 7. cap. 56.*
e) Diog. Laër. *in proœm.*

utroque

utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo ſcilicet, de quo *a*) Cicero tradit, Ægyptios non leges modo, ſed & literas accepiſſe, quem Theut appellabant, quemque poſteriores rerum Ægyptiarum ſcriptores antiquiſſimum faciunt, *b*) & ab eo, quem Moeri Regi ſucceſſiſſe Marshamus ex Syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes & inventa coluit & conformavit, libriſque quadraginta duobus humana divinaque omnia comprehendit, tum vel priores reſtituit leges, vel condidit novas. *c*) Atque huic vulgo aſſignatur commentitius ac male fartus ille Pimander. Porro ante paſtorum colluviem, quæ ſe in Ægyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur, Thebis ſcilicet, Memphi, & Heliopoli, quam a paſtorum dominatione liberatam, Amoſis, qui Regum Ægyptiorum primus Heliopoli præfuit, legibus munivit, & tribunal conſtituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum ſingulæ dabant, de quibus unus cæteris & auctoritate in conſiliis, & gratia apud Regem, & dignitatis inſignibus præcellebat: etenim e collo catena ſuſpenſam auream gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam, *d*) cunctisque judicibus in conſilio leges omnes, octo deſcriptæ libris, proponebantur. Horum leges & inſtituta Pythagoras tranſtulit ad Crotoniatas. Hinc e Magna Græcia, ubi divinæ ille locavit ac humanæ fundamenta ſapientiæ, facta ſunt civilis doctrinæ juriſque divortia, legeſque ab ejus diſcipulis ad finitimos populos traductæ fuerunt e Pythagorica ſchola: quorum celeberrimi ſunt duo, Charondas (quem plerique Thuriis leges tuliſſe volunt) & Zaleucus, qui Locrorum regimen conſtituit; ac ambo ſanxerunt, ut, qui leges proponerent novas, capite plecterentur, niſi legibus ſuis univerſorum civium utilitati conſulerent; ac Zaleuco non mortuo tantum, ſed & vivo atque videnti, cives mactarunt victimas, & oraculi juſſu divinos honores habuerunt, ſicuti Scythæ Zamolxi eorum legislatori, Pythagoræ ſervo, qui dominum in Ægypti peregrinatione ſequutus, quos inde arripuit ritus & inſtituta, tranſtulit ad ſuos.

Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides & Zenon Eleatis. His conſimiles legislatores prodierunt Eudoxus, a quo Gnidii, Androdamus Rheginus, a quo Chalcidenſes, qui ſunt in Thracia. Verum legum latorum omnium celeberrimi & prudentiſſimi fuere Phoroneus Inachi filius, Græcorum Regum antiquiſſimus, a quo exuti feritate, & in urbem coacti, & legibus fuerunt inſtituti atque educati, Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon.

Minos (Gnoſſium intelligo, non eum, qui Apolloniæ regnavit, ut ex Platone Strabo & Valerius Maximus colligunt) nono quoque anno Jovis antrum ſubire ſolebat: unde prodiens decreta & leges, in eo ſeceſſu conditas, Jovis nomine proponebat; unde Homero: *ἐννέωρος Διὸς μεγάλου ὀαριστής* dicitur, & Platoni in Minoë: *φοιτῆσαι εἰς τὸ ἄντρον τοῦ Διός*. Lycurgus in Cretam profectus Minois inſtituta cognovit, & eorum multa in ſuas tranſtulit leges, quas Lacedæmoniis promulgavit, ac, ne ſuum ei numen deeſſet, eas Apollini aſſignavit. Quas leges, utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam inſtitutas, Plato & Ariſtoteles agreſtes cenſuerunt & aſperas. Athenæ vero, qua ex urbe omnis fluxit

a) *De natura Deor. lib.* 3.
b) Marsham. *ſec.* 1.
c) Clem. Alex. *Strom. lib.* 6.
d) Diodor. *lib.* 1. *pag.* 48.

humanitas, & morum atque ſermonis elegantia, poſt ejectos Reges diuturnis jactatæ ſeditionibus, nec dum firmis radicibus in populari ſtatu conſtitutæ, ac præter paucas, quas tulerant Reges, nondum certis legibus illigatæ, acceperunt eas a Dracone, qui auctoritate magis quam legibus ſuis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam ſeveritatem ad feritatem deflectebat, ac minime congruebat humanæ imbecillitati naturæ, quam ille voluiſſe videtur exſtinguere, cum vel minima crimina maximis exæquaret, quas leges ipſa ſeveritas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus pœnam capitis minarentur; levibus autem erroribus vel ſapientiſſimi ſint obnoxii; nemo tuebatur id, quod omnibus erat æque formidandum: ideo per ſe concidit, quod nemo populi, neque ullius magiſtratus auctoritate fulciebatur.

Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo æſtimabat, ac ex omni vitio quodlibet maleficium oblata facultate putabat erupturum, quæ fuit ratio Stoicorum. Quærenti autem cuidam, cur omnibus delictis capitale ſupplicium ſtatuiſſet? reſpondit, ſe delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxima vero nullam pœnam invenire morte majorem: *Τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήματα θανάτου ἄξια νομίζειν, τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν.*

Hinc & otium pœnæ obſtrinxit, exemplo forſan Ægyptiorum, a quibus Solonem hanc tranſtuliſſe legem in ſuas Herodotus tradit; nempe ut ſinguli ſuum vivendi genus apud magiſtratus profiterentur; cum legem Pollux *de otioſis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solone otii tertio damnatum infamia puniri ſcribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent, quod quiſque vivendi genus inſtituiſſet, & in eos, quos otioſos offendiſſent, animadverterent. Theophraſtus vero *τὸν τῆς ἀργίας νόμον*, *legem de otioſis* Piſiſtrato aſſignat. Cæterum propter earum ſeveritatem Draconis leges natæ dicebantur a ſanguine.

Quas tandem novis conditis legibus abrogavit Solon, poſtquam ab Athenienſibus Archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Iſque cum Rempublicam *a*) accepiſſet inteſtino morbo laborantem, & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, &, pro tributa ſibi a populo poteſtate, magiſtratus, conciones, judicia, curias, numero, tempore munereque diſtinxit, juraque cum privata, tum publica, ſuis legibus definivit, & ſenatum Areopagiticum, graviſſimum illum & pervetuſtum, conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant, atque novem Archontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil reliquit præter examen reorum. *b*) Senatum præterea decretis ante comitia populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum æs alienum ferocientem comprimeret. Utque Ariſtotelis teſtimonio concludam, Solonem, ait ille, ſenatum & magiſtratuum electionem priſtinam minime ſuſtuliſſe; ſed omnibus judicandi poteſtate tributa, populi tenuiſſe voluntatem. Itaque miſtum regimen inſtituit, quod deinde converſum eſt ad popularem ſtatum. Solon autem ſuas a Draconis legibus non re ſolum, ſed vocabulo quoque diſcrevit; appellatæ namque ſunt Draconis

a) Plutarch. *in Solone.* *b*) Suid. *verb.* Ἀρχων.

leges

Digitized by Google

leges θεσμοὶ, ſive ſanctiones, *a*) vel, ut ab aliis exponitur, inſtituta: Solonis vero νόμοι, ſive leges. Eandem rempublicam poſtea Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam, iis expulſis, & novis additis legibus, compoſuit Cliſthenes, & ſecundum hunc leges aliæ conditæ ſunt, Ariſtophane, Diocle, aliiſque rogantibus; aliæ a Demetrio Phalereo, cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suidas Æſchylum & Thaletem.

Ex Athenienſium autem legibus magnam partem magnavit Jus Romanorum, in quo verſamur; quamvis non tralatitio, ſed ſuo proprio ac peculiari jure urbs fuerit uſa ſub Regibus, a quibus de ſacris, & de publico privatoque jure latæ ſunt leges, nempe a Romulo, Numa, & Servio Tullio, quorum primus naturæ jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii, & parentum jura ſtabilivit: alter jus gentium expreſſit, ac de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura, leges aliquot promulgavit, præter ritus & cæremonias, & ſacrorum religionem, quæ fere omnis ab ejus inſtitutione profluxit: poſtremus majorem operam ad Jus civile contulit, & de contractibus ac delictis quinquaginta rogavit leges: *b*) item & de fœnere, de nexis, & de ære alieno. Quæ omnia in unum volumen contulit Sext. Papirius, unde jus Papirianum, de quo librum conſcripſiſſe Gravium Flaccum, auctor eſt Paullus juriſconſultus. *c*) Quod jus exactis Regibus exolevit. Imo lege Terentia fuiſſe abrogatum, Hotomannus *d*) ex Pomponio ſcribit. Joſephus vero Scaliger putat, leges regias minime fuiſſe ſublatas, ſed conjectas in tres priores XII. Tabularum, quam conjecturam auctoritate tuetur Livii: *e*) *Fœdera* (inquit) *&, leges (erant area XII. Tabul. & quædam regiæ leges) conquiri, quæ comparerent, juſſerunt.* Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui, L. Bruto Trib. Celerum ferente, cenſet eas tantum ſublatas, quæ ad regiam dominationem ſtabiliendam pertinebant.

Et Marcellus *f*) *lib. 28. Digeſt.* tradit, ex lege regia deſcendere, ut non ante humetur mulier prægnans, quam partus exſcindatur. Verum creſcente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi atque injuria pro natura multitudinis æſtuante, prudentiores nova morborum ſemina novis opprimenda conſiliis cenſuerunt. Cumque ſolis moribus, & repentinis, ut ita dicam, legibus populus regeretur, fixo & perpetuo jure componendam, ac in poſterum firmandam rempublicam exiſtimarunt. Cum igitur C. Terentius Arſa Trib. plebis, ut Conſulum in plebem immoderatam poteſtatem imminueret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges conſulari imperio perſcriberent, creandis, eaque delibe-ratio variis contentionibus per decennium extracta fuerit, & poſt impetratam duplicandorum Tribunorum plebis poteſtatem intermiſſa, revixit tandem Romilio Veturioque Coſſ. in plebem Romanam, quæ militiam detrectabat, impotentius dominantibus. Hinc anno ab U.C. ccc. Spurio Tarpejo & A. Terminio Coſſ. res ad ſenatum delata eſt, & ex ſententia P. Romilii factum Senatuſconſultum, (quod deinde fuit plebiſcito confirmatum,) ut tribus triremibus, pro majeſtate Imperii Romani

a) Ælian. *Var. hiſt. lib. 8. cap. 10.*
b) Dionyſ. Halic. *lib. 4.*
c) *L. 144. de V. S.*
d) *Obſerv. lib. 1. cap. 1.*
e) *lib. 6.*
f) *Leg. 2. ff. de mort. infer.*

magnifice inſtructis, legati per Italiam & univerſam Græciam petitum leges mitterentur: creatique ſunt Sp. Poſtumius, Sextus Sulpicius, A. Manlius, qui utiliores civitatum ſingularum, ac Athenienſium potiſſimum, leges deſcripſerunt: *a*) nonnullas a Lacedæmoniis fuiſſe ſumtas, Athenæus, *b*) & Ammianus *c*) Marcellinus, & Tribonianus *d*) tradiderunt. Igitur leges in urbem delatas Decemviri, ad quos juſſu populi earum componendarum poteſtas, & conſulum atque magiſtratuum auctoritas omnis redacta erat, in decem tabulis digeſſerunt, partim integras, quales acceperant, partim emendatas, & ad urbis mores populique conſuetudinem conformatas, adhibito in conſilium Hermodoro Epheſio, in Italia tum temporis exſulante, qui Romanis ejus legationis auctor fuit, quemque plurimum ei negotio contribuiſſe, ac aliquas etiam leges Romanorum condidiſſe, accepimus a Strabone. Quo pertinet omen illud Heracleti, qui, ad Hermodorum ſcribens, ſpeciem ſibi, ait, oblatam in ſomnis orbis univerſi venerabundi, & ad illius leges, Perſarum more compoſitis ad oſculum labiis, procumbentis. *ὄναρ ἐδόκουν, τοῖς σοῖς νόμοις τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματα προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκλείοντας τὸ στόμα, προσκυνεῖν αὐτούς.*

His autem tabulis publice propoſitis, facta unicuique objiciendi & corrigendi poteſtate, poſteaque omnium conſenſu probatis, ut corpus integrum Romani Juris abſolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque Senatusconſulto, captis auſpiciis, accitis Pontificibus & Auguribus, comitiis centuriatis leges univerſi ſciverunt. Quod Jus ad omnium notitiam & utilitatem æneis inciſum tabulis fuit, & in foro juſſu populi collocatum. Mos hic incidendarum legum deſcendit a Corybantibus, qui columnis inſculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon *e*) in ligneis incidit tabulis, quas *ἄξονας καὶ κύρβεις* appellarunt: cum ante tabularum uſum ediſcerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriæ *f*) mandarent. Quamvis autem Pomponius XII. Tab. eboreas (quæ lectio eſt Florentini codicis) ſive, ut fortaſſe legendum eſt, roboreas fuiſſe ſcripſerit; tamen id de iis accipiendum eſt tabulis, quæ populo emendandæ, non de iis, quæ in perpetuum obſervandæ propoſitæ fuerunt; niſi vel Triboniani audaciæ hujus loci vitium aſſignemus, vel Pomponium adverſus omnium veterum auctoritatem loquutum eſſe faciamus. Id autem Jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem ſane concinnam, tum propter ſummam æquitatem atque prudentiam, rerumque pondus & majeſtatem, univerſam continere ſapientiam, ac omnium philoſophorum doctrinam gravitate ſuperare putabatur. *g*) Hujus Juris fragmenta complures antiquitatis & juris civilis ſtudioſiſſimi diligenter veſtigarunt, ac, e variis ſcriptoribus eruta, in antiquum ordinem, prout conjectura ferret, tribuerunt: omnium autem diligentiſſimam his colligendis, diſponendis, ac interpretandis operam navavit Jacobus Gothofredus, cujus ordinem atque judicium nobis, dum in his verſabimur, merito propoſuimus.

a) Cicero *lib. 2. de legibus.*
b) *lib. 6. in fine.*
c) *lib. 16.*
d) *Inſtit. de jure natur. gent. & civ. §. ult.*
e) *vide* Petit. *ad leg. Attic. in princip.*
f) Ariſtot. *problem.*
g) Cicero *de orat.*

Prima

Prima Tabula rationem inſtituendi judicii tradebat, cujus primum caput, (*Si quis in jus vocat, atque eat,*) veluti ſolenne carmen, vel pueris in ore fuiſſe, ſcribit Cicero, *a*) ac in jus vocatum confeſtim ſequi jubebat. Hæc ampla definitio pluribus exceptionibus a Prætore circumſcripta fuit. Ex multis, quas huic capiti attexuit Cajus, duæ *b*) ſuperſunt: altera, Ne quis de domo ſua: altera, Ne impubes *c*) puella alieno juri ſubjecta in jus vocetur. Cum quis autem in jus vocatus ſequi nollet, tum actor eos, qui aderant, teſtes vocabat: quod *anteſtari* dicebatur, ſive *ante teſtari;* vel ex *am*, quod *circum* priſce ſignificat, eos teſtari, qui circum ſunt, prehenſa auricula, adjectoque hoc verbo, *memento:* & ſi fingeret reus, vel obniteretur, tum actor injecta manu eum in jus obtorto collo rapiebat, eaque *manus injectio* dicebatur. Qui mos omnis ex Athenienſium jure deſcendit. Exemplum enim exſtat apud Ariſtophanem in Veſpis de anteſtatione, & de manus injectione in comœdia palliata Apollodori, a Terentio converſa, quæ inſcribitur Phormio.

DE. *In Jus eamus.* PH. *In jus? huc, ſi quid lubet.*
DE. *Adſequere, ac retine, dum ego huc ſervos evoco.*
CH. *Etenim ſolus nequeo: accurre huc.* PH. *Una injuria eſt*
Tecum. CH. *Lege agit.* PH. *Altera eſt tecum Chreme.*
DE. *Rape hunc.*

Et apud Lucianum in δικαςηρίοις. Ἕπȣ μιαρὲ πρὸς τὸ δικαςήριον. Μὴ ἄγχε με, *Veni ſceleſte in jus. Ne me ſtrangules.*

Secunda Tabula, cujus primum caput intercidit, & de judiciis erat, ac, ut ex 2. cap. conjicere licet, agebatur de judicio conſtituendo, & dandis vadibus, qui fidejuſſores erant rei judicio ſiſti; & ſubvadibus, qui actoris fidei-juſſores erant; ac de committenda pœna, ſi judicium defereretur, quæ Athenienſium lege mulcta erat decem drachmarum, quam legem laudat Ulpianus ad Demoſthenis Midianam: quæ pœna legitimis excuſationibus evitabatur: unde aliud caput de juſtis vadimonii deſerendi cauſſis conceptum eſt, cujus verba retulit Ulpianus, ubi propter judicis *d*) aut reorum morbum ſonticum judicii dies diffinditur, ſive proditur, differtur: item & propter publica vota. Quamvis enim Cajus *e*) vota tantum commemoret de ſalute Principis, de quo nulla in XII. Tabulis eſſe mentio potuit; tamen credendum eſt, caput XII. Tab. de votis pro reipublicæ ſalute ſuſcipiendis in Principem, ut ſua tempora ferebant, a Cajo eſſe converſum.

Publica etiam utilitas excuſabat eum, qui aberat reipublicæ cauſſa. Huic attexit Gothofredus tractationem de furtis. Ac incendiarium furem, ſi ſe telo defenderet, XII. Tabul. occidi voluerunt impune; nocturnum autem poſt imploratam popularium fidem, quod *quiritare* dicebatur, quoquo modo interfici permiſerunt, quod etiam fuit e Solonis lege deductum: εἰδέ τις νύκτωρ ὁτιȣ̃ν κλέπτοι, τȣ̃τον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. *Si quis de nocte furaretur, licere eum occidere.* Ac ſicuti Solonis lege balneatorum fures gravius puniebantur, &, ſi decem drachmas excederent, capite plectebantur; ita & turpius notabantur apud Romanos. Catullus:

O furum optime balneariorum.

a) *lib. 2. de legibus.* Cujac. *lib. 7. cap. 16.*
b) *Leg. 18. ff. de in jus vocand.*
c) *Leg. 22. ff. de in jus vocand.*
d) *Leg. 2. §. 3. ff. Si quis caution.*
e) *Leg. 233. ff. de V. S.*

 Ad

Ad eandem tabulam pertinet titulus *ff. Arborum furtive caſarum*, quam actionem ex legibus XII. Tab. deſcendere Paullus ſcribit *l. 1. eod.*

Tertia Tab. erat de rebus creditis, & ex cauſa depoſiti actionem dabat in duplum, uſuras ad unciam coërcebat: nam ex ſententia Catonis *fænerari eſt hominem occidere.* Quæ lex e Romanis tantum profluxit moribus, minime vero ex Athenienſibus, ex quibus nullus erat uſurarum modus, niſi quem contrahentium lex poſuiſſet. Peregrinos perpetuata civibus actione a jure uſucapionis arcebat: ei; qui vel debitum confeſſus, vel in judicio damnatus eſſet, triginta dies ad pecuniam contrahendam, & judicatum faciendum præſtituebat: eumque permittebat actori vel vinciendum, vel in privatum carcerem conjiciendum, ex quo nexorum nomen ortum eſt, vel pluribus creditoribus addictum tertiis nundinis, ſive viceſimo ſeptimo die, pro cujusque portione ſecandum, vel trans Tyberim venundandum.

Quarta Tabula progrediebatur ad jus patrium, quod apud Romanos præ cæteris gentibus erat imperioſum. Siquidem lege regia Romulo adſcripta, deinde in XII. Tab. conjecta, patri jus erat in filio vitæ & necis, atque adeo venundandi, ita ut ſemel atque iterum venundatus in patris poteſtatem recideret, nec ante tertiam manumiſſionem naturalem libertatem legibus ademtam recuperaret. Quod jus quamvis ſcriptores fere omnes a Romanis arceſſant; tamen repeti poſſet altius, ac ex parte ſaltem ab Athenienſibus; apud quos non lege quidem, ſed moribus ante Solonem obtinuerat, ut patri jus eſſet vendere filium, quod tradit Plutarchus in *Solone; a)* a quo ademta patri poteſtas eſt vendendi filiam, niſi fortaſſe in ſtupro deprehenſam. Eadem Tabula pater cogebatur recens natum infantem, inſignem ad deformitatem, confeſtim necare; isque legitimus conſtituebatur poſtumus, qui decem menſibus proximis natus eſſet.

Quinta pertinebat ad teſtamenta & legitimas ſucceſſiones, eaque liberam cuique tribuebat poteſtatem ſuper re ſua teſtandi, ſive (quod idem apud veteres valebat) legandi. Quod caput priſcæ locutionis ignoratione depravatum reſtituit ex Pandectis Piſanis Cujacius, qui, pro *ſuper pecunia tutelaque rei ſuæ*, repoſuit *ſuper pecuniæ tutelæque rei ſuæ*, ſumto ſecundo pro ſexto caſu, more Græcorum, quem adhuc veteres illi ex linguæ cognatione retinebant.

Latiſſima hæc ex XII. Tab. inducta teſtandi facultas ſequentibus temporibus variis præciſa legibus fuit, quas exponemus latius in ſecundo *de originibus* libro, ac earum præcipua erat lex Furia *de teſtamentis*, quæ, præterquam certis perſonis, vetabat cui ſupra mille aſſes legare, vel mortis cauſa donare. Voconia *de mulierum hæreditatibus*, ne, qui cenſus eſſet, ſive centum millia ſextertium poſſideret, virginem aut mulierem ſupra quadrantem inſtitueret, pluſve legaret, quam ad hæredes tranſmitteret. Velleja, quæ rationem tradidit exhæredandi aut inſtituendi nepotem. Ælia Sentia, quæ, niſi certis conditionibus, aut intra certum numerum, manumiſſiones teſtamento fieri vetabat. Papia, quæ pluribus capitibus jura teſtamentorum immutavit, ac facultatem teſtantium coërcuit, orborum præcipue ac cœlibum: cum ea lex incitandis nuptiis lata fuiſſet. Falcidia, de quarta per hæredem detrahenda. Quibus omnibus, præter Falcidiam, Juſtiniani lege ſublatis, jus XII. Tabulis plane revixit. Hac etiam Tabula ſuus natura hæres non conſtituitur lege, ſed tantum ſignificatur: propterea quod naturalis ratio, ut Paullus ait, quaſi

a) *vide Petit. Ad LL. Atticas lib. 1. tit. 5.*

quædam

quædam tacita lex, liberis parentum hæreditatem addiceret: *a*) atque hinc *ſuorum* nomen eſt ortum in jure civili. Poſt ſuos hæredes familiam ſive agnatos vocabat, poſt agnatos gentiles, quorum deinde jus exolevit. Romani enim gentem & familiam retinebant. Ex gente plures familiæ, ut ex familia Ciceronis domus duæ, Quinti & Marci: ſinguli autem, communi gentis & familiæ appellatione conjuncti, prænomine diſtinguebantur. Cum ſucceſſionibus Decemviri tutelæ quoque jura, & curam furioſorum conjunxerant: contra quam conſtituerat Solon, qui noluit pueros fraudibus eorum permittere, qui agnationis jure ad pupillorum hæreditatem vocabantur; ne lucri cupiditas agnatorum animos ad necem *b*) pupilli converteret; cum Athenienſibus, æque atque Romanis, tutela jus eſſet & poteſtas in capite libero: unde Æſchines *ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχȣ* eos vocat *παίδων κυρίȣς*, *puerorum dominos*. Præterea libertorum bona, ſi ſine liberis obiiſſent, patronis eorumque libertis, item & tutelam, detulerunt, & obligationes hæreditarias inter hæredes pro portionibus hæreditariis ipſo jure diviſas eſſe juſſerunt, capite *de ercto cito*, erctum eſt *c*) indiviſum, coërcitum: quod a coërcendo dictum voluit Feſtus. Huic affinis eſt græca vox *ἑρκίζειν*: *citum* autem Donatus exponit diviſum, ac deducit a *ciendo*: ex quo capite prudentum interpretatio collegit legatarios hæreditariis creditoribus minime teneri, cum lex XII. Tab. ſolos hæredes huic oneri obſtrinxerit. *d*)

Sexta rationem dominii transferendi tradebat. Dominium enim jure civili non, niſi certis adhibitis ſolennitatibus & formulis, in alium tranſibat. Et quoniam mancipii ſive dominii jure non cenſebantur, niſi vel quæ ad manum eſſent, vel Italica prædia, (provincialia enim, utpote obnoxia tributis, & publico devincta jure, propria civium Romanorum non erant) res mancipi Decemviri voluerunt in alterius dominium pervenire, vel mancipatione, ſive venditione quadam imaginaria, libripende adhibito, & quinque teſtibus, civibus Romanis puberibus, vel in jure ceſſione apud magiſtratum Pop. Rom. Prætorem aut Præſidem provinciæ, dicente illo, cui ceditur: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo*, quibus verbis eum ſibi vindicabat: ac Prætore interrogante illum, qui cedit: *an contra vindicet?* quo tacente aut negante res addicebatur; vel uſucapione per legem XII. Tab. inducta, *ut uſus auctoritas fundi biennium*, *cæterarum rerum annuus uſus eſſet*. Unde, qui bona-fide emerat, biennio rei immobilis, anno mobilis dominium jure civili nanciſcebatur; ut etiam, ſi vir muliere ingenua integrum uſus eſſet annum matrimonii cauſa, eam ſine nuptiarum ſolennibus, uſu tantum, ut & res alias mobiles, faceret ſuam, niſi a viro trinoctium abfuiſſet: quo ſpatio uſurpabatur ſive interrumpebatur legitimus uſus. *e*) Cæterum *uſucapio* idem eſt ac *uſus auctoritas*, nempe jus legitimi dominii uſu quæſitum. Nam ante Juſtinianum nuda traditione dominium rerum mancipi minime transferebatur, nec ejuſdem dominii communio ulla eſſe poterat cum hoſte, ſive cum peregrino, quem veteres *hoſtem* vocabant; unde per hanc Tabulam adverſus hoſtem, & de re furtiva, æterna erat auctoritas; ſive nec uſucapi ab ullo res furtiva, nec uſucapere quicquam peregrinus poterat.

a) *Leg. 7. ff. de bonis damnator.*
b) Petit. *ad ll. Attic. lib. 7. de tutel.*
c) Salmaſ. *in Solin. pag. 1261. & ſeq.*
d) *Leg. ult. C. de hæreditar. action.*
e) Gell. *lib. 3. cap. 2.* Cujac. *ad leg. 2. ff. de Uſuc. & uſurp. ſive ad lib. 54.* Paulli *ad edict.*

Hujus

Hujus enim juris cives Romanos tantum leges participarunt. Et quoniam res emtori tradita ſine his juris civilis ſolennitatibus venditoris & emtoris erat in ſolidum; ideo venditor quiritarius, emtor bonitarius dominus appellabatur; quod diſcrimen dominii fuit a Juſtiniano ſublatum. *a*)

Per mancipationem autem res mancipi tantum abalienabantur: in jure vero ceſſione res etiam nec mancipi, *b*) ſive poſſeſſiones prædiorum vectigalium & tributariorum, quorum proprietas ſive mancipium penes populum Romanum erat; ideo a privatis per mancipationem transferri non poterant; ſed tantum per ceſſionem in Jure: quarum rerum uſusfructus & poſſeſſio transferebantur eodem ſtatu, quo erant apud priorem dominum. Mancipatio vero a nexu hoc differt, quod quælibet mancipatio, nexu conſtat: quod autem nexu fit, non continuo dicitur mancipatio. Multa enim nexu expediuntur, nec tamen mancipari dicuntur, nempe pignorum obligatio, teſtamenti factio, *c*) & quicquid geritur per æs & libram: quod omne nexus nomine comprehenditur. Igitur quicquid expreſſum in mancipatione fuiſſet, & nexu Decemviri a venditore præſtari voluerunt.

Juriſconſulti vero ex legis mente præter ea, quæ venditor expreſſiſſet, ſi quæ prædii vitia reticuiſſet, pro eorum æquitate præſtanda cenſuerunt. *d*) Agebatur & hac Tabula de vindiciis, quæ lites erant de poſſeſſione, ut ſacramenta de proprietate. Vindiciaque vocabatur fundi gleba e prædio ad Prætorem delata. Initio enim litigatores conſerta ſive correpta manu ex jure ſimul cum Prætore ad prædium, de quo erat controverſia, proficiſcebantur in rem præſentem; ſed cum in dies Prætor majoribus occupationibus diſtringeretur, nec poſſet his, ut antea, vacare; tantum litigatores ex jure in prædium contendebant, indeque glebam evulſam, quaſi fundi ſimulacrum, in jus Prætori ferebant, ut ejus eſſet fundi poſſeſſio, cui glebam Prætor addiceret. At ne his ſupervacaneis actibus judicia impedirentur, excogitata fuit a Juriſconſultis imago quædam priſcæ profectionis & verborum ſolennitas, ut verbis deinceps redderetur, quicquid facto antea præſtabatur: cujus hæc erat formula: *Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum eſſe ajo: inde ego te ex jure manu conſertum voco.* Citatus vero reus reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocas, inde ego te revoco.* Tum Prætor: *Utrisque ſuperſtitibus præſentibus iſtam viam dico: inite viam.* Hic aderat, qui diceret: *Redite viam.* In qua formula Cicero pro *Muræna* mirifice cavillatur. Tignum præterea, cujus nomine venit omnis materia ad fabricandum idonea, junctum concapi, (ut Gothofredus reſtituit) ſive vindicari & ſolvi, hæc Tabula minime permittebat, ædificiorum & vinearum conſervandorum gratia; ſed adverſus eum, qui alienum junxerat, actionem dabat in duplum. Viris ad repudium uxorum cauſam addendam præcipiebat. Nec tamen jure repudii Romani ſunt uſi, niſi ſexcenteſimo demum anno poſt urbem conditam, ut Tertullianus libro *de monogamia* ſcribit. Primumque divortium a Sp. Carvilio factum fuiſſe, Dionyſius tradit. *e*)

Jus repudii erat etiam apud Athenienſes. Hoc tamen intererat, quod apud

a) *C. de nudo jure Quirit. tollend.*
b) Ræward. *ad LL. XII. Tab. hoc tit.*
c) Ræward. *ibid. tit. de mancipat.*
d) Cicer. *in Topic.* Ræward. *ad LL. XII. cap. 16.*
e) *lib. 2. vide* Cujac. *1. obſerv. 39.*

Roma-

Digitized by Google

Romanos, quantum ex auctoribus conjicere licet, in ſolo viro poſitum erat nuptias diſſolvere, idque addita cauſſa. Apud Athenienſes vero utriusque erat arbitrium. *f*)

In ſeptima Tabula delictorum pœnæ deſcribebantur: eaque illatum damnum vel paſtu pecoris, vel a quadrupede feritate commota, reficiebat: aut enim æſtimationem damni præſtandam, aut quadrupedem noxæ dandam imperabat, ut de cane, qui momorderat, Solon conſtituerat: ſanxit enim, ut quatuor cubitorum catena vinctus noxæ daretur. Præterea fruge furtim paſta vel ſecta, facinoris auctorem Decemviri ſuſpenſum, Cereri necandum juſſerunt. Impuberem Prætoris arbitratu verberandum, noxam duplione luendam. Frumentum in ædibus vel ad ædes poſitum, ſi alicujus opera conflagraſſet; eum, qui ſciens prudens commiſiſſet, verberatum igni necandum: ſi caſu id eſſet factum, noxam ſarciendam: ſi non eſſet idoneus, levius caſtigandum. *b*) Oris autem percuſſionem viginti quinque aſſibus mulctandam. Unde ſceleſtiſſimus quidam, ſervum pecunia oneratum ducens, ut quisque fieret obvius, os percutiebat, præſentique pecunia ſe judicio liberabat. Ideo ne levitate pœnæ lex contemneretur, mulcta hæc exolevit, & graviori ceſſit; injuriis enim æſtimandis poſtea recuperatores a Prætore dabantur. Sequitur frugum incantatio. Cum enim veteres illi, omnium bonarum artium & diſciplinarum rudes, putarent, fruges carminibus magicis vel averti poſſe, vel traduci, (ut enim Tibullus ait,

Carmen vicinis fruges traducit ab agris,)

ideo Decemviri pro ſua puerili ac ridicula ſuperſtitione ſanxerunt, ut, qui fruges *excantaſſit*, ſive carminibus magicis creſcere prohibuerit, aut ſegetem alienam pellexerit, Cereri ſacer eſſet.

Famam quoque alienam legibus tegere Decemviri voluerunt. Nihil enim iniquius putarunt, quam civium nomen permittere ſcurris, nebulonibus, ac poëtaſtris, quibus optimi cujusque virtus eſt inviſa: ideo fuſte feriri, ſive ad necem cædi *c*) voluerunt eum, qui pipulo, id eſt, convicio, *occentaſſit*, ſive obſtrepuiſſet, carmenve condidiſſet, quod infamiam faxit flagitiumve alteri. *d*) Nam, ut præclare Tullius in libris *de republica* apud Divum Auguſtinum, *e*) *Judiciis & magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus; nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* Qua ratione apud Athenienſes cum auctores veteris comœdiæ ſumma conviciorum libertate, nullo boni malive diſcrimine, omnes inceſſerent, ac ne principibus quidem parcerent civitatis: lata lex primo eſt, ne magiſtratibus fieret in comœdia convicium: deinde vetitum, ne quisquam nominatim jocis & conviciis perſtringeretur. Eadem Tabula coërcebatur fraus tutoris adverſus pupillum duplionis mulcta, itemque patroni adverſus clientem, quod de Romuli legibus ſumtum fuit; iis enim jubebantur patres ſuſcipere plebejorum patrocinium. Conſtituit enim inter utrosque officiorum viciſſitudinem & mutuam gratiam; ut patricii plebejos de urbanis rebus admonerent, in judicio atque extra judicium præſentes abſentesque defenderent: contra plebeji patriciorum clientes eſſent, ac pa-

a) Petir. *lib. 2. tit. 3. ad leges Atticas.*
b) *Leg. 9. ff. Incend. ruin. naufrag.*
c) *Leg. 7. §. 1. ff. ad leg. Aquil.*
d) Jacob. Gothofr. *hic.*
e) *lib. 2. de civitat. Dei cap. 9.*

tronos ad collocandas filias inopes, & æs alienum diſſolvendum, vel ad eos ex hoſtibus redimendos proprio ære adjuvarent, honores & magiſtratus adeptos obſervarent, ac deducerent & reducerent: patroni vero, qui clientem accuſaſſent, aut contra illum ſuffragium teſtimoniumve tuliſſent, proditionis erant rei, & tanquam prævaricantes, ſacri erant Cereri, ſive Cereri devovebantur; ut, qui eos occidiſſet, pie feciſſe, ac infero Jovi hoſtiam mactaſſe putaretur. Quem enim Romani occidi volebant impune, hunc poſtquam alicui Deo devoviſſent, ſacrum dicebant.

Teſtis qui alicui negotio interfuiſſet, ac poſtea teſtimonium edere detrectaſſet, per hanc Tabulam inteſtabilis efficiebatur: & parricida, qui liberum hominem occidiſſet, malumve venenum propinaſſet, habebatur. Quique parentem necaſſet, inſutus culeo, capite obvoluto in profluentem dejici jubebatur, exemplo ſupplicii, quo Tarquinius Rex affecit M. Tullium Duumvirum, qui librum de arcanis civilium ſacrorum ſibi ab Rege creditum Petronio Sabino deſcribendum tradiderat. *a*) Ibidem ſimiam, gallum gallinaceum, & viperam includebant.

Octava Tabula jus prædiatorium proponebat, ambitum parietis, ſive iter quod circumeundo teritur, ſeſtertio, nempe duobus & ſemiſſe, viæ latitudinem octo pedibus in porrectum, ſexdecim in anfractum, ſive ubi flexum eſt, definiebat. *b*) Per viam immunitam jumentum agi permittebat. *c*) Aquæ pluviæ arcendæ, item & glandis, cujus nomine fructus veniunt omnes, in vicini fundum delapſæ colligendæ, atque arboris in proximum fundum ramis excurrentis pedes decem a terra altius coërcendæ poteſtatem dabat. Finibus quoque regundis modum conſtituebat, exemplo legum Atticarum, quarum rationem diſerte deſcriptam prodidit Cajus, *d*) & elicitur ex Cod. Theodoſ. *e*) ubi ex legibus XII. Tabul. prohibetur uſucapio quinque pedum confinibus fundis interjectorum. Eſt aliqua inter duos illos locos lectionis diſcrepantia, de qua ſeorſum alias diſſeremus. De collegiis etiam ſancitum eadem Tabula erat, permiſſumque ſodalibus, ut, quam vellent, ſibi legem ferrent, dum ne publicis legibus adverſaretur. *f*) Quod e Solone translatum eſſe, Cajus notavit.

Nona Tabula, quæ de jure publico erat, ex Solonis etiam præſcripto privilegia, ſive leges in privatum irrogari, & de privato rogari vetabatur. Porro privilegii nomen alio trahitur a Juriſconſultis, quam in XII. Tab. accipitur; quippe porrigitur ad leges eas, quibus aut juris civilis aſperitas nova æquitate demulcetur, aut de certis perſonarum generibus aliquid novi lege conſtituitur. Præterea de capite civis Romani niſi comitiis centuriatis per hanc Tabulam ferri minime licebat, ideo Quæſtores parricidii conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus præeſſent. *g*) Quorum in judicando fides pretio erat addicta, & in quorum judiciis non ratio, ſed pecunia verſabatur, his capitale ſupplicium erat hac Tabula denunciatum. *h*) Præterea nexis ex quacunque cauſa alteri, deinde ſolutis; item *forti*, ſive qui ſemper in fide populi Romani ſteterat; & *ſanato*, ſive qui defecerat, deinde

a) Valer. Maxim.
b) *Leg. 8. ff. de ſervit. ruſt. præd.*
c) Cicer. *pro Cæcin.*
d) *L. ult. ff. de fin. regund.*
e) *Leg. quinque pedes, de fin. regund.*
f) *Leg. ult. ff. de colleg.*
g) *L. 2. §. 16 & 23. ff. de O. J.*
h) *L. 5. C. Theodoſ. ad leg. Jul. repet.*

redierat

redierat in fidem, ejuſdem juris communio concedebatur. Quod & Athenis olim jus viguiſſe Plutarchus auctor eſt in Theſeo. Πᾶσι τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι.

In decimam Tabulam ſacrum jus conjectum fuerat. Et primum omnium juramentorum religio conſtituebatur, in qua omnia Romana inſtituta nitebantur. Deinde ſubnectebantur jura ſepulcrorum, omnia fere de Solonis petita legibus: veluti modus in ſumtibus, quos Solon triduano decem hominum labore definierat. *a*) Idemque vetuerat, quemquam in urbe humari: unde & Romanis extra urbem locus ſepulturæ dabatur; quod jus Theodoſius *b*) Conſtantinopoli ſervari voluit. Sumtuum quoque vitandorum gratia murratæ potionis adſperſionem, & ſervorum uncturam atque circumpotationem, & longas coronas, ſive quæ ſepulcris advolvebantur, (jam diu a ſervorum funeribus Solonis lege depulſas) & injectionem auri decima hæc Tabula ſuſtulit; nec plus tribus veſtibus quadratis, quas ricinias vocabant, humari cum mortuo permittebat. Quod ductum fuerat e Solonis legibus: Μὴ τιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν.

Muliebres etiam ejulationes, & miſerabiles queſtus, lacerationemque genarum, & ploratus effuſos, quos *leſſum* vocabant, exemplo legum Atticarum abeſſe Decemviri voluerunt a funere. Spatium autem inter rogum buſtumque, & ædes alienas tantum LX. pedes probaverunt. Ut ne forum, ſive veſtibulum ſepulcri, & buſtum uſucapione occuparetur, æternam horum auctoritatem eſſe juſſerunt. *c*)

Per adjectionem XI. Tabul. patribus cum plebe connubiis fuit interdictum: quodque poſtremum juſſiſſet populus, antiquioribus prælatum legibus. Ex Tab. XII. prohibita fuit rei litigioſæ conſecratio: & dupli mulcta ferebatur in malæ fidei poſſeſſorem, tribus a Prætore rei definiendæ arbitris datis. *d*) Servus, qui ſciente domino furtum fecerat, damnumve dederat, noxalis fiebat. *e*) Atque hæc fere ſunt germana XII. Tab. capita, quæ ex corruptis atque ſemeſis verbis collegit Gothofredus, qui ea hoc deſcripſit ordine. Præter hæc adducuntur ab auctoribus alia, non germana illa quidem, ſed vel commentitia, vel conjectura conficta, & ad veteres earum ſententias a priſcis ſcriptoribus proditas accommodata, de quibus in latioribus *Originum* libris, ſi vita ſuppetet, fuſe diſputabimus.

Propoſitis autem XII. Tab. jus quidem patebat omnibus, at uſus illius, & ratio, qua quisque ſuum perſequeretur, a populo ignorabatur. Quamobrem inventi ſunt, qui leges redderent actuoſas, & tractandi juris inſtrumenta, ex arcana diſciplina depromta, civibus miniſtrarent. Unde conſtituti ſunt a prudentibus certi quidam juris exercendi ritus, quorum ſolenniores legis actiones vocarunt, certisque verborum conceptionibus, quas formulas appellabant, cujuscunque contractus vim & actus omnes exceperunt. Romani enim a primo rudes, quicquid agerent, certis ſignis atque verbis mentem circumſcribebant; quaſi nihil ſatis expreſſum foret & conſtitutum, niſi certis ſignis & verbis eſſet adſtrictum & obligatum. Qua religione usque eo tenebantur, ut nihil juſtum ratumque haberent, niſi quod ſuis eſſet ritibus expeditum. Unde *f*) in ſponſalibus ferreum annulum dabant: in contra-

a) *Late* Petit. *ad leg. Att. pag.* 496.
b) *L.* 6. *C. Theodoſ. de ſepulcr. violat.*
c) Cicer. *de leg.*
d) Feſtus *in verb. Vindic.*
e) *L.* 2. §. *fin. ff. de nox. action.*
f) Hotom. *obſerv. lib.* 10. *cap.* 6

hendis nuptiis aquam & ignem adhibebant, ſine quibus non fuiſſe matrimonium, colligitur ex Scævola. *a*) Putabant enim veteres, ut Varro *b*) tradit, oriri ex aqua & igne vitam, iisdemque foveri. Unde quem omni prorſus civili vita privabant, ei tanquam e vivis ſublato aqua & igni interdicebant.

Uxori domum deductæ, tanquam domina conſtitueretur, claves tradebantur: *c*) repudiatæ, tanquam dominio ſpoliaretur, adimebantur. *d*) Novum opus ſolenni jactu lapilli nunciabatur. Liberis emancipatis & ſervis manumiſſis colaphos infligebant, eosque circumagebant; unde Perſius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Uſucapionem, arboris ſurculum defringentes, interrumpebant: *e*) quod uſurpare dicebatur. Solennitatem, quæ ad mancipationes adhibebatur, ſupra demonſtravimus. In auctionibus, qui pluris liceret, digitum tollebat. *f*) In hæredis inſtitutione teſtator annulum hæredi tradebat. *g*) Pignori res dabantur contracto pugno: ex quo apparet, pignus eſſe proprie rei mobilis, quæ manu *h*) traditur. Mandatum dabatur exporrecta manu. Hinc quaſi manus datio, *mandatum*. *i*) Stipulabantur autem ſtipulam tenentes; fractamque redintegrantes, ſponſiones quisque ſuas agnoſcebant. In hæreditatis aditione digitos percutiebant, quod pluribus locis tradit Cujacius, idque videtur Cicero ſignificare, quum ait lib. *de offic. Si digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen ejus irrepere.*

Hanc autem Pop. Rom. ſuperſtitionem in rem ſuam vertere prudentes, ac ſingulorum actus & voluntates ſibi devinxerunt, ſolennibus verborum conceptionibus & formulis, quibus populum habebant obnoxium: cum nihil agere petereve liceret, niſi conſultis prudentibus, a quibus ratio, & dies exercendi judicii erat efflagitanda. Et quoniam ad exercitium legum & Juris miniſterium compoſitæ fuerant, actiones legis dictæ ſunt, & actus legitimi, quibus jus civile XII. Tabulis affixum & conſignatum deferebatur in forum, & ex umbra in campum atque aciem perducebatur: eaque altera poſt XII. Tabul. juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. Tabulis mentio manus conſertionis & mancipationis: horum autem ritus & formulas, ſicuti & cæterorum, prudentes excogitarunt, & in Pontificum condidere penetralibus. Pontifices enim non modo conſequentibus temporibus ſuſceptiſ ſunt e media Jurisprudentia; ſed initio reipublicæ auctores fuerunt atque cuſtodes juris civilis, cujus interpretatio e Pontificum collegio profluebat; quandoquidem eorum unus operam dabat juri privato civibus ſuis interpretando, cum reliqui religioni præeſſent. *k*) Unde in eorum penetralibus legis actiones, & formulæ compoſitæ a prudentibus aſſervabantur, antequam populo proderentur a Gn. Flavio, App.

a) *L. penult. ff. de donat. inter vir. uxor.* Cujac. *lib. 11. obſerv. 2.*

b) *lib. 4. de ling. Latin. ubi* Joſeph. Scal. *Et notat.* Goth. *ad leg. penult. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

c) Plutarch. *in Problem.*

d) Cicer. *Philipp. 2.*

e) Cic. *lib. 3. de orat.*

f) Cic. *in Verr. 3. & 5.*

g) Valer. Max. *lib. 7. cap. 9.* Corn. Nep. *in Eumene.*

h) *L. 238. ff. de V. S.*

i) Iſidor. *lib. 5. Etym. cap. 34.*

k) Cujac. *ad leg. 2. ff. de O. J. §. his legib.*

Claudii ſcriba, qui faſtos etiam propoſuit toto foro, ut pateret omnibus, quando lege agi poſſet. Quæ poſtquam ſunt evulgata, Juriſconſulti ad ſuum ingenium & vetus artificium redierunt, ac tum veteres, tum novas, quas condebant, formulas brevibus notis, ſive ſingulis, aut binis literis, integrum verbum deſignantibus contraxerunt. Conſequentibus enim temporibus alias fuiſſe pro negotiorum varietate ab iisdem editas formulas, colligitur ex Valerio, *a*) a quo accepimus, Triumviros proſcriptione ſua opes vel adimentes veris dominis, vel adjicientes alienis, impetrare non potuiſſe a Caſcellio Juriſconſulto, viro integerrimo, ut formulas componeret, quibus novas bonorum addictiones tueri poſſent, ac ad juris civilis rationem accommodare. Formulas igitur, brevibus illis notis adſtrictas & obſignatas, cum nemo explicare poſſet, præter eorum auctores Juriſconſultos; hinc eos ſingulis civium negotiis intereſſe oportebat; nec quicquam ſine illorum auctoritate atque conſilio ſuſcipi conficique fas erat. Et quoniam ſingulis interpunctionibus & literis aucupandis irrepere facile poterat error aut dolus; ideo Conſtantinus, ut captiones recideret, formulas ſuſtulit. Omneſne ac in perpetuum, an potius cum contractæ atque obſcuratæ notis eſſent? Sane Conſtantinus tantum notarum captiones, non ipſas formulas reprehendit. *b*) Ex quo Rævardus, contra quam interpretes cæteri cenſuerunt, colligit, manſiſſe illa, quæ integris productæ literis eſſent. Recte ille quidem, ſi oſtenderet, alias exſtitiſſe formulas verbis deſcriptas integris. Quin ſi ſcribendi rationem tantum damnare Conſtantinus voluiſſet, juſſiſſet, ut ea involucra retexerentur, & priſcas formulas retinuiſſet. Illud ei dederim libens, quod ait, cauſa cecidiſſe tantum eos, qui decepti formula vel plus petiiſſent, vel ineptam actionem inſtituiſſent, non autem eos, qui una lapſi eſſent litera, quod ab omnibus tamen traditum eſt interpretibus. Quo quid inhumanius, quid ab æquitate gravitateque legum Romanar. magis alienum? Potius igitur admiſerim, leges, quæ hac de re ſuperſunt, ita eſſe accipiendas, ut quum in eo verbo, in quo errabatur, diſcrimen inerat actionum; tum quia errans in litera ineptam actionem inſtituebat, ac tota errabat ratione judicii, eum a tota prorſus formula cecidiſſe putemus, atque ideo a cauſa. Inter actus vero legitimos & legis actiones aliquod diſcrimen Hottomannus notat, Cujacius nullum: qua de re tota inter eos, quamvis ſuppreſſis utrinque nominibus, eſt acerba contentio: *c*) cum hic non modo actus legitimos, & legis actiones una eademque definitione complectatur; ſed ne actus omnes, qui in judicio fiunt, actuum legitimorum nomine veniant, nonniſi eos, quos Juriſconſulti notarunt, admittit: ille contra, legis actiones privatis & magiſtratibus attribuat, actus vero legitimos privatis tantum: illas ex lege natas omnes faciat, hos etiam ſine lege inſtitutos: illas tantum inter præſentes, hos etiam per procuratores expediri contendat: cum Cujacius minime admittat, ullum actum legitimum jure antiquo potuiſſe mandari. Qua de re nos alibi latius.

Proprium igitur actuum legitimorum fuit, ut ſolenniter, & quadam cum religione, ac in jure apud magiſtratus exercerentur eos, quibus legis actio data eſſet. *d*)

a) Rævard. *de auct. prud. cap.* 2.
b) *L.* 1. *C. de form. & impetrat.*
c) Hotom. *obſerv. lib.* 12. *cap.* 30. *quæſt. illuſtr. cap.* 34. Cujac. *obſerv. lib.* 15. *cap.* 16. *& ad leg. Actus legitimi. ff. de R. J.*
d) *L.* 4. *ff. de adopt.*

Unde apud magiſtratus municipales emancipationem fieri poſſe Paullus negat *ſent. 2. cap. 25.* niſi legis actionem haberent. Nec enim omnes magiſtratus eam habebant, neque competebat jure magiſtratus, unde neque mandata jurisdictione tranſibat. *a*)

Proprium item eorum erat, ut per procuratorem non fierent, ut minime iterarentur, ut momento temporis perficerentur, ut diem & conditionem expreſſam reſpuerent, tacitam admitterent; veluti acceptilatio adjecta die vel conditione vitiatur, *b*) facta vero de re, quæ ſub conditione debetur, valet, quamvis eadem conditione promiſſionis tacite involvatur.

Hos porro Jurisconſultus actus legitimos enumerat, nempe aditionem, ſive cretionem hæreditatis, mancipationem, acceptilationem, tutoris & libertatis dationem, & ſervi aliusve rei *c*) optionem. Quibus ex auctoritate Ulpiani adjungenda eſt adoptio. *d*)

At ut ſingula perſequamur, exordiemur ab aditione hæreditatis, quam ex legibus XII. Tab. deſcendere, docet Cajus, *e*) ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato veniret hæreditas; eaque vel ſola ſignificatione voluntatis per verba ſolennia fiebat, vel cum cretione, quæ promiſcue pro aditione omni ſæpe accipitur; *f*) atque fiebat centum diebus a Prætore ad deliberandum datis; qui ſi hæredi vel recuſanti vel negligenti effluxiſſent, hæres excidebat hæreditate. Dies autem aliquando utiles a Prætore dabantur, veluti: *Titius hæres eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poterisque.* Eaque vulgaris cretio dicebatur, in qua hæredi non currebant dies, niſi ſcienti aut minime impedito: vel dabantur continui, omiſſis verbis illis: *Quibus ſcieris poterisque*, in qua neque ignorantia, nec impedimentum hæredis dierum curſum *g*) retardabat, eaque continua dicebatur. Ac in omni cretione teſtibus adhibitis hæc ſolennia verba, quæ Varro retulit, proferebantur: *h*) *Cum me Mævius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo cernoque.* Isque cum fuerit actus legitimus, mandari alteri non poterat: ut mirer Duareno *i*) viro doctiſſimo viſum fuiſſe, recte adiri per procuratorem hæreditatem. Quod ſi privatis liceret, *k*) quid magis hac in re tribueretur procuratori Cæſaris, cui præcipuum fuit, ut pro Cæſare adire poſſet *l*) hæreditatem? Nunc ad mancipationem progrediamur, cujus cum rituum ſupra in legibus XII. Tab. expoſuerimus, nunc tamen ſupereſt exponendum genus illud mancipationis, quo cives Romani utebantur, quum de injuria, periculo, damnove declinando cogitabant. *m*)

a) *L. 2. ff. de offic. Proconſ. L. nec mandante, ff. de tutor. & curator. L. nemo ff. de R. J.* Cujac *ad leg. Actus legit. ff. de R. J.*

b) *L. 4. & 5. ff. de acceptilat.*

c) *L. Actus legitimi. ff. de R. J.*

d) *L. 1. ff. de offic. jurid.*

e) *L. 1. ff. de hæredit. petit.*

f) Cujac. *Parat. C. de jure delib. & ff. de Adquir. hæredit.* Duaren. *ibid. L. Cretionum 17. C. de jure delib. & L. 4. Cod. Theodoſ. de bon. matern.*

g) Ulpian. *tit. 23. ubi* Cujac. *Rævard. de auct. prud. tit. 3.* Hotom. *Illuſtr. queſt. 34. & locis ſupra citatis.*

h) *lib. 5. de ling. Latin.*

i) Duaren. *diſput. lib. 2. cap. 27.*

k) Cujac. *obſerv. lib. 1. cap. 34.*

l) Rævard. *de auct. prud. cap. 5. L. 1. §. ult. ff. de offic. procur. Cæſar.*

m) Boeth. *in Topic. Cic.* Liv. *lib. 32.*

Tum

Tum enim venditor ita rem cum emtore componebat, ut ad certum tempus, cum uſus veniret, emtor rem eidem venditori redderet, præſtaretque talem, qualem acciperet. Et quia bona ſub ea fiducia mancipabantur, ideo genus hoc mancipationis *fiducia* fuit appellatum. *a*) Cujus hanc fuiſſe formulam cum graviſſimis ſcriptoribus exiſtimamus: *Ut ne propter te fraudemve tuam captus fraudatusve ſim.* Ex quibus verbis doli judicium dabatur in eum, qui contra datam acceptamque fidem rem alteri mancipaſſet. Eaque formula deducebatur ex ampliſſima illa, quæ omnibus bonæ fidei judiciis cohærebat: *Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione.* Atque in aliis bonæ fidei judiciis malam fidem, in hoc fractam fidem veteres vindicabant. Fiduciæ genus eſt & lex commiſſoria; ſiquidem, ut optime Cujacius, *b*) fiducia eſt revendendi, aut redhibendi lex adjecta contractui.

Venditio quoque familiæ, quæ antiquo jure fiebat per æs & libram, utpote genus mancipationis, in actus legitimos eſt referenda. Initio ſane vel a militibus in procinctu, vel a paganis calatis comitiis, ſive populo ad ea vocato, pro collegio Pontificum, quorum in manu erat, ut ſupra diximus, jus civile, teſtamenta conficiebantur. Qui ritus cum exoleviſſet, alia per Jurisconſultos prodita eſt ratio teſtandi per æs & libram, qua teſtamenti factio ad imaginariam mancipationem & verum nexum redigebatur. Nexum enim dicebant, quicquid per æs & libram geſtum eſſet. Igitur ad hoc teſtamentum adhibebantur quinque teſtes, & libripens, & teſtator, qui familiam vendebat, & is, qui emebat, ut alteri redderet hæreditatem. Emtor enim familiæ, cum quo negotium gerebatur, nomen tantum hæredis ſuſtinebat, bona capiebat alter, de quo inter emtorem & venditorem fuerat conſtitutum. Cumque veteres omne dominium per mancipationem transferrent, recte huic generi actuum legitimorum ſubjicietur mancipatio per æs & libram ex cauſa donationis, vel noxæ dationis, vel ſolutionis, vel adoptionis, quæ per mancipationem fiebat, ut infra demonſtrabimus, vel cujusque dominii translationis. *c*)

Sequitur acceptilatio, cujus hæc ſolennia verba fuiſſe tradit Cujacius: *d*) *Acceptum fers? acceptum fero.* Qua formula non aliæ obligationes tollebantur, quam illæ, quæ per ſtipulationem contractæ fuerant: id enim tantum ſolvi poteſt verbis, quod verbis fuit adſtrictum. *e*) Hinc ut etiam obligationes, quæ rebus inductæ fuerant, abolerentur, formulam prodidit Cajus Aquilius; qua novatione facta, obligationes re contractas in contractum verborum, nempe in ſtipulationem, deduxit: quem verborum nexum oppoſitis verbis, nempe acceptilatione retexuit, ut, cum omnia verbis eſſent adſtricta, eadem verbis diſſolvi liceret. *f*) Qua de acceptilatione loquitur Modeſtinus, *g*) cujus verba non recte in communem acceptilationem convertit Tribonianus. *h*) Nunc occurrit inter actus legitimos ſervi optio, eaque ſolenniter fiebat ex teſtamento: nec ſervi modo, ſed & rerum alienarum optio ſolenniter ex teſtamento facta, actibus legitimis adnumeratur. Tutoris datio duplex erat: altera ex teſtamento deſcendebat, quum teſtator certum homi-

a) Rævard. *de auct. prud.*
b) *ad lib. 3. Inſtitut. de legit. agnat. tut. verb. Qui contracta fiduc.*
c) Cujac. *ad L. Actus legitimi. ff. de R. J.*
d) *Tit. Cod. lib. 8. tit. 45. de acceptilat.*
e) *L. 8. § acceptum. ff. de acceptilat.*
f) *L. 18. ff. de acceptilat.*
g) *L. 1. ff. de acceptilat.*
h) Hotom. *lib. 8. cap. 18. obſerv.*

nem

nem liberis tutorem deſignaverat: altera ex legibus XII. Tab. fiebatque a magiſtratu ſolenni decreto, amicis pupilli & optimis viris rite arceſſitis; quorum magiſtratus optabat, quem pupillo utiliorem fore judicaſſet. Atque poſtrema, non illa ſuperior tutoris datio, actus legitimus erat. *a*)

Manumiſſionis erant duo genera. Altera enim *Latina* dicebatur: altera *juſta libertas*. A Latina libertus vel ſuperbiens, ac ſuper conditionem ſuam exſultans, a domino ad priſtinam ſervitutem revocabatur, vel melius usque de domino meritus ad juſtam, quæ adimi amplius non poterat, libertatem perducebatur. Itaque Latina libertas integra non erat, nec omnino a metu ſervitutis libera, eaque inſtituta fuit, ut libertus aut metu ſervitutis dominum obſervaret, aut ſpe plenioris libertatis gratiam captaret obſequiis.

Cum autem Latina libertas daretur vel inter amicos, vel per epiſtolam, vel ſervo adhibito ad convivia ſolennia, quæ de more inter cognatos & affines ad diſcordias ſedandas, & componendos animos agitabantur; *b*) juſta vero libertas vel teſtamento concederetur, vel cenſu ſive profeſſione facultatum, & nominis Romani a domino impoſiti apud Cenſores, vel denique vindicta; poſtrema hæc dandæ libertatis ratio inter legis actiones actusque legitimos recenſetur. *c*)

Hæc enim una manumiſſio fiebat in jure apud Prætorem vel Conſulem Romæ, apud Præſidem vel Proconſulem in provinciis: apud quod dominus, prenſo capite, vel alio ſervi membro, hæc ſolennia verba proferebat: *Hunc hominem liberum eſſe volo*, ac eum deinde colapho impacto circumagebat, ut indicaret, eum, quo voluntas ferret, ire poſſe.

Prætor autem, audita juſta manumittendi cauſſa, ſive titulo manumiſſionis, (quo deducto in hoc manumiſſionis genere opus erat) atque impoſita capiti vindicta, domini verba ſolenni hac excipiebat formula: *Ajo te liberum eſſe jure Quiritium*. Ac libertatem adeptus, ſtatim abraſo capite capiebat pileum. *d*) Nulla tamen manumiſſio tribum ſive jus ſuffragii tribuebat. Id enim olim nonniſi a populo, poſtea tantum a Principe concedebatur. Civium enim Romanorum alii cum ſuffragio erant, alii ſine ſuffragio. *e*) Ex quo intelligitur ſpecies, quam proponit Scævola de patrono, qui per hæredem tribum *f*) liberto emendam curaverat. Quæ vero manumiſſio cenſu fiebat, exolevit, ac ejus locum *manumiſſio in eccleſia* occupavit. Unde in locis, in quibus Cajus cenſus mentionem fecerat, eccleſiam fuiſſe a Triboniano ſubſtitutam, plerique arbitrantur.

Offert ſe nunc emancipatio. Qui modus eſt ſolvendæ patriæ poteſtatis, XII. Tab. legibus inductus. Nam Romuli legibus, vel, quod Ulpiano placet, moribus Romanis, jus erat patri vitæ & necis in filio; ut deterioris conditionis eſſet ſervo filius, ſiquidem ſervus ſemel manumiſſus liber erat: filius a patre venditus ſi manu-

a) Cujac. *in loco cit.*

b) Valer. Max. *lib.* 2. Rævard. *de auct. prud. cap.* 7.

c) Cujac. *ad dict. l. Actus leg. ff. de R. J.*

d) Plaut. *Amph.* Liv. *lib.* 24. Non. Marcell. Rævard. *loco cit.*

e) Liv. *lib.* 8. *lib.* 9. & *lib.* 38.

f) L. *Patronus. ff. de leg.* 3. Cujac. *obſerv. lib.* 7. *cap.* 14.

mittere-

mitteretur, in patris poteſtatem relabebatur, nec ante liber erat, quam poſt ternam venditionem & ternam manumiſſionem. *a*)

Hinc, ut filius de patria poteſtate aliquando exiret, excogitata eſt a prudentibus imaginaria venditio, quæ fiebat accitis quinque teſtibus, & libripende, adhibitoque ſeſtertio nummo *b*) uno *dicis gratia*, ſive non vere, ſed ut dicere poſſent, emiſſe ſeſe; atque ita filius ter a patre naturali patri fiduciario venditus, atque ab hoc ter manumiſſus, deinde ſervi more circumductus, & colapho *c*) percuſſus, libertatem aſſequebatur, cum filiæ ac nepotes, ex filio ſuſcepti, una emancipatione ſui juris fierent. *d*)

Adoptionem quoque actibus legitimis Ulpianus adjungit. Docet enim potuiſſe apud Juridicum adoptionem fieri, quia data eſſet Juridico legis actio. Non autem adoptio, quæ teſtamento fiebat, actus legitimus erat; ſed illa, quæ apud magiſtratum vel populum peragebatur.

Siquidem aut filiusfamilias quis adoptabatur, aut homo ſui juris, quod genus adoptionis dicitur *adrogatio:* vel quia populus rogaretur, vel, ut Cajus putat, quia ille, qui adoptat, interrogatur, Utrum illum, quem adoptat, filium habere velit? & qui adoptatur, interrogatur, Utrum id fieri velit?

Porro cum filium familias pater in adoptionem daret, eum adoptanti per æs & libram vendere ſimulabat. Emtus autem filius ſtatim ab emtore manumiſſus in priſtinam patris naturalis ſervitutem recidebat: eaque venditione iterum atque iterum a naturali patre repetita, & duplici manumiſſione ab adoptante facta, poſt tertiam denique mancipationem, & duas manumiſſiones, in patris adoptivi poteſtatem filius deveniebat, ac in illius nomen, hæreditatem, & ſacra tranſibat. Sacra enim perpetuo infixa familiis pecuniam & hæreditatem ſequebantur, ut, quo pecunia tenderet, eo ſacra pervenirent. *e*) Nepos vero unica tantum venditione patris adoptivi familiam aſſequebatur. *f*) Adrogatio ſive adoptio illius, qui ſui juris erat, fiebat comitiis centuriatis, adoptionis *g*) expoſita cauſſa, præſtitoque jurejurando, nullum ei rei dolum fraudemve ſubeſſe. Tantaque hujus actus erat ſolennitas, ut ante cum diis augures explorarentur, arbitris ſive auctoribus Pontificibus, quos ea gratia vocari Gutherus *h*) & Rævardus *i*) cenſuerunt, quod in arrogatione venirent jura ſacrorum, quorum Pontifices erant cuſtodes. Quæ mihi ratio minime probatur. Cur enim Pontifices non adhibebantur etiam in adoptione, quæ per æs & libram fiebat, qua & ſacrorum jura transferebantur? Quamobrem aut ſolennitatis gratia, vel religione quadam fuiſſe accitos dixerim, aut ignorantiam fateri maluerim, quam obtrudere pro veritate commentum. Porro *k*) utrinque pater & filius a Pontificibus interrogabantur, ille an eum civem adoptare vellet; hic an auctor fieret, ſive an vellet in illius migrare familiam? ac, ſi auctor fieret, tum hæc ad populum verba dirigebantur: *Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Vale-*

a) Cujac. *ad ſentent.* Paull. *lib.* 2. *tit.* 25. Rævard. *ad leg. XII. Tab. cap.* 3. *ex Dionyſ.*
b) Cujac. *obſerv. lib.* 10. *cap.* 37.
c) Cujac. *parat. lib.* 8. *Cod. tit.* 48. Cajus *Inſtitut. lib.* 1. *tit.* 7.
d) Ulpian. *tit.* 10. Cujac. *ibi, & ad Paull. lib.* 2. *ſentent.* 25.
e) Guther. *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
f) Cujac. *ad tit. Cod. de adopt.*
g) Cicer. *pro domo ſua ad Pontif.* Gell. *lib.* 5. *cap.* 19.
h) *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
i) *de auct. prud. cap.* 6.
k) Rævard. *de auct. prud. cap.* 6.

Digitized by Google

rius L. Titio tam jure legeque filius ſibi fiat, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ necisque in eum poteſtas ſiet, uti pariendo filio eſt. Hæc, ita ut dixi, vos Quirites rogo. Hinc adrogationem fieri jure antiquo per populum *a*) dicitur. Per populum quoque ad Antonini tempora fieri conſueviſſe, palam facit Ulpianus. *b*) Illud ex antiquo ritu fuit immutatum, ut, pro Pontificum auctoritate, Principis, qui Pontificatum maximum gerebat, interponeretur auctoritas. *c*) Ut mirum ſit, cur Alciatus veterum rogationum morem ſub Principibus exoleviſſe *d*) contendat, cum Neronis adoptionem cenſuiſſe patres, juſſiſſe populum, Tacitus ſcribat. *e*) Ceterum veteres adoptionis ſolennitates tandem evanuerunt, & adoptio actibus publicis, adrogatio Principis reſcripto, peragitur. *f*)

Actibus legitimis uſurpationem non Hottomannus modo, qui mirum quantum eorum numerum produxit, ſed & Rævardus etiam attexuit.

Uſurpatio *g*) eſt interruptio & ſciſſura quædam uſucapionis, cujus curſum bona fide inſtitutum uſurpatio *h*) ſiſtit. Non autem ſola defractione ſurculi, nec certa definitave ſolennitate inducitur uſurpatio, ſed variis modis, ex rei negotiive natura. Sane ſi fundi uſucapio fuiſſet interrumpenda, ſurculus defringebatur: & de hoc uſucapionis genere poſuit exemplum *i*) Cicero, quo exemplo ductus Rævardus, uſurpationes univerſas hoc genere uno rituque concluſit: cum non modo ſine hac aliave ſolennitate, ſed & ſine hominis opera uſucapio interrumpatur, & ipſo eventu inducatur uſurpatio. *k*) Aquæductus enim uſucapio interrumpitur, ſive jus aquæ ducendæ uſurpatur, etiam ſi aquam ad priorem curſum nemo reducat, ſed ipſa domini rivum ſua ſponte repetat. Hinc uſurpationem ex actibus legitimis eximendam putavimus. Etenim actus legitimos per alium exercere minime poſſumus; recte tamen per alium uſucapionem interrumpimus: imo & ſine noſtra vel alicujus opera *l*) uſurpamus. Ciceronis locus pro *Cæcinna*, ubi ritus exponitur deductionis ex fundo, quæ moribus fiebat, & Pomponius, *m*) qui tradit Appium Claudium librum de legis actionibus & uſurpationibus reliquiſſe, Rævardum in eam fraudem impulere, ut uſurpationem actibus legitimis adjiciendam exiſtimaverit. Verum Ciceronis locus potius pertinet ad edictum de vi quotidiana, quam ad uſurpationem. Et Pomponius, cum ait, Appium Claudium ſcripſiſſe librum de legis actionibus, vel, ut in emendatioribus codicibus legitur, *de actionibus & uſurpationibus*, uſurpationem a legis actionibus perſpicue diſcernit, ſiquidem nominatim uſurpationem diſtinxit, ac ex actuum legitimorum genere ſubduxit: ut miſcenda minime ſint aut conturbanda. Quos hactenus deſcripſimus, actus legitimi ſignificantur a Juriſconſultis, ſine quorum auctoritate alios adjicere minime debemus, ne ultra modum propagentur; ut contractus omnes actusque judicii cunctos legis actionum nomine comprehendere cogamur.

a) *L. 2. in fin. C. de adopt.*
b) *Tit. 8.* *c*) *L. 2. ff. de adopt.*
d) *lib. 9. Pererg. cap. 5.*
e) *lib. 12. annal.* Guther. *lib. 2. de jure Pontif. cap. 5.*
f) Cujac. *parat. C. de adopt.*
g) Cujac. *ad tit. Cod. de uſuc. transform. & ad lib. 54.* Paull. *ad edict. l. 2. ff. de uſucap.*
h) *L. 2. de uſurp. & uſucap.*
i) *lib. 3. de orat.*
k) *L. 12. ff. quemadm. ſerv. amit.*
l) *L. 12. 13. 14. ff. quemadm. ſerv. amitt.* Cujac. *ad l. 2. ff. de uſurp. & uſucap.*
m) *L. 2. §. 30. ff. de O. J.*

ORATIO

ORATIO
PRO
ROMANIS LEGIBUS
AD
MAGNUM MOSCHORUM REGEM. *

Quos honores Heroibus olim ſuis ingentium beneficiorum præmio tribuerat antiquitas, uberius tu, ſi religio fineret, Potentiſſime Moſchorum Imperator, ſuſcepiſſes a populis tuis, quibus juvandis, & natura ipſa locorum, & mores gentium earum, & mortalium ceterorum opinio, in dies a te incredibili felicitate ſuperantur. Si enim vera e falſis evolvero, & e vetuſtis monumentis excitavero, tecumque commiſero, non fabuloſos illos Deos, ſed vera, & nativa exempla præſtantiſſimorum virorum, unde ſuorum nomina, umbraſque Deorum ad inſanos populorum cultus Poëtæ perduxerunt, certe benefactis illorum tua longo intervallo, tum difficultate rerum, tum immenſitate regionum, tum denique infinitate populorum, antiſtare judicabuntur. Heroum enim, & commentitiorum numinum germina, ſeminaque fabularum ſurrexerunt ex rebus admirabilibus inter Afros potiſſimum geſtis, apud quos fertur Uranus primus contemplator ſiderum, cultorque populorum, ** ac parens numeroſiſſimæ prolis, quæ Titanum ſoboles, a matre Titæa nuncupatur. Ex quibus Atlas paternorum ſtudiorum celebrior æmulator, ac ſeptem filiarum genitor fuit: inter quas Maja & Jove Saturni filio Mercurium peperit, utiliſſimarum artium inventorem. Aliæ vero alias Deorum generationes ediderunt, & filiorum virtute meruerunt, ut ſideribus Plejadum omnes nomine a poſteris inferentur. Aſt Atlantis frater alter Saturnus, procul Africa paternas artes, & beneficentiam trahens, ad Siciliam ſe atque Italiam excolendam, noſtroſque mores emendandos contulit, atque turres extruere, urbeſque munire docuit, ſuſcepitque de conjugio Rheæ ſororis Jovem: qui terrarum peragrans orbem, & gentes, in quas incideret, ad humaniorem vitam, uſumque utiliorum ar-

* De oratione hac nihil certum relatum legi. Quare ſine fraude mihi eſto, ſi qua a vero, aberrarit conjectura mea. Paraverat igitur, credo, hanc orationem Auctor anno 1698., cum Petrus I. Moſchorum αὐτοκράτωρ jam Viennæ ageret, & iter in Italiam moliretur, a quo tamen rebellione ſuorum revocatus eſt. Proinde etſi tertia abhinc pagina Petrus extremam jam Italiam pervagatus dicatur, tamen id ſola ſpe ſuſcipiendæ profectionis dictum putamus. Cum dein orationem per annos omnino novem preſſiſſet, tandem impetrari a ſe paſſus eſt, ut ea A. 1707. ederetur. Hunc enim annum præfert ſubſcriptio. Agit autem id Auctor, ut Petro ſuſcipiendum primum uſum legum Romanarum, tum religionis Romano-Catholicæ perſuaderet. De utroque tamen argumento parce agit. Nam magna pars orationis ipſius Petri laudibus abſolvitur, tum quoque vituperio, in quod dilabitur, Turcarum.

** Malim tutorque populorum, ut pagina ſequenti.

tium traducens, eam beneficiorum ſegetem protulit, ut pater ubique locorum appellatus non modo, gratia populorum, & opibus fretus, patri regnum eripuerit, ſed poſt mortem in cælo a ſtupore hominum locatus imperium in ceteros opinione mortalium occuparit. Oſiris porro Ægyptius, & ſoror Iſis, unde Bacchum ſuum, & Cererem Græci abſtulerunt, agrorum cultum, & vini uſum, & frumentorum ſationem, & jungendorum armentorum artem tum finitimis, tum remotis etiam populis Indos ad usque pandentes, & ipſi locum inter Deos invenerunt. Neque alia ratione reliqua Saturni Jovisque progenies mortalitatem ſuperavit, niſi quod vel armorum uſum ut Mars, vel nuptiarum ritus ut Juno, vel ut Venus amatorios luſus, vel venationem ut Diana, vel ut Minerva lanificium, vel ut Vulcanus æris ferrique cudendi, metallorumque ſolvendorum peritiam, vel melodiam, & Poëſim, & Medicinam ut Apollo aperuerint, vel demum quod longinquis peregrinationibus expeditionibusque ſuſceptis, immanitatem e moribus hominum evellerint, ſuisque laboribus locorum, & animorum aſperitatem edomuerint, ut monſtrorum, ſive vitiorum debellator Hercules Afer & ipſe; qui, regionis illius in ora columnis impoſitis, terras, quas obierat, omnes Oceano diſterminavit. Hujus imitatores morum Græci duo, rebus quidem geſtis, & virtute minores, verum ob recentiorum facinorum memoriam, Græcorumque Poëtarum ſtudia notiores, illius & nomen ſibi, & laudes uſurparunt: quorum alter bellica virtute florens ludos inſtituit Olympicos, alter, imperio Euryſthei pluribus diſcriminibus ſuperatis, Lybici Herculis exemplo columnis extremum Europæ definivit.

Tu vero, quovis Hercule valentior, ferociſſimos inter Sarmatas, utcunque ante te recentioris diſciplinæ rudes, a præcipuis, & antiquioribus vaſtiſſimæ ditionis auctoribus exortus, cum vix dum in tuam tutelam veniſſes, populorum tutor creatus imperium ſuſcepiſti, diſcriminis inter Aſiam & Europam ignarum, impatiensque terreſtrium, & maritimorum finium. Qua in fortuna ætatem prudentia, ingenio rerum uſum antevertens, vincendo dimicare per cædes & ſtrages hoſtium didiciſti; atque in Aſſofii expugnatione ſub Germanis ducibus ad tua ſigna venientibus inter Cimmerias Mæoticasque pugnas, interque triumphos palmasque tuas novæ militiæ tyrocinia populis exhibuiſti. Talibus clarus præliis, non modo circumfuſis ditioni tuæ Scythis, a quibus Moſchorum imperium graviter premebatur, quorumque incurſionibus lacerabatur & rapinis, prædarum licentiam eripuiſti; ſed eosdem agro multatos, ac ſuprema dominatione ſpoliatos adeo contriviſti, ut regna illa, quæ Moſchos civilibus diſcordiis fractos vectigales fundos fore ſibi ſperabant, ad ingentia tributa compuleris. Illis vero imperio adjectis, & omnibus jam ad nominis tui terrorem terga vertentibus, per ignotos Europæ, Aſiæque ſeptentrionales tractus victrix potentia tua libere vagatur; neque alia potentia coërcetur, niſi elementorum, & naturæ, quæ abſumtis jam humanis viribus, nihil armis tuis invenire potuit opponendum, niſi glacialem Oceanum, & divinam ipſam voluntatem, quæ non patitur univerſitatem rerum a mortali poteſtate ſuperari.

Neque contentus armis debellare feritatem, victorias omnes in victarum etiam gentium commodum convertens, eam pacis artibus conaris exſtinguere. Quamobrem ſi, quos memoravimus, Dii delirantium antiquorum, quod per ſe invenerant, aut e natali ſolo traxerant, vel ampliarunt inter cives, vel exteris contribuerunt; tu non ſolum partam tuopte ingenio humanitatem, proprioque Marte

ſub-

ſuborientem æquitatem ſeruiſti primus inter tuos; ſed ſupra majorum auſus, contraque mortalium omnium fidem perrupiſti ſolus regni leges inhoſpitales, ac diruiſti munimentum barbariæ, murumque illum dejeciſti, qui civilis ſtatus felicitatem a tuis populis procul arcebat. Poſtquam autem diſcluſis tenebris lumen urbanitatis in tot nationes intromiſiſti, omnium ſtupore, invicta conſtantia, nihil veritus in abſentia tua perfidorum inſidias, quæ te celerius in regnum revocarunt, ut bona populorum aliorum ducens ad tuos, nullo adhuc Moſchorum Regum exemplo longinquam adeo, latamque peregrinationem ſuſcepiſti, ut per Germaniam, Bataviam, Britanniam, extremamque Italiam pervagatus opes, ac theſauros omnes, ſive militaris artis, ſive doctrinæ ſyderum, & ventorum, ſive ſcientiæ naturalis, ſive Medicinæ, ſive Moralis Doctrinæ, ſive Linguarum, & Græcæ Latinæque Antiquitatis & Eloquentiæ, ac tandem quidquid in via tibi elegantius occurreret, aut fando tuam ad notitiam perveniret, in regnum tuum transferres per peritiores doctrinarum artiumque præceptores, & rerum artifices; quos ingentibus præmiis conductos ad cultum populorum, & imperii tui gloriam tecum avexiſti, tanquam publicæ felicitatis miniſtros, brevi tecum triumphaturos de ignorantia, quæ populis tuis pacis fructus, & proſperos bellorum exitus intercipiebat: adeo ut monſtra tanto plura tu ſuſtuleris, ac meliora pepereris, quam Oſiris aliquis, aut Hercules, aut Saturnus, aut ipſe Jupiter, quanto latiora, & munitiora erant in iſtarum vaſtitate regionum ignorantiæ, ac barbariæ latibula, & cubilia vitiorum, non in privatis tantummodo moribus, verum & in ipſis regni legibus, publicisque ritibus turpiter ad ætatem usque tuam hærentium.

Quamobrem quæ olim ditiones ab ipſa creatione rerum omni literarum, & bonarum artium, communisque commercii utilitate carebant, continuo te ad imperium veniente, ac de celeberrima peregrinatione brevi redeunte, ſuſceperunt quidquid præclarius ediderat Ægyptus, alueratque Græcia, poſteaque ſuis ſub ſignis propagavere Romani, ac reliqui mortales ab imperio Romanorum edocti ad hanc usque diem excoluerunt. Unde populi olim naturali tantum fortitudine ferocientes, præcipitique fervore ingenii æſtuantes, arte vero utriusque regendi, communibusque aliorum populorum commodis usque ab initio carentes, ope ſibi tua ætatum, & omnium gentium bona brevi corripuerunt, ut voce una immutata, imperium tuum jure ſibi, tibique illud elegantiſſimi Poëtæ poſſit attribuere:

Hic Petrus poſuit, quidquid ubique fuit.

O ſi vitalem * ſenſum tui, Naſo, cineres reciperent, minus certe flebiliter exilium tuum doleres, ubi per hunc aliquando non immanes illos inter ætatis tuæ Scythas, ſed plures inter Anacharſes locatum te invenires! Tuque, Iphigenia, tam cupide fugam e Tauris hoc fortaſſe tempore non molireris, cum non humanis victimis immolandis, ſed clementiſſimi Principis virtutibus in Poëtarum, & Oratorum cœtu conſecrandis te brevi præfuturam, atque ad mite regnum Thoantis tyrannidem nobiſcum una perventuram ſperares!

* Proſopopœia elegans, elegantior tamen futura, ſi Tomi, quo relegatus erat Ovidius, in ditione Ruſſorum eſſent. Tauri quoque, poſt amiſſum Azovium, Turcis parent.

Atque hac una præquam ex omnibus, PETRE, cauſis naturæ ipſius conſilio, ac miniſterio princeps videre creatus, quod non ſolum invenire propria, ſed convertere ad te noveris aliena, tamque præclara optione magiſtratuum, delectuque peritiorum in militari, ac civili facultate hominum, per alios optime præſtes, quæcumque princeps edere per ſe ipſum a regnandi occupatione prohibetur. Cum enim Reſpublica ducibus, magiſtratibus, & morum, artiumque rectoribus, rerumque arbitris plurimis indigeat; ſingulorum quidem perfunctio munerum privatis, eorum vero congrua conveniensque attributio, & cretio atque uſus idoneorum hominum illi unice ſeorſum a muneribus aliis convenit, cui regimen traditur univerſorum: ne, ſi princeps magiſtratibus, & muneribus aliis obeundis diſtrahatur, Reipublicæ regimen a civibus ipſo in rectore deſideretur.

Cum autem regium animum natura indueris, tanta clementia exundas, ut eam deflectere nequeas ab iis populis, inter quos nihil principi, & populis ipſis clementia periculoſius. Siquidem ii ſunt, ut, niſi pœnarum terrore conſervarentur, in propriam ultro perniciem ruerent. Hinc regnandi ſors omnium opinione feliciſſima, tibi tamen eo nomine accidit acerba, quod nequeas abſque univerſorum detrimento placere ſingulis: ut, cum olim homicidæ cujusdam vitæ peperciſſes, isque novum ob homicidium carnifici traderetur, debueris tu publice propriam indulgentiam accuſare, quæ, luce damnato reddenda, illius poſtea manu innocentem perdidiſſet: ideoque humanæ naturæ vitiis ingemiſcebas, quod inſontibus vitam non niſi ſontium cæde largiatur. Quæ tamen communis naturæ pravitas bonitatem fruſtra ſuperare conatur tuæ. Nam inde poſt paullo cuidam ex noſtratibus, dum ad ſupplicium raperetur, pœnam non modo naturalis, verum & civilis mortis condonaſti: utque animi ejus morbo medereris, hoc ſibi ceterisque ſalubre monitum adjeciſti, dum ei gladium redderes: *Recipe*, inquiens, *gladium hunc, ut eo non in ſubjectos meos poſthac, ſed in hoſtes utaris.*

At ſi clementiam deponere cogeris in ulciſcendis injuriis alienis, omnem tamen eam large adhibes in remittendis tuis: utpote qui morſus lividorum cura, ſcientiaque principis indignos judices, & magnifice toleres, rideasque maledicentiam Poëtarum, quorum ais proprium eſſe vana jactare, atque invenire falſa. Sed quid miramur in te calumniarum tolerantiam, qui & inſidias conjunctorum non ſemel, præcipue dum abeſſes, contra ſalutem tuam in perpetuam calamitatem conſpirantium tanta magnitudine animi contemſeris, ut vix patefacta conjuratione oblivionem injuriarum nunciaveris, illique abs te timere debuerint, cum adhuc ab eis timendum tibi ſupereſſet. His tu virtutibus tanto ſupra tuum imperium ſublatus, quanto illud regna ſupergreditur aliorum, * jure damnas inanium ornamentorum, & gemmarum faſtum: ſolumque Regum ornamentum & altorem ducis egregiorum gloriam, laudemque facinorum. Ideoque regias indutus veſtes ridere ſoles amentiam eorum, qui te ab illis magis admirantur: quaſi augendis rebus ex-

* Quare Joannes jam Baſilides non modo Imperatoribus par, ſed etiam ſuperior videri volebat. Cujus imagini pictæ A. 1551. hi verſus ſubſcripti leguntur apud Sigismundum Herberſtainium in *comment. rer. Moſcovit. pag.* 13.

Ruſſorum Rex & Dominus ſum, jure paterni Sanguinis: Imperii titulos a nemine, quavis
Mercatus prece vel pretio: nec legibus ullis
Subditus alterius, ſed Chriſto credulus uni
Emendicatos, aliis aſpernor honores.

ternis proprium quidquam hominis augeretur. Nec raro eas tibi exuens adſtantibus largiris, ut non tam oculi fulgore illarum, quam animi virtutum tuarum adſpectu percellantur: exemploque tuo doceantur proceres divitiarum uſum, atque intelligant, eas non eſſe utiles, niſi ad utilitatem deducantur aliorum, cum videant quæcunque ad voluptatem vulgo referuntur, aut ad ſtultorum admirationem, revocari abs te ad cultum exercitiumque liberalitatis: quo tantum nomine a ſapientibus opum bonorumque abundantia toleratur. Res nimirum homines, non illarum officio atque uſu, ſed ſua ipſorum opinione, atque affectione propria æſtimantes, & fortunam in laudem ſuam ſtulte conferentes, non animadvertunt, quo ſuperbius ex opulentia, & potentia efferuntur, eo vilius demittere ſemetipſos, quando naturam humanam, qua nihil ſub cœlo ſublimius, rebus demittunt inſenſibilibus & caducis, quibus viliſſimus quisque hominum divino judicio antecellit. Ideo tu, qui res creatas non communi æſtimatione metiris, ſed latitudine, atque ſublimitate animi tui, qui omnia expendit ab infinitate, non mirum ſi, Maximus cum ſis, cognatum tamen Moſchorum imperio Magni cognomentum averſeris, eo ceteris major, Magnique cognomine dignior, quod magnitudinem Deo tantum convenire profitearis. Unde tot gentium te victorem, non tam victoriis tuis admiramur, quam quod a tanta vaſtitate imperii minime vincaris, neque in opibus, & fortuna, verum in earum contemtu præſtantiam hominis poſitam arbitreris.

Ecqua vero unquam in te animi elatio ab opum bonorumque affluentia, ſi nihil tuum judicas, niſi quod quotidianus vitæ uſus ad publicæ majeſtatis alimentum abſumit: cetera vero non tibi, ſed populis, ac publicis privatisque neceſſitatibus a divina providentia in manu tua fuiſſe depoſita palam edicas; neque modo vigiliarum, atque curarum cenſum, ſed & regiarum opum vectigal ampliſſimum voluntaria lege populis tuis perpetuo pendas. Hinc ex te præclara illa vox, quando in militaribus ludis ducem agens, ac ſtipendium tui muneris accipiens, ajebas, eam unice pecuniam dominio tuo cedere, quæ propriis laboribus pararetur: nam publicam cura tantum, & cuſtodia teneri tua, uſu vero, & mancipio eſſe populorum. O miram in tanta potentia æquitatem! O incredibilem continentiam in tam ætatis noſtræ libero more imperiorum! O ſententiam, quo minus familiarem regibus, eo magis neceſſariam, & regiis animis digniorem, quæ regibus populos, non regum, ſed populorum ipſorum cauſa ſubjectos docet: ut, ſi neque genus te, neque præclara facinora extuliſſent, multitudinem tamen iſtam regnorum ex hac unice ſententia meruiſſes! Quamobrem qui ſummam teneas regnandi artem, in contemplatione ſolius publicæ utilitatis, cultuque juſtitiæ conſiſtentem, neque tam ab humano ingenio, quam a divino inſtituto prodeuntem, a cujus tantummodo uſu oritur ſalus, incrementum, & tranquillitas populorum; non abs re Ariſtotelis civilia præcepta, & politicorum libros, a te in manibus familiaris tui nobiliſſimi, ac doctiſſimi hominis inventos, inutiles autumabas ad Reipublicæ regimen iis, quorum animis alte inſideret, privatos quidem beate vivendi, recteque obtemperandi cauſa induſtriam, & fidem a Deo accepiſſe; Principes autem bene utiliterque regnandi artificem unice habere opem divinam * ad rectum virium & copiarum

* Quod Benedictum Petri non temere probaveris. Etſi enim opis divinæ partes primæ ſunt, in omnibus rebus humanis, tamen Deus ἐμμέσως agere ſolitus eſt, ideo-

uſum. Juvenali vero, qui & apud eundem erat, maxime plaudebas, dum inde inter plures, quibus delectaris, ea tibi ſententia promebatur:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano:
Fortem poſce animum.

Quem tu Poëtam, & Græcos præſertim ſapientiæ magiſtros, una cum veteribus Eccleſiæ Patribus, in veſtram linguam convertendos aſſidue curas, ut illinc virtus flammæ inſtar prodiens, ac noxiam ſegetem vorans, per omne tuum imperium abſumendis vitiis late vulgetur; & inter hæc adoleſcens inclytus filius tuus unicus, univerſæ ſapientiæ præclarus alumnus, concentu tuorum populorum omnium, & conſenſu publico alacrius ad ſtudia feratur, atque inflammetur ad tutelam, & propagationem literarum, quas infans adhuc & pæne ab ubere nutricis exhauſit, quasque omnibus in ſuis regnis inter ſcholas, tuo juſſu inſtitutas, ipſe ſecum adoleſcere jucunde videt. Juvenis excelſe, ac certe non tam copia ditionum, quam educatione paterna beatiſſime; per quam educationem non a regnorum tuorum titulis regiam ſcientiam didiciſti, ſed a præconiis literarum; non induendo, ſed calcando veterum regum faſtu magnificentiam, animo vere regiam exſtruxiſti; neque fulgore gemmarum, quo involveris, & auro, quo regia veſtra coruſcat, ſed egregiæ indolis laude clareſcere conſueſti; per quam denique non æſtimatione vanaque opinione mortalis potentiæ, ſed cognitione rerum immortalium fuiſti ad ſummam potentiam inſtitutus, rectum illius uſum arripiens a parentis vita, quæ comperta tibi quotidie ſapientum documenta perpetuis reddit exemplis. Felix profecto juvenis, & felicia tecum regna, quæ patrem rebus geſtis, & ætate florentem diu retinebunt, & imaginem corporis animique paterni, patera amque gloriam per filium longo inde tempore conſervabunt, eamque auctam in dies plurimum videbunt bonarum artium incrementis, ac triumphorum numero, & nova ſemper prolatione terminorum.

Quod ſane imperii tui, Magne Moſchorum Imperator, incrementum unice Moſchis pridem optandum, nunc, uf in proximum Helleſpontum incumbat, bonis & humanioribus omnibus eſt expetendum: qui Græciam, doctrinarum nutricem, non ſine frequenti profuſione lacrymarum hodie omni luce literarum orbatam, & immortalibus ab ſe partis opibus jamdiu ſpoliatam, atque in tenebras, unde alios extraxerat, alte demerſam intuentur. Eo ſi tuis armis recludetur iter literis, & patriis inventis illinc jamdiu exſulantibus, Græcia bonas ad artes ibi reſtituendas novum ad ſe miſſum Orpheum admirabitur eisdem ex Getarum finibus, unde vetus ille ad eas inter Græcos inſtituendas conceſſerat: quem propterea Thracem communi tum forſan Arcticarum regionum nomine appellarunt. Quid igitur tua virtute glorioſius, per quam effeceris, ut Moſcho de ſolo, unde immanitatem populi alii formidabant, nunc humanitas ab ipſis humanitatis auctoribus expectetur, & vetus gloria, colle ab Heliconio tamdiu aberrans, ætate noſtra in Riphæis montibus conſpiciatur.

que nemo recte ſpreverit ſtudium Politices. Quanquam alias fatendum eſt, fuiſſe Principes, qui hoc ſtudio florerent & tamen infeliciter regnarent, uti Henricus III. apud Gallos, apud Brittannos Jacobus I.

Hanc

Hanc autem præclaram ſpem nulla, quæ Græcis dominatur, armata barbaries nobis eripuerit. Oritur enim ea ſpes a te, cujus irritatur a difficultate fortitudo; quæ non modo conjuratos domeſticorum, & externorum furores, & inſidias toties preſſit, atque refregit, verum & ipſum ventorum violentiam, Oceanique iram ſuperavit: quando, tempeſtate coorta, cum navis, quæ te vehebat, ſurſum ac deorſum provoluta undarum pæne voraginibus hauriretur, inter lacrymas gemitusque tuorum procerum, poſtquam ſingulis animus concidiſſet, & ſalutis deſperatione clavum gubernator e manibus dimiſiſſet, unus tu in tanta turbatione hominum & naturæ immotus, & in communi pallore præfulgidus, gubernaculo repente arrepto, vocibus & exemplis exanimatos comites erigebas, ac dilabentes nantarum vires revocabas, ridebasque timorem eorum, qui neſcirent cujus fortunam ſecum haberent: donec mare, veluti conſtantia tua domitum, cederet, relinqueretque tibi victoriam frementium, & indignantium procellarum. Hac eadem te conſtantia tempeſtatem illam perdomiturum ſperamus, quæ proprio avertit e fonte literas, victoriisque tuis confidimus, Græciæ clavum de manu barbariæ ad ſapientiam rediturum. Minus vero mirabimur fore, ut illorum frena populorum e poteſtate crudeliſſimi dominatoris ad te transferas aliquando, ſi eorum ingenia cum inſtitutionibus tuis, tyrannique illius ignaviam cum tua militari dignaque rege vita componamus. Ingeniis ille imperat volubilibus & acutis, neque formidine ulla diu, ſed præſenti ſola, quoad incubuerit, ignorantia coërcendis. Hanc ille ſibi tyrannidis arcem condidit inter inventores, & præceptores doctrinarum populos. Hac violentiam tuetur, hac munit libidinem. Hanc adhibet adminiſtram ad obtundendos animos, & extinguendum ſenſum impoſitæ ſervitutis: quam vi olim ſubiit, nunc vero neſcia ſui ipſius quatuor jam ſæcula ſolo ſtupore tolerat natio illa, quæ Perſarum, ac totius Orientis vires in ſe irruentes exiguis militum copiis, aſt animis ingentibus; claſſeque modica, ſed audacia prorſus admirabili repreſſit primo, deinde diſſolvit, poſtremo ſub Macedonum ſignis dominatu ſuo per Aſſyrios, Medos, Perſas, Chaldæos, Ægyptios, Africæque partem, totamque Aſiam effuſo ita contrivit, ut non imperia tantum, ſed & nomina, & linguas nationum deleverit aliarum.

His non multitudine, ſed robore, non opulentia, ſed ingeniorum præſtantia tam olim late dominantibus barbarus direptor non dominaretur; niſi ſublato prorſus literarum, & mentis uſu eos obbruteſcere coëgiſſet, ac lucem eripuiſſet, qua civilem vitam a captavitate, Regem a prædone, ſervitutem a libertate diſtinguerent. Neque alia ratione poterant conjunctim turpiter ſervire uni, quorum ſingulæ civitates, & oppida per ſe regnabant, & opes atque vitam ſuorum contra potentioris regnum opponebant. Quo literarum exilio Græciæ depopulator, utcunque muniatur contra ſuos, injuriis tamen exponitur exterorum, utpote illis exarmatus artibus, quibus, ut Poëtarum documentis utamur, Martem perpetuo Minerva ſuperat, quibusque ſuperatus ipſe toties noſtris temporibus, & fuſus terra marique a Germanis, Polonis, & Venetis regna integra, & exercitus numeroſiſſimos, & rei militaris gloriam prorſus amiſit. Atque adeo ille immanitate ſua obſtupuit, ut non intelligat pœnas, quibus toto regno ſuo perſequitur literas, expetere in caput ipſius, non ſolum ex diſſolutione militaris, & civilis diſciplinæ, quæ ſapientia, & cognitione rerum continetur; ſed etiam quia, niſi alumna ſtudiorum ratio ad privatæ publicæque vitæ regimen admoveatur, ac virtute, rationis miniſtra, volu-

 ptatibus

Digitized by Google

ptatibus reſiſtatur, inter muliebres & enervatos populos mulieroſiſſimus & enervatiſſimus Princeps, Regni oblitus & ſui, levi negotio de imperii, ac vitæ poſſeſſione deciderit. Quod atrociſſimus humanitatis hoſtis, niſi vellet conſulto deſipere, ſatis edoceretur a viciſſitudine, ac fato imperii ſui, cujus prope cum Luna tyranni mutantur; quaſi ad hoc triſte auſpicium illud ſibi ſtemma ſuſceperint. Nam ex corruptiſſimo populo, gravioris cujuſque ſtudii prorſus oblito, inque ſola crapula & laſcivia exercitato, quando non crebri ex deſidia, & egeſtate machinatores rerum novarum, veteriſque Principis inſidiatores, ut novi Regis largitionibus expleant cupiditatem & libidinem illam, in quam prioris domini beneficia jamdiu abſumſerunt? Quis vero non magis inflammetur ſpe recentioris commodi, quam timore cohibeatur illius, quem ſemper vidit e gynæceo prodeuntem, atque hinc cynædo, illinc muliercula nixum caſtra inviſentem, ſpadonumque agmen ducentem ante milites, bellaque ſua meretricum in gremio gerentem, & inter impudicos complexus aliorum pericula ex arce ſpectantem? Hunc ante in cubili ſuo a libidinibus, quam in acie ab hoſtibus profligatum, atque a propriis vitiis prædæ aliorum objectum, quem nos Latini adhuc nullo juris præſidio, nulla virtutis opinione, ſed populorum errore, noſtriſque diſcordiis tam late regnare patimur, an diutius patiere tu? qui finibus illius terra marique immines, & voluptates pariter atque hoſtes debellare aſſuetus, contrariis ſtudiis educatus, Regem te præbes non affluentia deliciarum, ſed curarum gravitate, præſtantiaque operum atque conſiliorum; quique ne, ut ille, imperator eſſes antequam miles, neve, in pace omnibus imperans, in bello vel imperiis pareres alienis, vel ea præciperes aliis, quæ ipſe ignorares, nos es veritus Majeſtatem ipſam ab ineunte ætate ſubjicere militari ſervitio. Cum nihil dignius exiſtimaveris pueritia dominatoris tantarum gentium, quam armatum tyrocinium, & militiæ gradus: ut ad regnum quidem hereditaria lege, ac deſiderio populorum; ad imperium vero, & armorum arbitrium, commilitionis nomine ipſius jure cinguli, raroque fortitudinis experimento pervenires.

His tuis ex viribus, ingenti ſuorum clade huic latroni exploratis, quando proximis miſit opem Scythis, quando magis eum cohorruiſſe putemus, ubi te accepit in bellis Polonorum civilibus munitiſſimas hoſtibus urbes, ac fertiliorem agri partem ademiſſe, tuoque vel ductu, vel auſpicio Moſchos milites tot in prœliis, aut pugnando ſuperaſſe, aut ante vita quam loco ceſſiſſe, dum conſererent manus cum nationibus, ipſi diu quondam nomini Romano gravibus, poſtquam noſtris in caſtris militarem diſciplinam noſtrum in exitium arripuerunt; & nunc ubique adeo formidandis, ut inter tot certantium populorum potentiſſimos exercitus, quo ſe ſigna illorum verterint, eo allatura victoriam videantur? Quarum nationum quo antiquior eſt, clariorque fama, eo altius laus tua attollitur, qui adverſus gloriæ competitores adeo polles eminesque virtute, ut liceat, audiente ipſo te, ſine fraude atque injuria, imo & lucro cum tuo laudare inimicos. Qualem te igitur fugam injecturum putamus imbelli Aſiæ prædatori, quando tantas copias, taleſque milites, talibus in prœliis exercitatos in eum commoveris, eodemque una coëgeris tuarum gloriam & pondera victoriarum, contraque illius arma terrorem direxeris nominis tui; cujus vel ſolus rumor ganeonem illum impuriſſimum in concubinarum ulnis exanimaverit? Qui vero concurſus ad te fiet earum nationum, poſtquam tuus armorum fulgor ſolverit veternum illum, quo per tot ſæcula miſere occupantur? Quo

plauſu

plauſu effundentur ad te, poſtquam tuis e caſtris per noſtrates eruditionis Græcæ præceptores, libros & præmia majorum exſtulerint? Quo fremitu & luctu præſentem Græciæ calamitatem execrabuntur, quando poſt agnitionem parentum, & ſui ipſorum, veterem ejus nationis dominationem cum hodierno ſervitio, atque antiquorum cognitionem & acumen cum horum caligine comparaverint? Non talis Jaſon cum aurei velleris præda rediit ad illos, qualis eodem inſperato advenēris tu cum longe majoris precii vellere; nempe cum theſauro ſapientiæ, qui poſſeſſoribus ſuis vitam eam beatam tribuit eamque libertatem, quas ſtulti, dum ex auro petunt, cum longis usque miſeriis, eumque ſervitute ac periculis, imo & ſæpe cum morte commutant. Nec tanta Theſeum gloria interempto Minotauro in patriam comitabatur, quanta Græciam per omnem ſequetur, circumundetque te, qui monſtrum longe voracius, longeque immanius e tot populorum viſceribus avelleris, ac tyrannum ſi ſtuleris plurimo Europæ, atque Aſiæ, Africæque ſanguine, ac tabo manantem. Eoque tu beneficentior eris Græciæ liberator, quam T. olim noſter Quinctius, quo turpiori, graviorique jugo eam ſubtraxeris: ut nos oporteat nomina tibi quærere majora, neque liberatorem tantum Græciæ te, ſed & inſtauratorem, & parentem appellare: quandoquidem tuas per victorias ad majorum artes Græci redeuntes, & ingeniorum libertatem recuperantes, vetere quoque gloria & virtute illico reflorerent, non aliter ac ſalubres & fœcundi colles, poſt frigus niveinque diu toleratam, eamque vere novo reſolutam, lætius opinione revireſcunt, & ſegetem fundunt uberiorem. Itaque natio Græcorum, quorum in ingeniis optima quæque ſemina conduntur, novos, quos regigneret, ac redderet, Lycurgos, Solones, Pericles, Themiſtocles, Homeros, Pythagoras, Democritos, tibi deberet uni; qui fœtus eos, contra objectam ſervitutem animorum fruſtra enitentes, depulſa violentia, immiſſaque nativarum & cognatarum iis gentibus artium luce, ad ortum exciveris, excelſamque mentium prolem vocibus noſtratium eruditorum ſuis velut e folliculis excluſeris. Quantoſcunque vero illi fructus ingeniorum longa ignorantia plurium ætatum amiſiſſent, eos idem penſares tu fœnore ingenti, quod illuc adduceres novorum inventorum, apud nos in dies prodeuntium, quibus cogitata veterum Græcorum, pluriniaque ſagaci ab eis ratione proviſa, ſcriptiſque prænunciata, hodie rerum experimentis, & ſenſuum teſtimoniis comprobantur: adeo ut non modo tu veterum illis bonorum aſſertor; ſed & novorum videreris procreator.

Verum bona hæc omnia & utilitates, ſive militares, ſive civiles, ut ad alios e regno tuo deriventur, oportet eodem antea in regno coaluerint, non moribus tantum, qui tempore ſenſim relaxantur, & hominum interitu dilabuntur; ſed etiam legibus, quibus hominum & ætatum variationibus occurratur. Nam fateor ſane nullarum eſſe virium leges, niſi præſumantur animis populorum, & præparentur uſu, atque comitentur mores, quibus longe altius ac firmius, quam edictis & pœnis, in pectoribus hominum inſeruntur. Sed aquarum inſtar fluxi fuerint mores & caduci, niſi contineantur atque pangantur legibus, quæ actus inſtabiles, & opiniones variabiles ad certam juſtitiæ formam, & communis utilitatis rationem revocantes, confuſoſque ſenſus & vagos in certos privatæ vitæ modos, publicique regiminis regulas conferentes, juris notam, & majeſtatem publicam imprimant virtutibus, armentque ſapientiam voce, ac poteſtate populari: per quam ad volunta-

luntariam bonorum operum conſuetudinem vis civilis, & legitima neceſſitas adjungatur, legibusque perpetuetur, quidquid morum antea volubilitate ferebatur, atque ita leges moribus fundentur, & mores legibus muniantur. Prudentiſſime namque fabularum ſtructores eidem Numini frugum & legum inventionem attribuerunt, ad ſignificandum naturalis & civilis vitæ nexum; quarum illam frugibus, hanc legibus alendam docuerunt. Certam vero juſtitiæ formam a natura inſculptam animis noſtris, atque ab affectione prava occupatam extulerunt præceptis quidem ſuis Græci Philoſophi, & eorum legislatores populis propoſuerunt, atque concluſerunt legibus iis, quas ad ſe ſimul cum civili omni Græcorum ſapientia Romani coëgerunt; ſed quemadmodum omnia, humanam ad utilitatem a Græcis inventa, in melius Romani converterunt, ita & radicem ejusdem utilitatis juſtitiam, & legislationem univerſam, longe prudentius, & illuſtrius, ac felicius ab eis excultam invenimus. Etenim in Græcis civitatibus cum ipſis primis illis latoribus legum ſapientia civilis interibat, neque alia ſuperabat, niſi quæ inter acutas, nullius tamen uſus, controverſias in Philoſophorum ſcholis otiabatur. Et ſi quid emergeret, incertum an publica lege contineretur, id agitabatur ſubtilitate atque interpretatione diſſidentium inter ſe oratorum, leges utrinque trahentium ad cauſam ſuam: quod poſtea judicum prudentia ita definiebatur, ut adhuc tamen, ſi quid ſimile oriretur, in controverſiam venire oporteret, quia judicia ſingularum cauſarum non communes juris regulæ ſunt, ſed peculiares juſtitiæ opiniones: quæ nullam pariunt generalem definitionem in ulla controverſia, neque ad ſimile judicium jure ſuo pertinent, niſi nova judicis voluntate recipiantur. Cum igitur negotia legibus generaliter comprehenderentur, multaque in dies e re nata offerrentur, non proviſa majoribus, quæ vagabantur extra legem; eveniebat, ut plurima paterent affectionibus humanis, & ſub magiſtratuum, & judicum libidinem caderent. Præterea leges, pariter atque humana omnia, longa die languent, & propter corruptæ naturæ repugnantiam uſusque raritatem ſæpe ſqualleſcunt, velut ager, qui non exerceatur: ideo, mortua cum legislatore ipſo legum cura, ſenſus earum aut aſtutia turbabatur & præſtigiis oratorum, aut ab ipſa vetuſtate abſumebatur. Hinc Romani, Græcis longe prudentiores, aſſiduos cultores dederunt legibus, radices earum nutrituros, ac ſapientia ſua irrigaturos, ut latius effunderentur. Hos appellarunt Jurisconſultos, quod illorum oracula de re quisque ſua conſulerent. Quorum conſiliis, propter opinionem ſapientiæ atque alienationem eorum a privatis ſtudiis, auctoritatem a lege ſecundam attribuit, antea quidem populus diu, poſtea etiam Imperator; qui judices ipſos, & magiſtratus reſponſis addixit Jurisconſultorum, quos a germano ſenſu legis eruendo, publiceque promendo, neque promiſſa ulla merces, neque partium ſibi plerumque ignotarum amor, aut odium deflectebat; ſed potius ad ſolius veritatis, & æqui bonique pronunciationem hortabatur cura propriæ dignitatis, expectatioque honorum, qui ſola integritatis opinione illis offerebantur: ut non mirum, ſi auctoritate fideque vel ſummis præſtiterint oratoribus, &, propter merita explicatæ traditæque juſtitiæ, ipſos etiam exercituum duces, & hoſtium victores vicerint apud cives in petitione conſulatus. Hi autem, leges in fidem cuſtodiamque ſuam accipientes, ac ſe diuturno doctrinæ, atque integritatis experimento miniſtros & ſacerdotes earum populo præbentes, quidquid in Græcorum ſcholis, & in diſputationibus Philoſophorum ex uſu juſtitiæ, ac Romanæ civita-

civitatis invenirent, patriis judiciis adplicandum auferebant: ut, ubi cauſa deficeretur verbis legis, eo vel Dialectica ratione, vel moralis doctrinæ præceptis occurreretur; ubi vero lex obſervaretur aſperior, ibi regulis temperaretur æquitatis. Itaque ſcriptum jus, quando vel deeſſet, vel ex eventu publice noceret, a Juriſconſultis aut ex Philoſophia ſupplebatur, aut leniebatur utilitate communi. Vetuſtatis vero injuriam, quæ obſcurandis verbis, & obliterandis moribus leges abduxiſſet ab intelligentia populari, notitia diſcrimineque temporum avertebant, & peritia formularum, ac nativa proprietate verborum: quibus opibus aluerunt leges, artemque inſtituerunt, quæ ſenſum eis perennem, vitamque clariorem redderet, quam Juriſprudentiam appellarunt, quamque ſeorſum a nationibus aliis primi ſolique invenere Romani; qui, ut alias artes ac doctrinas a Græcis acceperint, hanc certe ipſi unice protulerunt, ſibique habuere præcipuam & peculiarem, quæ utilitate atque dignitate adeo antecellit, ut cæteræ civili commercio eatenus dignentur, quatenus Juriſprudentiæ paruerint, quæ, utpote interpres legum, & lingua juſtitiæ, jure ſuo imperat ſcientiis & civilibus cunctis artibus, quarum ſine congruo modo, a Juriſprudentia ſtatuendo, & ſingulis perſonis ac rebus aptando, nulla in publica re foret utilitas. Quæ divina profecto ars tranquillitatem & concordiam creat cum in populo univerſo, dum publico juſtitiæ adſpectu perfruimur, tum in ſingulis civium animis, qui nulla opinione injuriarum exulcerantur, quando Juriſprudentiæ miniſterio naturalia & civilia juſtitiæ fœdera, nempe leges, apte adhibentur ad cauſas, convenienterque perſonis & negotiis advolvuntur.

Juſtitiæ namque ſolius eſt pacare animos, & componere diſcordes affectiones, quæ ſicuti ſuſcitantur injuriis, ita juſtis reſponſis compeſcuntur, & allatis honeſtis cauſis omnino ſedantur. Quod a ſolis legibus, utpote generalibus, & abductis a ſingulis rebus, perſonis, & caſibus, minime aſſequeremur, niſi a Juriſprudentia jus omne humanum, exſculptum exemplis, confirmatum argumentis, concluſum regulis, diſtinctum exceptionibus, ac definitionibus expreſſum haberemus; atque ab eadem ſingulas conventionum, & voluntatum humanarum, civiliumque factorum ſpecies legibus, prudentiaque digeſtas, & longis meditationibus excoctas acciperemus; ut quicunque affectionis expers acuta ratione, ac debita æquitate civilia, & forenſia negotia perpenderit, propter inditam cuique juſtitiæ notionem ſuo Marte feratur in ſententiam Juriſconſultorum, qui pro cauſis & negotiis omnium ætatum, ac gentium judicia protulerunt, dum affectioni omni vacarent, & jura poſterorum puris animis dirimerent, atque librarent. Ideo longe tutius de rebus præſentibus mente aliena, quam propria judicabimus, eorum ſi ſcripta in conſilium vocare, ac potius mortuos, quam vivos, audire voluerimus.

Nec minorem illi juſtitiam in verbis, * quam in rebus adhibuerunt, apte vo-

* Argumentum, quo leges Romanas commendat, triplex, primum quod juriſprudentia Romana præſtet ipſi etiam Græcæ, ſecundum, quod ſatius ſit in cauſis dijudicandis uti judicio ſapientum mortuorum, quam ſententia vivorum, tertium, quod JCti veteres non minus nitore linguæ Latinæ & eruditione quam rerum ipſarum pondere commendentur, qua in parte admirabilis eſt illa cumulatio prædicatorum, qua legum Romanarum majeſtatem ſine luxu, faſtum ſine pompa & reliqua commendat.

cibus utentes, nativasque ſedes illis attribuentes, Diiſque ipſis dignum orationis
genus uſurpantes. Quo ſolo ſcribendi genere, non modo Juriſconſulti præſtant
Latinis ceteris, verum & Latini antecellunt Græcis: qui ut omnia eloquentiæ ge-
nera & invenerint, & ad ſummum perduxerint, Juriſconſultorum tamen Romano-
rum ſicuti ſcientia, ita & ſtylo caruerunt. Habuerunt enim noſtri majeſtatem ſine
luxu, faſtum ſine pompa, ſupercilium ſine ruſticitate, ſplendorem ſine fuco, ſine
horrore venuſtatem, parſimoniam ſine macie, ſine caligine brevitatem: ac præ
ceteris melius elegantiam cum ſimplicitate, cum decore proprietatem, & oracu-
lorum ſanctimoniam blanda cum perſpicuitate conjunxerunt. Quamobrem hæc
ars una Græcorum legislatorum ſcientiam, Romanorumque prudentiam & gravi-
tatem; prætereaque moralium Philoſophorum honeſtatem, Phyſicorum ſolidita-
tem, Dialecticorum acumen, grammaticorum eruditionem, & meliorum ſcripto-
rum elegantiam comprehendit. Hac ſola ex arte auxilia civibus, monita prætori-
bus, mandata præſidibus, conſilia principibus proferebantur: ut merito quæcunque
vel ipſi Juriſconſulti reſpondiſſent, vel edixiſſent Magiſtratus, vel privatis etiam
in petitionibus reſcripſiſſent Imperatores, tranſierint in aſſiduam Juriſdictionem,
ac vim acceperint parem primoribus legibus, deducebantur enim nativo e fonte
juſtitiæ, ac moribus & auctoritate propagabantur illius populi, qui ſuam in civi-
tatem ac nomen populos traduxerat univerſos. Cujus triumphi non tam victori-
bus, quam ipſis devictis gentibus profuerunt. Etenim Romani ut imperium juſtis
præliis partum æquitate conſervarent, æternoque tempore retinerent, non tam ſua,
quam aliarum gentium cauſa imperarunt. Quippe qui non modo virtutum ſua-
rum commercio, & rerum geſtarum admiratione, ac nativa Italorum gravitate
animos aliorum compoſuerint, Græcorum levitatem, Afrorum perfidiam, Syro-
rum ignaviam corrigentes, perque humaniores literas Arcticarum regionum bar-
bariem auferentes; verum & leges & magiſtratus, & linguam, & imperium, &
ipſam denique patriam cum omni humano genere communicarint. Quapropter
ſicuti multiplices ciborum ſpecies valentem ſtomachum ingredientes, ſalubres in
humores ad totius corporis alimentum convertuntur; ita varia diſſimilium loco-
rum & nationum ingenia, ſub hoc cœlo & ſub illa inſtitutione, civilibus & mili-
taribus rebus attemperata, exemplisque noſtris veluti complanata, in Romanos
mores ad terrarum regimen transferebantur. Itaque ab hac civilis vitæ, ac divini
humanique juris comunione ſocietatem omnium gentium conflaverunt, ut Roma-
num eſſet, quodcunque oculi viderent, & civitatem homines non a Latino ſolo
acciperent, ſed a morum, ac legum profeſſione Romanarum. Quo nomine ma-
jores noſtri imperium crearunt omnium uti maximum, ita & juſtiſſimum, ſolaque
violentia fortunæ, nullo vero nec diſſidentium populorum, neque contrariorum ſœ-
derum, neque temporis aut oblivionis jure interiturum: quippe promiſcuum, nec
Romanis modo, ſed univerſis gentibus paratum & utile: ut e re omnium fuerit
manere perpet..., quod ceterorum commodo haberetur inſtitutum. Quis enim
populus, utcu...que r...motiſſimus, non imperabat in ea urbe, ubi ſenatus, & juris-
dictio, & ipſe denique principatus patebant nationibus cunctis, quandocunque aut
homines egregios, aut præſtantiſſimum civili, & militari virtute ducem Latinis
populis obtuliſſent?

Quales

Quales Romanum tulit imperium plurimos. Etſi enim inter milites, ubi præcipue ſenatus langueret auctoritas, ratio viribus obtemperaret, raro tamen quis ad imperium attollebatur, niſi aut omnibus virtutibus, ut Nerva, Trajanus, Titius, Pertinax, Pius, Marcus, Alexander, Probus, Conſtantinus; aut fortitudine militari, ut Commodus, Caracalla, Maximianus, Decius; aut rerum geſtarum tali gloria, qua vitia obruerentur, ut Veſpaſianus, Hadrianus, Severus, Aurelianus, Diocletianus, Julianus, aliique ceteris mortalibus præſtitiſſent. Et qui partim ſuis ſceleribus, partim offenſione ſcriptorum, inter monſtra hominum referuntur, aliqua tamen virtute adeo excelluerunt, ut ejus laudem etiam apud poſteros in tanta vitiorum infamia conſervarint. Quis enim Tiberio doctior? Quis Nerone cultior? Quis Cajo eloquentior? Quis Domitiano ingenioſior? * quorum alter Oratores, alter Poëtas omnes ævi ſui ſuperavit. Nam quid dicam de horum quatuor & ſimilium ſagacitate, magnificentia, liberalitate? adeo ut Romanorum Imperatores in priſcorum, quorum etiam facta vicerunt, Heroum virtutes, & vitia ſucceſſiſſe videantur. Cum enim non hæreditario jure, ſed voluntate plerumque, ac motu legionum aſcenderent ad regimen orbis terrarum; nemo tantam ambitionis, & conſiliorum immenſitatem concepiſſet, niſi habuiſſet animum infinitæ dominationi æqualem, ideoque ſummarum pariter virtutum capacem, & vitiorum. Nullus vero; maximus animus, etſi vitioſiſſimus, abſque rerum optimarum ſeminibus, quæ inter opes, & delicias corrumpuntur, quæque aliquando, ex ipſa corruptione per operas emicantia, perſtringunt aciem populárium ingeniorum, arbitria rerum tumultuario plerumque judicio, inconſulta cæcaque admiratione tribuentium. Tanti ergo ad imperii gubernaculum, ſicuti mentes congruas motibus omnibus rerum humanarum, ita & leges univerſorum populorum rationibus convenientes oportuit adhibere: quæ ſcilicet naturæ communi hominum conſentirent, & civilibus negotiis quadrarent omnium regionum, ac temporum. Unde non mirum, ſi populi, qui, abrupto communi hoc vinculo, ſibi proprios reges crearunt, Romanas tamen minime dimiſerint leges, ne amitterent humanitatem, & regulas rationabilis vitæ. Quo magis iisdem legibus, Magne Moſchorum Imperator, tibi receptis eſt opus, ac pacandos mores tot, ac talium populorum, qui, ſi bene indolem illorum didici, ſcientias, facultatesque alias per te nuper ſibi patefactas in publicam, & privatam fortaſſe perniciem traxerint, niſi beneficio quoque tuo Romanas leges, quæ rectum bonorum doceant uſum, aliquando accipiant, & complectantur Jurisprudentiam noſtram: quæ in civitatibus non opes modo regit, & jura cujusque tuetur; ſed imperat ſingulis ordinibus civium, & profeſſoribus doctrinarum, & magiſtratibus, allidetque principibus, inter quos una & ſubjectos alit concordiam, dum officia præfinit, ac ſtatuit modos dominiorum, animisque imprimit & commerciorum fidem, & contractuum auctoritatem, & magiſtratuum jurisdictionem, & principum præcipue majeſtatem. Quo ſi ſtudio ingenia teneantur, & inter boni & æqui aſſiduo præcepta verſentur, ſenſim amittent feritatem eam, quam e moribus hominum nulla vis, nullus carnifex excuſſerit; niſi per Jurisprudentiam cognitio juris, ac juſtitiæ perſuaſio metum pœnarum antevenerit.

* Hic quoque locus adeo emicat, ut nobis parcere nequeamus, quin ipſum quoque fulgidula ſtella notemus.

Operum

Operum enim pravitatem pœnæ auferunt, non animorum: qui niſi ratione regenerentur, ſtatim noxias ad operas erumpent, quandocunque crimina vel celare fraudulenter, vel violenter munire licuerit.

Tuum vero, PETRE, regnum ſcimus quam varios diſcordesque mores complectatur in tanto numero regionum, & volubilium, ac ſeditioſarum gentium: quæ, antequam in hanc imperii formam tua & majorum tuorum prudentia coaleſcerent, ſe invicem diu diſcerpſerant, mutuis cladibus prorſus perituræ; niſi dilaceratas provincias, & membra divulſa collegiſſent, corpuſque de illis integrum compoſuiſſent arceſſiti e Vareghis, * populis finitimis, Reipublicæ conſtituendæ Triumviri: quorum in auctoritatem & fidem ultro ſe dimicantes populi, ſuarum irarum & voluntariarum cladium pertæſi, tradiderunt; ut ſalutem, quam a ſe invicem impetrare non poterant, a poteſtate atque arbitrio acciperent alieno. Talium tu ingeniorum fervorem, atque mobilitatem nulla melius exercitatione continueris, quam ſtudio legum Romanarum, quibus ab impetu deducentur ad rationem, atque a rixis ad judicia transferentur, quæ majores noſtri præliorum loco ſubſtituerunt, ut res, quæ antea non ſine frequenti cæde, publicoque cum periculo per vim repetebantur, in poſterum non in acie, ſed in jure manu conſerta repoſcerentur, ac verum prælium in imaginarium aliud ſeſtucarum conflictu imitatum converteretur. Legibus itaque his in imperio tuo receptis eveniet, ut cives, vel in ſcholis de juſto & injuſto inter innumerabiles controverſias, vel in foro de jure quisque ſuo per quotidianas diuturnasque lites diſputantes, dum utiliſſimis quæſtionibus implicabuntur, a cogitationibus rerum novarum, & motibus civilibus abſtrahentur; perque hanc ingeniorum ſalubrem longamque occupationem Principi ſecuritas, & civibus tranquillitas procreabitur.

Et quoniam Romanus civis non a natalibus, verum a legibus & moribus conſtituitur, ideo cum jure noſtro Romanam etiam civitatem per omne tuum imperium propagabis, nosque de Scythia, unde Radagaiſos, & Attilas extimuimus, novos Stilicones, & Aëtios expectabimus. Quid vero tuis laudibus, iſtiusque imperii amplitudine dignius? quam ad regimen publicarum & privatarum rerum in conſilium tibi, ac tuis adhibere Solones, Numas, Craſſos, Brutos, Papinianos, Scævolas, Juſtinianos, totque alios ſive de Græcorum Sapientum, ſive de Romanorum Regum, Imperatorum, & Conſulum numero: quorum animus adhuc noſtris loquitur in legibus: quibus illi pari æquitate, parique omnium gentium admiratione, ac felicitate tuum quoque regnum adminiſtrarent, quibusque propriam tu juſtitiam atque prudentiam ad poſteros transmitteres. Hac autem legum æquitate Romani longe amplius, quam triumphis, ac præliis profecerunt. His enim innumerabiles quidem ex univerſo terrarum orbe palmas, caducas tamen & fragiles, collegerunt; illis vero præmium a Deo Optimo Maximo immortale ſibi meruerunt & infinitum, Religionis videlicet auctoritatem, & veritatem æternam concreditam fidei, ſapientiæ, ac probitati Romanorum: ut cæleſtis hic theſaurus in eorum animis velut in ſacrario receptus, & a fallaciis munitus tutiſſima illorum dominatione populis tra-

* Accolis maris Balthici ad ſiniſtrum litus venientium e Ruſſia. Res ſæculo octavo, vel, ut alii malunt, nono contigiſſe fertur.

deretur

deretur univerſis; qui civilium negotiorum cauſa Romam convenientes animorum ſalutem apud nos inveniebant, eamque ad ſuos redeuntes adducebant: adeo ut Romanis armis & legibus omnium nationum conventus divinitus videatur inſtitutus, quo, ſicut humor e capite artus per omnes, ita Chriſtiana Religio ex una urbe, rerum humanarum, & divinarum domina facilius & celerius in reliquum imperii corpus ad cunctos populos diffunderetur. Hinc nexus communis imperii, quo univerſorum hominum ſocietas continebatur, duplicatus mirabiliter fuit communione Religionis, quæ, cum profanam in ſacram auctoritatem convertiſſet, eam inermi Romæ tribuit immortalitatem, quam vana ſibi ſpe veteres ab armorum potentia pollicebantur. Habent enim Romæ ſacro ex hoc fœdere populi communia munera, communes dignitates, & ipſam ſupremam ſacrorum poteſtatem communem. Habent & civiles leges jure Pontificio munitas & explicatas, ut, quidquid præclari contineret imperium, in Eccleſiam videamus eſſe translatum. Habent in conſpicuo rerum divinarum arbitro judicii ſecuritatem ad controverſias dirimendas, ac tranquillandas animas, fruſtra pacem in privata ſua vel alterius auctoritate quærentes, & ad cohibendos civiles tumultus, quibus ex varietate Religionum regna quaſſantur, atque ad incertum vel popularem ſtatum revolvuntur, ſtatim ut unicus & ſummus Religionis interpres contemnatur. Habent poſtremo Romanæ auctoritatis cultores præter divina, quibus omnia ſubiacent, humana etiam bona, quorum ad culmen nihil profecto deeſſet, niſi deeſſes tu, cum quo deſunt plurima. Etenim per unum hominem terrarum novum imperium, & Conſtantinum alterum acciperemus, ſi nobis complectendum dares te, non modo votis, verum & lacrymis omnium noſtrum vehementer expetitum, poſtquam tuo de beneficentiæ fonte haurire cœpimus, tuoque munere ſacris noſtris in ditione tua locum, & iter ad Sinas impetravimus. Quibus etiam ſacris tu ſi, Deo cœptis adſpirante, ſublimem in excelſo animo tuo ſedem præbueris, qualem ſparſeris lætitiam inter cælites, qui virtutibus tuis plaudentes, & clam noſtris oculis in occurſum amplexumque tuum deſcendentes, floribusque ſternentes humum tibi calcandam, ad matrem communem animarum, novum filium eum tot regnorum comitatu venientem deducerent, præirentque in poſterum legiones, turmasque tuas Africam, & Aſiam ſanctis, & felicibus auſpiciis noſtris ab impiæ dominationis, & æternæ damnationis calamitatibus liberaturas. Indeque te Trajano meliorem, & feliciorem Auguſto prædicaremus. Quod noſtris, & Eccleſiæ univerſæ precibus annuas Deus. Kalendis Majis M DCC VII.

ORATIO
DE
JURISPRUDENTIA,
AD
SUOS JURIS CIVILIS AUDITORES.

Divina Providentia, * qua univerſa ducuntur atque gubernantur, cum omnibus per latur eventis, tum duabus hiſce maximis humanarum rerum converſio-

* Quemadmodum opuſculum primum librum ſecundum originum juris in com-

nibus mirabiliter ſeſe patefecit, diſperſione ſcilicet Judæorum atque fuga, & victoriis Romanorum. Illis enim divini, at his humani juris inter mortales eſt ratio diſtributa. Judæi ſane patria profugi, quocunque terrarum penetrarent, cum divinæ ſecum legis arcana deferrent, commercio atque conſuetudine plurimarum gentium, ſcintillas divinarum notionum longe lateque diffuderunt: quibus etſi non omnes ante Chriſtum tenebræ ſolvebantur, tamen exceſſit e ſapientiorum animis multitudo Deorum, cultusque illius abſurda ſuperſtitio deflagravit. Unde orta poſt Evangelii luce, cum in Apoſtolorum vocibus ubique pervolantibus Judæi patrum ſuorum vaticinia recognoſcerent, & exteri ſapientes præceptas Judæorum commercio notiones cum Apoſtolorum nunciis componerent; dum nova cum veteribus concurrebant, & Philoſophia cum Religione conſpirabat, univerſus terrarum orbis mira celeritate ad veri numinis cultum exarſit. At humana ratio e divina luce ſuſcepta, cujus dubius modo fulgor primorum parentum culpa ſuperfuit, morum barbarie, quæ ad omnes pene nationes veluti contactu proceſſerat, adeo langueſcebat, ut homines a belluis oratione magis, quam honeſtate, ac moribus diſcernerentur. Sane Græcorum populus, non cultor modo, ſed auctor atque inventor erat honeſtatis; verum quia ſuum anguſtos intra fines continuit imperium, ſeipſum tantum publice, at exteros privata diſciplina Philoſophorum excoluit, minime vero nationes integras barbarie ſpoliavit; ſcilicet hanc Deus Optimus Maximus gloriam atque felicitatem Romanis reſervaverat, ut ſuis præliis condocefaceret genus humanum, genteſque ab ſe devictas non jugo premerent ſervitutis, ſed a ferinis moribus & ab immanitate ad veram libertatem, nempe ad honeſtatem & rationem, ſuis revocarent legibus, quibus tantum propagandis, Populus Romanus felici victoriarum curſu, a divina providentia rerum humanarum arbitrium videtur accepiſſe. Non enim hominibus illi bellum indixere, ſed vitiis, atque, ut humanitatem homini redderent, arma ſumſerunt: cum ii, qui Romanis vivebant legibus, non tam victori populo parerent, quam imperio rectæ rationis obtemperarent. Quamobrem ſubjectos illi ſuos raro nota ſervitutis inurebant, ſed honore amicitiæ atque ſociorum appellatione complectebantur: ſæpeque, illis a barbaris moribus ad Romanarum legum ſanctimoniam traductis, civitatem Romanam aperiebant & civilium honorum viam, quo intelligerent, non ſervos a Romanis tot bellis quæri, ſed comites atque conſortes honeſtæ vitæ, quæ a victorum legibus cunctis populis proferebatur. Quocunque igitur arma legeſque Romanorum incumberent, inde confeſtim iniquitas excedebat, atque turpitudo.

Quemnam enim fugiunt impia filiorum, & parentum apud Perſas conjugia, humanarum carnium epulæ apud Indos & Scythas, fratrum & ſororum nuptiæ apud cultiſſimos alioqui populorum Athenienſes, furtorum apud Lacedæmones licentia? Quis ignorat veterum Germanorum feritatem, Gallorum truculentiam,

pendio ſiſtebar, ſic hac oratione proponitur epitome earundem originum libri primi, adſperſis tamen quibusdam notis, qualia fuerint commemoratio Jani Parrhaſii Coſentini cum Gravinæ, p. 5 1., claſſis Jureconſultorum ſemonum Deorum, pag. 5 3., & quæ ibidem de Antonio Auguſtino dicuntur: admonitio denique Theologorum, pag. 594. Exordium Auctoris de præſtantia Populi Romani in armis & legibus locum pedibus Auctoris ſæpiſſime tritum aperit

Afro-

Afrorum immanitatem, vel humanis victimis cædendis, vel fallenda fide, vel iniquis contractibus ineundis, vel obſcænis, atque nefariis libidinibus exercendis, quæ flagitia, non vi, aut clam, ſed palam, ac rite ſuſcipiebantur? ea tamen omnia Romanis armis & legibus terga verterunt, ſuasque ſecum abſtulere peſtes. Ita ut vincentibus Romanis non modo jus de injuria, fortitudo de ferocia, ſed humanitas de crudelitate, modeſtia de obſcœnitate, honeſtas de turpitudine, virtus denique de vitio & feritate triumpharet. Hinc D. Auguſtinus ait: *per Populum Romanum placuiſſe Deo terrarum orbem debellare, ut in unam ſocietatem Reipublicæ legumque perductum longe lateque pacaret.*

Optimis enim condendis legibus adeo Romani ſtuduere, ut dum victricibus armis provincias ingrederentur, ſi quæ illic honeſta inſtituta reperirent, in ſuas leges moresque traducerent. Unde, ne alias attingam, Rhodiorum leges rei navali regendæ præ ceteris idoneas in civitatem acceperunt. Hinc jus civile non modo ex ingenita Romanis moribus probitate, diſciplinaque ſapientum, ſed e melioribus gentium aliarum inſtitutis coactum fuit atque compoſitum, ut non tam unius populi jus exiſtimari debeat, quam honeſtas ipſa naturæ ſcriptis tradita, & communis ratio gentium univerſarum ad ſingulas res, perſonas, eventusque producta.

Hinc mirabilis illa Romanarum legum cum Moſaicis convenientia veteri JCto animadverſa: hinc liberarum etiam gentium in eas conſpiratio, atque conſenſus. Hinc earundem etiam, cedente imperio, in univerſo prope terrarum orbe continuatio. Hinc jus civile, inundante barbarorum ferocia, ſolum illico vertit; barbarie vero abeunte, gradum revocavit, quo intelligamus, illud non niſi cum probitate ac ſapientia, cultuque bonarum artium coaleſcere. Quanquam enim quis Romanum imperium ſibi excutiat, non tamen ſe unquam Romanis legibus exſolverit, niſi repudiet ſimul honeſte vivendi conditionem. Quisquis enim recta ratione in ætate utetur, & honeſtatis anticipationem ad uſum civilis commercii deducat, per ſemet Romanis legibus conveniet; Romanusque JCtus erit, quisquis recte de moribus & juſtitia ratiocinetur. Romanum enim jus eſt honeſtas ipſa naturæ, quam exſculpſit e mentibus Philoſophia, Romanique mores pie ſancteque coluerunt. Nam, ne quid attingam de Romuli Tulliique legibus, certe Numa, qui propter ſapientiæ famam e Sabinis fuit ad regnum evocatus, cum excelleret ipſe Græcorum Italicorum doctrina, duxit ex ea leges, quibus ferocientem populum demulſit, & cicuravit: &, antequam in Græciam Romani legatos petitum leges mitterent, habebant in Italia præclaram Philoſophorum ſectam, unde morum diſciplinam tollerent. Ea erat Pythagoreorum Philoſophia, cujus inſtitutis omnis ea tenebatur Italiæ regio, ævo illo doctrina & omnium artium inventione atque elegantia præcellens, quæ, cum tota Græcis coloniis, moribus, & peregrinationibus celebraretur, Magna Græcia dicebatur. Ex qua cum in univerſam Italiam doctrina permanaret, tanta ſectæ illius apud poſteros manſit auctoritas, ut conturbato diſcrimine temporum, ii etiam, qui Pythagoram præceſſerant, Sapientes Pythagorei vocarentur; unde natum, ut Numa Pythagoreus haberetur, cum longo intervallo temporis Pythagoram anteierit. Fuit enim Pythagoras in Italia temporibus iisdem, quibus Lucius Brutus Tarquinios Roma ejecit: qui error in mentes irrepſit, quia Pythagoreum nomen tanta erat auctoritate, ut non jam certæ ſectæ,

[illegible]verſæ ſapientiæ appellatio fuerit ac nota. Hac autem doctrina nequaquam crediderim [illegible]iſſe Romanos, publicæ diſciplinæ recte inſtituendæ ſtudioſiſſimos, & ſummorum ad Pythagoreos confluentium exemplis excitatos. Legati autem quærendis legibus miſſi, non modo Athenienſium & Lacedæmoniorum, ſed celebriorum omnium Græciæ atque Italiæ populorum leges deſcripſerunt, in quibus eminebant eæ, quas Magnæ Græciæ urbes a Pythagoreis acceperunt, quasque etiam a tribus legatis fuiſſe deſcriptas, tradidit Servius in Virgilium.

Athenienſium autem leges, unde Decemviri potiorem juris Romani partem traxerunt, Draconem & Solonem, ut omnes norunt, auctores habuere, ſapientiſſimos illius ætatis, qua ſtudia doctrinarum non ad inanem gloriam, ſed ad uſum Reipublicæ vertebantur. Leges vero Lacedæmoniorum, cum ceteris Romani a legatis tranſlatæ, manarunt etiam a Philoſophia: quippe latæ a Lycurgo mortalium ſapientiſſimo, qui Homeri, ſapientum omnium parentis, atque magiſtri primus poemata vulgavit. Leges vero, e Græcia Romani relatæ, non modo Decemviros, qui prudentia potius & uſu rerum humanarum, quam literis valebant, ſed & Græcum hominem habuerunt adminiſtrum, eumque doctiſſimum, qui auctor fuerat Romanis rogationis legum e Græcia petendarum. Hermodorus is fuit Epheſius, qui tum in Italia exulabat, nullam aliam ob cauſam, ut Heraclitus apud Tullium tradit, a civibus ſuis expulſus, niſi ne quis inter eos eſſet, qui unus excelleret. Cum igitur jus noſtrum e Philoſophiæ ſinu defluxerit, ejusdemque manu in Romano ſolo coaluerit omniumque ſapientiam huc attraxerit; quid mirum, ſi a Cicerone XII. Tabulæ omnium Philoſophorum bibliothecis anteferantur? Quid enim eſt aliud jus Romanum, niſi ratio imperans, & armata ſapientia, ſententiæque Philoſophorum in publica juſſa converſæ? His autem jactis civilis Philoſophiæ fundamentis cohærebat optime, quidquid ſuper his exſtruebatur a Juriſconſultis, qui priſco ævo erant Pontifices, quorum e collegio, veluti ex tripode, reſponſa de jure proferebantur. Ac ſane hi non tam ratione atque ſcientia, quam æquitate nativa atque collatione ſimilium exemplorum, leges ad oblatas controverſias producebant: quod ſtudium appellabatur diſputatio fori, unde proceſſit priſca Juriſprudentia, quæ collectio erat atque complexio peculiarium quæſtionum atque diſſimilium ſpecierum, quas vetuſtiores Juriſconſulti ex obſcura legum ſententia, per interpretationem eruta, definierant. Quo circa incondita erat initio Juriſprudentia & rudis, ut multis ac præcipue L. Craſſo deſiderium cieret juris civilis in artem redigendi; donec repertus eſt Ciceronis ævo, qui ad moralem Philoſophiam, quæ leges peperit, adjungeret rationalem qua Juriſprudentia deinceps [illegible] in [illegible], ac tandem in artem redigeretur. Servius is fuit Sulpicius, [illegible] Juri[illegible]ultiæ pater, qui Dialecticam e Græcia in Juriſconſultorum ſcholas advexit.

Ea docuit ex pluribus ſimilibus in unum coactis conſtituere regulas, & ſingulas res ad ſua revocare genera, eaque rurſus in certas diſtribuere partes. Ea [illegible] jus civile compoſuit, diſtinxitque diviſionibus, & ex conſtitutis [illegible] conſequentia deduxit, rationemque reddidit, qua [illegible] ex notis [illegible]entur. Ea denique effecit, ut peritia in ſcientiam tranſiret, & uſus migraret in artem, quæque diſſ[illegible] vel confuſa, [illegible] concederent. Quamobrem Philoſophia, quæ apud Græcos in otioſis controverſiis deliteſcebat, Romæ

Romæ adhibebant; ad privatam utilitatem & publicam tranquillitatem explicandis legibus, & civium litibus privato Juriſconſultorum judicio ſopiendis. Tanta enim eorum erat auctoritas, ut ſæpe cives a contentionibus reſponſis ſuis avocarent. Unde merito M. Tullius ex perſona L. Craſſi domum Juriſconſulti appellavit totius oraculum civitatis. Præter moralem, & rationalem Philoſophiam Jurisprudentia ſociam ſibi, atque adjutricem adhibuit eruditionem, & notitiam vetuſtatis, & priſcæ linguæ peritiam, quibus luminibus ſenſus veterum legum, novis moribus novisque vocabulis mutatisque ſignificationibus obſcurati, felicius evolverentur. Ex quo ſtudio ſcripta Juriſconſultorum non modo ſelectam, ac minime vulgarem eruditionem, ſed & mirum linguæ Latinæ candorem imbiberunt, qualis vel cum aurea Ciceronis ætate contenderit: quam ingenitam juri civili eruditionem, & ſcribendi nitorem diu poſt oppreſſam a barbaris Italiam exulantem princeps reduxit Alciatus. Hinc apud Gellium crebræ de proprietate vocabulorum, primævisque ſignaficationibus, vetuſtisque ritibus quæſtiones inter Juriſconſultos agitatæ.

Verum, ut orationem referamus ad Juriſconſultorum Philoſophiam, ſectam refert cognoſcere, ad quam illi potiſſimum ingenium appulerunt. Et quoniam jura veruſtiorem originem traxerunt a Dracone Athenienſium legislatore, qui omnia fere delicta, quamvis imparia, æquali ſummoque ſupplicio plectebat; quod congruit ſententiæ Stoicorum, qui omnia peccata æqualia pronunciabant, quique ad honeſtatem omnia referebant, cunctaque ponebant in ſola virtute, quæ ſententiæ Romanis moribus virtutis amore flagrantibus facile adhæreſcebant, plurimumque conveniebant gravitati civilis doctrinæ: ideo univerſi fere Juriſconſulti ad Stoicam doctrinam confluxerunt, ejusque ſectæ decretis rexerunt alueruntque Jurisprudentiam. Etenim Scævolarum familia, quæ propago fuit Juriſconſultorum, & Lucius Balbus, & M. Brutus, & quotquot fere ante Servium Sulpicium Juriſconſulti Græcas didicere literas, a Stoicis fuerunt inſtituti, eorumque doctrinam Jurisprudentiæ contextam poſteritati tradiderunt. Ac ne ulla in re Jurisprudentia diſcreparet a Philoſophia, quæ mira ſectarum varietate diſtrahebatur, quanquam una Stoicorum ſecta Jurisprudentia contineretur, tamen ex Juriſconſultorum contentionibus etiam in jure civili ſunt facta divortia.

Duo enim Auguſti ævo claruerunt Jurisprudentiæ lumina Antiſtius Labeo, & Attejus Capito, doctrina pares, ingenio vero longe diſſimiles. Labeo enim hæreditaria & nativa animi libertate, cum in omnibus fere vitæ actionibus, tum in definiendo ac reſpondendo nimis ingenio indulgebat, frenumque ſæpe numero mordebat: ita ut non modo veteribus Juriſconſultis opinionum novitate, ſed Auguſto etiam linguæ licentia contradiceret. Attejus vero & iis, quæ ab antiquis tradita erant, conſtanter hærebat, & in vitæ actionibus tempori ſerviebat Principisque gratiam ſemper veritate potiorem habebat: ita ut illius libertas eſſet aſperior, hujus aſſentatio pernitioſior: ille Principi, populo hic eſſet inviſus; ille ſpretis, hic vero adeptis honoribus clareſceret. Cum autem uterque ſe ad docendum ſæpe dediſſet, & juris ambiguitates contraria ratione dirimeret, atque in controverſiis alter ab altero diſcreparet; Atteji Capitonis doctrinam, ejusque in rebus dubiis opiniones complexus eſt Maſurius Sabinus, cujus diſcipuli Sabiniani ſunt appellati: Labeoni vero Nerva ſe adjunxit, Nervæ Proculus, a quo facta eſt [illegible] Itaque more Philoſophorum in variis juris articulis diu inter ſe Sabiniani, & Pro-

 culiani

culiani conflixerunt usque ad Julianum, edicti perpetui compoſitorem: eos vero, qui erant ſub Papiniano, in illius ſententiam omnes arbitror fere conceſſiſſe. Cur enim dubitarint privati ſeſe Papiniano ſubjicere? cum Imperatores ipſi tantum ei tribuerint, ut ex ejus auctoritate juris ambiguitates diſſolverent, & e diſcrepantibus Juriſconſultorum ſententiis eam præferrent, a qua Papiniani ſtetiſſet auctoritas. Quæ adeo invaluit, ut juris auditores, qui primum ſtudiorum annum τοῖς πρώτοις, & Juſtiniano; alterum edicto prætorum dabant; tertium Papiniani libris occuparent, eoque ineunte feſtum diem Papiniano hilares celebrarent, & a Papiniani ſtudio Papinianiſtæ dicerentur. Ex hujus diſciplina prodierunt inter ceteros Julius Paullus, & Domitius Ulpianus; cujus tanta fuit in antiquitate veſtigandi ſedulitas, tanta de priſcis vocibus & originibus verborum atque primævis ſignificationibus anxietas, ut majorum ſtudio a minimis haud averteretur, &, cum grammaticas quæſtiunculas aliquando importune ſuſcitaret, ſpinarum collector diceretur, & Græco vocabulo κειτουκειτός, quod ſæpe de literatoribus quæreret, exſtaret ne aliquod, an non exſtaret. Hic auditorem habuit Herennium Modeſtinum, in quo deſiit civilis Philoſophia. Is enim poſtremus ad jus civile ſcientiam contulit, qui enim poſtea ſucceſſerunt, non tam ſcientia præſtitere, quam uſu, colligendis, præcidendis, atque digerendis veterum ſcriptis, quales, ut Tribonianum cum ſociis reticeam, fuerunt Hermogenianus, Gregorius, Leontius, Anatolius, Thalelæus, Salaminius, & qui ſub Imperatore Baſilio, ſive, ut aliqui opinantur, Leone, ut Juſtiniano gloriam compoſiti juris eriperent, juſſu ſuorum Principum, e Juſtiniani libris interpolatis Græceque converſis, Baſilicorum libros condiderunt, quibus usque ad Conſtantinopolis excidium Græci ſunt uſi, cum gloſſis Stephani Nicæi, Taddæi, Eudoxii, & aliorum, qui προχειρῷ ac ſynopſi ſcribenda ſunt delectati, cujusmodi eſt, quam Harmenopulus extulit, univerſi juris epitome.

Italia vero primo a Gothis, deinde a Longobardis aliorumque barbarorum colluvie occupata, & priſca libertate Romaniſque moribus tandem exuta, non modo victricium ſuarum legum luce caruit, ſed exoticis Longobardorum juribus diu obtemperavit, dominaque rerum humanarum leges accepit a ſervis & mancipiis quondam ſuis. Deletis autem Caroli Magni virtute Longobardis, legum barbariem ad Lotharium II. usque retinuit, quo tempore in Amalphia libri Digeſtorum reperti, præmioque latæ opis adverſum Rogerium Piſanis traditi, poſteaque, capta Piſa, Florentiam tranſlati, Pandectarum Florentinarum nomen acceperunt. Fertur autem conſtitutionum codex emerſiſſe Ravennæ, quo, ſimul cum ſumma Italici imperii, legum etiam imperialium incubuerat auctoritas. Itaque reviviſcentibus Digeſtorum libris exarſere ſimul omnium ſtudia, cunctaque Italia ſuas ad leges recipiendas vulgandasque converſa eſt, veluti ad imaginem veteris imperii, atque ad monumentum priſtinæ libertatis. Erat eo tempore in comitatu Matildis Auguſtæ Juriſconſultus inſignis, Conſtantinopoli eruditus, Irnerius, quo adminiſtro maximis in rebus Lotharius utebatur. Is Imperatori auctor fuit Romani juris edicto reſtituendi, reducendique in academias & ſcholas, ut eo deinceps jure quacumque ipſius pateret imperium, populi uterentur. Irnerius & ipſe jus civile Bononiæ ſibi ſumſit explicandum: quem poſtea exceperunt Bulgarus, Placentinus, Odofredus, Azo, & ejus diſcipulus Accurſius, qui non ſuos modo magiſtros (quorum tamen interpretationes adſcripſiſſe ſibi dicitur,) ſed omnes ante ſe cum Græcos, tum Latinos Juſtinia-

ſtinianei juris Interpretes, Cujacio judice, antecelluit, ab ipſo tandem Cujacio ſuperatus, a quo unico vinci opimum duco triumphum.

Atque hi cum diſcipulis corpus quidem Romani juris, involutum tenebris, quantum per obſcuritatem temporum licuit, detexerunt: mentem vero ipſam juris civilis, in Romanis antiquitatibus & ſaniori Philoſophia retruſam, evocare cœpit Andreas Alciatus, poſtquam Vallæ primum, deinde Politiani, & Jani Parrhaſii Coſentini vocibus excitata Latina, & Græca eruditio in patrium ſolum, ſimul cum priſca eloquentia & arte critica, remigravit. Alciatus enim a Jano Parrhaſio Græcis & Latinis literis inſtitutus, atque omnibus artibus elegantioribus excultus, primam extulit purioris Juriſprudentiæ facem, qua non modo Italiam, ſed Galliam illuminavit univerſam, quo conſueta civium invidia ſtomachatus, & ampliſſimis præmiis a Franciſco I. allectus, ad docendum in Bituricenſi ſchola jus civile conceſſit. Eo, ut ſunt Gallorum ingenia cupida rerum novarum, pronaque ad meliora pro vetuſtioribus capeſſenda, e regione univerſa ſummo ſtudio ad Alciatum concurrebatur. A quo juventus excitata tantum brevi promoverunt, ut integram nobis perfectamque reddiderint Juriſprudentiam. Itaque acceptam olim humanitatem ab Italis Galli, jure civili reſtituendo rependerunt. Vel unus enim Cujacius non omnes tantum interpretes vicerit, ſed ipſos pene dixerim veteres conditores provocaverit. Jactis autem ab Alciato ſeminibus, læta continuo ſeges civilis doctrinæ ex ingeniorum alacritate ac ſtudiorum aſſiduitate pullulavit, auditusque eſt in Gallia mirus concentus Juriſconſultorum, erudite interpretantium, & inter ſe de doctrina contendentium, quorum plerique a munificentia regia Biturigibus juventuti erudiendæ ingenti mercede conducebantur. Docebat etiam Avenione laude haud vulgari Æmilius Ferrettus Etruſcus, cujus in diſciplinam ſeſe tradidit Antonius Goveanus Luſitanus, vir in explicando jure civili tam acutus atque perſpicuus, & ſimul parcus, ut, ſi ſerium huic ſcientiæ operam navare voluiſſet, neque paucis titulis explicatis exiguisque variarum lectionum libris contentus fuiſſet, ne Cujacio quidem, ut ipſemet fatetur, in jure civili reliquiſſet locum.

Extulit eadem ætas Franciſcum Hottomannum, qui Tullianam ſcribendi venam attulit ad jus civile, eique reddidit Romanæ hiſtoriæ lucem, veteriſque Juriſprudentiæ cunabula eruit e Ciceronis libris, ubi recondebatur. Hic ſemel atque iterum vocatus, ut Biturigibus jus civile doceret, indeque factionibus ejectus, jactatusque civilibus odiis, diu cum uxore ac liberis profugus & errabundus, attrita re familiari, direptaque inſigni bibliotheca, Deo vindici deſertæ Religionis pœnas dedit. Novæ enim hæreſis ab eo ſuſceptæ perfidia omnem illi ſtudiorum fructum & gloriam abſtulit. Æmulatione doctrinæ graves geſſit cum Jacobo Cujacio ſimultates, quem in aliquibus libris non obſcure carpit, cujusque ingenii ſupra ceteros præſtantia ſimul ut eluxit, omnium Galliæ Juriſconſultorum invidiam laceſſivit. Hottomannus vero quanquam palam Cujacio detrahebat, tantum tamen ei tacito judicio tribuit, ut filio natu maximo in mandatis dederit, ne Davidis Pſalmos & Cujacii paratitla e manibus unquam deponeret. Hugonem Donellum, qui & ipſe Biturigibus magna laude docuit, jurique civili in artem redigendo haud infeliciter vacavit, ſocium habuit ſtudiorum & fortunæ, quem etiam ſcelus mutatæ Religionis diu agitavit.

Summa

Summa vero celebritate Biturigibus jus Romanum expoſuit Duarenus, pari eruditione atque ſcientia, qui, etſi noſtratibus interpretibus fuerit iniquior, ſæpe tamen, quorum contemnit barbariem, arripuit doctrinam, cui ſuperfuſa ſermonis elegantia effecit, ut faciem ſimul mutaret, & dominum. Franciſcus etiam Balduinus in Bituricenſi ſchola eadem ætate docuit, egregiamque veteri Jurisprudentiæ revocandæ operam præſtitit, poſteaque ſe ad Germaniæ ſcholas erudiendas contulit, Tullianamque Jurisprudentiam e Ciceronis libris prolaturum ſe ſperabat, ſi otium aliquando in vita nactus eſſet. Eguinarius Baro, etſi non acutiſſimus in explicando, tamen ſtudioſus erat antiquitatis. Nec prorſus Connani ſtudium fuit inutile, qui ex uberioribus juris civilis locis, ordine ſuo diſpoſitis, commentarios contexuit. De quo erudito alioqui viro Cujacius, cujus integritatem judicii nullum unquam, neque odium, neque gratia flexit, *Connanus*, inquit, *doctiſſimus quidem vir, ſed non juris. Corrumpit judicium, & tempus perdit, qui illud in ejus commentariis ponit.* Humanius tamen velim de tanto viro.

Verum hos, atque alios ejusdem inſtituti Juriſconſultos, poſt laceratum Romanorum imperium erudittiſſimos, Jacobus tamen Cujacius perſtrinxit, & occupavit *ſtellas exortus uti æthereus Sol.* Ornarunt enim alii, atque explicarunt: hic vero peperit denuo Jurisprudentiam e Cujacii mente, velut Minervam e Jovis cerebro, editam. Totidem enim ille Juriſconſultos expreſſit, quot ſibi ſuſcepit explicandos, ita ut in uno Cujacio Papinianum, Paullum, Scævolam, Ulpianum, Africanum, Modeſtinum ſimul cum ſua quemque dicendi forma revixiſſe crederes. Cogitando enim atque ſcribendo adeo refert mentes animosque veterum, ut non collecta longo ſtudio, ſed ab ipſo primum omnis cum Juriſprudentia divinitus concepta videatur antiquitas. Invidentem omnibus Cujacii gloriam præſenſere ſui temporis Juriſconſulti, ac præcipue Duarenus, & Donellus eum in Bituricenſi Academia Balduini loco adſcitum iniquiſſime tulerunt, ita ut ex diſcipulorum factionibus tumultus orirentur, quos Cujacius, feſſus æmulorum inſidiis, diſceſſu ſuo compoſuit. Quæ invidia mire ſtudiorum ei curam exacuit, itaque ſæpe prædicabat, Duareni ſtimulis acceptum ferre ſeſe quidquid in Jurisprudentia profeciſſet. Philologos & Hiſtoricos veteres nunquam a Jurisprudentia diſtraxit: eorum enim ſtudio, tanquam hamo, ſe in jure civili piſcari dicebat.

Sane qui Philologiam exiſtimet a Jurisprudentia poſſe divelli, idem petierit, ut navis communis cum ſocio dividatur. Verum ex omnibus Cujacii laudibus hanc duco maximam, quod Romanæ Religionis fuit in tanta Galliæ fluctuatione tenaciſſimus. Cujacio quem propius collocem, habeo neminem præter Jacobum Gothofredum, Antonium Fabrum, & Barnabam Briſſonium. Is, ab adoleſcentia defendendis cauſis & forenſibus judiciis deditus, tamen iis temporum intervallis, quæ relaxandis animis vacant, adeo ſibi erat avarus otii, ut e medio forenſium occupationum pelago ad non minus laborioſum antiquæ Jurisprudentiæ ſtudium, velut in portum ſeſe referret. Itaque præter abſtruſa legum vocabula, partesque alias juris veteris in lucem prolatas, ritus omnes atque ſolenniores verborum formulas, quibus civile ac ſacrum Romanorum commercium irretiebatur, ex infinita varietate ſcriptorum, obſcurisque ambagibus mirabiliter extricavit: ita ut ſermonis elegantiam pluribus, huic vero uni ſacram atque ſolennem Latinæ linguæ ſupellectilem debeamus.

Atque

Atque hos, initio ab Alciato facto, liceat mihi vocare majorum gentium Juriſconſultos, inter quos Cujacius omnium ætatum judicio ſummus erit Juppiter. Quid nunc vero commemorem Semones Deos, Dionyſium nempe Gothofredum, Petrum, Fabrum, Rævardum, Corraſium, Coccejum, Merillum, Maranum, Robertum, Charondam, Zaſium, aliosque numero potius illis majores, quam doctrina pares?

Non tamen adeo Italiæ vertit male, ut omnis cum Alciato ſuo Juriſprudentia in alienas terras commigrarit. Nam dum hic ei quieto vivere licuit, ac Bononiæ juventutem erudire, plures peperit ſelectioris doctrinæ Juriſconſultos, etſi neminem prorſus cum Cujacio comparandum. Excelluit autem in primis Antonius Auguſtinus, qui ortum quidem Hiſpania traxit, doctrinam vero & gloriam ab Italia. Quam autem Bononiæ ſub Alciato ſcientiam auxit, adduxit in forum Romanum, ubi inter duodecim viros litibus judicandis, quos Rotæ Auditores appellant, a Pontifice lectus, collegium doctrina celeberrimum auxit ipſe nova ingentique gloria. Nec enim civile modo jus & profanum, ſed & ſacrum atque omnem prope Romanam antiquitatem emendavit. Nec doctrinarum tantum, ſed morum etiam eluendis maculis natum diceres: tanto ardore atque ſpiritu in Tridentino Concilio, adverſus temporum corruptelam, pro priſca Patrum diſciplina dimicavit.

Poſtremo haud mihi reticebitur Guidus Pancirolus, illuſtriorum ſcholarum in Italia magiſter eximius, qui cultiori Juriſprudentiæ univerſæ antiquitatis notitiam eruditiſſimis libris comprehenſam attexuit.

Cum igitur, ut brevi narratione oſtendimus, Juriſprudentiæ Philoſophia incunabula dederit, eique lucem a barbarie ademtam reddiderit eruditio; ecquis juris civilis ſtudium faſtidierit, ut inconditum & rude, aut perfectam eruditionem ſine juris civilis cognitione ſibi aſſumſerit? Quid enim eruditius eſſe poteſt ea ſcientia, quæ cum arcanis Latinæ linguæ, cum antiquiſſimis Græcorum & Romanorum moribus reconditaque hiſtoria, & exquiſita ratione temporum adglutinata eſt, atque permiſta? Et quoniam pro variis imperii converſionibus Juriſprudentia mutavit aſpectum, ut e ſingularum ætatum legibus recta ſententia colligi poſſit, eaque trahi ad ſimilia; mores illarum ætatum, regimen, magiſtratus, profani, ſacrique ritus, & ſolennia diſtinguenda ſunt, atque notanda. Nam neque Decemvirorum ætas, qua utimur ad interpretationem legum XII. tabul. ſufficerit explicandis poſterioribus Plebiſcitis, aut Senatusconſultis, aut Prætorum edictis, quorum temporibus aucta multitudine jus cœpit eſſe remiſſius atque benignius, quo facilius ad tantam ingeniorum atque morum varietatem flecteretur: neque libertatis tempora ſatis fuerint explicandis Principum conſtitutionibus, quibus novi magiſtratus, nova munera, novique ritus novis vocabulis exprimuntur. Quid de varietate negotiorum dicam, quæ varietatem peperit vocum? quarum ſenſum ſi abſque Philologia veſtigabimus, perinde fuerit, ac ſi conemur ſine remis veliſque navigare. Cum autem tanta eruditio juri civili advolvatur, poteritne, qui legum ſtudia contemnit, ea eruditione non carere, aut qui ea eruditione caret, ſatis eruditum ſeſe gloriari? Quid? Oratores poteruntne ſine fraude Juriſconſultorum lectione abſtinere, quorum libri mira majeſtate atque ſplendore collucent? Quid enim dicam de Latinitatis candore poſteriori ætate neglecto fere ab omnibus, & peregrina labe corrupto, a ſolis autem Juriſconſultis ad exemplum ætatis aureæ revocato? Quid commemorem De-

Ffff moſthe-

Digitized by Google

moſtheneam eorum ſtili vim atque frugalitatem? Quid felicitatem prope Tullianam? Quid reſpondendi gravitatem Delphica tripode plane dignam? Philoſophi vero ſi juſti, atque injuſti cognitionem generatim ſuſceptam ſingulis perſonis certiſque negotiis & eventis definite velint adhibere, poteruntne ab aliis dirigi, quam a JCtis, non verbo, ſed re atque uſu, Philoſophis, quorum reſponſis communis vitæ officia ſigillatim & enucleate deſcribuntur, & juſti atque injuſti pondera ſingulis in cauſis atque perſonis mira æquitate librantur?

Theologi vero tandem, ſi nihil aliud a Juriſconſultorum libris addidicerint, invenient in iis, quo coarguant corruptam morum doctrinam, exemplisque ſeveritatis, e juris conditoribus petitis, opinionum licentiam coërcebunt: quo pudeat nos Chriſtianæ legis auſteritatem profitentes, adeo remiſiſſe diſciplinam, ut a JCtis, Evangelica luce deſtitutis, interpretandi candore, amoreque juſtitiæ, atque ſententiarum gravitate vincamur.

Nunc obſecro vos, Adoleſcentes Jurisprudentiæ ſtudioſos, reputate animo ſtudiorum veſtrorum dignitatem, quo alacriter eam ſcientiam inſiſtatis, in quam veterum novorumque criticorum eruditio, ſublimiorque Philoſophia, & univerſa hiſtoria, atque omnium temporum prudentia conceſſerunt. Dixi.

Habita Romæ.

ORATIO
DE
CANONE INTERIORI, *
AD
SUOS JURIS PONTIFICII AUDITORES.

Veſtra, Juvenes, in hoc Archigymnaſio aſſiduitas atque modeſtia, veſtraque diſcendi cupiditas poſtulare videtur a nobis, ne proximis vacationibus vos absque aliqua utilitate atque occupatione, ſtudio veſtro digna, dimittamus. Cum autem quotidie ſacros a nobis exterioris diſciplinæ canones accipiatis, decet ſane, ut, inſtantibus jam ſolennioribus pœnitentiæ temporibus, recurrentibusque annuis diebus funeris illius, unde nobis beatæ vitæ proceſſit æternitas, referatis hinc vobiſcum interioris diſciplinæ rationem; ex qua, quisquis veſtrum ab ſtudio legum jus reddere aliis addiſcit, ſciat in poſterum, quod eſt longe difficilius jus

* Huic orationi principem inter reliquas locum tribuimus, adeo ſancta eſt & plena optimæ frugis, dignaque, quæ ſtudioſis hominibus legenda detur, antequam ad reliqua acceſſerint. Commendat ea Auctor ſtudium pietatis &, quæ partes ejus ſunt, humilitatis & patientiæ Chriſtianæ, idque ſummo verborum & argumentorum pondere. Sine pietate autem etiam curæ noſtræ cinis ſunt. In tranſitu Philoſophiæ Platonicæ amorem profitetur, Philoſophiam ſimul perſtringens Scholaſticam, & ſimulatæ quorundam pietati opponens ſimplicitatem honeſtatis in ipſo uſu boni & æqui conſiſtentis.

reddere

reddere ipſi ſibi, atque ab animo ſuo propulſare injurias corporis: quique totos dies a civili ſcientia docetur alios regere, norit, quod magis intereſt hominis, regere ſemetipſum, nec modo cum civibus, dum in hac vita mortali moratur, verum & cum propriis affectionibus tuto ac tranquille ad beatam ſpem immortalitatis habitare. Quid enim prodeſt tribuiſſe cuique ſuum, exteriorisque juſtitiæ uſu compoſuiſſe lites alienas, quando animi noſtri litigiis diſcindimur, & nobiſcum perpetuam injuſtitiam exercemus, tradentes mentem in corporis poteſtatem, iramque atque cupiditatem ſupra rationem attollentes, permutatis contra naturæ legem ſingularum facultatum officiis?

Quo igitur ſimul tranquillitate publica quisque propriam aſſequamur, oportet omnes juris regulas introrſum retrahere, artemque Juſtitiæ transferre ad animum noſtrum, ut iisdem ſapientiæ luminibus, quibus injuſtitiam compeſcimus aliorum; injuſtitiam propriam, nempe noſtrarum cupiditatum intemperantiam, perdomemus.

Igitur quia pars noſtri, quaſi lumen & oculus interior, cognoſcendis diſcernendisque rebus vacat; pars vero alia cæco appetitu ducta, volvitur in ſenſuum tenebris: ne ſimus, obſecro, adeo nobis injurioſi, ut naturæ diſſolvamus harmoniam; ſed potius ex divina inſtitutione regimen dominiumque noſtrorum omnium providenti facultati, verumque a falſo, & æquum ab iniquo diſtinguenti, unice permittamus. Ubi enim nobis ratio, quæ gubernaculum eſt animorum, imperaverit, juſtitiam pariet interiorem; perinde atque lex civitatibus præſidens juſtitiam creat externam, cum ratio lex privata ſit, lex autem ratio publica, quæ de multorum ratione conſiliisque coaluit, ut in communes cederet mores. Has boni & æqui arbiter, aſſertorque futurus, niſi noverit in ſemetipſo locare partes, nunquam extra ſe certe profecerit, quantumcunque hauſerit e fontibus civilis & pontificii juris. Vir enim injuſtus quo peritior fuerit juris, eo peccabit profecto liberius; quia pœnas cavere didicit, ac peccandi tempus novit, locumque tutiorem.

Facultates autem animi recte locare, atque intra hominem fundare juſtitiam, humana ſimul docet, ac divina ſapientia. Præ qua etſi humana caliget, utemur hac tamen, veluti cortice utuntur nare incipientes; neque omnino Philoſophiæ munera negligemus, quæ naturalis juſtitiæ vires explicavit, aſſeruitque regnum rationis humanæ, in qua, velut in tabula, divinitas cum notitia ſui honeſtatis leges inſculpſit æternas. Quas profecto leges vitiis in hominibus conſepultas exſuſcitavere Philoſophi provocantes cognitionis igniculos, ac divinæ naturæ ſimplicitatem pandentes, tollentesque multitudinis Deos: quorum auctoritate atque exemplis mortales miſeri vitia diu aluere ſua, dum ab Diis ipſis, quibus humanas affectiones adſcribebant, criminum omnium exordia ducerent.

Quamobrem Socrates, cum juſtitiam videret metu Deorum non ſatis munitam, diſputationibus ſuis prodidit pœnas interiores in animis injuſtorum, ad præſentem quoque criminum ultionem excubantes, quo intelligeremus vitia ſecum ſuos perpetuo circumferre carnifices, mœrorem nempe, tædium, pœnitentiam, & odium fugamque ſui: quibus calamitatibus ſibi cognatis injuſtitia regios inter apparatus miſerrime torquetur, & in opulentia faſtuque ſuo cruces inveniens acerbiſſime laniatur. Contra vero juſtitiam, etſi opibus omnibus exutam, continere tamen erumpentem ex ſeſe ipſos inter cruciatus beatitudinis fontem, animumque optime ſui conſcium in medio flammarum ingenti lætitia perfundentem, eaque

Digitized by Google

pœnas omnes corporis exſuperantem, quibus notionibus, tanquam aliis explicatis, Plato adeo ſuperne pervolavit, ut in libris *de republica* imaginem etiam adumbraverit infinitæ ac divinæ juſtitiæ, quæ humanitatis vitium emendavit.

Quid mirum igitur, ſi majores noſtri, & Eccleſia univerſa longo tredecim ſeculorum ſerie uni & ſummo Philoſophorum Platoni ſcholas aperuere Chriſtianorum? Quid mirum, ſi tam exiguum diſcrimen inter Platonicam noſtramque doctrinam poſt veteres Patres D. Auguſtinus animadvertit? Quid denique mirum, ſi Platonici ante alios, ab ipſo exordio Religionis noſtræ ad Chriſtiana caſtra tranſeuntes, ad eam propugnandam ſe Apoſtolis obtulerunt? Illud vero mirum eſt maxime, quod Sophiſtarum primores, ne a magiſtris redire cogantur ad diſcipulos, aſſidue garriunt, Platonem nempe, utpote nobis magis affinem, exſulare a noſtris debere ſcholis. Quaſi tutius cum hoſtibus, quam cum amicis fœdera ineantur, ac rectius nos homunciones conſulamus, quam Dionyſius Areopagita, Juſtinus Martyr, Athenagoras, Irenæus, aliique diſcipuli, ac familiares Apoſtolorum. Adimunt igitur nobis Platonicam doctrinam, quæ priſcis Chriſtianis erat quaſi quædam naturalis initiatio pietatis: dum novam virtutis vitam ingreſſuros veterum vitiorum illecebris exſolvebat.

Verum enim vero Philoſophi emendandam quidem naturam humanam autumabant, reſectis deſideriis inanibus, non tamen radicis ipſius vitium animadverterant, atque corruptelam humanitatis univerſæ: a qua niſi tota diſceſſerimus, nunquam exibimus a vitiis. Atqui non potuiſſent illi totum veterem hominem tollere, cum novum alium & meliorem ſubſtituendum non haberent. Suboluerat enim fortaſſe per Hebræorum doctrinam alicui ſapientum vetuſtiſſimo hæc humanæ naturæ contagio, veluti Herodoto, qui ex Othanis perſona dixit: φθόνος δὲ ἀρχῆθεν ἐμφύεται ἀνθρώπῳ, *homo ab ipſamet origine ſua malignitatem contrahit:* ſed quisnam alius caput hoc malorum, nempe hominem ipſum per naturam genitum, præcidiſſet? niſi Deus ipſe, qui humana carne ſuſcepta, loco veteris novum reddidit hominem per gratiam procreatum. Cui alendo ſacramentorum nobis reliquit & Evangelicæ doctrinæ cæleſtem ubertatem, per quam dum nosmet ipſos abjicimus, eosdem nos longe felicius invenimus.

Nos enim ipſos abalienantes excutimus opum honorumque cupiditatem, & livorem, & invidentiam, aliasque periculorum, & anxietatum, & laborum radices. Quibus amotis non modo temporariam, ſed immortalem tranquillitatem impetramus, deponentesque caducum hominem divinum in æternitate ſubimus: quæ merces immortalitatis non permutatione, ſed contemtu noſtri, & infinita æſtimatione meritorum Chriſti comparantur. Quibus induemur, ſi omnes appetitiones noſtras divinitati contrarias exſtinxerimus. Unde a Chriſto admonemur, ut, ſi per oculos cupiditates & libidines concipiamus, ipſosmet nobis eruamus oculos, hoc eſt vitia illa, quæ ſunt nobis cariora ipſis oculis, exſtirpemus; ne, dum eis fruimur, totum corpus, nempe vitam beatam & ſpem divinitatis, amittamus. Hinc & ab Evangelica doctrina homini ſui ipſius amor eximitur. Cum enim homo ſit concretio vitiorum, dum ſe quisque diligit, afferit ſibi vitia illa, ex quibus miſerias contrahit ſuas, ut nullius odium tantopere noceat, quam amor cujusque proprius. Hinc qui ſemet oderit, hoc eſt naturæ vitioſitatem humanæ abominetur, eadem opera ſeſe pluri-

plurimum diligit: liberatur enim a vitiis, quæ ſævius tumultuantur in amatore ſui ipſius; dum indulgendo ſibi noxiarum cupiditatum intra ſe alit incendia. Hinc eadem divina ſapientia nos hortatur, ut condamus theſaurum in cœlo, ubi nulla ætate, nullo raptore conſumitur, opesque negligamus humanas, quas longo labore paratas, & ingenti periculo cuſtoditas, fruendas relinquimus aliis, aut potius profundendas. Opes enim nemo magni faciet, niſi qui earum quærendarum laborem periclitetur; ut, cum quæſitis ab ſe per mortem imminentem nemo fruatur, & relictas ab alio quisque contemnat, nullæ divitiæ dominis proſint ſuis. Unde cogor, ſi per te, Clemens XI. licuerit, verbis tuis elegantiſſimis exclamare:

O fallaces divitias Chriſti paupertate damnatas!

Hinc ad infantium & parvulorum conditionem, ac ſtatum a Chriſto revocamur; non modo ut recentem ab eo naturam expulſa veteri accipiamus, & ad puerilis animi candorem ac ſimplicitatem remigremus, verum etiam, ut vilibus & exiguis, atque parabilibus contenti ſimus: ne quærendis majoribus ac difficilioribus longius a Deo, & a nobis aberremus.

Et quoniam opinione noſtra falſo naturales neceſſitates augentur, abſurdum fore oſtendit, ſi natura, quæ volucribus & plantis cibum veſtemque paravit, victum & indumenta inviderit hominibus, quibus non modo terram, ſed & cælum Deus benigniſſime patefecit. Ipſi nimirum nos propriis cupiditatibus neceſſitates nobis attraximus; cum hominem, ad mentis cultum procreatum, traduximus ad cultum corporis, vanis deliciis, veluti venenis, debilitantes robur noſtrum; ut præter naturæ dona opem petere cogamur ab artificiis hominum, &, cum nulli ſua regio ſufficiat, victum & veſtitum procul expectemus, vitamque totam in parandis vitæ ſubſidiis occupemus.

Superbiam vero & iram, quibus aſſidue jactamur, duobus potentiſſimis remediis compeſcuit, animi demiſſione, quam humilitatem dicimus, & caritate. Qui enim de ſe demiſſe atque humiliter exiſtimat, neque honoribus anteire concupiſcit, neque loco motus, ob acceptam injuriam excandeſcit, utpote ſuæ imbecillitatis conſcius. Quam ſane imbecillitatem quisque profiteretur, ſi humanæ naturæ languorem & appetitionum vanitatem animadverteret, ut nihil aliud ſit animi demiſſio, niſi ponderatio humanitatis, ac recta æſtimatio cujusque ſui. Quam ſi veram noſtri cognitionem accipiemus, neque bonis dignos nos, neque malis indignos arbitrabimur. Unde neque indignabimur, ſi non extollemur; neque, ſi deprimemur, omnino contriſtabimur; atque ita ſubacto animi tumore cruciatus effugiemus, qui non in parandis modo & amittendis, ſed & in gerendis honoribus perferuntur. Impetratorum enim honorum gaudium exhaurit ſtatim aviditas, anxietasque novorum; ut non tam lætum ſit præſtare minoribus, quam ſuperioribus cedere moleſtum: aucta enim dignitate creſcit ambitio, quæ ſi attigerit ſummum, nec habeat quo evagetur, tum, veluti Charybdis undas reſorbens ſuas, intra ſe vehementius exæſtuat, & omni ſpe feliciter defuncta cupiditas vertitur in mærorem. Qua de tempeſtate ſola nos a Chriſto inſtituta humilitas eripuerit: iram vero, & prolem illius odium livoremque, Chriſtiana ſola exſtinxerit caritas: quæ amorem hominis cujusque proprium ſurſum extulit, atque ad unam reflexit infinitam divinamque naturam, quæ, cum ſit orbis bonorum omnium, jure ſuo ſibi vindicat amorem noſtrum, cum extra ſe nihil bonum atque amabile inveniatur,

 niſi

Digitized by Google

niſi quod ipſius Dei cauſa ejusque juſſu proponitur diligendum; quale ipſum eſt hominum genus proximorum nomine veniens, ſine quorum amore mutuo nulla vel publica civitatum, vel privata pax extiterit ſingulorum. Non minus enim animus hominis odio & ira, quam ſeditionibus civitas turbisque diſcerpitur. Unde non mirum, ſi amor cujusque proprius, caritati oppoſitus, motum ac bellum excitat diſcordium inter ſe affectionum, quibus tum privatim, cum publice componendis caritas mutuam inter homines incommodorum tolerantiam, & commodorum voluntariam communionem inſtituit: quamvis igitur aliquibus Philoſophorum interluxerit veritas hæc humanitatis ab origine ſua vitiatæ, quod quidam ſignificare videtur, cum ait, præceptorem ſuum intellexiſſe,

- - - - vitium vas efficere ipſum
Omniaque ipſius vitio corrumpier intus:

tamen mederi malo non poterant, quia totum hoc divinum erat reparationis opus: deinde quod cæleſti hoc miniſterio duarum caruere virtutum, quarum altera cupiditatem, altera oppreſſit iram, ut Philoſophi tantum ad exſcindendam, hæ vero divinæ ſatellites ad evellendam arborem vitiorum incumbant. Qui ſeſe igitur contemſerit, haud indigne feret, ſi ab aliis contemnetur, & læſus pœnas non repoſcet: ſed ultro remittens ultionem, imo & novæ ſeſe offerens injuriæ, non modo exarmabit alienam iram; ſed pudore afficiet aggreſſorem, eumque ab inimico ſibi amicum & obnoxium reddet ſola patientia, ſeu potius magnitudine animi. Magnificentius eſt enim condonare, quam vindicare injuriam: non enim condonamus niſi victo, nec ulciſcimur niſi majorem, aut parem; ut, qui obliviſcitur injuriarum, ſi non potentia corporis, at celſitudine mentis vincat inimicum, ſibique atque aliis tranquillitatem pariat: ultio enim germinat, multiplicatque odia & pericula, remiſſio vero vertit odium in amorem. Ac ſi de nobis humiliter ſentiendo, aliosque Dei cauſa diligendo, facile feremus injurias inimicorum, longe facilius aliorum, ac præcipue amicorum, vitia ſuſtinebimus. Introſpicientes enim animi noſtri labem, trabemque oculis noſtris objectam expendentes, pro nihilo ducemus aliena ulcera, & feſtucam in oculis amicorum; ideo aliis parcendum putabimus, ſi nobis ut parcatur, expetamus.

Quid vero dicam de moleſtiis, quæ veniunt a rebus inſenſibilibus, de morbis, de tempeſtate, de jactura rei familiaris, de morte atque calamitate neceſſariorum? hæc omnia, quæ neque militum copiis, neque opum abundantia, neque imperii magnitudine vincuntur, ſola nimirum patientia Chriſtiana ſuperantur. Hac eadem enim virtute, qua dominamur animis noſtris, res etiam ſubjicimus nobis externas, a quibus pro modo cupiditatum in adquirendo gaudium, & in amittendo triſtitiam capimus. Etenim ubi mentem conjicimus in æternitatem, noſtra rerum caducarum opinio ſtatim extenuatur, & earum ſive adquiſitionem, ſive jacturam tanti non putamus, ut ex felici, aut triſti eventu admodum commutemur. Unde nobis difficile non fuerit invicta tolerantia graves; atque acerbos levare, ac lenire caſus. Hanc vero adverſorum ferendorum facilitatem opulentiores vix aſſequuntur, utpote qui plura poſſidentes tenacius hærcant rebus caducis: quarum amore irretiti alas fruſtra tollere conantur ad divinitatem, ad quam pauperes, utpote a rebus externis expeditiores, longe felicius convolarint. Sublatis enim divitiis & honoribus, quæ ſunt alimenta vitiorum, ſurgunt continuo germina per CHRISTUM conſperſa

conſperſa virtutum, quæ, ſi radices egerint interius, in exteriorem etiam cultum profundentur, & inſtar arboris bonæ ad aliorum etiam exemplum ſæpe florebunt.

Contra vero Phariſæorum pietas, quorum nunquam copiam defuturam Paullus & Chriſtus ipſe prædixit, inſtar arboris malæ malos etiam ferebat fructus: non enim gignebat niſi ſimulatores pietatis pares magiſtris, quia ritibus tantum occupabantur externis. Interius vero volvebant avara & ambitioſa conſilia, quibus expediendis imaginem ſumpſere ſibi perfectæ virtutis; cujus opinione, pravitatem animi ſui tegentes, majori auctoritate apud populum & magiſtratus vitam calumniabantur eorum, ſuper quorum ruina dignitatem ſibi molirentur. Hinc a CHRISTO ſepulchris comparabantur, quæ magnificentiam ſuam omnem promunt extrorſum, introrſum vero nil niſi putrorem, tabemque recipiunt. Hinc ab illo hypocritæ appellabantur, ſive hiſtriones; propterea quod applicarent vitiis perſonam probitatis, & livorem ſuum religione prætexerent: quibus fraudibus in hac vita, velut in ſcæna tantopere attollebantur, ut ab omnibus damnandi damnârent omnes, jus dicentes iis, quorum judicium ſubire debuiſſent, & præceptorum partes agentes, cum tranſire oportuiſſet ad diſcipulos, non ſolum ut aliorum acciperent, ſed ut veteratoriam ſuam deponerent artem, vaferrimamque doctrinam, cujus fraudulentia ſerpens per novas divinarum legum interpretationes æterna jura furtim ſubjiciebat affectionibus humanis, & opinandi licentia implebat adeo vela cupiditatum, ut profeſſores illius, poſtquam rapacitati ſuæ pietatis cauſam prætendiſſent, neque a captandis hæreditatibus, neque a circumveniendis pupillis, neque a devorandis viduarum ſubſtantiis abhorrerent.

Iidemque illi, qui laqueos tendebant legibus, eaſque ancillas ambitionis propriæ reddebant, in rebus tamen exigui momenti tantam religionem adhibebant, ut refugerent, homines nempe meticuloſi, ac ſimplices, ægrotos curare Sabbato, divinumque Præceptorem noſtrum arguerent, quod beneficentiam ſuam hominibus eo die præberet. Unde illis oſtendit non hominem propter Sabbatum, ſed Sabbatum ritusque alios hominis cauſa fuiſſe inſtitutos; ideoque novos Moſaicæ legis doctores a ſenſu ejus aberrare longius, quod ſuperſtitioſa ſimul & captioſa verborum interpretatione voluntatem legum, nempe caritatem, extinguerent, cui nutriendæ lex ad homines per Moſen a Deo proceſſerat.

Cavendum igitur, Adoleſcentes, ne leges, quas addiſcitis, ſive Cæſareas, ſive Pontificias animo impuro contrectetis, veſtroque vitio ſenſus earum corrumpatis, atque adnitendum, ut interiorem identidem excolatis legem, expromentes ex vobis, atque afferentes ad hæc ſtudia honeſtatem, caritatem & fidem: quibus diſcipulorum virtutibus, nihilominus quam præceptorum vocibus, leges illuminantur. Vertit enim eas quiſque in proprias affectiones, tribuens illis animum ſuum, ut pravus animus pravas etiam opiniones ex invitis utcunque legibus protrahat, quas tuentur argutiis Dialecticorum. Unde non mirum, ſi non modo judicia, ſed & mores hominum opinionibus regantur, a ſententia legum & canonum alieniſſimis. Quamobrem ei, mea ſententia, Deus fuit maxime propitius, qui parum inter Sophiſtas noſtros habeatur acutus. Is enim facultate carens tuendorum errorum, armiſque falſitatis exutus, minime noverit vitium cum virtute componere, neque audebit integra fronte dolum, ultionem, rapinas, injurias, uſuras, & nefarium qualecunque ſcelus legum auctoritate propagare. Unde communi ſenſu ductus humani-

manitatis, jura ſive humana, ſive divina in partem accipiet candidiorem; tantoque amplius in cognitione veritatis, & boni & æqui arte profecerit, quanto minus in verborum fraudibus excelluerit.

Utinam vero illa perpetuo deploranda tempora, quæ acute delirando, & incaſſum obſtrependo, cum vulgi ſtupore vulgarique pompa, ingenti ſumptu tranſiguntur, cultu Latinæ linguæ, civilisque ac ſacræ hiſtoriæ ſtudiis a juventute occupentur! longe profecto minus eſſet vobis in addiſcendo difficultatis, & laboris nobis in docendo ſubeundem. Acceptis enim priſcis loquendi formulis, cognitiſque ab hiſtoria moribus cum Romanæ Reipublicæ, tum veteris Eccleſiæ, clavim jam legum, & Canonum teneretis, atque radices attigiſſetis earum. Quam gravem ſane ac noxiam jacturam temporis incremento laborum cenſeo reparandam, ſimulque incumbendum, ut exteriorem diſciplinam, quam hinc aufertis, perpetuo animi cultu ad interiorem naturæ atque Evangelii legem revocetis. Dixi.

Habita Romæ anno Chriſti MDCCIII. IV. Non. April. Fer. I. major. hebdomadæ.

ORATIO
DE
RECTA IN JURE DISPUTANDI RATIONE. *

Doctrinæ omnes atque ſcientiæ, artesque illæ, quæ manus miniſterio non utuntur, ad duo genera ferme revocantur: quorum alterum ſolam contemplationem ſibi proponit, alterum vero diſputandi potius cauſa contemplatur. In contemplatione potiſſimum verſantur ſcientiæ rerum naturalium, quæ in Pythagoræ, Thaletis, Anaxagoræ, ac Democriti olim enatæ ſinu, initio in experimentorum receſſibus habitabant, ad Socratem usque ac Platonem: a quorum præceptis ad aulicas atque ambitioſas conceſſere Peripateticorum ſcholas: ubi, depoſito veritatis amore, verborum laudem atque popularem gratiam præoptarunt: & quæ prius veris notionibus animos imbuebant, ambitioſo poſt acumine vanitatem armarunt: ut non tam ſoliditas rationum, quam theatralis quædam ſubtilitas & vulgarium ſententiarum obſtinatio in ſcientiis laudaretur.

Extincta deinde cum apud Græcos, tum apud Latinos eloquentia, doctrinæ, quæ a ſcholis Græcorum ad Arabas migrarunt, non ſolum veritatis, verum etiam ſermonis ac diſputationis amiſere laudem: & a perpetuæ orationis ubertate atque cultu, ad enthymematum, & ſyllogiſmorum ſalebras tranſierunt.

* Occurrit hac oratione Gravina partim argutiis Dialecticorum, partim barbariei JCtorum Pragmaticorum. Oſtendit enim in priore eademque maxima ejus parte, jurisprudentiam Romanam arte ſyllogiſtica carere poſſe, parumque juris ſtudioſis prodeſſe enthymematum formas: dein a Clemente XI. Pontifice Maximo contendit, ut litterarum conſtituantur Profeſſores, ne vel præ imperitia Latini ſermonis adoleſcentulis neceſſe ſit fugere prælectiones juris Romani.

Ad

Ad alterum genus doctrinarum, ubi ſæpius contemplatio diſputationis cauſa ſuſcipitur, ipſa pertinet eloquentia, quæ ſcientiis aliis verba ſuppeditat, & humaniores omnes literæ: interque civiles artes noſtra potiſſimum juriſprudentia, quæ recte cogitatis, & recte itidem diſputatis alitur atque coaleſcit. Quæ ſane juriſprudentia, florente Republica, atque etiam ſub Imperatoribus, quando barbaries nondum ſcientias operuerat, cum ſoliditate rationum, diſputandi quoque normam trahebat a ſcriptoribus illis veteribus, qui optime ab ſe inventa gravi concinnaque oratione proferebant.

Verum eadem bonarum artium ab Arabis orta lues tandem & juriſprudentiam hauſit, eamque conjecit in vortices dialecticorum: qui attriverunt acuminibus veritatem, & ſcholarum ſpinis lumen rerum atque perſpicuitatem ſententiarum prætexuerunt.

Atque hanc a naturalibus quidem ſcientiis peſtem, rixarumque vecordiam Philoſophorum noſtris temporibus in Italia, Germania, Gallia, Britannia præſtantiſſimi averruncarunt, ac priſtinam revocavere ſtudiorum ſeveritatem, ſacrumque illud repetiere ſilentium novorum inventorum ætate noſtra feraciſſimum.

Verum quanta dialecticæ ipſiusque mentis humanæ corruptores in ſcientiis naturalibus peccent, quibusve contumeliis Philoſophiam afficiant, nihil ſane refert mea. Illud tamen tacitum a me certe non tulerint, ne inutiliter ſim docendæ atque cuſtodiendæ juriſprudentiæ ſuſceptus, quod hunc diſputandi morbum in legum doctrinam per dimiſſos ab ſe invexere diſcipulos, qui, pro Græcis & Latinis literis, notitiaque hiſtoriarum, captiones & concluſiunculas ad ſtudium juris civilis afferentes, perinde argutantur in legibus, atque ab ineunte ætate in ſcientiis aliis conſuevere. Quæ ſterilis atque perverſa diſſerendi ratio, cum ubique ſit noxia, nuſquam tamen exitioſior eſt, quam in divino humanoque jure. In illis enim ſcientiis, quæ ſola contemplatione abſolvuntur, falſa ratio ſuum non egreditur orbem: at error, a mente in divino humanoque jure conceptus, plerumque opiniones parit, quæ vel animos, vel patrimonia peſſumdant. Unde nihil magis juriſconſulto neceſſarium, quam recti & ſana minimeque fallax norma diſſerendi: pro qua ſi perplexandi morem arripuerit, ſua falſitate judicii civilem quoque ſtatum, & opes atque fortunas aliorum evertet. Aſſuetus enim falſis rationibus, etſi alterius irretiendi maxime calleat artem, deſuetudine tamen veritatis viam nunquam noverit explicandi ſui, nec niſi fortuito juſti atque injuſti diſcrimen invenerit, ut ei tota vita ſit inter larvas in umbrarum prælio confligendum.

Hos ego juſtitiæ ſcopulos, & offendicula rationis humanæ, quantum contendere voce atque ingenio poſſum, conabor abrumpere; indicata breviter honeſta illa & verecunda, minimeque pervicaci norma diſputandi, qua majores olim noſtri ante Arabas utebantur: quæ ſicuti contra falſitatem ingenium exacuit, ita illud ſubjicit imperio veritatis: contra quam dicacula illa & argutatrix dialectica vulgaris totos dies impudentiſſime latrat ipſa, & latrare doctrinas alias docet. Quæ mentes adoleſcentium eo fœdius corrumpit, quod non ſolum falſis rationibus, ſed etiam injuſtis laudibus eos ad ſuperbiam adducit atque jactantiam, ingeneratque animis una cum contemtu ſeverioris atque modeſtioris doctrinæ amorem popularis auræ, quam a teneris annis in corona ſophiſtarum ſingulis diebus aucupantur.

Vos vero, qui ad juſtitiæ ſtudium conveniſtis, adoleſcentes, nullam illius cognoſcendæ ſpem habetote, niſi allatas huc forte muſcipulas dialecticorum abjeceritis, eamque diſputandi rationem inſtiteritis, quæ ſicuti nunquam retegenda & proculcanda falſitate defatigatur, ita confeſtim jubet cedere veris: ne, temere contendendo, mentem veritati oppoſitam induatis. Unde diſputationibus locus erit, quoad apta & congruenti exagitatione ſententiarum certa ex incertis exſiliant, & altercationibus veritas excutiatur: qua in lucem exeunte, veſtri judicii atque candoris erit, abire ſtatim a jurgiis, ne, dum juſtitiam addiſcitis, parentem juſtitiæ veritatem oppugnetis, ac bonum & æquum, cujus notitiam quæritis, a veſtris mentibus arceatis.

Et quoniam homines ad perſpectam veritatem natura ipſa ferimur, ideo nihil de arguendi forma laborandum, dummodo veritati propugnandæ, falſitatique confutandæ idonea ſit, atque apta ſenſibus, rebusque conveniens. Etenim concluſiones veræ non e formis illis puerilibus argumentorum exoriuntur, ſed ex ipſius veritate materiæ: quæ, quibuscunque verborum formulis eluceat, ſuapte vi mentibus dominatur. An enim, ſi fueris forte probaturus Sempronium filium a Titio patre exheredari non poſſe, minus rem demonſtraveris, cum dixeris, non licere Titio exheredare Sempronium filium, quia filius exheredari ſine cauſa non poteſt: quam ſi dialecticus vitilitigator effectus, hunc ſyllogiſmum intorſeris:

Filii a patre ſine cauſa exheredari nequeunt:
Sempronius Titio eſt filius:
Ergo Sempronius nequit a Titio ſine cauſa exheredari.

O frigidam & ſtomachoſam! o vanam importunamque verborum circuitionem! ſi tribus perſpicuis vocibus communi more compoſitis rem ſimplicius expediſſes! At fortaſſe dubiæ res atque ancipites forma dialecticorum certæ redduntur. Itane? quaſi ex argumentorum forma, quæ venit extrinſecus, non ex interna facultate hominis, res ipſas permeante, certum de incerto eruatur: nempe ope ſenſuum, & experimentorum, & notionum æternarum, quas ab ortu ſuo ſecum animi attulerunt. Quod niſi veritatem hiſce inſtrumentis adipiſcaris, fruſtra ſyllogiſmi adhibueris opem, non enim ante ſyllogiſmum unquam extruxeris, quam veritatem in ſyllogiſmum conferendam aſſequare. Veritas enim haudquaquam per tria illa ſyllogiſmi enunciata diſtrahitur: ſed tota continetur in primo. Unde ante veritatem cognoſcimus, quam ſyllogiſmum concluſerimus. Qui enim probat Stichum eſſe ſervum hoc ſyllogiſmo:

Omnes bello capti ſunt ſervi:
Stichus eſt bello captus:
Ergo Stichus eſt ſervus.

oportet animadvertiſſe Stichum inter bello captos in prima enunciatione ab inductione orta, ubi comprehendit omnes, antequam ad extremum ſyllogiſmi perveniret.

Quorſum igitur tua hæc, felix dialectice, mira formarum inventio; niſi ut plauſu & lucro cum tuo adoleſcentium ingenia miſerrime torqueas, atque a contemplatione rerum abſtrahas ad ſterilium examen ſtudiumque formularum: unde aſſueſcant rationum veritatem ac falſitatem, non propria cognitione, ſed ex verborum ſono, ac vocabulorum textura diſcernere? Unde non mirum, ſi præclara

omnia

omnia Philoſophorum reperta prodiere, antequam ſophiſtæ noſtri ſuam explicarent enthymematum & ſyllogiſmorum aciem, rectæ rationis diu victricem. Cujus ductores, poſtquam tendiculis illis homines ad ſe converterunt, adeo arefecerunt ingenia, ut non niſi hoc abjecto præſtigiarum ſtudio, ad ſpem novorum inventorum redierimus.

Auferte igitur hinc procul a legum ſanctitate circulatoriam artem, quamque alii operam nectendis laqueis ponunt, vos in rebus locate inveniundis atque ſimpliciter exponendis, contentique potius eſtote loquendi more illo communi & humano, ut non furere, ſed ſapere: non bacchari, ſed ſedate atque tranquille diſſerere in literariis quæſtionibus aſſueſcatis.

Ac ſi vere mentium ſobrietati ſtudetis, illud mihi etiam cavete, quod vulgo tamen palmarium ducitur; ne ſcilicet amplius urgeatis, atque interpolatum regeratis in adverſarios, quod ſemel recta reſponſione fuerit exploſum: neve libeat argumentum farcire fractum atque detritum, ſed potius ad aliud convolate, quamvis diverſo e fonte petendum. Nec enim penſi habetote ſophiſtarum uſum, quibus ii, videntur ſtrenui magis, qui diutius, in uno quod vocant, concludendi medio, frigide conſtiterint, ac laqueum protenderint longiorem: ut non ante deſiſtant, quam digitorum percuſſione, atque etiam clamoribus a corona comprimantur; quaſi glorioſum ſit perpetuare deliria, & pertexere operas aranearum. Nec reputant, longe rectius in aliis & ſolidis rationibus excogitandis, quam in una futili pertendenda, conteri tempus: minimeque intelligunt, utilius eſſe ingenio dirigendo, veritatique aſſequendæ, vel prorſus cedere ſententia, ſi veris reſponſionibus redarguare; vel hoſtem, ſi fueris ex uno loco depulſus, aliorſum adoriri. Nolite vos igitur, ſi veritatem ſententiarum amatis, convicti ſemel, inſurgere denuo impudenter, & gratuito eandem incudem tundere: ſed vel abſcedite a prælio, laudem ferentes æquitæ complexæque veritatis: vel omnino aliquid novi tentate: ut ingenium non perplexitate, ſed varietate atque firmitate rationum exacuatis.

Duplex eſt autem in unaquaque ſcientia diſputandi ratio: alteram diſcriminis cauſſa diſſertationem appellamus: alteram altercationem. Prior utitur oratione perpetua & fuſa, propoſita quæſtione in utramque partem, Carneadeo & Academico dicendi more. Atque hæc ſcriptis mihi videtur & meditate tractanda, quo diſcant juvenes ad prælium parare ſe; datoque ſpatio cogitandi, non invenire modo, ſed etiam ſeligere rationes; ac non ſolum cogitare ſapienter, ſed etiam exponere ſenſus ſuos eleganter, itaque ingenio & judicio matureſcant.

Altera vero, quæ altercatio dicitur, interrupto & brevi, alternoque ſermone perducitur. In hoc diſputationis genere, ubi voce, non ſcriptis, ex tempore, non compoſito dicitur, aſſueſcent adoleſcentes, invicem ſe improviſo adorti, habere ingenium in promtu, atque in tumultuario prælio expedire aliquid ſtatim, conſiliumque in re ſubita capere. Unde modo ad unum, modo ad aliud genus diſputandi transferentur: hac enim exercitationis viciſſitudine in utraque facultate pares evaſerint, & ingeniorum tarditas exercitatione improviſa, celeritas vero inconſulta diuturnæ meditationis uſu temperabitur.

Porro quæſtiones vel infinitæ ſunt, atque a certis cauſis abſtractæ, vel finitæ, circumſcriptæque rebus, perſonis, & temporibus. Illas dialectici theſes, has hypotheſes vocant: quas Juriſconſulti cultiores facti ſpecies, rudiores vero caſus appellant.

Digitized by Google

lant. In utraque illarum exerceri placet adoleſcentes: dummodo prius ad theſes, poſterius ad hypotheſes adducantur: ut imbecillæ adhuc mentes quæſtionibus illis a rebus abductis notiones colligant ſimplices & expeditas: ubi vero firmiores ætate ingenioque fuerint, perceptas jam notiones cum rebus perſoniſque miſceant, atque componant: perinde atque in ludo literario prius elementa ſingula, poſtea illorum didicere nexus.

Sed video vos juvenes tacitis a me cogitationibus petere, ut locos aperiam, unde utilius in jure argumenta ducuntur: cum dialecticorum loci, quos communes appellant, omnino ſint inanes ac ſteriles: niſi materie tractandarum ſcientiarum expleantur: quæ ſi habeatur, ipſa per ſe argumenta ſuggeret, quamvis loci dialecticorum ignorentur. Hinc non eſt vobis diu laborandum in veſtigandis locis argumentorum in jure, ſi jus probe didiceritis, atque abſtruſiores ejus receſſus penetraveritis. Patebunt enim inde, atque ipſæmet occurrent oculis veſtris dubitandi definiendique rationes, quibus in utramque partem diſputetur. Quamobrem non tam locis argumentorum indicatis, quam ratione juris addiſcendi recte demonſtrata opus habetis. Quod cum alibi præſtiterimus, ideinque brevi typis vulgaturi ſimus; piget hic eandem cantilenam canere, potiusque de locis argumentorum afferemus utiliora. Et quoniam per Jurisprudentiam neſcio quæ vagantur enunciata nullius omnino uſus, ne dicam ſenſus, e gratuitis interpretum aſſertionibus, non ex ipſis profecta legibus; horum vobis nullam, ſive in opponendo, ſive in reſpondendo rationem ducendam cenſeo: ne ſuper otioſis aliorum commentis rixas fruſtra ſeratis.

Igitur, ſi me audieritis, primæ vobis & celebriores argumentorum ſedes ipſæ fuerint leges, vel cum propoſita opinione, vel ſecum pugnantes: ut legibus inter ſe commiſſis, collatiſque utrimque interpretationibus, certiorem reddatis earum ſententiam. Quarum legum in ſpeciem diſſentientium ſegetem vobis e ſuis diſputationibus uberrimam protulerit in primis Ubertus Giſanius, aliique viri doctiſſimi, qui hoc juriſprudentiæ ſtudium navarunt egregie. Ac ſi legum repugnantia nulla occurrat, argumenta contra oppoſitam ſententiam recte trahentur a generalibus regulis juris civilis: iiſque deficientibus, advocanda erunt ex hiſtoriis lumina illa juris, quæ nobis in digeſtione legum Tribonianus uti ſupervacua ſubduxit: quæ ſi neque hiſtoriæ ſuppeditaverint, excurrendum eſt ad notiones juris naturalis, & mens, quæ rationes exterius collectum ierat, introrſum retrahenda: ut ex innata mentibus lege promatur, quod ſcripto conſtitutoque jure non fuerit expreſſum, idque more juriſconſultorum veterum, qui, quod in duodecim tabulis aliiſque legibus & Prætorum edictis fruſtra quæſiſſent, petebant e morali doctrina Philoſophorum: qui doctores fuerunt juris gentium, ac primores communis naturaliſque legis interpretes.

Ut autem tum diſputando, tum definiendo, quod plurimum refert, interpretum atque auctorum delectum habeatis, ac noritis, cujus in qua quæſtione præcellat auctoritas; ſeparandæ ſunt controverſiæ illæ, ubi quæritur cognitio antiqui juris, & germana ſententia legum ab iis, quæ in forum tendunt, & ab Irneriana ſchola, communi populorum uſu, ad ætatem pervenerunt usque noſtram.

Etenim in ſincera & germana intelligentia Romani juris, omnes, quorum ſanum ſit ſinciput, quoſque pudeat alienæ ignorantiæ blandiri, primas tribuerint Alciato, Cujacio, Donello, Duareno, totique interpretum eruditiorum ſcholæ: qui

Græca

Digitized by Google

Græca & Latina eruditione abditos vulgo recluſere ſenſus. In foro autem jure imperaverit Accurſius, & Bartolus, eorumque numeroſa & fœcunda, ac perbeata familia; quorum receptiores opiniones, etiam ſi ex eruditorum expoſitione, veterumque legum teſtimoniis, atque antiquitatis fide manifeſto erroris coarguantur, tamen in quæſtionibus ad forum redundantibus merito palmam tulerint, ſi repetitis exemplis in tribunalia manarint, inque communem tranſierint contrahendi, & judicandi morem, quam enim firmitatem a juris ratione non habent, eam accipiunt a temporis auctoritate, populique uniuscujusque conſenſu: qui, ſicut ſciens prudens mutare ſibi potuit legem, ita jure ſuo alienum errorem pro lege ſibi conſtituit. At ſi juris ratio antea latens, poſteaque interpretationibus eruditorum expreſſa, non publici conſenſus majeſtati, ſed vulgarium interpretum turbis adverſetur: tum certe perſpecta ſententiæ veritas merito vicerit errorem, nullo examine; ſed bruta, & vervecea ſcribentium credulitate, in allegationum farciminibus propagatum.

Quo magis etiam ad utilitatem publicam, nedum ad privatam eruditionem, atque ad antiquitatis cognitionem, ſunt eruditorum interpretum exemplaria verſanda: tum ut e diſſentientibus inter ſe vulgarium auctorum ſententiis ea præferatur, cui germana juris ratio ex eruditorum libris auxilio veniat; tum ut, ſi quis novus error in forum impendeat, veræ jurisprudentiæ freno atque auctoritate coërceatur.

Unde haud me pœnitet ab ineunte ætate hos triviſſe auctores, atque in ſcriptis meis Accurſianæ ſcholæ interpretationes, ubi uſus venerit, illorum luminibus adſperſiſſe: quamvis noſtra docendi ratio, a cultioribus interpretibus arceſſita, in hac meritoria temporum Jurisprudentia tam paucos attrahat, ut me prope deſperem auditores inventurum, * ac jam caſſa nuce inutiliorem habitum iri vererer: niſi conſiderem te pro tua, Eminentiſſime Quæſtor, clementia, perſpectaque diu in publico regimine judicii æquitate, vosque, hujus Archigymnaſii Præſides humaniſſimi, utilitatem cujusque noſtrum e ſcriptis docentium æſtimaturos, non vero ex numero diſcentium, qui ob ætatis imbecillitatem, inopiamque conſilii crebriores plerumque ad forenſem verſutiam confluunt, quam ad doctrinam, cujus alioqui præſtantiam & ubertatem in collegis meis invenient longe majorem.

Atque illud mihi maxime adverſatur, quod plerique rudiores, quam venerant, a ſtudiis redeunt humanitatis: ſine quibus mecum nemo certe profecerit, niſi, ut illiteratis placeam, cogar dediſcere meliora. Verum hanc, mehercule, mihi linguam prius exſcindendam dabo, quam te ſancte literarius pudor proſtituam impuris auribus, aut ſuſceptam, cultamque mihi diu tuam, divine Cujaci, doctrinam & inſtitutionem, propter eorum imperitiam commutem, qui lucri non juris artem arreptum veniunt; potiusque, non modo munus qualecunque maximum, ſed & vitam depoſuero, quam rectam animi ſententiam, ſine qua in vita nihil mihi fuerit amabile. Procul igitur inculti omnes a me ſunto, profanamque mentem alio auferunto; neque ullus bonarum artium expers ad nos ingreditor.

* Memento piſcatoris in ſcopulis deſtituti, quia eſca non utebatur piſcibus grata. Juris enim Romani origines parum appetebantur ab adoleſcentibus Romanis, quia non faciunt πρὸς τὰ ἄλφιτα. Mirere tamen conſtantiam, qua & vitam pro recta docendi ratione ponere paratus eſt, & modeſtiam, qua ſtudiis collegarum alia via incedentium minime obtrectat. Obſecratio ea, qua dein Clementem XI. obteſtatur, magna dicendi vi eo, quo propoſitum erat, decurrit.

Atque

Digitized by Google

Atque utinam, Clemens Maxime, tibi per temporum difficultates liceat celſitudinem iſtam animi tui, divina ſemper & immortalia contrectantem terrenaque omnia & humana prementem, referre tantiſper ad curam literarum, tecum quidem perpetuo vigilantem, nunc vero ad tempus conſultiſſime conſopitam. Sane auctis præmiis, quotidianaque docendi opera præceptoribus omnibus imperata, hic ſub oculis noſtris ingenia ſtudiis ad juriſprudentiam utilioribus educarentur: Pontificiaque hujus loci Majeſtas præ ſcholis aliis, non civibus modo, ſed finitimis & exteris celebraretur. Non enim cogerentur juvenes obire alibi curſum ſcientiarum, & bonarum artium, quarum, propter prælectionum raritatem, vix hinc licet arripere particulas, excepta medicina & jure civili, quibus poſt Innoc. XII. tua quoque ſingularis providentia quotidianam paravit perennemque ſedem.

At proh dolor! tempeſtas temporum, & comes bonarum artium calamitas, opem interea eximit illius, quem ipſæmet ad commune beneficium extulere, Principis. Quamobrem Doctrina, moræ nimis fortaſſe impatiens, ad tuos, Clemens Optime, provoluta pedes, uſuram repoſcit earum virtutum, quas tibi ſuo de ſinu ad humanarum divinarumque rerum incrementum effudit. Ad te illa, Pontificum benigniſſime, madentes attollit oculos, atque inopiam ſordesque ſuas oſtentans, per dextram iſtam beneficentiſſimam obſecrat, & obteſtatur, ne, quæ tibi glorioſiſſime peperit imperium ſervire turpiter, atque ſubeſſe cogatur imperitis, quorum ſuperbia & opulentia doctos viros, veluti deditos oblitosque ſibi hoſtes, proterit atque proculcat. Hiſce in anguſtiis te, Pater Beatiſſime, appellat, repetitque ſibi alumnum ſuum, qui privata in fortuna, privatisque opibus ſummos principes donis erga literas & largitionibus anteivit. Hunc orat, ne tu fontem tuum exareſcere patiare, cum ſibi ſperat uberius profluxurum. Idque a te contendit alacrius, quod per bonas artes, tibi ab ſe traditas, univerſa juvatur, ſibique obligatur Eccleſia: quæ tuis conſiliis ab exemplis antiquæ diſciplinæ ductis ad priſtinam pietatem reflectitur, atque ad veterem revocatur Pontificiæ vocis honorem, tot poſt ſæcula redditum graviſſimis tuis concionibus: quibus Pontificia majeſtate Latinam elegantiam attollis; eademque opera Chriſtianam pietatem illuſtras, atque propagas in pectoribus eruditorum.

Atqui ne illud de te dicatur, quod de Achille Neſtor: Οἷ⊕ τῆς ἀρετῆς ἀπονήσεται. Hujus tu divinæ imitationem eloquentiæ velis, Pater Beatiſſime, transmittere ad poſteritatem ſtudiis inſtaurandis, adhibendisque aſſiduis ac diuturnis Græcæ ac Latinæ eloquentiæ cultoribus: quos unice ſpes aluit beneficentiæ tuæ, quorumque nulli melius quam tibi perſpicua ſunt merita & labores, qui eos ingenti ſtudio toties Pontificibus aliis commendaſti. Sic Tranſalpini tandem illudere deſinent Italiæ: unde ad eos tantum afferuntur ineptiæ, ac flagitia indoctorum: quibus fere ſolis opes apud nos, & par opibus temeritas ad librorum editionem, in Italici nominis ludibrium ſuppetunt.

Verum quid ſtultius, quam ex tam exigua mora, ſub te Principe, de literarum ſorte dubitare? Quaſi neſciamus, majora quæque cœpta longiori meditatione opus habuiſſe.

Attollite igitur animos vos, & laboribus gaudete ſuſceptis, quotquot exemplo ſuo Clemens Maximus ad literarum gloriam excitavit; creſcit enim, dum protrahitur, magnum, quod animo verſat, opus; providaque iſta ſua, & Fabiani maturitas rem literariam longe magnificentius, atque felicius opinione noſtra reſtituet.

Habita in Romano Archigymnaſio XVI. Kal. Dec. MDCCI.

CANO-

CANONES DISPUTANDI.

Sed ne ſuperiora diſputandi præcepta vobis excidant, juvenes, placuit ea brevibus aliquot capitibus, adhibita priſca legum ſcribendarum forma, & antiqui ſermonis majeſtate, comprehendere: quos Canones ſive regulas, diſputandique leges appellamus.

I.

SOPHISTARUM CAPTIONIBUS ABSTINENTO, CONTRAQUE PERSPECTAM VERITATEM INGENIUM NE CONTENDUNTO.

II.

VERBIS PERSPICUIS, COMMUNIQUE LOQUENDI MORE UTUNTOR: ATQUE, DUM RATIO PATESSIT, DE ARGUMENTORUM FORMA, SOPHISTARUM EXEMPLO, NE LABORANTO.

III.

PRIUS IN THESIBUS; POSTEA IN HYPOTHESIBUS EXERCENTOR.

IV.

ALTERCARE MODO ALTERNIS EX TEMPORE; MODO SCRIPTIS PERPETUA ORATIONE DISPUTARE GAUDENTO.

V.

ARGUMENTUM SATIS EXPLOSUM NE REGERUNTO, NEVE OBSTINANTO, AC SI DIUTIUS CONTENDERE LIBESSIT, ALIUNDE PETUNTO.

VI.

OBJECTIONIBUS RESPONSIONE SOLIDA RENITUNTOR: SI DEFIT, HONESTIUS TACENTO.

VII.

CONTRA OPPOSITAM SENTENTIAM LEGE ALIQUA REPUGNANTO, LEGESQUE LEGIBUS COMMITTUNTO, ET IN SPECIEM DISSENTIENTES, ABSTRUSA SENTENTIA ERUENDA, IN CONCORDIAM REDIGUNTO.

VIII.

IN FORENSIBUS QUÆSTIONIBUS AGITANDIS ACCURSIANI, AT IN VERIS SENSIBUS LEGUM ERUENDIS CUJACIANI PRÆFERUNTOR.

IX.

SI LEGUM REPUGNANTIA NULLA FUAT, COMMUNES JURIS REGULAS OPPONUNTO: SI NEC ESCINT, PRIMO VETUSTUM JUS EX HISTORIIS; DEINDE MORALES RATIONES A GRÆCIS PHILOSOPHIS MUTUANTOR.

X.

QUI SECUS FAXINT, BLATERONES HABENTOR, DOCTORUM COETIBUS EXCLUDUNTOR, ERRORIBUSQUE SUIS PERPETUO TORQUENTOR.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO
DE
REPETENDIS FONTIBUS DOCTRINARUM.

Quoniam ſcientiæ * fere omnes, vel ad naturales referuntur cauſas, vel ad cognitionem divinitatis, vel ad morum & legum notitiam humanarum: ac naturales quidem cauſæ ſenſibus & experimentis eruuntur; cognitio divinitatis oritur e religionis oraculis, mores vero & leges civilibus continentur inſtitutis: hinc tres jam inde ab initio uberiores doctrinarum patuere fontes: quos non raro ambitioſi præceptores artificiis occuluere ſuis, ut ab eis, non vero primævis ex originibus, literæ peterentur: natura ſcilicet rerum, quæ ſedes eſt Philoſophiæ: ſacri codices, quæ ſunt germanæ Theologiæ templa: & juris Romani Juſtinianea volumina, quibus integra Jurisprudentia conſervatur.

Etenim antiquiſſimi Philoſophorum, quominus abundabant libris, eo naturæ arctius hærebant, animisque ſuis diutius in rebus ipſis, quam in aliorum cogitationibus habitabant, libereque peragrabant omnem univerſitatem: utpote quorum ingenia nullis auctoritatibus contraherentur, neque irretirentur certis præſcriptisque definitionibus, quarum ad formulam poſteriores Philoſophi ſectarum auctores rerum ſummam redegerunt, quibusque cogitationes ac facultates intercepere noſtras.

Vetuſtiores namque illi, qui nullo populari plauſu auferebantur, ſolo ſtudio veritatis duce, notitiam cauſarum experimentis evocabant, itaque de univerſa natura differebant, ut cum innumera de ratione rerum ſingularum, ac de primordiis rerum univerſarum, præclaraque de motu ſiderum, de ortu, & interitu ſublimium & inferiorum ſpecierum, de animis, & affectionibus humanis, invenirent; nunquam tamen ponerent noſtræ cognitioni fines; neque ſpem poſteris adimerent plurimum deinceps inveniendorum: quibus veſtigandis facis inſtar præibat ratio magiſtrorum.

Quamobrem Plato, qui ſcriptis ſuis ſcientiam comprehendit omnium ante ſe ſapientum, ſive Græcorum, ſive barbarorum, exemplo veterum quærere magis,

* Suadet hac oratione Gravina ſuis, ut rejecta ſcientia compendiaria, qua plerique ſola inſtructi vehementer ſibi ſapere videntur, rerum naturalium ſtudium ex ipſa rerum natura, Theologiam ex ipſis ſacris codicibus, jus ex ipſo canone & jure Juſtinianeo diſcant. Inter hæc artes exagitat Caſuiſtarum quibus hi verborum captando cortices eluſerunt vim Sacræ Scripturæ & canonum, effeceruntque, ut majori ſeveritatis laude floreant ſcripta JCtorum paganorum, quam ipſorum caſus conſcientiæ. Cape exempla inſanæ ſapientiæ & nimium fallaciis aſtutiæ. Commendaverant Chriſtus & Apoſtoli jejunia ſubigendis facilius cupiditatibus noſtris. Caſuiſta vero inter ſolida diſtinguens & fluida etiam tempore jejuniorum aliis horis, quam quibus cibus capitur, „potiones „indulget Indicas, non tantum nutrientes „& ſenſus oblectantes, verum etiam vetitas „incendentes cupiditates." Voto quoque paupertatis ſatisfactum opinatur Caſuiſta, ſi pecuniam manibus non attingerit, quamvis id agat indies, ut deglutiat agros pupillorum & ſubſtantiam viduæ.

quam

Digitized by Google

quant decernere aſſuetus, non tam adſtruendo, quam evertendo docet, inſtitutaque ambigendi arte detegit humanam ignorantiam: ut, ſi qui prius aliqua opinione ſapientiæ inflaremur, poſt Platonis lectione non aliam ſapientiam agnoſcimus, præterquam conſcientiam erroris noſtri, quoque magis ratiocinando progredimur, eo amplius neſcire, atque ignorare diſcamus.

Sed cum ad eam diem natura rerum omnibus ad obſervandum occurreret, receſſit fere ab oculis, poſtquam poſteriores Philoſophi mentes hominum rebus ab ipſis ad propria decreta, ſive ſingularum dogmata ſcholarum, averterunt: ut veritas, quaſi tota in præceptorum volumina commigraſſet, non amplius a natura, ſed ex illorum opinionibus unice peteretur. Quique primi præcipuis definitionibus, & enunciatis univerſa concluſerint, Ariſtoteles fuere, Chryſippus, & Epicurus: quorum primus Academicorum veterum, alter Stoicorum, poſtremus Democriticas doctrinas in rerum infinitatem tendentes finitam ad rationem coanguſtarunt. Huc pertinent ea Ciceronis lib. 1. *de legibus* cap. 13. *Verum Philoſophorum more, non veterum quidem illorum; ſed eorum, qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiæ, quæ fuſæ olim diſputabantur ac libere, ea articulatim diſtincteque dicuntur.* Cumque antea ſapientia per manus familiariter traderetur, in publicam lucem prodiens involvit theſauros ſuos, foraſque promſit, pro vulgi ſenſu tantum colores veritatis; ita ut velamenta magis illius ad nos, quam veritas ipſa pervenerit.

Tranſlata igitur ad harum trium ſectarum principes omni auctoritate ac poteſtate doctrinarum, curæ hominum, quæ antea rebus ipſis incubabant, convolarunt omnes ad interpretationem ſententiarum cujusque ſectæ doctorum, qui res ad vulgi gratiam deflectentes, noſtramque inveſtigandi libertatem circumſcribentes, infinitam rerum varietatem e noſtris mentibus excluſerunt. Hinc inveſtigatio cauſarum, quæ feliciter ad Platonem usque proceſſerat, quæque antea novi ſemper aliquid proferebat, exortis tribus illis finitoribus doctrinarum, continuo inſtitit atque quievit: donec proximis ſæculis eruditorum ſtudia Platonis auctoritatem jamdiu intermortuam, ſimul cum ipſius neſciendi ac perſcrutandi arte ſuſcitavere, atque ejus lectione ſolvere nexus animorum; quo liberi excurrerent ad ſpecies ipſas, naturasque rerum nudas & ſimplices: quarum luce vel nova efferentes, vel ex oblivione vetera revocantes, vocem nobis reddidere veritatis.

Longe vero alia ratio eſt divinæ ſapientiæ, quæ cum humanas facultates exſuperet, & ad nos ab ipſo rerum omnium Auctore deſcenderit, non attollenda, ſed deprimenda mentis noſtræ fiducia comparatur. Quo minus enim nobis adrogamus, eo majora ferenus a Deo, qui dona ſua non pro acumine ac ſublimitate ingeniorum, ſed pro modeſtia & demiſſione animorum ſua e ſolius beneficentia profert.

Quo plus igitur divinis pertractandis mens humana ſibi permittit, quoque ſuarum confidentia virium liberius exſultat, eo minus aſſequitur, longiusque a germano & nativo cæleſtium ſenſu dilabitur.

Hinc non mirum, ſi ea expreſſiora erant ſub Apoſtolorum ſimplicitate, quam ſub nova illa ſubtilitate Philoſophorum, qui ſacrorum librorum ſenſum a propria doctrina trahentes, plerumque tota erraverunt via, ſecumque tantam hominum turbam pertraxerunt, ut ſæpius ab inteſtinis factionibus Chriſtianorum, quam externis ab injuriis Eccleſia ingemuerit. Unde, ut religionis veritas e diſputationum ambagibus eriperetur, convocanda fuit auctoritas, & oraculum conſulendum Ec-

 cleſiæ

cleſiæ univerſæ in conſiliis Epiſcoporum, ubi communibus ſingularum Eccleſiarum vocibus privatarum opinionum ſeditio componebatur, editis canonibus, nempe regulis, quibus non modo ſenſus committeretur veritatis, cui hæretici ſuis argutiis inſidiabantur, ſed etiam comprehenderentur mores incorrupti veterum Chriſtianorum; quos mores prava vivendi conſvetudo penitus deleviſſet, niſi univerſorum Præſulum ſtudia, teſtimoniis ex toto terrarum orbe conductis duce atque auſpice ſummo Pontifice Chriſtianæ inſtitutionis memoriam usque ab Apoſtolorum ætate repetiſſent: ut in tota canonum ſerie, per plurium ſæculorum curſum ad nos usque deducta, imaginem Apoſtolicæ vitæ, velut in ſpeculo, contemplemur.

Et quoniam verba nulla ſunt ad ſententiam exprimendam aptiora illis, quæ cum re ipſa in mente naſcuntur, quæque germana ſunt primarum ſimulacra cogitationum; ideo ſincerus Apoſtolicæ inſtitutionis & Eccleſiæ univerſæ ſenſus non aliunde melius colligitur, quam e lectione ipſa Canonum, qui Evangelicis ſenſibus, & Apoſtolicis conciliorum vocibus contexuntur. Quam nobis lucem prope abſtulerunt immania volumina privatorum interpretum, quibus priſcus candor obtenebratur: ut, quo longius per interpretationes aliorum a primis auctoribus evagamur, eo turbatiores hauriamus opiniones. Nam ſicuti rivus longius a fonte diſcurrens venam obliviſcitur ſuam, imbuiturque terrarum ſapore, qua perfluit, ita procul a ſuo capite per aliorum ingenia traducta veritas affectiones imbibit ſingulorum, exutoque ſplendore nativo, colores mentium atque opinionum ſuſcipit alienarum; ejusque lumen, veluti ſolis radius de una rerum facie in aliam ſæpius remiſſus, crebris inciſionibus & iteratis caſibus elangueſcit.

Quid igitur miremur amplius tantam noſtrarum ſententiarum, & morum cum veteribus dictatis atque inſtitutis diſſenſionem & pugnam, ſi veritatem amplius in domicilio ſuo non quærimus, relictaque radice commentitios excutimus ramos, volvimurque aſſidue per ineptias interpretum eorum, qui canonum verba violenter torquent ad ingenium ac tempus, lucrumque ſuum: quique pulſa e Chriſtianis moribus veteri ſeveritate, novam ignotamque morum attulere licentiam, Chriſtianam inſtitionem ex auſtera & gravi remiſſam reddentes, atque præfractam.

Et ne, reviviſcente antiquorum canonum ſtudio, fraudis ſuæ redarguantur, auctoritatem nituntur omnem vetuſtati detrahere, tanquam veteraſcere queat id, quod eſt æternum ac temporis expers, qualis eſt ſapientia virtusque divina, quæ immutabilis cum ſit, de ſe ita prædicat: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam fieret a principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret;* aut tanquam Chriſti præcepta, perinde atque eorum ingenia, temporibus & potentiæ famulentur; vel tanquam recta ratio ſimul cum humanis moribus convertatur.

Quamobrem privatas opiniones, privatosque ſenſus unius, aut alterius familiæ, non tam a divinarum, quam ab humanarum rerum ſtudio profectos, pro doctrina, ſententiaque Eccleſiæ univerſæ fraudulenter obducunt, ut apte in eos cadat illud Antonii ad alterius factionis homines: *Caſtra Pompeji Senatum appellatis.* Atque ita audent corruptelas ſuas antiquitati præferre, quaſi ratio Chriſtianæ inſtitutionis, & lex interior exteriori mutatione ac novis interpretum deliriis extingueretur.

An enim Eccleſia dimiſerit unquam ſuſceptum ſemel pietatis & juſtitiæ ſenſum, qui divinæ portio eſt, & immutabilis, immortalisque naturæ? An verſatilem nobis Chriſtus

Chriſtus tradidit volucremque doctrinam, ut quæ Apoſtolorum tempore vera fuit ratio pietatis, ea mutatis moribus hominum dilabatur. An quia non amplius Eccleſia exigit a nobis exteriores illas pœnas, ideo condonatos nobis reputabimus actus internæ virtutis, quibus pœnæ illæ reſpondebant, quique laborioſis earum adſpectibus exprimebantur.

Etenim exteriora opera pietatis, qualis ſcilicet ab Eccleſia injunguntur, quid aliud ſunt, rogo, niſi pietas interior, tanquam arborum ſuccus, in fructus & palmites erumpens? Quid niſi virtus animorum occurrens oculis, & corporeæ imagines internæ ſanctitatis? Hæc ſi non omnia, neque ſemper, neque ab omnibus Eccleſia nis judicialibus in vita repoſcit; nihilo tamen minus exigit a nobis animum ad ea pronum atque compoſitum. Qui ſi vera pœnitentia teneatur, ultro ſubibit mœrores & luctus, cœleſtium curarum umbras, & nativos pietatis ſinceræ colores; utroque corpore ac mente jejunans, abſtinebit voluptatibus iis, unde culpam contraxit, ac ſponte ſua pœnas amplectetur, peccatorum ultrices, & comites voluntarios virtutum Chriſtianarum.

Humanam nimirum naturam, ad divinitatem potiundam ab initio procreatam, ac deinde progenitoris noſtri vitio a ſpe illa prolapſam, priſtinum in gradum ac ſortem Deus reſtituit eadem noſtra natura induenda, ſuſcipiendiſque hominum in ſe culpis, quas oblatione ſui ipſius, & vitæ profuſione mirabiliter expiavit. Etenim nihil perfectioni magis, quam vitium adverſatur: unde, ut a Deo reciperemur, malum infinitum infinita bonitate fuit exhauriendum. Nos vero, Chriſti morte reviviſcentes, vires identidem adquirimus ad divinarum virtutum imitationem: in quibus niſi vitam tranſegerimus, vita migrantes divinitatis commercium fruſtra ſperemus. Nihil enim Deus amplectitur ſibi diſſimile: ſolis autem virtutibus divinæ naturæ imaginem reddimus; nimirum, ſi pœnitendo Chriſti merita nobis adſciverimus, cavcntes in poſterum; ne amore caducarum rerum, immortalibus mortalia præferendo, infinitaque injuria, quod ad nos attinet, naturam divinam afficiendo, in imum denuo miſeriarum devolvamur.

Qui rerum caducarum amor, in ſingulos actus noſtros aſſidue obrepens, pœnitentia eſt etiam aſſidua depaſcendus, & abſtinentia extenuandus, ut, unde ille cedit, eo ſubeat amor divinitatis, ac ſtudium virtutum æternarum, quarum impedimenta pœnitentiæ operibus removentur: ut, quæ videtur diſciplina ſeverior, ea revera ſit ducenda mitior, cum præparet abdicationem ſui ipſius, quo unice ſpectare debemus, & abſtinentiæ conſuetudine acerbitatem extinguat illam, qua humani ſenſus afficiuntur, cum primum abducuntur a diuturno uſu voluptatum: unde certe ſumus abducendi, ſi propoſitum nobis finem attingere cupiamus. A quo niſi æternum aberrare velimus, præſtanda nobis erunt ea, quæ Chriſtiana religione profitenda ſpopondimus. Et quia Deo placere non poſſumus, niſi diſpliceamus nobis ipſis, cum ſtudio rerum creatarum, ſui etiam ipſius amor eſt in primis abjudicandus, nec fructus mortalium bonorum, ſed uſus tantummodo capiendus; itaque in hac vita manendum, tanquam ſingulis momentis ſit exeundum.

Ad quem animus ſola pœnitentia comparatur, quæ ſubtrahendis rebus, ac ſenſibus atterendis vitam traducit ad conſuetudinem mortis: ut, quo pluribus viventes abſtinemus, eo morientes minus amittamus, minus contriſtemur: cum vivendo totidem gradus mortis ſuperaverimus, quot ſenſus nobis extinximus rerum

 huma-

humanarum. Unde quod voluptuoſis extremum eſt vitæ, id pœnitentibus extremum eſt mortis & vitæ immortalis exordium.

Abeant igitur ſuæ cum doctrinæ blanditiis noſtrates magiſtri: *Qui*, ut ait Ennius, *ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias*, quique abſtinentiæ deſuetudine tenacius implicant animos rebus caducis, & negligentia pœnalium operum in vita difficultates omnes coacervant ad tempus mortis, ut, cum hominem tamdiu prodiderint cupiditatibus, cogant eum contra dominos & diuturnos ſuos poſſeſſores dimicare, poſtquam opes viresque omnes longæva mentis, & proxima corporis ægrotatione conſumſerit. Faceſſant a Chriſtianorum ſcholis fallaces illæ diſtinctiunculæ liquidorum & ſolidorum, quibus jejunium, reſtinguendarum cupiditatum remedium potentiſſimum, ſuſtulerunt, quibusque, ut D. Hieronymi verbis utar, *abſtinentiæ nomen quæſivere* deliciis; ut audeant, o frontem hominum! præter horas cibo ſtatutas permittere jejunantibus indicas potiones, non modo contra jejunii naturam & legem triſtitiæ, nutrientes ac ſenſus oblectantes: verum etiam contra commune fas hominum vetitas cupidines incendentes.

Ultro a nobis abigamus fraudulentas illas honoris exæquationes cum vita, in quibus interpretes, privatam injuriæ ultionem inter Chriſtianos inducentes, patientiæ legem penitus evellerunt. Exulet etiam, & Pontificiæ vocis imperium aliquando vereatur opinio eorundem illa, quæ cum carnis uſu reliquam abſtinentiæ obligationem exſolvebat.

Ac ne per ſingula portenta opinionum in infinitum excurramus, reſpiciant aliquando divini juris fontes, ejusque non verba, ſed vim poteſtatemque tenentes, dimittant captiunculas illas ſuas, quibus verborum apiculas aſſidue aucupantes, honeſtaque nomina vitiis imponentes, laxiores regulas humani commercii peſtes, fallaci ſacrorum canonum explicatione in priſcæ diſciplinæ perniciem ſibi adrogata, tamdiu protegunt.

Enim vero pudeat vos, divinitatis interpretes, integritate atque candore ſententiarum ſuperari a veteribus Juriſconſultis, qui cum nulla vera religione, ſed ſola honeſtate naturali emendarentur, controverſias tamen morum longe definiere ſeverius, & interpretationis regulas longe tradidere graviores. Quas utinam præceptores vos noſtri aut ab illis arripuiſſetis, aut arreptas rerum humanarum cauſa non abjiciatis. Dupliciter, Paulli & Ulpiani ſententia, lex infringitur, aut cum contra legem aliquid committitur, aut cum callida interpretatione ſenſus illius eluditur; illud contra legem eſſe dicunt, hoc in illius fraudem. Contra legem facit, inquit Paullus, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui ſalvis verbis legis ſententiam illius circumvenit. Quid enim conſervas mihi dictum, ſi ſententiam diſſolvas, licereque putes, quidquid nominatim non prohibeatur? cum præter expreſſa occurrant alia innumera, quæ occulto legum judicio damnantur; quæque ſidus & candidus interpres, uti rectus miniſter earum, ad tribunal pertrahit conſcientiæ ſingulorum: qui, niſi ſibimet anctoritate fallacium interpretum aſſentarentur, in ſententia legis ultro concederent, cum multo plura comprehendat ſenſus legis, quam ſonus verborum, quia, ut ajunt Juriſconſulti, longe plura ſunt negotia, quam vocabula. Hinc ſubjicit Ulpianus: *fraus legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit:* & quo diſtat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, id eſt, *dictum a ſententia*, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit. *Non enim oportet*,

oportet, ut leges ipſæ clamant, *jus civile captare, neque calumniari, ſed qua mente quidque dicatur attendere. a)*

Tu vero, noſter miſericors, qui aliis libenter indulges, ut largius indulgeas tibi ipſi, quo gratior ubique ſis, & proceribus præſertim acceptior, dum verba legis teneas, nihil pendis conſilium legiſlatoris; ut, ſi quis extremam paupertatem hac formula imperaverit, *pecuniam ne attingito*, tu noxam omnem amotam putes, dum quis manus a nummis abſtineat ſuas, dextera vero præter neceſſitatem utatur, & opera miniſtrorum: quæ ſi ratio valeret, nihil pauperius eſſet Regibus atque Tetrarchis. Mendacium aliis noxium leges univerſæ damnant: at tu bone confeſtim crimine liberas eum, qui verbum jaculetur anceps, ut audiens in fraudem inducatur, quaſi leges verba mendacii prohibuerint, non animum nixumque fallendi; nec tibi videris diſſolviſſe legem, quando ſtatuentium voluntatem hac præſtigiarum arte fruſtraris, qua, ubi e re tua fuerit, nigra in candida continuo vertis, ac, juxta Æſopicum illud, eodem ex ore frigidum & calidum efflas. Quamobrem vos ita notavit Comicus illis verbis: *b)*

Rogationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam,
Quaſi aquam ferventem frigidam eſſe ita vos putatis leges.

Atqui non ita Lacedæmonii divitiarum interdictionem a Lycurgo, neque mendacii prohibitionem a ſuis venientem legibus Perſæ acceperunt: Chriſtiani vero, qui exemplis innocentiæ atque candoris populos ad nos olim traximus univerſos, nunc proh pudor! adeo affectionibus propriis puriſſimæ ac ſimpliciſſimæ legis verba conturbamus, ut officiis noſtris juſti atque injuſti diſcrimen fere ab univerſorum oculis abſtulerimus.

Quamobrem quæſo vos, novarum interpretationum auctores, ſi quem Chriſto habetis honorem, cui profecto credo vos habere plurimum, nolite obſecro committere amplius, ut illud in noſtros mores ab hoſtibus conferatur, quod ſuis de temporibus Livius pronunciavit: *Nondum*, inquiens, *quæ nunc tenet ſæculum, negligentia Deorum venerat, nec interpretando ſibi quisque jusjurandum, & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eas accommodabat.*

Nolite denique nos obtundere amplius, ac regerere commentitium illud veſtrum Eccleſiæ ſilentium, quaſi tacendo illa contra innovationes veſtras antiquas pietatis leges abrogaverit. Neque, ſurdi cum ſimus, mutam exiſtimemus Eccleſiam. *In plateis*, inquit Salomon, *divina ſapientia clamitat, in ſummis excelſisque verticibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans juxta portas civitatis in ipſis foribus.* Loquitur nimirum Eccleſia, loquitur ſemper, & perpetuo clamitat ſacrorum canonum vocibus, quamvis nos longa deſuetudine non amplius exaudiamus.

At ſi ſacrorum canonum codices evolvere pigremur, quin mentem vertimus ad ſolennes Eccleſiæ cærimonias, & ad pſalmos, atque hymnos, qui ſacris peragendis quotidiano cantu funduntur: e quibus vocibus quid aliud acceperimus, niſi rerum omnium contemtum, & abſtinentiam voluptatum, artemque noſtrorum ulciſcendorum criminum. Reſonant perpetuo templa pœnitentiæ præceptis, & Pro-

a) L. penult. ff. ad exhib. *b) Plaut. in Curc. act. 4. ſc. 2. v. 25.*

phetarum, Apoſtolorum, atque Evangeliſtarum ſcriptis prælegendis abſtinentiæ legibus reboant ædes ſacræ, nunciantque parietes ipſi priſcæ præcepta virtutis, per ſacros omnes impreſſa ritus: nos vero, vel quia corpore præſentes, mente abſumus; vel quia melodiam auribus, non vero pietatem animo captamus; vel quia longa negligentia obcalluimus, pro ſaliaribus carminibus, & veterum mancipationum formulis documenta illa pietatis accipimus, & Eccleſiæ vocem, inde prodeuntem, aureſque noſtras fruſtra verberantem, quærimus in privatorum quæſtuoſis opinionibus, & ſui ipſius amore corruptis: puramque Canonum, & ſacrorum librorum ſcatebram deſerentes, ciſternas petimus diſſipatas.

Verum, ſi ad verba Canonum obſurduimus, oculos tamen attollamus ad vivam iſtam diſciplinæ veteris imaginem; quam, ut conſpectior eſſet omnibus & temporibus & gentibus, inſculpſit nuper Deus in ipſomet Eccleſiæ capite CLEMENTE XI, cujus ex ore atque operibus vera pietas vocem & faciem emittit ſuam. Neque enim ille alio nomine maximam, quam diu recuſavit, ſacrorum poteſtatem accepit, niſi ut ſummum ſubeundo moleſtiarum, & extremum ſeveritatis & abſtinentiæ ſibi & ſuis imperando, immortalibus concionum ſuarum verbis, perennibuſque Chriſtianarum virtutum exemplis panderet omnibus verum Eccleſiæ ſenſum, & priſcæ diſciplinæ lucem reſtitueret.

Atqui, ſi oblivione veterum canonum effluit nobis graviorum præceptionum utilitas, nihilo majorem fructum capimus e legibus humanis, quas rabularum ſtrepitus, & procellæ forenſes pene merſerunt. Quotusquiſque enim eorum, qui foro ſunt operam daturi, hac ætate ſtudium Romani juris ab ipſo contextu legum auſpicatur, & non potius a jejuna & exili aliqua congerie ſterilium definitionum ac puerilium regularum? quas ubi ſex menſibus defunctorie percurrerint, & aliquantiſper indicem aliquem rerum judicatarum perreptaverint, continuo ad ſubſellia prodeuntes, tanquam ex tripode fundunt juris oracula: ut noſtris temporibus frigida fuiſſet ac tenuis illa tua gloriatio, Marce Tulli, qui Servio Sulpicio, ſi tibi ſtomachum moviſſet, Juriſprudentiam triduo profeſſurum te minitabaris: id enim jam de ſe nobis quiſque puerulus pollicetur, dum elementorum literariorum ordinem teneat memoriter, quo fit ad conſulendos indices librorum idoneus; & primoribus labris ſordes illas conſceleratæ Latinitatis attigerit.

Proh veſtram fidem! Quirites, quo ruunt mores legeſque illæ, quibus condendis omnem Græcam ſapientiam ad vos traduxiſtis, quarumque ſalubritate nationum omnium vitia emendaſtis? En quo vergit ſanctitas legum illa veſtrarum, quæ vobis jus in animos & corpora tribuere barbarorum; quibus bello perdomitis, communione Romani juris non ſervitutem inhumano & bruto Perſarum Aſſyriorumque more, ſed rectum afferebatis uſum libertatis, quam leges veſtræ diſtributione rationis, & exercitatione juſtitiæ a violentia, & a vitiorum nexibus expediebant. Quo nomine, Quirites, juſta bella ſemper, & pia geſſiſtis, juſtumque in orbem terrarum imperium vobis paraſtis. Jus enim naturæ ipſum, quo immanitas rationi ſubjicitur, ſubegit legibus veſtris barbaras gentes, per vos ad humanitatem a feritate traductas.

Has, obſecro, leges, Quirites, eone tradidiſtis aliis, ut vos amitteretis, an potius ut in illis gloriam perpetuo conſervaretis veſtram, & apud omnes populos Latinæ locaretis fundamenta virtutis? quo, ubicunque jura veſtra conſiſterent, ibi, erepta quamvis dominatione, nomen tamen & prudentia regnaret, ac juſtitia nun-

quam

Digitized by Google

quam interitura Romanorum. Quæ, diſſoluta militari diſciplina, per quam terrarum orbem diu coërcuiſtis, omnia tamen vivunt adhuc, viventque ſemper in Latinis hiſtoriis & legibus, ad quarum contextum ſi mentes referetis, & earum ſententiam, quam vel ignorantia, vel verſutia forenſis interpolavit, repetetis e ſcriptis ipſis conditorum, & mentibus majorum, unde deſcenderunt, occurſu atque conſuetudine ſimilium ingeniorum priſcarum virtutum ſemina continuo veſtris in pectoribus refloreſcent, alenturque memoria laudum legumque veſtrarum: a quarum diuturna lectione rationem accipietis, qua caſus omnes regatis humanos, vertentesque vos in veterum formam animorum, revocabitis Romanos mores diſcetisque ab illis lenitudinem cum ſeveritate miſcere, ſummumque jus æquitate temperare, providere ac præcidere captiones, tandemque aſſueſcatis cogitare, atque invenire ſimilia. Eodemque ſtudio patebunt etiam vobis aprici amœnique receſſus non Latinæ modo, ſed Græcæ etiam eruditionis, quæ noſtris eſt interſperſa legibus e Græca ſapientia natis, & Græcarum diſciplinarum fructu per Jurisconſultos veteres enutritis.

Ut non mirum, ſi contemta in foro cognitione antiquitatis, legum quoque uſum amiſerimus, earumque locum ſubierint opiniones inconſultæ atque avaræ pragmaticorum, ſive potius tabellionum atque ſcribarum, quarum turbinibus adeo Romanæ ſanctiones obruuntur, ut ſublata juris poteſtate ubique dominentur arbitria, nec jam homines legibus, ſed leges hominibus obſequantur, neque ad aliud ſupereſſe videantur, niſi ad triſtem reminiſcentiam antiquæ majeſtatis. Adeo ut de noſtris temporibus Plautum vaticinatum exiſtimem, cum ait:

Mores perduxerunt leges in poteſtatem ſuam.

At vos, qui Romana jura impune, imo & ingenti veſtro cum lucro ac dignitate conturbaſtis, contenti ſaltem fuiſſetis veſtra fallendi felicitate, neque librorum veſtrorum peſtilentiam poſt mortem veſtram nobis reliquiſſetis, in fraudem conjicientes poſteritatem, depulſam per vos non modo a primis conditoribus juris; ſed ab Accurſianis etiam, & Bartolinis aliisque melioris notæ interpretibus, tanquam ab auctoribus nullius uſus. Vah homines emortui pudoris! Ecquid erubuiſtis imperitiam veſtram defendere mentita legum deſuetudine, ac ſubducere aliis, quæ vos propter barbariem & ignaviam veſtram, & præcipue propter ignorantiam Latini ſermonis omnino deſperaſtis? Itane vero? Quoniam orbem Romanæ juſtitiæ ad univerſa patentem, & humanos eventus omnes, caſusque ſingulos civilis vitæ, vel expreſſe, vel tacite comprehendentem, pro modo ingenioli veſtri ad paucas contraxiſtis quotidianarum quæſtionum: ideo nos reliquas controverſias infinitas, vobis ignotas, non ex legum codicibus, neque ratione ulla ducta e radicibus juris; ſed ex auctoritate, ſive ex erroribus veſtris definiemus? cogemurque univerſi deſipere propter deſipientiam veſtram, qui labem hanc in Jurisprudentiam effudiſtis, quique majeſtatem ac reverentiam legum tranſtuliſtis ad ſomnia privatorum, & ad res judicatas? ut Romana monumenta boni & æqui everſa videamus ab uno aut altero indocto & mercenario, emtoque ſcriptore, cui auctoritatem peperit error in pluribus ſcriptis aut fraudulenter, aut imperite multiplicatus.

Hanc obſecro librorum inſaniam, & legum veſtrarum calamitatem atque contumeliam depellite aliquando, & mercimonium hoc nugarum procul auferte, Quirites, redeuntes ad Juſtinianeos libros, nempe ad ſedes ipſas Romanæ juſtitiæ, de qua

Digitized by Google

de qua ſi hominum pravitate opes haurire non licuerit tantas, quantæ ab injuſtitia & ignorantia profluunt, animum tamen priſcum illum inde recipietis veſtrum, opum fortunarumque contemtorem, & immortalium bonorum compotem, virtutum nempe maximarum, quæ a Romanis proficiſcuntur inſtitutis. Quibus e legum veſtrarum ſanctimonia ſuſcitatis, Latina Juſtitia, Latinumque nomen inpoſterum imperabit.

ORATIO
DE
INSTAURATIONE STUDIORUM,
AD
CLEMENTEM XI.
PONT. MAX.

Cupientem ſæpe numero me retegere vitia ſtudiorum, & rationem emendandarum artium diuturnis cogitationibus mihi collectam pandere meditantem, revocavit modo ſemidoctorum inſolentia, qui rationibus iisdem, quibus doctrinæ famam peperere ſibi, vitia tuentur; audacia nempe ſua, & errore alieno; modo vero in tanta oblivione publicæ utilitatis abduxit exitus aliqua deſperatio: cum animo vix unus, aut alter occurreret, qui quam poſſet maxime, idem & vellet opem ferre doctrinis.

At poſtquam, CLEMENS OPTIME, divinarum humanarumque rerum poteſtas ad te devenit, & literæ ſpem, innocentia ſecuritatem recuperaverit; redditus eſt etiam ille mihi animus erga ſtudia, quem abſtulerat obtrectatio perditiſſimorum hominum: qui cum gravioribus doctrinis iraſcerentur, & literulis eorum ridicule inflarentur, ſuum in me ſtomachum eruperunt, quem voce, atque ſcriptis cultum ſeveriorum artium excitaturum ſuſpicabantur: ſuisque vitiis mihi per ſummam impudentiam tributis, meam tenuem qualemcunque operam ſtudioſis eripere voluerunt.

Quando igitur nos, qui vix per livorem, & inſolentiam illorum recte ſentiendi facultatem retinebamus, nunc tuo ſub imperio libertatem etiam recepimus recte dicendi, ut jam liceat impune præ nobis ferre meliora; non gravabimur ea repetere animo, atque in medium adferre, quæ diffluxerant; nec pudebit eadem ad tuum, SAPIENTISSIME PONTIFEX, adducere judicium, ut, omnia ſi reſpueris, nos errore liberemur; ſi quæ vero tibi probentur, ea conferantur ad emendationem ſtudiorum; itaque alterutrum vel mihi privatim, vel aliis publice proſint. Præſertim cum ſtudiorum regimen nusquam ſit magis, quam Romæ, neceſſarium, ubi præmia potius doctrinarum, quam ipſæ doctrinæ appetuntur: ideoque plura perturbate, ac præmature arripiuntur ab adoleſcentibus, opinionem tantum eruditionis, non ſine fraude publica, ſæpe apud principes ambientibus. Etenim utilius eſt cum publice, tum privatim ignorare prorſus literas, quam profiteri falſas: cum longe crebriores errores ex variarum rerum confuſa cognitione, quam ex earum ignorantia oriantur. Quo plura enim perverſe diſcimus, eo majorem facultatem ad alios, ac noſmetipſos decipiendos adipiſcimur.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi ſtudia literarum ab recta inſtitutione deerraſſe oſtendero, ut certe deerrarunt, per quem unquam reducentur in viam, niſi per eam poteſtatem, quam ingeniis, & moribus expiandis, atque ad rectam operum, & ſententiarum normam referendis CHRISTUS inter homines locavit? Nam, ut ait Plato, non ſuam tantum princeps debet curare, ſed & aliorum etiam colere, atque augere virtutem. ἄρχοντος, inquit, ἐστιν οὐκ αὐτὸν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονται.

Eam vero poteſtatem quisnam mortalium ad cultum literarum libentius, quam tu, flexerit, atque felicius, qui per doctrinarum ſeriem, continenti laborum curſu ad hunc dignitatum verticem evolaſti; quique privatus adhuc regiam beneficentiam bonis artibus adeo exhibuiſti; ut literarum tutelam in morem tibi verſam, etiam antea crediderimus, & quidquid ſummum eſt Pontificiarum curarum, non tantum ex lege muneris tui, ſed proprio Marte videare præſtiturus.

Quod igitur omnium philoſophorum ſententia traditur, virtutum, & vitiorum initia, & progreſſus oriuntur ab educatione puerorum: irritæ ſunt enim leges, niſi educatione in animis hominum inſerantur. Unde Diotogenes Pythagoræus, τὼς δέ νόμως, inquit, οὐκ ἐν οἰκήμασι, καὶ θυρώμασιν ἐπῆμεν δεῖ, ἀλλ' ἐν τοῖς ἤθεσσι τῶν πολιτευομένων. τίς οὖν ἀρχὰ πολιτείας ἁπάσης; νεῶν τροφά.

Leges non ſunt domibus, & oſtiis, ſed in civium ingeniis includendæ. Unde autem civilis regiminis initium? a juvenum educatione. Sic ille. Neque enim edictorum frequentia, ſed recta inſtitutione vitæ, ac perſuaſione virtutis vitia tolluntur: quia non pœnis hominum animi, ſed doctrina mutantur. Quamobrem qui remedia vitiis adhibent ſine malorum extirpatione per bonam educationem, imitantur eos, qui victus ratione minime mutata pharmacis utuntur, e quibus nulla ſanitate corporis morborum ſolummodo mutationem, ac varietatem aſſequuntur. Puerorum autem ingenia propter flexilem ætatem, & vacuitatem curarum, ſunt oppido idonea bonorum itidem, & malorum ſeminibus concipiendis pariter, atque retinendis. Quidquid enim in ſimplex ac nudum ingenium initio illabitur, brevi coaleſcit; atque ubi ſemel radices protenderit, nova & adventitia poſtmodum excludet. Virtutum autem, aut vitiorum amor arripitur ex eorum exemplo, a quibus homines educantur. Hinc ingenia nobilium puerorum, plerumque ſunt ad virtutem hebetiora, præſertim in Italia, quia hic educantur a mulieribus in roſa, inter gregem ancillarum, eis vili obſequio, mollique cultu blandientium, proniora vero ad vitium propter inſolentiam laborum, & conſuetudinem voluptatum. Ac ſicuti muliebri educatione pueri abducuntur a virtute, ita vulgaribus erroribus ab nutrice hauſtis deflectuntur in poſterum a veritate; ut non mirum, ſi poſtea, dum veros rerum æſtimatores audiunt, quæ veriora ſunt, ea ducant abſurdiora.

Sed jam ad incommoda tranſeamus, quæ veniunt a viris, ac primo a præceptoribus Latinitatis, qui nihil magis laborant, quam ut augeant docendo difficultates, quas in Latinam linguam invexerunt multitudine, atque involucris regularum: quibus addiſcendis abſumitur tempus longe utilius, atque jucundius in vocabulorum explicatione, ac bonorum auctorum interpretatione traducendum. Etenim præceptis magis ad ſcribendum, quam ad intelligendum utimur: ſtultum eſt autem irretire præceptis ignorantem adhuc vocabulorum ſenſum, & uſum, qui legendis

Digitized by Google

tantum arripitur, explicandisque ſcriptoribus. Quorum conſuetudine nos nec opinantes regularum lucem animo concipimus: quas in regulas deinde ſtilus etiam incurret ipſe per ſe, more illorum, qui non arte, ſed natura loquuntur: cum ex naturali locutione regulæ, quas diſcimus, collectæ initio fuerint. Verum quia ſola conſuetudo non arcet errorum periculum, niſi præſto ſit ratio, quæ uſui tribuat auctoritatem, regatque certa cognitione ſtilum ſcribentis; ideo poſtquam peritior aliquanto quis explicandis auctoribus evaſerit, ſi ſe ad ſcribendum conferet, opus certis habebit, quibus ducatur, legibus, ut, ſi quando imprudenter ab auctorum conſuetudine aberraverit, memoria præceptorum revocetur. Eſt enim difficile continere animo exempla ſingula: ideo ex pluribus eorum induſtria conductis communis quædam fuit colligenda, & evocanda ratio, quæ peperit regulam formamque perpetuo hærentem animo, cogitationesque noſtras dirigentem, quæ nobis adſit, ubi exempla deſtituant. Quo circa tum paucas * oportet eſſe regulas, tum etiam uberes, lateque profuſas; ne ab exilitate multiplicentur, ut iis retinendis minime ſufficiamus, aut nimio ſtudio eas conſervare cogamur, diſtrahamurque ab aſſidua lectione veterum, itaque revolvamur ad plurium exemplorum difficultatem, cui vitandæ regulas invenerunt.

Igitur ſtatim puer flexiones nominum, aut verborum ſimul cum aliis grammaticæ rudimentis memoriæ mandaverit, ad ſcriptores eſt adducendus, eique, ut nobis olim diſcentibus mos erat, præbendus in primis Ludovici Vivis nitidiſſimus, atque utiliſſimus exercitationum libellus, e quibus domeſtica, & familiaria primum hauriantur, atque quotidiana vocabula, dicendique genera illa, quæ in uſu vitæ frequentius occurrunt: ita enim pueri notis in rebus, materieque ſua intelligendi facilitatem invenient, & ſimul cum delectatione utilitatem. Quid enim inhumanius, quam ingenia puerorum expertia prorſus rerum humanarum, ignaraque omnino civilis vitæ irretire negotiis publicis aut Græcorum, aut Romanorum, in quibus veteres verſantur auctores; & ad obſcuritatem linguæ addere obſcuritatem factorum, quorum in vita nondum animo acceperunt exempla: qualis plerumque materies eſt epiſtolarum, & orationum Tullianarum, aliorumque librorum, qui

* Scopum orationis ſatis monſtrat rubrica ejusdem. Conſilium autem Auctoris de regulis paucis puero præcipiendis cuivis æquo judici probabitur. Ut enim regularum multitudine opprimitur & a ſtudiorum amœnitate repellitur puerilis ætas; ſic in lectione & uſu perpetuo auctorum veterum aluntur ſtudia ejusdem regulis paucis. Minime enim ſubſcribendum putamus ſententiæ eorum, qui ſine ullis regulis ſolam lectionem ſufficere putant, cum longum iter ſit per exempla, breve per præcepta. Quamvis autem ſenſus communis docere videatur, ignota per nota innoteſcere, adeoque linguam Latinam, quod & Auctori videtur *pag. 620.* regulis vernaculis tradi oportere, nosque ea via plerosque hodie in docenda ea incedere videamus, tamen minime animadvertere licet, hoc docendi genere multum profici. Ubi enim ſunt, qui nunc Latine melius ſcribant, quam olim Politiani, Turnebi, Scaligeri, Caſauboni, Gronovii, iis annis nati, quibus regulæ Latini ſermonis nondum niſi Latine tradebantur. Itaque dicendum eſt, regulas Latinas quoque, ſi paucæ ſint, iisque a fido interprete lux affundatur, etiam ſua Latinitate juvare diſcentes, ut, dum regulas diſcunt, exempla ſimul imbibant, imprimis cum contentio induſtriam noſtram acuat, eademque nimia rerum diſcendarum facilitate remittatur.

pueris

pueris initio proponuntur: cum ante detinendi fuiſſent in humilioribus, ac notioribus argumentis, atque a puerilibus exercitationibus traducendi ſtatim eſſent ad Phædri fabulas, & ad Terentianas comœdias; neque materie obſcuras, neque oratoria verborum circuitione moleſtas: cum ſententias Comici contineant in medio poſitas, & orationem fundant ſermoni familiari ſimilem, nullo nempe ſeveriori artificio inflatam, aut contortam; ſed fluentem, & liberam, atque ſimplicem: cujus candorem, & proprietatem illi ætati facile adhæreſcentem, ubi adoleverint, nec opinantes oratione reddiderint, atque ſtilo. Plautum tamen ad ætatem rejicimus grandiorem, atque ad maturius judicium, ne aut impuritate rerum, aut inſolentia verborum ſimplicitas puerilis imbuatur, utcumque iſte non modo copia, ſed & proprietate ſermonis, & lepore vernaculo ceteris fortaſſe fluat abundius.

Scriptores alii præter Comicos vel antiquarum fabularum exemplis referciuntur, vel negotiis plerumque implicantur publicis, ut, qui ſine fabularum, aut hiſtoriarum cognitione illos adierit, videatur ſine face per tenebras aberraturus, vixque unquam percepturus rerum ſenſus, quibus ignoratis vis quoque latet, atque notio vocabulorum. Ideo in Ovidii libris Metamorphoſeon ſunt excercendi, donec mentes factis illis impleantur: cumque iis conjungenda Juſtini lectio hiſtoriarum, ut una opera cognoſcat breviter puer, quidquid ficti, aut veri ferat antiquitas, usque ad tempora Romanorum: quorum res geſtæ initio per compendium petendæ ſunt a Lucio Floro, & Vellejo, & ab epitome præſertim Liviana hiſce ambobus longe ſimpliciori, atque candidiori, utpote quæ res geſtas exprimat propriis, & convenientibus verbis, abſque fuco, & argutiis, quibus non ſatis Vellejus, & Florus abſtinuerunt: unde periculum fuerit, ne puerorum animi fallacibus illis, & meretriciis orationis ornamentis a nervoſa, & virili ſcribendi conſuetudine abducantur.

Ubi autem breviter Græcorum, & Romanorum tempora percurrerint, ac ſummam quandam acceperint eorum, in quibus aliorum ſive poëtarum, ſive oratorum, ſive hiſtoricorum oratio frequentius vertitur, tum iis princeps omnium ad perpetuam exercitationem ſtili tradendus eſt Cicero, explicatis ante brevioribus illius epiſtolis, orationibusque facilioribus, promptaque ſimul vel ex Plutarcho, vel ex recentiori ſcriptore illius vita: ut ex factis peculiaribus illorum temporum Tulliana ſcripta clarius pateſiant. Eamque lectionem comitabitur Livius, Salluſtius, Cornelius Nepos, & Cæſar; quos excipiet ſtudium, & explicatio poëtarum Virgilii potiſſimum, & Horatii, Ovidiique: etſi neſcio an propter ſermonis proprietatem præire debeat Catulli, Tibulli & Propertii lectio: quo enim iſti humiliora tractarunt, eo minus coacti fuerunt voces a nativa ſignificatione abſtrahere ad ſublimitatem novitatemque rerum. Atque ex his aliisque ætatis aureæ ſcriptoribus, quæ Auguſti ævo concluditur, carpenda ſunt, atque proferenda pueris faciliora ex ordine, atque honeſtiora, ut ſingulorum auctorum ingenium ſtilusque deguſtetur: atque inter explicandum flectendæ ſunt mentes puerorum ad obſervationem ſyntaxeos cujuscunque verbi, & agnitionem præceptorum, quæ commiſſa cum exemplis, & ad uſum aſſidua ſtili exercitatione traducta, firmius inoleſcent animis, quam recitata memoriter.

Porro in traditione præceptorum id meo judicio peccatur in ſcholis maxime, quod, quæ ad Latinæ linguæ intelligentiam requiruntur, Latine præbentur, atque ita obſcura per obſcuriora panduntur. Etenim regulæ ad auctorum ſenſus referandos

Digitized by Google

inſtitutæ, ipſæmet indigent eadem clavi, cujus uſum a regulis petimus. Quid autem abſurdius, quam petere lucem a tenebris, & linguæ intelligentiam quærere a præceptis eadem lingua nondum intellecta conſcriptis? Cum naturalis rerum ordo poſtulet, ut ad obſcura per aperta pergamus, ac vernaculis vocibus regula illa tradatur, cujus ad aliam linguam aperiendam eſt uſus. Et præterea longe facilius hærent memoriæ clara, quam obſcura præcepta. Nihil gravius enim, nihil ærumnoſius, quam ediſcere prorſus ignota. Quo novo ſupplicii genere afficitur ætas illa hominis maxime innoxia, nempe puerilis, quæ pœnas in ludo literario pendit ignorantiæ magiſtrorum.

Præter obſcuritatem, non leve incommodum parit multitudo præceptorum, & exceptionum, quarum copia regulam aliquando adeo extenuat, ut inutile fuerit redegiſſe in regulam, quod tot exceptionibus erat exhauriendum, quod accidit, cum paucis ab exemplis regulæ concluduntur: tum enim ex exemplis contrariis, atque de regula excluſis oriuntur exceptiones. Unde quo ſunt anguſtiora præcepta, eo magis & præcepta ipſa, & exceptiones increbreſcunt, perinde atque hydra ſecetur. Quamobrem eas utiliores putaverim regulas, & commodiores, quæ minores numero quidem ſint, complexu vero latiores, e quibus quam minimum carpat exceptio.

Igitur e tanto numero grammaticorum, is meo judicio ſtudia Latinitatis ineuntibus maxime proderit, qui e Sanctiana ratione ſuas eruerit regulas. Siquidem grammaticorum natio partim vetuſtior eſt, partim recentior. Vetuſtior grammatica non tam rationibus, quam obſervationibus coaluit, a quibus artem traxere ſuam Deſpauterius, & ejus diſcipulus merito laudatiſſimus Emanuel Alvarus. Prudentiores vero ad naturalem rationem, duce philoſophia, & ad ſimpliciora principia obſervationes revocavere ſuas, unde numerum regularum utiliſſime minuerunt: quorum princeps Julius Cæſar Scaliger, qui grammaticæ partes ad philoſophorum examen traduxit, & Franciſcus Sanctius, qui ſyntaxin potiſſimum ab uſu adegit ad ſcientiam, eamque in multis dicendi generibus latentem per ellipſim expedivit: quorum e ſcriptis breves una, & ampliſſimas compoſuere regulas Voſſius, & Scioppius. Verum quia rationibus, quibus agglutinantur Sanctiana præcepta, puerilis ætas eſt impar, utcunque breviſſima illa ſint, atque ſimpliciſſima, ideo commodior erit ad ſcholarum uſum Voſſii grammatica minor, quæ hodie in ſcholis Belgicis celebratur. Ea enim & a philoſophorum ratione progreditur, & facilius flectitur ad captum puerorum: quorum ſi quis a ſcholis dimiſſus Latinitati ſtudere velit impenſius, ei labor eſt ſubeundus major, cumque veteribus nova conjungenda, & ad Scaligeri, Sanctiique lectionem addendus etiam Alvarus, qui Deſpauterium ad aptiorem digeſſit uſum.

Verum quoniam eloquentia rebus conſtat, & verbis, quæ rebus pandendis ſunt neceſſaria, ideo ubi pueri ſignificationes, ordinataſque compoſitiones verborum calluerint, adducendi continuo erunt ad fontes rerum, quos minime aperit vulgaris illa ſteriliſque rhetorica, verborum potius coloribus notandis, quam ſententiarum radicibus proferendis idonea. Diſputaturus etenim copioſe aliqua de re atque eleganter, eam noſſe opus habet e ſuis cauſis, & percurrere ſingulas partes illius: huic enim, ſi ad eam cognitionem diuturnum auctorum uſum adjunxerit, verba ipſa de re ultro ſe offerent.

Homi-

Digitized by Google

Hominum porro diſputationes omnes, vel in certis ſcientiis artibusque verſantur, qualis eſt Juriſprudentia, ſcientia rerum naturalium, Aſtronomia, & artes denique omnes, quæ aut mente, aut lingua, aut manu expediuntur; vel occupantur in moribus hominum, ac regimine civili, rebusque poſitis in communi cognitione, atque uſu, nempe virtutibus, & vitiis, atque affectionibus animorum, negotiisque privatis, aut publicis, quæ crebrius, & facilius in conſuetos hominum ſermones incurrunt: ex quibus, eorumque cauſis vetuſtiores Rhetores longe graviores, atque utiliores, duce potiſſimum Ariſtotele, artem conflavere ſuam: quæ non tam in depingendis imaginibus verborum, conſtruendisque membris orationis, & enthymematis, elenchisque nectendis; quam in exponendis humanarum cupiditatum, & actionum cauſis, diſtinguendisque virtutibus a vitiis laborabat. Quamvis autem aliæ artes, atque ſcientiæ peculiares, dignæ etiam cognitu ſint homini eloquenti, deque omnibus oblata occaſione diſputaturo: tamen, cum vis ingenii humani nequeat univerſa ſuſtinere, oratoris facultas potiſſimum redigitur ad mores hominum, & facta civilia, resque illas, in quibus hominum omnis fere vita traducitur. Etſi haud negaverim, influere multa ex varietate cognitionis in os dicentis, quæ orationem illius reddunt pleniorem, etiam ſi de re vulgari loquatur: ita ut in humilibus etiam, & quotidianis diſputationibus ingenium emineat ſapientis.

Sed quia res affectionesque humanæ patere ſatis nequeunt e definitionibus Philoſophorum, niſi acceſſerit uſus hominum, & lux commerciorum, ideo rhetorica illa veterum robuſtior & ad ætatem differenda maturiorem. Intereaque pueri, abſoluta grammatica Latina, eodem ſervato docendi ordine, quem in ea præſcripſimus, literis detinebuntur Græcis: quarum initia e Voſſii accipient grammatica minori, additis exercitationibus grammaticis in præcipuos ejus linguæ ſcriptores, quas ad Clenardum attexuit Anteſignanus. Eas continuo exercitationes excipiet Homeri lectio, qui omnium ſcriptorum inſtar erit: cum optimi quique ab eo profluxerint, vixque aliquod ſit, aut bene cogitatum, aut bene dictum, cujus primordia non ſparſerit Homerus: a quo nata eſt non Poëtarum lingua modo: ſed & Oratorum, Philoſophorum, atque Hiſtoricorum: qui omnes ab Homero ſumſere lumina ſententiarum, & dicendi colores, atque formas; ut is unus eloquentiæ, ac ſapientiæ univerſæ commune ſit elementum. Ei vero interpretando facilitatem adoleſcentibus attulerit ſummam clavis, quam vocant, Homerica: cujus vicem ad ſcriptores alios explicandos præſtiterit Roberizonii Lexicon, ſive Schrevelius auctior: quo utentes neceſſe non habebimus veſtigare themata, ſive capita verborum irregularium, atque defectivorum, ut vocant: etenim ibi modos, temporaque omnia notata, cumque ſuis inflexionibus deſcripta inveniemus; ita ut a declinationibus nominum, & conjugationibus regularium verborum ſtatim vertere nos poſſimus ad jucundiorem exercitationem, nempe ad ſcriptorum interpretationem. Hoc enim lexico adhibendo de irregularibus verbis, atque defectivis, memoriæ noſtræ tantum hærebit ab uſu, quantum ad auctores ſuppetat intelligendos: ſiquidem hanc linguam ſcriptionis cauſa vel nullus addiſcet, * vel, ſi hoc etiam conetur, facilius poſt auctorum intelligentiam linguæ anomalias aſſequetur.

* Quam diſſimile hoc antiquis urbis ſtudiis, quod Gravina quenquam futurum diffidit, qui Græca ſcriptionis cauſſa diſcere velit. Adeone linguæ alicujus ſtudium

Digitized by Google

Eodem tempore, quo Græcæ docentur literæ, erudiri etiam poterunt adoleſcentes communioribus Rhetoricæ præceptis, quæ ſcilicet non tam ad inveniendum proſunt, quod unice a Philoſophia petendum; quam ad diſponendam, & ornandam orationem: qualia ſunt ea, quæ in Rhetoricis ad Herennium continentur. Qui libri neglectis centonibus, & ineptiis recentiorum, ſumma cum utilitate ſtudioſis anteponentur.

A vulgari Rhetorica, & a ſtudio linguarum conſuevere pueri ad ratiocinandi, ac diſputandi artem, nempe ad Dialecticen, decedere: quæ perinde atque Rhetorica fuerit inanis, niſi materiem ſibi vel ex communibus rebus, vel e ſcientiis aliis contrahat. Quantumcunque enim quis definitionis regulas calleat, nunquam tamen recte ſine rei definiendæ cognitione definiet. Fac enim ſit quis legatum definiturus, qui legatum tamen ignoret, neque diſcrimen inter legatum & hereditatem intelligat, certe utcunque dialecticam ſuam excutiat, nunquam, neque fortuito, legatum delibationem hereditatis appellaverit. Contra vero ubi didicerit, hereditatem eſſe jus in univerſam ſucceſſionem; legatum vero particulam ex bonis hereditariis teſtamento detrahendam, etſi nullam definiendi teneat regulam, tamen tam perſpicue legati naturam nobis expediet, quam ſtructor murarius parietis, aut faber lignarius menſæ: ita ut in ſuo quiſque artificio, Dialectices omnino expers, tamen plus definiendo polleat, quam Porphyrius aliquis, aut Simplicius, aut Averroës, aut Philoponus, aut ipſemet Ariſtoteles, qui, cum ineruditorum opinione ſit in Dialectica legislator, & princeps, ac pro inventore illius habeatur ab ignaris antiquitatum, neſcio quanta in rebus præſertim naturalibus, & cæleſtibus ex vero definierit, cum omnia ex arte definire contenderit. Pergamus vero, & a Dialectica diſtinguendi regulas petamus: uter quæſo hæredum differentiam oſtendet expeditius, Dialecticus ne, an Juriſconſultus, qui probe tenet, heredum alios eſſe ſuos, & neceſſarios, ut filiusfamilias, alios neceſſarios tantum non ſuos, ut ſervus; alios neque ſuos, neque neceſſarios, ut extraneus? an Dialecticus, qui vix heredum nomen fando acceperit? niſi multum referre putemus, quod Dialecticus, qui jura noſſet, hæc diſtinxiſſet longe ſubtilius, arteque ſua tria illa membra imparia redegiſſet ad æqualia duo, eorumque alterum in minora totidem diremiſſet, nempe ita: *Heredum alii neceſſarii ſunt, alii extranei; neceſſariorum vero alii, ſui, alii non ſui.* Quæ diviſio quamvis e ſummo artificio veniat, adoleſcentibus tamen longe majus negotium faceſſit, utpote quæ mentes in æquo inſiſtentes, diviſione alterius membri deorſum trudat, nempe in duos illos inferiores gradus, in quos diviſit vir ille mirabilis heredes neceſſarios: cum ex alia pinguiori quidem, at utiliori tamen, atque faciliori, tria illa feliciter, eademque progreſſione mentis recta percuramus. Propterea contenti fuerunt juriſconſulti multa diſtinguere, ac definire craſſius, ne nimio artificio, atque ſubtilitate ingenia diſcentium excruciarent. Quorſum enim ea in dividendo ſuperſtitio, atque anxietas, ſi res, quibus aperiendis diſtinguendi ars fuit inventa, per pinguiorem diſtinctionem erunt longe promtiores; diſtinctio vero ſubtilior tenebras potius multiplicatione partium in-

profitebitur ingenium nobile, quam non ut legendo, ſic ſcribendo imo fando quoque exprimere cupiat. Paulo poſt pro Cicerone, vel quiſquis is eſt, ad Herennium, quandoquidem hi libri valde ſteriles ſunt, commendarem Fabii *precepta oratoria.*

ducit,

ducit, iisque comminuendis res oculis ſubtrahit? Sed locos jam ſubeamus argumentorum, quos non Rhetores modo quæſtus cauſa, ſed & Cicero Senator Romanus, & homo Conſularis tanti fecit, ut librum de iis conſcripſerit ad Trebatium; credo, ut tempus in eis addiſcendis poſitum lucraretur. Age itaque, num is; qui ſciat donationem cauſa mortis referri ad ultimas voluntates, probare non poterit eam eſſe revocabilem, niſi a nugigerulis noſtris didicerit, omnia, quæ conveniunt generi, ſpeciei etiam convenire; proptereaque revocabilem eſſe donationem cauſa mortis, quia ſpecies eſt ultimarum voluntatum, quod omne genus eſt revocabile? quaſi non ſatis fuerit enunciatum, ex jure illud aſſumſiſſe, quo totum argumentum ſine ulla ope Dialecticæ concludatur. Tandem ut ad judicium de vero, & falſo veniamus, cujus eruendi facultatem ſibi præ ceteris adrogant præſtigiatores iſti, per illas trutinas veritatis, quos modos argumentorum appellant. Nempe per monſtra illa verborum perterrefaciendis pueris inventa, *barbara*, ſcilicet, *celarent*, *felapton*, *feriſon*, & ſimilia: ſi Titius moriens centum habebat in bonis, adita vero hereditate reperiatur minus, heresque legatis oneratus velit ea pro deminuta parte deminuere repugnantibus legatariis; nonne ſatis erit habere a ſcientia juris regulam illam, quæ tradit in definienda quarta ſpectandam eſſe patrimonii quantitatem, quæ ſupereſt tempore mortis, non tempore aditionis; ut facile judicetur legatariis idem præſtandum, quod obtinuiſſent, ſi heres tempore mortis confeſtim adiiſſet: an vero judicium hoc nullo modo proferetur, niſi contorqueatur arcus Dialecticorum, & argumentum conferatur in figuram illarum aliquam, quæ veluti picta tabella objiciat oculis hujus judicii veritatem, & homines de re contendentes trahat ad concertationem verborum? Quando igitur dialecticis regulis, neque ad inveniendam, neque ad ſecernendam veritatem opus habemus; num ideo hanc prorſus artem nobis tanto ſtudio a veteribus commendatam abjiciemus? minime id quidem. Etenim, utcunque ſpem fruſtretur noſtram, haud tamen indigna eſt, cui partem aliquam otii noſtri tribuamus, trium ſcilicet, aut quatuor menſium exercendo, expediendoque ingenio, ut conſueſcamus introſpicere, ac rem volvere quoquo verſum per partes, & genera: dummodo meminerimus hujuſce artis ſtudium non ſua, ſed aliarum doctrinarum cauſa ſuſcipiendum eſſe: ne, dum inſtrumentum excolimus, more ſcholaſticorum ipſum obliviſcamur opus. Illud etiam nobis perſuadeamus oportet, quæ faciliora ſunt hujus artis, atque breviora, ea uſus eſſe majoris, caveamusque, ne pueros ad fallendum, & calumniandum, inque rebus perſpicuis rixandum aſſuefaciamus, ut ſæpe inter diſcipulos tenebrionum uſu venit: qui, dum inepte, ac ſumma cum patrimoniorum jactura garriunt in circis, & crocitant, pro literariis exercitationibus exhibent populo deridenda ſpectacula, perinde ac ſi e plauſu ſtultorum Ædilitatem, aut Præturam, aut ſpem Conſulatus aſſequantur. Quamobrem prudentiſſime Plato non ante annum trigeſimum, poſtquam longo uſu per bonam educationem virtutes imbiberint homines, caute, atque parce Dialectica præcipit imbuendos, ne acumine ſuo ſibi blandientes exerceantur contra juſtitiam, & veritatem. Etenim, ait, adoleſcentuli diſputationes deguſtantes iis veluti per luſum in contrarias partes utuntur, invicem ſe redarguentes, ac tanquam catuli proximum quemque ſibi diſtrahentes, ac ſermone ſuo lacerentes; ideo non a ſenticeto labyrinthoque ſcholarum ars iſta petenda, ſed a candidiori aliquo, cultoque ſcriptore, qui more veterum eam elegantibus verbis, ac Latinis potius, quam Gothicis, & Arabicis

Digitized by Google

Arabicis vocibus, quales nunc habemus, explicarit: ut ingenti cum laude fecit Groſcius, qui ſua in Dialectica & rerum delectum habuit, & vocabulorum, quæ de Tullianis fontibus hauſit una cum exemplis, ad ſingulas Dialecticæ regulas accommodatis.

Cum autem Dialectica emendandæ menti potiſſimum ſtudere debeat, certe omnium hoc optime Geometria præſtiterit, quæ mentes ordine certo a certis quoque ducit, ſimplicibusque principiis, unde obſcura diluuntur, diſſolutaque componuntur, & compoſita in ſuas dirimuntur partes: ut hac recta diſſerendi conſuetudine mens aſſueſcat ſemper inſiſtere ipſis rebus, atque ita omnis cogitatio, ſeriesque omnis argumentorum progrediatur a veris, & mens exuat ſibi ſenſim, quod e vulgari judicio temere, ac ſtulte conceperat, neque deinceps admittat, niſi quod ordine illo expenſum fuerit, & exploratum: unde hac una ſcientia veteres facile retexuntur errores, novique præcaventur. Neque enim Geometria in ſola quantitate vertitur, ſed in rebus omnibus, quæ ordine geometrico pertractantur. Nam affectiones quantitatis minime Geometriæ ſubjiciuntur tanquam unicum illius opus, ſed tanquam exempla clariora, & ſimpliciora, in quibus Matheſeos poteſtas magis perſpicua cernitur, utpote quarum notio ab ipſa natura mentibus imprimitur. Ceterum undecunque ratiocinando ita progredimur, ut e notis ignota devolvamus, & a ſimplicioribus ad compoſita ſuis feramur gradibus, ac dividendo a compoſitis ad ſimplicia deveniamus, ibi nihilominus, atque in quantitatis affectionibus, mentem ad Matheſim exercemus. Si qua enim patere homini veritas naturaliter poteſt, ea ex ipſamet mente humana educitur, ſi confuſæ rerum notiones in ordinem ab adminiſtra veritatis Geometria tribuantur. Quidquid autem Geometriæ ſatis fuerit Profeſſori divini, humanique juris, ad quem potiſſimum inſtituendum iſta meditamur, præbebit Euclides a Mercatore digeſtus. Cui ſtudio recte attexetur Aſtronomia, quam breviter arripere licuerit a Gaſſendo, itemque Geographia, quæ facile ac celeriter addiſcetur ab introductione Cluveriana, quam recens habuimus auctiorem.

Cum quis igitur per Dialecticam & Geometriam naturales animi facultates promorit, atque direxerit, antequam doctrinas attingat alias, ad caput veritatis fontemque notionum omnium, nempe ad naturæ ſtudium, ſe tantiſper conferet, quoad generales rerum cauſas, & univerſitatis hujuſce generationem, ordinemque, ac motum, ſive ortum, interitumque rerum pro viribus mentis humanæ comprehenderit; ac ſi per ſingula non excurrerit, attamen proſpexerit univerſa, mentemque illam depoſuerit anilem, educatione muliercularum, & conſuetudine imperitorum ſomniis atque ineptiis circumfuſam: ut vel hoc nomine ſapere incipiamus, quod aliquando delirare deſtiterimus, ignorantiamque noſtram perſenſerimus; ac, ſi non hauriamus lucem, ſaltem tenebras excludamus. Summus enim eſt humanæ ſapientiæ gradus imbecillitatem propriam, & perpetuam ignorantiam ſibi conſcire contemplatione principiorum. At undenam creperam hanc & dubiam utcunque lucem vulgares tenebras diſſipantem eliciemus? Num, quod quatuor jam ſæculis deploranda temporis jactura, & inexpiabili Sophiſtarum ſcelere fruſtra tentatur, e ſcholis Peripateticorum? Cujus familiæ primores præſertim Arabes non alio admirabilem alioqui vim ingenii ſui tetendiſſe videntur, quam ad alimentum vulgarium opinionum, ope, atque auctoritate Philoſophiæ, facultatem omnem dialecticam convertentes

tentes in munimentum præjudiciorum, docentes poſteros errare ſubtilius, verbaque ſenſu vacua, & e barbariæ fœcibus educta pro rebus ipſis obtrudentes. Quid igitur ſperandum ſupereſt ab ea ſchola, quæ tam longo curſu ſæculorum æſtuantibus innumerabilium hominum ingeniis nihil novi adhuc extulerit, neque ignoti detexerit quidquam; ſed vana opinione ſapientiæ curioſitatem, & facultatem etiam omnem inveniendæ veritatis abſtulerit? Quem ſane morbum non alia ratione pellere licuerit, quam cognitione ignorantiæ, quæ de Socratis diſputationibus animadvertitur: ut, ſi ante ſapientiam nobis adrogantes in nugis, tanquam ſolidis in rebus, acquieſcebamus, ſtultitia dehinc patefacta pergamus ulterius, & extrema tentemus, Platonem invocantes ducem; * qui, dum notiones temere acceptas oppoſitis, atque undique contractis rationibus exagitat, mentem ex falſa opinione ſcientiæ ad agnitionem ignorantiæ translatam ad eas attollit cauſas, e quibus pax atque tranquillitas oritur animorum.

Hinc Socrates, qui omnibus fere Platonicis in libris doctor inducitur, omiſſis cauſis rerum ſingularium, quarum cauſarum cognitione minus indigemus, ſtudium complexus divinæ humanæque naturæ, atque univerſitatis rerum, extraxit inde artem vitæ beatæ, omniaque contraxit ad uſum hominis, atque ad regimen doctrinamque morum: ut juſtitiam, quæ civitatem ſervat incolumem, & ſingulis civibus tranquillitatem parit, urbibus præficeret, atque in mentium humanarum arce locaret, ſepoſitis aliis rerum naturalium ſtudiis ad curioſitatem potius alendam conferentibus, quam ad pacem procreandam animorum. Veritatem autem Plato non e fallacibus humanorum ſenſuum experimentis, ſed ex æterna divinitatis notione in animis noſtris inſcripta feliciſſime repetiit, ut fauſto ſidere ductus ad Chriſtianæ religionis oras raticinando fuerit appulſus. Is enim ſolidis, & ineluctabilibus argumentis vicit unum eſſe Deum, qui cura providentiaque ſua ſumma ſimul, & infima, maxima pariter, & minima complectatur, quique non donis, & muneribus ex vitiorum proventu proficiſcentibus, neque ſcelerum fructibus; verum cultu virtutis, & innocentia teneatur, ac ſola morum emendatione placetur, atque ita Poëtarum theologiam explicuit ex erroribus vulgi, a quo inde ſuperſtitio illa ſumma veterum trahebatur. Philoſophi enim fabularum interiorem ſenſum eruerunt, & ex earum velamentis expedierunt naturalem divinitatis notionem, Dei ſimplicitatem aſſerentes, eique affectiones detrahentes humanas: ita ut ſtudio divinæ veritatis offenſionem incurrerint ignavæ ac ſtolidæ multitudinis, quæ Deos expetebat plures, in factiones diſtractos, & contagionis humanæ participes, quos nullo juſtitiæ ſenſu tantum cæſis pecudibus demulceret, tanquam non Dei *ſint omnes feræ ſilvarum.*

* Exemplo Cardinalis Beſſarionis & Marſilii Ficini, Platoni ſtudere unice videtur Noſter, eundemque Ariſtoteli vehementer præfert. Plato tamen inprimis in Politicis methodi laude cedit Ariſtoteli. Noſtri utrumque commendare ſolent, quotquot non delectantur calumniis veterum. Siſti enim iisdem ajunt, quicquid fuerit ſapientiæ veteris paganæ, cui quæ admixta ſint ſcoria, ſecerni debeant. Ex ſententiis, quas recenſet Gravina, apparet, neminem Platone propius Chriſtianis acceſſiſſe, quare & veteres Eccleſiæ Patres tantopere ſcriptis ejus delectabantur. Lites inter Platonem & Ariſtotelem componere tentavit Gabriel Buratellus in *conciliatione præcipuarum controverſiarum Ariſtotelis & Platonis, edita Venetiis 1573.*

Digitized by Google

Cum igitur Deos ideo vulgus coleret; ut perpetuos honorum, divitiarum, ac voluptatum largitores haberet: Philoſophis, qui benevolentiam Dei, virtutum exercitatione, odioque vitiorum excitandam præcipiebant, donaque impiorum indigna, & inviſa Deo reputabant, multitudo vehementer iraſcebatur: quia, ſublata ſuperſtitione, amotiſque venalibus Diis, facultatem ſibi redimendorum criminum, & ſuarum cupiditatum adminiſtros ademtos arbitrabantur.

Plato autem, ut veram virtutum notionem ſuperſtitione avulſam animis redderet, hominem juſtiſſimum expreſſurus, amovit a juſtitia illius omnia lucra, & præmia, quæ ab hominibus perſpectæ virtuti aliquando tribuuntur, eidemque homini juſto amorem ademit aliorum, ac famam etiam opinionemque juſtitiæ, ut, juſtiſſimus cum ſit, injuſtiſſimus reputetur: ne per opinionem juſtitiæ commodi aliquid, aut honoris ab hominibus aſſequatur, neve ad ejus virtutis cultum ab aliquo emolumento vocetur: ſed ſolius juſtitiæ ſuæ conſcientia beatus, pro nihilo ducat aliorum de ſe opinionem: unde juſtitiæ cauſa in odium univerſorum adductus, graviterque, ac diu calumniis, injuriiſque vexatus, tandem flagellis cæſus cruci ſuffigatur. Quam ſane perfectiſſimam extremæ juſtitiæ formam, poſt homines natos, in ſola Jeſu Chriſti perſona videmus exſculptam. Is enim, oratione atque opere juſtitiam redarguturus Phariſæorum, quæ tota verſabatur extrorſum, neque ſenſibus animi, ſed macie vultuque ac labiis, & veſtibus exprimebatur, benefacta ſua tegebat, preces, & jejunia, mirabileſque actus ab oculis aliorum auferebat. Hæc enim ſæpe ſublata plauſu, & admiratione hominum, ab amore ſupremæ juſtitiæ ad humanæ gloriæ ſtudium traducuntur. Unde honores omnes & opes, propriique generis nobilitatem a ſeſe abdicans oblata ſibi regna repudiavit: quo inter cetera ſignificaret, juſtitiam in ſemet ipſa ſummum habere præmium, ac propriam felicitatem in Deo locare; cujus felicitatis partem nullam neque amore ſuo tribuerint homines, neque odio eripuerint. Ac tandem qui unus fuit juſtiſſimus, utpote juſtitia ipſa, opinione tamen hominum injuſtiſſimus, ſuſceptis in ſe omnium injuſtorum pœnis poſt longam, & acerbiſſimam divini corporis lanienam, medius inter capitalium criminum reos, vitam in cruce profudit. Quo ſuum quoque juſtiſſimum hominem his verbis lib. 2. *de Republica* Plato perducit: Γυμνοτέος δὴ πάντων πλὴν δικαιοσύνης, καὶ ποιητέος ἐναντίας διακείμενος τῷ προτέρῳ. μηδὲν γὰρ ἀδικῶν, δόξαν ἐχέτω τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵν' ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην, τῷ μὴ τέγγεσθαι ὑπὸ κακοδοξίας, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῆς γιγνομένων. ἀλλ' ἤτω ἀμετάστατος μέχρι θανάτου, δοκῶν μὲν εἶναι ἄδικος διὰ βίου.

Et paulo inferius:

ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ. τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδιλευθήσεται.

Cum igitur Plato ex Clementis etiam Alexandrini, & priſcorum judicio Patrum adeo feliciter ad perfectam, veramque juſtitiam ratiocinando collinearit; quis, obſecro, ſua ſine fraude neglexerit alimenta legis naturalis ab illius doctrina utiliter affluentia? & non rectius exiſtimaverit, (quod & ille profitetur in Epinomide) admirabilem illam ſapientiæ vim, notitiamque rerum divinarum ab ſe ſcriptis traditam, commigraſſe in Græciam a Syris, quos promiſcue pro Hebræis accipiebant?

piebant? itemque ab Ægyptiis, quibus longa mora, & commercia finitima Hebræorum non pauca, neque obſcura ſapientiæ divinæ oracula reliquerunt? Unde ad ſe Græci derivarunt non vulgarem illam, & ſuperſtitioſam, ſed ſanctiorem, & retruſiorem Philoſophorum Theologiam, & Philoſophiam Poëtarum arcanam, pro qua Socrates mortem oppetiit, multitudinem Deorum tollentem, divinæque naturæ ſimplicitatem a vulgi deliriis vindicantem, & beatitudinem in Deo ipſo, & interna juſtitiæ perfunctione condentem; cujus notionem Ægyptiorum ſapientes deterſerant ab Hebræis. Idem quoque Plato, haud ſecus quam Chriſtiani, amorem ſui ipſius fontem reputat malorum omnium, radicemque cupiditatum univerſarum, quibus humanus animus dehoneſtatur. Cum enim divinitatis luminibus ad immortalia feratur, dilectione ſui ad caduca deprimitur, mergiturque corporis voluptatibus; quamobrem qui corpori nimio amore ſui ipſius indulget, maxime detrahit menti, unde fons erumpit humanæ vitæ, quæ in cogitando, ac percipiendo verſatur: ita ut morbus animo conceptus, in affectiones, facultates, actionesque hominis penetret univerſas. Iterum Plato corporea natura priorem, atque antiquiorem oſtendit naturam eſſe animorum, ab eaque motus ducit initium, omnem præterea corruptionis cauſam illinc excludens, æternitatem aſſerit illius. Unde colligit, mentem primævam, & infinitam, quæ tempore infinito rebus creatis omnibus anteivit, immotam ipſam, omnia moviſſe, ac movere perpetuo: ut inde initium, & progreſſus, generatio, & interitus rerum devolvatur. Ex quibus non modo erroris convincuntur ii, qui naturam divinam funditus tollunt; ſed eorum etiam, qui Deum quidem aſſerunt; verum a cura, & gubernatione rerum ejiciunt. Ubi enim Plato docuit, mentem infinitam eſſe corpore antiquiorem, facile comprobat, facultates, ac virtutes infinitæ mentis, quæ in provideudo, regendoque verſantur, præiſſe corporibus motum a Deo ſemel acceptum perpetuo trahentibus: ex quo motu a voluntate divina rebus impreſſo, varietas rerum, & ſtatus earum exoritur: unde ſecluſa divinitate, quæ lucem rebus, & vitam continenter tribuit, cæca, & mortua eſſent univerſa. Oſtendit autem omnia corpora, & quæ a corpore procedunt, ſuimet interitus intra ſe cauſam continere; at animum ſolum, utpote imaginem divinitatis, qui vitam involuto ſibi corpori tribuit, excludere a ſe omne mortis initium; ideoque ſolum animum, pereuntibus rebus creatis ceteris, æterno tempore permanſurum. Verum Platonis cum religione noſtra conſenſum non eſt noſtrum explicare: cum id abunde, ac longe dignius præſtetur a veteribus Patribus, ab illius doctrina venientibus; quam doctrinæ Chriſtianæ præ ceteris interſeruit Auguſtinus, adeo ut Platonem non tantum pro magiſtro Philoſophorum, ſed etiam pro diſcipulo videatur habuiſſe Prophetarum; quem ſenſum ſchola Chriſtianorum usque ad Bernardum SS. Patrum ultimum præ ſe conſtantiſſime tulit. Unde non mirum, ſi ſcholaſtici noſtrates, omnium Hiſtoriarum ignari, antiquitatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non tempore, ſed memoria metientes, & cognitione ſua, non ultra quatuor proxima regni Ariſtotelici ſæcula tranſeunte, haud erubeſcunt ignorare Platonem, ac magiſtri loco ſubjicere diſcipulum: qui non modo præceptoris, unde abſtulit quidquid habet boni, & unde nunquam ſine famæ ſuæ, ac veritatis jactura diſcedit; ſed & omnium ante ſe Philoſophorum doctrinam per ambitionem, & malevolentiam adeo interpolavit, ut, ubi propria luce carebat, poſteris etiam inviderit alienam; rerumque cauſas, quaſi per ſe non ſatis ignotas, obruerit obſcuritate

Digitized by Google

orationis: cujus artificio ita ſuos deludit interpretes, & diſcipulos, ut, unde minora diſcuntur, inde majori ſapientiæ opinione ridicule impleantur.

Ubi autem quis generales rerum cauſas, & initia etiam affectionum omnium humanarum attigerit, detexeritque rerum ſingularium, & univerſarum inter ſe nexum ac vinculum, confeſtim accedet ad cauſas civilis regiminis, progreſſuſque ſocietatis humanæ: ut perſpectis moribus hominum, cognitiſque rebus tum publicis, tum privatis, atque communibus, norit de illis utram velit in partem honeſte diſputare, atque ad voluntatem ſuam flectere animos hominum verbis, & rationibus, de morali civilique Philoſophia petitis: quæ merito locum apud ſaniores homines artis Rhetoricæ ſubierit. Quid eſt enim aliud Rhetorica, ſecluſis puerilibus illis verborum ſtruendorum præceptis, niſi rivus erumpens e facultate civili, quam πολιτικὴν vocant, & ex ſcientia morum atque affectionum humanarum: quibus de cognitionibus ſuaſionis, & diſſuaſionis ratio, ſimul cum publici, privatique regiminis arte colligitur. Ac morum ſane affectionumque humanarum notitia profluit abunde ab Ariſtotelis Rhetorica, in quam ille contulit quidquid e Platonicis diſputationibus, ſive pronunciatis, ſive ſcriptis arripuerat. Nam quæcunque rhetoricorum libris Ariſtoteles comprehendit, ea fere omnia ſparſim tradita in Platonicis dialogis invenimus: ut non mirum, ſi hoc, quotquot Ariſtoteles reliquit, operum ſit præſtantiſſimum, ſimul cum libris Politicorum: in quibus nihil eſt inutile, aut falſum, niſi quod revocari nequeat ad Platonem. Nam libri moralium, ubi eadem quoque fere cum Rhetoricis argumenta tractantur, propter eorum ſubtilitatem, ad uſum, utilitatemque civilem ægrius perducuntur. Quippe qui non tam humanos mores, & quotidiana negotia, quam ſapientis vitam, & beatitudinis cauſas contemplentur. Quas inter cauſas dum bona exteriora corporis includit, felicitatem ſapientis, quam Stoici ſimul & Epicurei, utcunque de fine diſcrepantes, ad ſolius virtutis efficaciam referunt; Ariſtoteles vulgi aſſentator a poteſtate ſuſpendit rerum fortuitarum.

Præſtiterit igitur inſtitutionem ſapientis vitæ ſuſcipere Platonicis e libris, quo ſuperiorum omnium ætatum, atque gentium univerſarum, & veterum Theologorum, ac Poëtarum ſapientia confluxit: præſertim vero ex libris de Republica, & de Legibus, ubi uberiores affectionum, & rerum humanarum cauſæ panduntur, & cum privatæ, tum etiam publicæ felicitatis rationes ad ſolam honeſtatem retrahuntur. A qua honeſtate manare oſtendit Plato ſubjectorum ſimul, & principis utilitatem pariter, atque tranquillitatem: quam ſi Platonem, ſive potius rectæ rationis vocem, audiamus, extinguuntur vitia, quæ animum, quo irrepſere, pavoribus complent, & anxiis curis, inter quas exagitatur, quiſquis alios imperio ipſe abuſus exagitat. Unde tyrannus longe ſibi gravior eſt, quam civibus: cogitur enim timere ſingulos, dum terret univerſos: hauriendiſque ſubſtantiis aliorum, libidinem auget ſuam, indeque ad majorem adducitur egeſtatem, quæ non ampliandis opibus tollitur, ſed cupiditatibus extinguendis. Hinc longe ſemet ipſum crudelius, quam ſubjectos populos excruciat. Ab unius enim hominis atroci dominatione pedibus patet effugium; vitiorum vero ſævitiam nemo vitaverit, niſi effugiat ſemet ipſum. Quam dum Plato miſerrimam tyrannorum imaginem oculis noſtris objicit, facile ſententiam evertit, ac rationes refellit illorum, qui ſuis præceptis dominationem in ſceleribus, & fraudibus exſtruunt, regnandique artem in piraticam, & prædatoriam

riam vertunt; ut a nullo melius, quam a Platone, Machiavellus, cum ſuorum decretorum æmulis Hobbeſio, Spinoſa, & Bodino proſternatur. Cujus Machiavelli atrox principis, & immanis inſtitutio, non modo non verax, nec utilis, ſed neque ignota eſt, neque nova iis, qui Theognidis, & veterum tragicorum, aliorumque poëtarum evolvere libros: quorum ſententiam Plato Traſimacho Sophiſtæ attribuit in lib. *de Republica*, ut eam invictis rationibus e mentibus hominum exſtirparet. Unde vulgares rerum civilium præceptores, & impietatis adminiſtri, qui ſapere ſupra veteres opinantur purgamenta illorum, & rejiculas antiquitatis opiniones, tanquam novum aliquod inventum, in Machiavello cum pulicæ libertatis communisque tranquillitatis pernicie admirantur.

Cum his autem ſtudiis, rhetoricorum, ſcilicet, Ariſtotelis, & civilis doctrinæ moralisque Philoſophiæ, recte conjungentur Ciceronis opera de arte dicendi, ac libri præcipue de oratore, qui, ut libris Philoſophorum acumine, atque ſcientia cedant; longe tamen præſtant uſu rerum, peritiaque forenſi. Quæ oratori eſt adeo neceſſaria, ut, niſi, quod e libris aliorum accepit, cum rebus ipſis proprio experimento, ſuaque actione vitæ contulerit, oratione ſua non veritatem reddere, ſed ſcholam olere videatur. Quamobrem is eloquentia excelluerit maxime, cujus vita non ſolum inter præcepta mortuorum, ſed inter viva exempla, in medio morum, & affectionum, atque caſuum humanorum longo civilis exercitationis curſu traducatur. Ad quæ ſi lux acceſſerit præteriti temporis, & memoria rerum geſtarum ſimul cum Poëtarum ad noſtram utilitatem confictis narrationibus, oratio dicentis omnibus verborum, & ſententiarum luminibus abundabit. Ipſæmet enim ſententiæ colores offerent, & ornamenta verborum, ſi proprietates eorum calleamus; neque difficile fuerit optime dicere, ſi recte cogitare didicerimus. Nec minoris fortaſſe facienda ſunt veterum poëtarum carmina, quam libri Philoſophorum. Etenim antequam Philoſophi ſcholas aperirent, & in publicas diſputationes argumenta rerum educerent, ſapientia omnis a ſuis inventoribus conjiciebatur in fabulas, carminibusque tradebatur. Solutam enim orationem diu poſt ſapientiæ ſtudium accepimus, neque antequam velamenta fabularum præceptis Philoſophiæ detraherentur. Quamobrem præter Orpheum, Muſæum, Homerum, theologosque ceteros, qui non ſolum numeris, verum etiam poëtica inventione circumdedere ſapientiam; illi etiam, qui artificium fabularum repudiarunt, veluti Pythagoras, Empedocles, Parmenides, Solon, ſcientiam alligavere metris, ut ſuavius deflueret in aures, & mellea carminum ſuavitate animos duceret. Quamvis vero poſtea metri vincula Philoſophia egreſſa eſſet, & ſoluta etiam oratione diſcurreret; Poëtæ tamen minime renunciarunt Philoſophis docendi munus. Unde ſecluſerant quidem Philoſophi poëſim: poëſis vero nunquam a Philoſophia diſceſſit, niſi poſterioribus temporibus, cum flos Græcæ, ac Latinæ ſapientiæ jam emarceſceret: quemadmodum & apud nos, qui, cum a Dante Aligherio philoſophiam cum poëſi conjunctam, & per Petrarcham, ac Boccatium, aliosque ſub eodem fœdere conſervatam acceperimus, poſtea diremto conjugio illo poëſim philoſophia, hoc eſt ſpiritu, & vita privavimus, contenti tantummodo aurium lenociniis. Ut enim aliquot veterum Græcorum, & Latinorum poëtarum reliquerint Philoſophis inveſtigationem naturæ, rationem tamen divinarum, humanarumque rerum, Theologiam nempe, ac moralem ſcientiam, nullo pacto dimiſerunt; neque ſatis habuerunt

Digitized by Google

commovere animos, aureſque perſonare ſtrepitu verborum; ſed reddendis per imaginem caſibus humanis, deſcribendiſque in ſimulatis perſonis animis noſtris, objecerunt oculis formam humanitatis, graviſſimiſque ſententiis paſſim interjectis mentis curationem, & vitæ regimen oſtenderunt: ut a nulla Philoſophorum ſchola, quam ab Æſchyli, Sophoclis, Euripidisque ſcæna ſapientiæ meſſis exſurgat uberior. Nemo etenim veterum Poëſim attingebat, niſi cultus, & locupletatus a Philoſophis; unde auferebat ſecum acumen, & copiam ſententiarum: quorum aliqui ſolo Philoſophorum nomine contenti fuerunt, quamvis eminere potuiſſent in numero Poëtarum. Talis Plato fuit: quas enim ſcripſerat tragœdias, combuſſit; ne, ut ſuſpicor, qui Philoſophis fama, & plauſu antecellabat, alia in re cuiquam videretur inferior. Unde contemta metri lege colores, fabulas, & ſpiritus Poëtarum, quibus dictionem ſuam attollebat, ad Philoſophiam traduxit: ut Poëtico dicendi genere, quo forſan ab æmulo ſuo Euripide ſuperabatur, ipſe Philoſophos antecelleret.

Ac fortaſſe longe graviora, & retruſiora veteres Poëtæ ſub involucris fabularum, quam Philoſophi ſuis diſputationibus ad nos tranſmiſere: iſti enim quia ex propria plerumque, vel amicorum perſona loquebantur, ne plebis offenſionem ſuſciperent, multa reticebant; cum illi ex heroum, veterumque regum perſona effuderint multa liberius, & ſub earum larva multitudinis errores non raro redarguerint, ac tyrannos verbis carpſerint alienis: ut poſteris aliquanto ſolertioribus ad reipublicæ regimen longe uberiora fortaſſe, quam præcepta Philoſophorum, e tragicorum, & veterum Poëtarum verſibus expedienda ſuperſint. Eandem ob cauſam Philoſophi vetuſtiores, veluti Anaxagoras, aliique multo ſolidiora de ſuis promſere latebris, quam recentiores, qui publicis in ſcholis, & in communi luce profitebantur.

Hactenus adoleſcentes ad ſapienter cogitandum, recteque dicendum inſtituimus: nunc, ut eæ facultates cedant in uſum publicum, & in communem utilitatem, via pandenda eſt ad ſcientiam divini, humanique juris, quo ſtudia viri civilis omnia referuntur. Atque ut a jure civili exordiamur, omnis ejus cognitio pendet ab interpretum delectu, quorum pars eruditione ſua enuclearunt leges; pars vero garrulitate, atque importuna ſubtilitate contriverunt. Quamobrem is nobis potiſſimum quæretur interpres, qui a legibus, quas explicandas proponit, minime aberret ad inanes, & intempeſtivas quæſtiones, neque argutandi cauſa levem quamlibet, & commentitiam legum repugnantiam aucupetur, ne ad ipſam earum difficultatem interpretationum moleſtiam adjungamus. Quæ noſtratium vitia ſedulo Græci caverunt interpretes Baſilicorum, qui neque a legum veſtigiis diſcedunt, neque vanis oppoſitionibus conantur tranquilla, & perſpicua conturbare. Hoc morbo maxime laboravit Accurſius, qui levibus quibusque diſcriminibus inutiliter notandis, in tranquillo commovet ſæpe tempeſtates. Is tamen unus eſt, qui inter ſuos arctius hæreat legibus: alii enim ab eo profecti procul ſolverunt a portu, & ab earum conſpectu longius receſſerunt. Sunt autem duæ interpretum claſſes, quæ verbis legum propius inſiſtunt, vulgaris altera, in qua princeps Accurſius; altera ſelectior, & eruditior, in qua tempore quidem, & inventionis laude primas ageret Alciatus; niſi poſtea omnium, quotquot fuerunt, aut fortaſſe futuri ſunt, laudem Cujacius anteiſſet. Utriusque tamen claſſis principes oportet ad examen legum adhibere. Accurtius enim cum ſocio Viviano mira facilitate facti ſpeciem tyronibus exponunt, & viam doctioribus feliciter ſternunt ad forum, quotidianis quæſtionibus &

rebus

rebus proponendis, atque tractandis: Cujacius vero abſtruſiorem ſententiam retegit legum, & e latebris juris antiqui mentem eruit Juriſconſultorum: ut receptiora quidem ab Accurſianis; a Cujacianis tamen veriora promantur. Ideo neutri negligentur, quia illi uſum, iſti ſcientiam præſtant, qua pro re nata, vel confirmatur uſus, ubi cum ratione conveniat, vel, ſi deflexerit a ratione, corrigitur: niſi obſtiterit ignorantia judicum, qui contra Juſtiniani præceptum, *a*) imo & contra rectæ rationis normam, hoc præcipue tempore non legibus cauſas definiunt, ſed exemplis, quas deciſiones vocant; quarum inauſpicata volumina Romanam juriſprudentiam in Romano ſolo ad perpetuum ætatis noſtræ dedecus obruerunt. Cum autem tam eruditis ad antiquitatis interiorem notitiam, quam forenſibus ad pleniorem juriſprudentiæ cognitionem utiliſſimum ſit origines evolvere, ac fundamenta detegere Romani juris; neutris tamen ob obſcuritatem, & varietatem rerum, tot voluminibus diſſipatarum, vacet ea de Cujacianis interpretibus efferre; tribus non libris, quos de originibus ſcripſimus, eas complexi ſumus: ut legentium oculis juriſprudentia ſelectior integre, atque ordine ſuo ſubjiciatur. Noſtrum enim conſilium fuit, ut, qui Juſtinianeas inſtitutiones primo ex Perezio, poſtea ex Vinnii notis, & commentariis probe calluerit, libris noſtris adhibendis per feraciſſimam Digeſtorum ſilvam expeditius progrediatur. Accurſiani vero, quorum primores Bartolus, Baldus, Jaſon, Caſtrenſis, Alexander, etſi leges ipſas aliquando involvant potius, quam expediant, & Accurſium ſæpius, quam leges interpretentur; in tractandis tamen forenſibus quæſtionibus adeo pollent, ut iis ætate noſtra ſimul cum Accurſio, & ipſiſmet legibus alto pulvere merſis, & ab ignorantia conculcatis juſtitia exſulet a foro, & cauſidicorum loquacitas, ac libido judicantium in alienis patrimoniis impune dominetur. Judices enim olim, ſi non ratio legum, Accurſii tamen, ac Bartoli digna ſane obſequio refrænabat auctoritas, atque ad juſtitiæ ſenſum, ſi non propria ſcientia, mens ſaltem revocabat aliena. Oportet enim, ut legibus quam plurima concludantur, & affectionibus hominum, arbitrioque viventium quam minimum permittatur: ferinam enim naturam continet affectio; lex autem, utpote ratio pura, affectionis eſt expers, continetque tantummodo divinum. Nunc vero, pulſis omnibus Juriſconſultorum familiis, ſive Cujacianis, ſive Accurſianis, & Bartolinis, tantum librorum ſuorum venenis exſultant in foro rabularum duces, qui mortui, cum obſtrepere deſierint, tamen amentiæ ſuæ ſegetem nobis in eorum ſcriptis reliquerunt; quique, ſi Diis placet, ratiocinio ſe præſtare gloriantur, ut ſuæ, ac diſcipulorum avaritiæ velificent, & propterea probro ſibi ducunt aliorum auctoritati parere, Charondæ nimirum qui ſint, & Platones, aut Lycurgi, & Solones ad dandas, & inveniendas, non ad accipiendas, & interpretandas leges accurrentes. Quorum ſtultitia, & aliorum ignavia evenit, ut, quidquid olim captis auſpiciis, conſultis Pontificibus, referente Conſule, aut Tribuno, in conſpectu populi Romani, vocatis comitiis, poſt ſuaſiones, ac diſſuaſiones oratorum, ac diuturnam, & maturam civium deliberationem ſtatuendum fuerat, nunc a ſomniculoſo, aut madido aliquo fori operario, & vulturio togato, nempe a Ridolphiniſta quovis, qui non alium magiſtrum, præter ſcribam, & tabellionem agnoſcat, per ſummam temeritatem, & impudentiam calami ductu decernatur. Jam enim ante ſaluberrimam

a) *L. nemo C. de ſent. & interlocutor. Judicum.*

priva-

privatarum ſcholarum prohibitionem exorti erant, qui Ridolphino, tanquam Juſtinianeo codice domi prælegendo, trimeſtri ſtudio abſolutam Juriſprudentiæ cognitionem juvenibus ore ferreo promittebant. Horum igitur duces non ſatis habent ignorare ipſi leges, & uſum bonorum interpretum, niſi propriam inſcitiam ſtilo ſuo peſtilentiſſimo, & voluminibus immaniſſimis transmittant in poſteros: qui lectione illa pudenda, & clientibus maxime deploranda procul auferuntur a puris luminibus juris, & a majorum veritate: quorum vice dedecora iſta Juriſprudentiæ, ac fori piacula complectuntur, pari cum eis veſania furentes, & contra graviores Juriſconſultos audaciſſime blaterantes. Quamobrem legibus, & civili ratione ſimul cum Juriſconſultorum auctoritate dejectis, tam bona hominum, quam exiſtimatio, & vita ignorantiæ, avaritiæque patent. Quam Juriſprudentiæ calamitatem, & Juſtitiæ ruinam, niſi, CLEMENS OPTIME, qui & noſti, & potes, & velle debes, quamprimum avertas, juventute ſaltem triennio in publicis ſcholis detinenda, & ipſorum Juſtinianeorum voluminum explicatione imperanda, reſtituendaque Accurſianorum ſaltem, & Bartoliniorum interpretum auctoritate, rejectis farciminibus rabularum; verendum erit, ne brevi a Juriſprudentia, quæ Pontificiam quoque Juriſdictionem texit, atque munivit, & exteros majorum tuorum olim ſubjecit oraculis, converſis modo rebus, ad mores judiciorum Scythicos omnino tranſeamus. Neque vero debet Princeps præſertim ſacer, & juris tam humani quam divini cuſtos ac moderator, quidquam promovere magis, quam ſacram, & civilem Juriſprudentiam, artemque juſtitiæ: qua neglecta, vel de die in diem extracta, ut quam creberrimas, & longiſſimas ad templa Divorum ſupplicationes habeamus, & orationem quantumcunque multiplicemus, a Deo, Iſaia teſte, *a*) nunquam exaudiemur, quia, ut alius Prophetarum ait, *Juſtitiam ejus neſciamus*. Quis autem eam neſciens exercuerit? aut quomodo jus reddiderit aliis, qui prius ipſe non accepit? aut quandonam accepiſſe potuerit imberbis adoleſcens, & imperitus, ac pene puer, qui ferulæ manum nuper ſubduxit? nunc autem, jantina indutus, e ſella curuli ſententiam proferens, neque diſcere dignatur amplius, neque ignorantiam ſuam alia novit arte, quam impudentia definiendi, & pronunciandi facilitate diſſimulare.

Sed jam a jure civili decedamus ad ſacrum, atque ab humanis legibus ad divinas aſcendamus; nempe ad jus Pontificium, quod partim a divinis fluxit libris, partim a jure civili: cujus cum peritiſſimi eſſent Decretalium, quas vocant, conditores, quamplurimis regulis, ac definitionibus e ſanctiori Juriſprudentia ſuſceptis jus Pontificium expleverunt, & ſemina ſapientiæ cæleſtis aluerunt honeſtate naturali, a Deo etiam in noſtris inſculpta mentibus, cujus apud Græcos Philoſophi, apud Romanos vero Juriſconſulti vindices fuerunt, atque cultores. Ac ſi quid liberius, aut ſeverius a jure civili definitum Pontifices inveniſſent, coërcuerunt juris divini auctoritate, aut mitigarunt, idem in noſtrate jure civili præſtantes, quod veteres Prætores temperando Decemvirali jure, atque ſupplendo conſueverant. Hinc videat juventus foro vacatura, qualem gratiam habeat iis, qui ſe juris Pontificii Doctores, abſque pleniſſima Juriſprudentiæ cognitione, ac rerum forenſium uſu, profitentur. Qui ſi meminerint quales, quantique Juriſconſulti fuerint Pontifices, a quibus epiſtolas Decretales, & jus omne Canonicum forenſe accepimus; minime

a) Iſaias *cap. 1.* Baruch. *cap. 4. n. 13.*

in alie-

Digitized by Google

in alienam poſſeſſionem irrumperent, nec forenſium rerum, ſed tantum ſacrorum diſciplinam ſuſciperent explicandam, neque alios quærerent auditores, quam juvenes familiæ ſuæ ſacris operaturos: ne forenſem juris Pontificii partem contrectantes, utrumque ſimul, & ſui ordinis legem, & doctoris officium prodere cogerentur, fallentes pariter ſuos, & alienos. His fortaſſe, ac juventuti, quæ auctoritate illorum ab idoneis Doctoribus abducitur, ſalubre fuerit audire Cujacium hæc de Canonum conditoribus referentem. Etenim de Innocentio III. a) ſcribit. *Cetera quoque fere omnia ſumſit ex jure civili, & omnino quidquid præclarum eſt in hoc jure, ex jure civili eſt, nec hujus interpres idoneus quisquam, niſi fuerit juris civilis peritiſſimus.* Et de Gregorio IX. b) *Duo hæc capita ſunt Gregorii, auctoris hujus collectionis, qui ut in ea collectione aliquid de ſuo insereret e jure civili, ultro, non aditus a conſultoribus ullis, aut litigatoribus, pleraque ſumſit, & inſeruit.* Et alibi de Innocentio c) rurſus. *Et Pontifex quidem in hoc capite ex jure civili, vel ex interpretibus juris civilis: fuit enim Innocentius, qui eſt ille Pontifex, juris peritiſſimus. Et totum quidquid ſcribit in hoc capitulo ultimo, ſatis prolixe eſt ex gloſſis juris civilis, quarum pleræque factum eſt ut vim ſumſerint per Pontifices, qui ex eis Decretales confecerunt, & generales conſtitutiones.* Ac de Gregorio IX. iterum alibi: d) *Plus petitur re, vel ſumma, loco, tempore, cauſa. Quod Gregorius IX. auctor hujus conſtitutionis ſumſit ex Inſtitutionibus Juſtiniani, & ex Paulli lib. 1. ſententiarum. Et quidquid omnino eſt relatum in conſtitutione hujus tituli, ex jure civili eſt, ac proinde ſecundum jus civile interpretandum: ex quo quidem ſolo jure habent, quod petant Pontifices, exornandorum ſuorum Decretorum gratia.*

Omitto Beroum, Antonium Contium, Gentilem, aliosque haud abſimilia de jure Pontificio tradentes. e) Nam quos Cujacius, univerſi juris poſt hominum memoriam conſultiſſimus, non abſterret; quænam alia gravior cohibuerit auctoritas? niſi publica Principum, & magiſtratuum, & præcipue ſacrorum Pontificum poteſtas: quæ non alio vertetur utilius, quam ad emendationem divinæ, atque humanæ Jurisprudentiæ, itemque ad delectum idoneorum interpretum, ſubmotis iis, qui juventuti Juſtitiæ lucem intercipiunt, ſcientiam profitentes alienam: quia in reverenda eis eſſent verba Chriſti dicentis: *Væ vobis jurisperitis, quia tuliſtis clavim ſcientiæ, ipſi non introiſtis; & eos, qui introibant, prohibuiſtis.*

Quia vero jus Pontificium e Sacræ Scripturæ, ac SS. Patrum locis, & veterum Conciliorum Decretis componitur; præferenda eſt huic ſtudio fax etiam divinorum librorum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ Canonum rationes pandat, ac nubes diſpellat abſurdarum opinionum; quibus hujus Juris recentiores interpretes, quos Caſuiſtas appellant, paucis exceptis, in veteri Eccleſia plane hoſpites, rationem interpretandi, ac definiendi de rebus ad mores pertinentibus magis a Porphyrianis, & Averroiſtis, quam ab Apoſtolis, & Evangeliſtis trahentes Chriſtianas morum leges, non ad præcidendas, ſed ad alendas, ac propagandas rerum caducarum cupiditates, violenter perduxerunt: ita ut lex frugalitatis, atque caritatis in quæſtum, atque im-

a) *ad cap. 15. de ſent. & re judic.*
b) *cap. penult. & ult. eod.*
c) *ad cap. 3. & ult. de lit. non cont.*
d) *ad Cap. ult. de plus petit.*
e) Contius *lib. 1. diſput. Juris Civil. cap. 2.* Berous *ad rubricam de Conſuet.*

potentem dominationem importuniſſimis interpretationibus detorqueatur. Quibus profecto tenebris locus eſſet in Eccleſia nullus, ſi aſſidua Evangeliorum lectione, atque cognitione vetuſti moris, & ſtudio Conciliorum, ac ſacræ hiſtoriæ peritia dialecticas captiones, verſutiloquas Arabum ſcientias excluderemus; earumque loco adoleſcentibus, brevi ad juris Pontificii ſtudium acceſſuris, una cum Eccleſiaſtica Hiſtoria Romanum in manus traderemus Catechiſmum: unde ſolida, & ſincera Theologia longe melius, & uberius, quam ex immenſa Scholaſticarum nugarum ſegete colligitur. Hinc nos in noſtris Pontificii juris inſtitutionibus, ubi res ferret, lumina ſparſimus Apoſtolicæ diſciplinæ, ac mores Eccleſiæ veteris, origineſque rerum oblata occaſione retulimus; ut noſtrates adoleſcentes a magiſtris omnis cum ſacræ, tum profanæ eruditionis expertibus, ad nos venientes, hoc utiliſſimo, & gratiſſimo ſimul doctrinæ poculo exciperentur: quo hauſto ipſi per ſe ad pleniorem Conciliorum notitiam, & diuturniorem ſacrorum librorum, ſanctorumque Patrum lectionem exardeſcerent.

Supereſt nunc ſupremus divinæ ſapientiæ gradus, nempe Theologia: cujus tradendæ rationem nemo alibi, quam Romæ, invenerit meliorem; poſtquam eam Dominicanæ familiæ Patres depromere cœperunt e fonte ſuo, nempe de D. Thomæ libris: quorum prælectionem quotidianam proprio ſumtu Caſanæta Cardinalis beneficentiſſimus, & vel hoc tantum nomine optime de Eccleſia meritus, inſtituit: ut ſtudioſos a garrulis, & perplexis vulgarium doctorum ſcriptis ad ipſum deduceret oraculum ſapientiæ divinæ, doctoremque juventuti redderet eum, quem non modo communis hominum admiratio; ſed ſuamet Chriſtus voce fidum, ac certum in Eccleſia præceptorem conſtituit omnis ævi. Cui ſtudio qui recentiorum lumina Criticorum, & Hebraicæ, Græcæque linguæ uſum, ac perpetuam divinorum Codicum, & SS. Patrum, atque Conciliorum lectionem admiſcuerit, quique ſimul præclari ordinis Jeſuitarum præſtantiſſimos, & antiquitatis aſſertores diligentiſſimos, Petavium, Sirmondum Maldonatum crebro conſuluerit; is & ſententiarum veritatem per D. Thomam, & abſtruſiorem omnium temporum eruditionem, germanumque ſacrorum librorum ſenſum per cultos illos, atque graves divinarum rerum interpretes aſſequetur. Nec leve laboris compendium fecerit, ſi ſententias ſibi ſumſerit per Eſtium explicatas, qui ſelectoria veterum Patrum in ſuis commentariis, cum ſumma ſtudioſorum utilitate congeſſit. Utinam eodem, quo Eſtius, animo, atque ſtilo ad aureum illud ſententiarum opus interpretandum omnes acceſſiſſent, nec ſimplicitatem, & candorem illius ex Apoſtolica integritate, ac SS. Patrum gravitate natum ſuis nugis infuſcaſſent! Cujuſmodi vel temperandis, vel præcavendis ingeniis, nihil utilius, non meo quidem, quod nullius eſt ponderis, ſed graviorum omnium judicio Theologorum exiſtimatur, lectione locorum communium Melchioris Cani, quos lucifugi hi, ac veſpertiliones noſtri æterna, ſi poſſent, oblivione damnarent.

Quod autem ad ſcientias, arteſque in univerſum omnes pertinet, cavendum diligenter, ne deſidioſa facilitate, ac fallaci lenocinio recentiorum abſtrahamur a commercio veterum, utcunque difficilium, & obſcurorum: quorum qui tempore, iidem & utilitate ſapientiaque præcedunt. Unde tum recentiorum uſus eſt optimus, quando ad interpretationem, & cultum adhibeatur veterum. Quæ utilitas non modo a criticis, ſed & a Philoſophis noſtrorum temporum percipitur; quo-

rum

rum doctrina lux media eſt inter mentes noſtras, & veterum ſapientiam. Veteres enim cum inveniendo, tum exprimendo naturam ipſam, & veritatem reddiderunt, ſive per cauſas, ut Philoſophi; ſive per imitationem, ut Poëtæ; ſive per ſimplicem rerum geſtarum narrationem, ut Hiſtorici; ſive per contentiones, commotionesque animorum, ut Oratores; & in ſuo quisque artificio, atque ſtudio germanas rerum notas extulerunt.

Unde recedentes a veteribus, procul auferimur a vera ſapientia: quoniam ſinguli veterum, qui vel inter Hiſtoricos, vel inter Poëtas, vel inter Philoſophos, vel inter Oratores excelluerunt, ſive vera, ſive ab ſe conficta deſcribant, inſtitutionem ſapientis vitæ complectuntur. Igitur ſi Hebræos excipias a Deo, non ab hominibus eruditos, ex humanæ ſapientiæ cultoribus, Græci uti antiquiſſimi, ſic & ſapientiſſimi, atque inter eos idem qui ætate, omni etiam ſapientia, & eloquentia præſtat Homerus: cujus Poëtica imitatio nativam reddit rerum veritatem. Qui autem propius ad illius ætatem, iidem etiam ad ſimilitudinem, & ſapientiam accedunt, quales præter Heſiodum, Homeri æqualem, Æſchylus cum primis eſt, Pindarus, Sophocles, Euripides.

Inter Latinos autem dicendi virtus floruit, quoad libros coluere, atque imitationi ſtuduere Græcorum: poſtquam vero libertatem amiſerunt, novum ſub Imperatoribus genus eloquentiæ tentarunt, fractum nempe illud, exſangue, ac fucatum: ſolique Juriſconſulti vetuſtam ſtili ſimplicitatem, & integritatem, quam ſtudio, & conſuetudine legum adſciverant, retinuere ſimul cum amore libertatis, quem profitebantur, dum juſſa Principum ad juris rationem, & ad communem populi utilitatem interpretatione ſua revocabant, ut decebat eos, quorum animus aſſiduo inter leges veteres, nempe inter mores antiquorum candidos, & liberos verſabatur. Nos vero Itali recentiores, quorum ingenia, & literas barbarorum irruptio, atque longa dominatio conculcaverat; poſtquam diu jacuiſſemus, ad veterem literarum gloriam erecti ſumus ab altero prope Homero, Dante nimirum Aligherio: per quem divina Providentia remiſit Italiæ priſtinam doctrinæ atque eloquentiæ lucem e cineribus Græcorum, & Latinorum in vernacula divini poëmatis lingua feliciſſime renaſcentem, novosque Latinæ, Græcæque dictionis æmulos in poſterum exſuſcitantem, Petrarcham nimirum, Boccatium, & quotquot poſtea ſummos oratores, atque Poëtas, cum Latinos, tum vernaculos aluit Laurentii Medicei, & Leonis X. beneficentia: qua ſimul cum eis poſtea extincta, Italica dictio ſtatim inhorruit, & in ſcholis noſtris, quæ, antequam publica doctorum hominum alimenta ceſſiſſent in opulentiam ambitioſorum, a Politianis, Victoriis, Sigoniis, Robertellis, Manutiis, Muretis illuminabantur; nunc ineptiarum, atque argutiarum ſeges adolevit, quibus adoleſcentium ingenia, longe deterius, quam Gothorum, & Vandalorum ruſticitate corrumpuntur.

Hæc inter meditandum animis noſtris occurrunt vitia, & remedia ſtudiorum; quibus detegendis, judicioque tuo ſubjiciendis conſultum juventuti voluimus. Erit vero tuum, CLEMENS OPTIME, providere deinceps, ne literulis tantum, & argutiis in ſcenam prodeuntibus, atque ſcholaſticis cum ingenti Reipublicæ dedecore quotidie aures noſtras lacerantibus, doctorumque hominum honores nefarie rapientibus, Itali a Tranſalpinis, ad quos primi nos olim literas attulimus, in exemplum inſignis ignorantiæ producamur.

ORATIO
IN
AUSPICATIONE STUDIORUM,
DE
SAPIENTIA UNIVERSA.

Animadverti ſæpenumero * e tanta multitudine hominum, quanta in dies ad bonarum artium ſtudia confluit, paucos quidem redire voti ſui compotes: ceteros vero aut rudiores diſcedere, quam venerunt; aut quo magis ingenio aliquando, & facundia pollent, eo abduci a veritate longius, & in doctrinarum judiciis turpius aberrare, propterea quod rerum, & verborum non tam vim, & delectum didicere, quam copiam; diuque ſubtiliter magis excogitando, quam ſolide; atque abunde potius, quam appoſite diſſerendo, neglecto veri falſique diſcrimine, non aliud niſi acute ſomniare, atque erudita deliria in medium proferre conſueverunt: ut longe præſtiterit, nullas omnino delibaſſe literas, quam tanto labore, & ſumtu inveniſſe artem torquendi alios, & irretiendi ſui ipſius. Ego mehercule ſanæ mentis ruſticum præ conturbatis hujuſcemodi ſtudiorum ingeniis mecum colloquentem optarem. Prius enim hic acceperit vera, quam ab illis adducto notionum ordine falſe diſcuſſero. Unde tiam autem intemperies iſta mentium: niſi quia plerique antea diſcunt, quam conſuluerint, quid, quo tempore, aut unde ſit addiſcendum? Quod plurimum refert ad cultum ingenii, regimenque ſtudiorum. Quam ob cauſam recte conſtitutum eſt a majoribus noſtris, ut ſingularum ſcholarum exordia generalis oratio ad curſum ſtudiorum dirigendum antecedat, quæ nunc ad literarum laudem, & ad cohortationem juventutis fere ſuſcipitur, non tam utiliter, quam jucunde: ſiquidem literarum in omni genere laudem diuturni temporis auctoritas evulgavit, & juventutis animos ad labores Sereniſſimi Principis noſtri erga literas effuſa beneficentia cohortatur: ut ſtudioſis non aliud ab oratione noſtra ſit appetendum, quam lux prævia, in ipſo veſtibulo doctrinarum explicationem ſingularum præcurrens, velut aurora diem; quæ cupidæ juventuti, antequam res cognoſcat ſingulas, faciem recludat, & ſortem pandat univerſarum, ut, quod in curſu ſtudorium a doctiſſimis præceptoribus per ſingulos articulos expreſſum habebunt, a nobis in ipſo initio delineatum, ac leviter adumbratum accipiant. Quamobrem ortum, & ſtatum, inclinationemque doctrinarum, earumque inſtaurationem indicabimus; cumque uſu veniet, duces & auctores magis idoneos efferemus, &, quæ

* Hæc oratio reliquis cedit rerum delectu. Pandit enim Hiſtoriam maximampartem fabuloſam veteris Philoſophiæ. Jure dixeris, *Pergula pictoris, verum nihil, omnia falſa.* Inſpergit quædam convicia in Peripateticos, neque tamen ipſum jam Ariſtotelem, uti ſupra petit, ſed vulgus interpretum Scholaſticorum, ſive, ut mavult, Arabum. Habeantur tamen alicujus pretii recenſio Patrum, pag. 644. enumeratio eorum, qui literas inſtaurarunt, pag. 645. 646. & diſtributio ſeculorum. Neapolitanus Philoſophus, cujus mentio pag. 646. niſi fallor, eſt Bernardinus Teleſiu.

obrepſe-

obrepſerint vitia, notabimus, ut norint juvenes quid, quosve ſequi e ſcriptoribus debeant, & quæ declinare. Quod rectius fortaſſe mihi procedet, ſi ſtudioſos mecum in altum per ætates regionesque remotiſſimas ad capita fontesque doctrinarum avectos, ad noſtra usque tempora jucunda ſane animorum peregrinatione reduxero, quid utile, ac noxium ubique ſit, brevi hac navigatione, ubi ſe occaſio dederit, oſtenſurus.

Humana ſapientia, ipſismet Græcis ultro fatentibus, originem ducit a barbaris. Barbari vero eam ab Hebræis acceperunt, quibus per Abrahamum primo, deinde per Moſen interpretem tradita fuerat a Deo. Quod e commiſſis inter ſe ſummis vetuſtæ doctrinæ capitibus, & ex priſcorum Græciæ ſapientum peregrinationibus comprobatur, ut Hebraicam tamen veritatem fabuloſa Græcorum Theologia intertextam deprehendamus. Et vero ſi teſtes antiquitatis magis idoneos conſuluerimus, præſto in primis nobis erit Megaſthenes, qui apud Euſebium, & Clementem Alexandrinum ait, omnia, quæ veteres Græci de natura ſcripſerunt, petita eſſe a Brachmanis apud Indos, quos & Judæos appellat, eaque omnia inveniri apud barbaros, atque in India quidem apud Brachmanos, in Syria vero apud Judæos: quorum gentium Philoſophiam omnium ponit antiquiſſimam. Unde apud Numerium Pythagoricum non alius eſt Plato, niſi Græcus Moſes, quia tam Plato, quam Pythagoras Græco ſermone reddiderunt, quidquid ipſi a Brachmanis, Magis, Ægyptiis, & Judæis abſtulerant. Nec Plato diffitetur multa cum ſeſe, tum alios Græciæ ſapientes, præcipue Solonem, a barbaris ad Græcos tranſtuliſſe, quæ poſt a Græcis reddita fuere meliora. Democritus vero, cujus fuit mirus ingenii, & doctrinæ candor, ac morum, octoginta annos procul a patria ſe Perſas, Ægyptios, Indos, aliasque regiones remotiſſimas doctrinarum cauſa pererraſſe ſcribit, non ſine multorum ante ſe Græcorum exemplo, qui diſcendi cupiditate non tam peregrinationes ſuſcepere, quam exilia.

Quales autem apud Græcos Poëtæ primum, poſtea Philoſophi, & apud Romanos Pontifices & Juriſconſulti ducebantur: tales, longe antequam Græci, ac Romani ad famam emergerent, apud Aſſyrios quidem, & Medos fuere Chaldæi, apud Perſas Magi, apud Indos atque Æthiopes Gymnoſophiſtæ, apud Ægyptios vero ipſorum Sacerdotes. Quorum ſapientia populorum agnatitia erat, atque hereditaria, quia ſimul cum patrimonio a parentibus in liberos longa ſucceſſione tranſmittebatur, eratque certis adſcripta familiis, e quibus nunquam egrediebatur: ut artes atque ſcientiæ, non lucro, quo vitiantur omnia, ſed avita caritate poſteris traditæ, perpetuo manerent incorruptæ. Unde longius multo doctrinarum integritas perſeveravit apud barbaros, quam apud Græcos: quorum in ſcholis recentioribus, faſtu & jactantia redundantibus, doctrinæ ac literæ publice venum ibant.

Igitur Chaldæi, exorſi a naturalibus cauſis, ad rerum futurarum prædictiones tendebant: motus enim aſtrorum, & mutationes, curſumque rerum cæleſtium per tria, & quadringenta annorum millia usque ad Alexandri ætatem notata ſe habere, atque collecta gloriabantur, inſigni errore ab opinione de mundi æternitate, quam ſibi perſuaſerant, oblato. Chaldæi autem, teſte Diodoro, fuerunt quædam ex Ægyptiorum ſacerdotum familiis, quæ una ſimul cum Ægyptiis coloniis a Belo, Neptuni & Lybiæ filio, in Babylonem deductis, eodem commigravit, fuitque a Belo in perpetuo ſacerdotio ibi locata, publicisque oneribus exempta, ut ejus poſteri divinarum

& naturalium rerum ſtudiis, quam Orientales populi omnes Magiam vocabant, ex patrio inſtituto vacarent. Horum doctrinæ rivos ad Perſas deduxit Magicæ apud eos diſciplinæ princeps Zoroaſtres, ſive Bactrianus is fuerit, ſive Perſa, cui ſcientiam Brachmanorum attexuit Hiſtaſpes Darii pater, qui ſimul cum illorum moribus, atque ſacris ritibus eam acceperat in amœniſſimis Brachmanorum ſeceſſibus, ubi ſe diu diſcendi cauſa condiderat. A qua inſtitutione Perſicæ Magorum fluxere familiæ Religioni, ac Philoſophiæ perpetuo dicatæ. Horum doctrina, quæ Manichæorum errorem peperit, duo rerum principia ponebat, malorum unum, quem Arimanem, hoc eſt Ditem, ſive ut ego interpretor, materiam tanquam tenebras: aliud bonorum, quem Oromasdem appellabant, hoc eſt Jovem, tanquam lucem: unde ſignis, & imaginibus Deorum pulſis, tantum ſolem & aquam, uti elementa rerum omnium, adorabant. Immortales eſſe animas, easque recepto corpore ad æternam vitam redituras aſſerebant.

Indorum vero ſapientes, nempe Brachmanes, & Samanæ, quos Græci ab nuditate corporis Gymnoſophiſtas appellarunt, ſacris etiam præerant, & eidem exercitio vacabant, moribus nempe rudiorum componendis futurisque prædicendis, vitæ frugalitate tanta, eoque contemtu rerum humanarum, ut Alexandro ſimul cum orbis terrarum domitore exercitu conſpecto, ſtatim honoris loco terram pedibus pulſare cœperint, ac Macedoni rem inſolitam admiranti ſignificarint verbis, tantum quemvis, etſi omnia ſubegerit, poſſidere, quantum pedibus obtineret, itaque ambitionem Regis tanta animi magnitudine perculſi præter opinionem eluſerunt. Horum ſecta penetravit ad Æthiopes, quos coloniam eſſe Indorum refert Jarchas Indus, & Nilus adoleſcens apud Philoſtratum.

Sed omnium doctrinam populorum Sacerdotes Ægyptii ſibi vindicabant, aſſerebantque regioni ſuæ, quam non modo matrem & nutricem univerſarum artium atque ſcientiarum; verum animantium etiam, atque ipſius humani generis parentem ſibi perſuaſerant, ob aëris temperiem, & vim caloris, atque ſoli fœcunditatem, quod a Nilo pinguefactum non fruges modo ſponte ſua profert ad alimentum, & vitam, ſed e proprio ſinu animantia fundit, quæ nullo de ſemine orta putabantur, quia magna ſæpe murium copia, pectore tenus formata, ceteris membris adhuc ſolo hærentibus, e luto coaleſcere videbantur. Colligebant, etiam ſe primos eſſe mortalium ex eo, quod eorum regio artes & res ad vitam neceſſarias prima præbuiſſet. Sationem enim, & vinearum plantationem, & vini uſum, & omnem cultum agrorum, ibidem inventa gloriabantur ab Iſide, Græcis Cerere, quæ utilitatem, ac ſalubritatem herbarum oſtenderat; cujus vir, ac frater ſimul Oſiris, Græcis Bacchus, cum ingenti exercitu terrarum orbem, ad ultimos usque Indos, atque Æthiopes percurrens, præter uxoris inventa Religionem etiam, & ſacra Deorum, atque morborum curationem, omnibus mortalibus in ea expeditione patefecit: rerum interim Ægyptiarum, quarum ipſe potiebatur, cura mandata Mercurio, qui Thebis regnavit αθευθ Athotes nuncupatus, quo adminiſtro in ſuis beneficiis inventisque proferendis Oſiris utebatur. Mercurius autem, primus humani eloquii artifex, ſuam & Oſiridis ſapientiam conſignavit literis, quarum fuit inventor. Unde γραμματεὺς appellatus, tanquam ſcriba Oſiridis, atque in Deos Cabyros, hoc eſt magnos, relatus ab Ægyptiis; dictus quoque in Samothraces myſteriis Casmillus, unde Tuſcis Camillus: quo nomine a priſcis Romanorum appellabantur miniſtri ſacerdo-

Digitized by Google

ſacerdotum. Porro præter literas & Grammaticam, atque Rhetoricam artem protulit & Mercurius Aſtronomiam, & Geometriam, quam primi certe, atque præ ceteris excogitarunt, atque coluerunt Ægyptii, propter ſummam ejus artis neceſſitatem in diſcernendis, atque reſtituendis agrorum finibus, inundatione Nili conturbatis. Invenit idem & literas, quas Hieroglyphicas vocant, ſive ſymbolicas, quibus cum occultas cauſas, & omnem rerum naturam condidiſſet, & in monſtroſas figuras rerum elementa commutaſſet, Ægyptiæ peperit Religionis inſaniam, traduxitque ignaram latentium ſententiarum plebem ad eorum cultum animalium, ac ſpecierum, quorum figuræ naturalium cauſarum arcana ſapientibus reſerabant. Hinc ſapientia Ægyptiorum omnis in Religionem verſa erat, rerumque naturalium cognitio, vafra & ancipiti eorum Theologia continebatur: quam ſacerdotes una cum ſacris in templorum adytis aſſervabant. Mercurium hunc longe antiquiſſimum, qui primus vocatur, excepit multo poſt tempore, nempe quinquageſimo a diſceſſu Iſraëlitarum anno, Mercurius ſecundus, qui prioris inventa, ab ſe fuſius explicata meliusque digeſta, ſimul cum ſacrorum ritibus contulit in uberiores libros, quos Sacerdotes curæ ſuæ traditos longo ordine, ac ſolenni ritu procedentes feſtis diebus circumferebant. Is etiam annum emendavit per dies ad Solis curſum numeratos, quinque intercalatis diebus, cum ante jam Ægyptii duodecim in menſes annum tribuiſſent. Falſo autem huic adſcribitur liber ille ſacris ex literis, & Platonis doctrina contextus, per Monachum fortaſſe aliquem otio nimis abundantem: fraude jam ab eruditiſſimis Criticorum detecta.

Hujus ex Mercurii libris, tanquam ex primo Sapientiæ fonte ad gentes omnes, & præcipue ad Græcos, bonæ artes & doctrinæ manarunt, poſtquam Phœnices aſſiduis navigationibus & mercimoniis maria patefecerunt, moribusque mutua populorum trajectione viciſſim communicatis, cum rerum omnium, tum præcipue literarum aperuere commercia. Hinc priſca Græcorum Poëſis, quæ prima Græcorum Theologia fuit, Ægyptiorum doctrina undique collucet, afroque ingenio, atque arte pertexitur. Sicuti enim Ægyptiorum ſapientia in Religionem tota conceſſit, ita & in Theologiam commigravit Græcorum omnis doctrina Poëtarum; qui artem vitæ atque humanitatis, in Ægypto acceptam, redeuntes reddebant quisque civibus ſuis, quos verſibus ad honeſtatem ac Religionem inſtituebant; ut mirum non ſit, ſi tota Græcorum Religio proceſſit a Poëtis, quorum carminibus Ægyptii ritus & Hiſtoriæ in myſteria fabularum converſæ, vulgique admiratione ſtupidaque credulitate conſecratæ, pro divinis vocibus atque oraculis accipiebantur. Talia fuerunt Amphionis carmina, & Orphei, qui Ægyptium ſepeliendi morem vertit in inferorum pœnas & campos Elyſios, Oſiridisque ſacra & Iſidis hymnis ſuis in Bacchi & Cereris myſteria commutavit, attulitque in Græciam ex Ægypto ſtatuarum uſum. Talia fuerunt & Muſæi opera & Lini, & Melampidis, & Dædali, & Lycurgi Spartani, & Olenii Licii, qui Delios hymnos compoſuit, & Paphii Athenienſis, & Thamiridis, cum ipſis Muſis arte muſicâ contendentis, & Theſmeſis Bacchi res geſtas Phrygia Poëſi narrantis, & Philamonis, & Epimenidis Cretenſis, & Ariſtæi, & Daphnidis Thyreſiæ vatis filiæ, quæ verſibus oracula collegit, quorum haud paucos Homerus in ſua fertur tranſtuliſſe Poëmata. In his deſcribendus Abolus, Centaurus, Iſaris, Orimon, Eubulus Cyprius, Oricus Samius, Athenienſis Pronetida, & Oribantius Trezenius, itemque Meliſander, qui Lapitharum, & Centau-

rorum

rorum pugnam cecinit, & Primus Trojani belli ſcriptor Slagrus, & Dares Phrygius, & Helena Muſæi Athenienſis filia, unde Poëmatis argumentum ſumſiſſe Homerus traditur, & Phantaſia, cujus Trojani belli librum, & Ulyſſis narrationem in Memphitide depoſitum Homerus a Phanitide, ſcriba ſacrorum, accepit, eorumque ſcribendo tenuit ordinem, &, ut Sibyllas taceam, Demodorus, Heſiodus, atque Homeri præceptor Phemius; & ipſe tandem, qui omnes ante ſe Poëtas obruit, Homerus, a quo longa peregrinatione omnis omnium gentium ſapientia ex univerſo terrarum orbe contracta fuit, atque in Iliadem ſuam & Odyſſeam immortali artificio traducta.

Horum autem temporum ſapientes ideo ſententiam ſuam numeris & metro concludebant, ut, ea dicendi novitate ſupra vulgus in cælum evecti, ſuis dictis divinam auctoritatem compararent. Unde non ante ſoluta oratio inter Græcos fuit inſtituta, quam ſapientia eorum promtior eſſe cœpit, atque vulgatior. Hinc priſcis temporibus arte muſica omnium notitia ſcientiarum continebatur; qui enim carminibus doctrinam complecteretur, idem ad erudiendos agreſtes animos melodiam adhibebat, ut vulgi aures harmonia demulſas alliceret; unde qui Muſicam calleret, idem erat & Poëta, ceteraſque ſcientias, & Theologiam præcipue profitebatur, cum Ægyptia doctrina res naturales a divinis minime divelleret, imo & naturales cauſas in Deorum nomina commutaret. Igitur mentem univerſam, & primam, initiumque rerum & motionum omnium verterunt in Jovis idolum, ignem in Vulcanum, terram in Berecinthiam, ſive matrem animantium, atque plantarum, & metallorum: cum ideo Græci adjectione ſyllabæ appellarunt *Δημητήρα*, humiditatem in Oceanum, quem ipſi dicebant eſſe Nilum, aërem in Minervam rebusque minoribus in minores Deos commutatis, translatiſque ſpeciebus omnibus naturalibus in humanas figuras, Deorum infinitatem pepererunt, & laborioſum ſane, atque operoſum in eos vulgi cultum inſtituerunt, totaque natura rerum cum fœtibus, qualitatibusque ſuis in religioſas imagines commigravit.

Putabant enim Ægyptii unam rerum omnium, eamque immenſam, atque infinitam eſſe naturam, ſpecies, ac formas univerſas e ſuamet infinitate, ingenito & perenni motu, aſſiduaque ſui circumvolutione proferentem, atque in mentis identidem & corporis univerſitatem perpetua ſingulorum animorum & corporum productione ſeſe explicantem, tantum ſui reddentem, quantum cujusque rei creatæ facultas ex ea immenſitate decerperet, qualitateſque illas emittentem, quas exprimere poſſet noſtrorum perceptio ſenſuum, qui ſuo cujusque modo atque ambitu rem immenſam infinitamque terminant, eamque certis figuris atque ſpatiis magno humanæ mentis errore circumſcribunt. Quam doctrinam refert Homericus Ægyptiorum Proteus, qui varias ineundo formas e poteſtate ſenſuum elabitur, propterea quod nunquam ſenſibus, aut per ea, quæ ſenſibus objiciuntur, hanc naturam aſſequimur, niſi exutis imaginibus, quod multiforme apparet ac varium, ad unum & ſimplex mentis poteſtate revocemus. Eandem ſententiam Poëtæ alii veteres, Græcique Philoſophi fere omnes diverſis dicendi generibus reddiderunt, iique magis explicite, qui Ægyptios propius attigerunt, ut in cujusque ſectæ principibus, quamvis ætate regionibusque diſtinctis, ejusdem tamen ſapientiæ origo, atque ſucceſſio agnoſcitur.

Ad hanc enim ſententiam referuntur multa, quæ ſuperſunt veterum traditione de Orphei Theologia, eodemque ſpectavit Linus, cum dixit, *omnia progigni ex*

uno,

uno, atque in unum reſolvi. Eodem flectit Anaxagoræ Homœomeria, ſive diſſimilium in idem, & ejuſdem in diſſimilia tranſitus atque mutatio. Eodem reſpicit illud Anaximandri omnibus qualitatibus expers infinitum. Illuc recidunt ex effatis multa Pythagoræ, ab ipſo quidem arcanis notis obſignata, recluſa vero paullatim a diſcipulis, præſertim a Pythagoreorum ſtudioſiſſimo Platone, qui appellari non dedignabitur præco Pythagoricæ atque Eleaticæ doctrinæ, quæ omnia ponebat eſſe unum, idemque infinitum, immobile, immutabile, ſibi ſimile, ac ſe ipſo plenum, perinde ac Pythagoras, cui *μόνας*, ſive unum, fuit rerum omnium principium. Hinc mundi anima, ſive infinita cogitatio infinitæ materiæ cognata, & animorum atque corporum poſt unius rei diſſolutionem in aliam ſpeciem immigratio, quæ omnia Pythagoras ex Ægypto, poſt aſſidua ſacerdotum colloquia, ſecum adduxit in Magnam Græciam, ad cujus doctrinæ fontem Græcia cuncta, & Italia diu convenit. Ad eandem etiam doctrinam tendebant Stoici, qui mundum ipſum eſſe Deum aſſerebant. Quid prima illa denique Ariſtotelis materia e Platone arrepta, jam Arabum & noſtratium ſcholarum culpa ludibrio recentium Philoſophorum objecta, quo pertinet niſi ad hunc Ægyptiorum Proteum, quem jure quis univerſæ Philoſophiæ parentem appellaverit?

Sane ſi Ariſtotelem pudendis Arabum involucris exuerimus, Pythagoricam in Peripateticorum ſchola doctrinam introſpiciemus, & Ariſtotelicam primæ materiæ definitionem Timæo Locrenſi, cujus adhuc de anima mundi liber extat, adjudicabimus. Neque Ariſtoteles ab ullo ſe in contemtum adductum queretur, niſi ab factione ſua, quæ abſurdis interpretationibus ei Arabum deliria non veretur adſcribere. Sinenſes vero, affines Indorum Ægyptiam doctrinam colentium, dogma hoc jamdiu apud alios populos intermortuum nunquam dimiſerunt, ejusque ſive auctorem, ſive inſtauratorem Confucium divinis honoribus, & religioſo cultu ad noſtram ætatem continuato in cælum extulerunt, & adhuc, morem Ægyptiorum retinentes, naturales res atque cauſas in numina commutant, quæ Philoſophi verbo tantum & imagine; plebs autem credula, & fraudis ignara, ſenſu etiam, atque animo veneratur.

Hujus doctrinæ abſurdæ ſane, atque monſtroſæ, quæ creatorem vertit in res creatas, fontem tamen inveniemus puriſſimum, Hebraicam nempe veritatem, etſi corruptam, atque conturbatam a mentibus vera Religione deſtitutis. Initio enim profana Theologia & ſacra ſane conveniunt: etenim etiam profana introrſum ſpectata Deum non ponit niſi unum, eumque cauſam rerum & eventorum omnium: progreſſu tamen diſcedunt, & conſequentiis immane quantum inter ſe pugnant, & diſcrepant. Unde autem labes hæc profanæ Theologiæ, unde diſcidium? niſi quod Hebræi, a Deo ipſo ſupra mortalem conditionem creationis notitiam accipientes, & productionem ex nihilo addiſcentes, res creatas a divinitate ipſa ejusque potentia, & opus ab auctore diſtinxerunt, & Deum pro cauſa, non pro fundo & materia rerum habuerunt: at profani Theologi, creationem ex nihilo neque agnoſcentes, neque omnino tolerantes, coacti fuerunt ex ipſo Deo, tanquam ex earum vena, res creatas eruere, unde divinitatem ipſam ſpeciebus diſtractam ſingulis in rerum univerſitatem transfuderunt. Hinc ſingulæ res divinitatis portiones evaſerunt, quarum quæ magis excellerent, veluti Luna, Sol, Aſtra, Cælum, aut homines, ſive ſapientes, ſive ſtrenui, quaſi plus Deum exprimerent, pro numinibus

Mmmm habe-

habebantur, quæ germana eſt & vera univerſæ ſuperſtitionis origo: quam D. Paullus ad Romanos his verbis indicavit: *quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicuti Deum glorificaverunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quam creatori.*

Verum, creſcente in diem ſapientum numero, myſteria Poëtarum veluti cedentibus tenebris diluceſcere cœperunt, rerumque naturalium ſcientiæ reſciſſis involucris fabularum commigraverunt in Philoſophorum ſcholas, quarum principes Thales, a quo Ionica, & Pythagoras, a quo, modeſtiæ cauſa ſapientis in Philoſophi nomine commutato, Philoſophia inſtituta fuit Italica, quæ gravitate ſententiarum, atque ſtudiorum triſtitia quadam, longe ſuperavit Ionicam, cauſarum quidem olim naturalium curioſam; ſed poſt a Socrate, adducta ſimul cum Dialectica doctrina de moribus, e ſilentio atque receſſu meditationum ad faſtum atque tumultum contentionum evocatam. Ut non mirum, ſi poſtea Philoſophia, quæ inveniendi ſimul, & judicandi, differendique artem tradebat, publice ſub Rhetorices nomine imperavit in foro.

Etſi jam ante Poëtæ, atque Oratores privatim a Philoſophis inſtituebantur. Diu enim fuerunt iidem orationis præceptores & vitæ, qualem ſe Phœnix a Peleo Achilli datum prædicat apud Homerum:

Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Pericles etiam, & forſan Sophocles conſors ſtudiorum illius, & Euripides ab Anaxagoræ diſciplina fluxerunt. Æſchylus, & Pindarus enicant undique Pythagoricæ Philoſophiæ luminibus, Socratica ſchola non minor Philoſophiæ, quam eloquentiæ fuit exercitatio: quæ, præter Platonem, Xenophontem, Phædrum, Agathonem, edidit Alcibiadem Athenienſis fori turbinem. Ipſe tandem Atticæ princeps eloquentiæ Demoſthenes, teſte Cicerone, non modo Platonicæ doctrinæ ſtudioſus fuit, ſed ipſius Platonis auditor. Quamobrem cœpere Philoſophi non modo ſcientiarum, ſed etiam oratoriæ artis aperire ſcholas, quod poſt Iſocratem æmulatione illius fecit Ariſtoteles: qui ut rerum & verborum copiam diſcipulis præberet, diſputationes in utramque partem inſtituit: unde nullus Ciceronis judicio fuit antiquis temporibus eloquentiæ fons uberior, atque purior, quam Peripatetica ſchola, noſtris jam temporibus (en rerum vicem) unica fœdioris barbariæ colluvies.

Parens igitur cum artium omnium, tum eloquentiæ præcipua Philoſophia fuit: etenim, ut ait Plato, ſcientiæ omnes miro conſenſu concentuque conveniunt, & quodam ſocietatis vinculo colligantur, &, initiis cauſiſque Philoſophia duce perſpectis, rerum omnium cognitio mire conſequitur, ut appareat eorum ſtultitia Rhetorum, qui, vel auditores ad vulgarem Philoſophiam mittentes, eos juxta ſecum ſomniare compellunt: vel prorſus Philoſophiam a Rhetorica divellentes, a ſententiis verba, velut corpus a mente, ſejungunt; quaſi poſſit quis recte dicere, niſi recte cogitare ac ſapere didicerit, aut queat ullus abſque rerum notitia res explicare, moribusque humanis, & affectionum cauſis, atque motibus ignoratis, animos hominum pertractare dicendo.

Igitur

Igitur quoad eloquentia hærebat Philoſophiæ radicibus, & ad civilia negotia, publicosque atque privatos uſus, magisque ad utilitatem, quam ad voluptatem conferebatur, nullos externos atque adventitios colores arceſſivit, ingenua pulchritudine atque candore contenta nativo: nulla enim argutiarum cura ſubit, cum aut res familiaris vel ſua, vel amicorum, aut caput, aut publica ſalus in diſcrimen venit, ipſaque ratio negotiorum, uſusque rerum civilium a ludicris ad ſeria hominem abducit, unde in orationibus argumenta potius, & ſententiarum pondus, quam artis fucus, atque verborum ornatus elucefcit.

Quæ ſanitas orationis, & nitor incorruptus omnium veterum fuit, non modo Græcorum usque ad Demetrium Phalereum, qui primus aurium blanditias adamavit, ſed priſcorum quoque Romanorum; quos non modo civilia negotia, Reipublicæque aſſidua tractatio, ſed acciti e Græcia Philoſophi morum doctrinam, & rerum cauſas edocebant. Quales inter ceteros egregii ætatis ſuæ Oratores fuerunt Cato, Lælius, Galba, Gracchus, Scævola, Lucius Craſſus, M. Antonius, & Ciceronis ævo Servius Sulpicius, Cajus Cæſar, Cœlius, Curio, Licinius Calvus, &, ne percurram ſingulos, Ciceronis æmulus Hortenſius, atque ipſe Romanæ libertatis cuſtos, & eloquentiæ Latinæ parens, Græciæque ipſius admiratio ſimul & invidia, Marcus Tullius, cujus morte Reſpublica & eloquentia Romana ſimul occubuit. Oppreſſa enim jamdiu a Romanis Græcia, & paullo poſt a Triumviris Romana libertate, cum negotia non ratione publica, nec dicentis ingenio ducerentur, & procederent, ſed unius auctoritate principis abſolverentur, eloquentia ſuo privata munere in declamatorum ſcholas e foro deceſſit: Philoſophia vero, in ingenioſum adulationis condimentum ab ambitioſis principibus advocata, e ſolitudine migravit in regiam: ortaque dominatione unius ad aſſentandum omnia convenerunt; ita ut eodem tempore garrire Philoſophi cœperint, & oratores argutari. Ac ſicuti ſoluta & metris alligata oratio pares virtutes Græcæ ac Romanæ libertatis tempore induerant; ita & vitia quoque eadem utraque ſub unius dominatione contraxit.

Dum tamen Philoſophia veritatis amorem amittebat, & eloquentia nativum ſuccum, & incorruptum nitorem cum fuco meretricio commutabat; e defluentibus harum viribus, atque facultatibus crevit, adoleviitque Jurisprudentia, quæ de Philoſophia priſcam ſententiarum utilitatem, & e priſca eloquentia vim atque temperantiam Orationis arripuit. Eaque dici poteſt propria, & peculiaris Romanorum ſapientia, & civilis atque operaria Philoſophia, quæ vetuſtiſſimis temporibus e Pontificum collegio primum exoriens, & a Sempronio, Coruncano, Catone, Bruto, Quinto Mutio, Servio Sulpicio, Tuberone, Trebatio laudabiliter exculta, ſola ſub Principibus imperavit, ſtudiisque refulſit doctiſſimorum ea ætate Juriſconſultorum, Scævolæ præcipue, Juliani, Papiniani, Ulpiani, Paulli, atque hiſce ſimilium; qui, Latinitate inclinata, germanum Latini eloquii candorem, & Attici ſtili pudicitiam in conſtuprata eorum temporum eloquentia cuſtodierunt: ita ut una Juriſconſultorum ſchola, in ea corruptione doctrinarum & artium, ſolidioris Philoſophiæ fuerit, atque ſanctioris eruditionis, & purioris eloquentiæ confugium.

Verum, decreſcente humana ſapientia, manavit latius, affluxitque divina per Deum ipſum, dum inter mortales verſaretur in ſalutem humani generis, ex Hebraicæ legis imaginibus evoluta. Quo de ſolo, Platonica doctrina irrigato atque ſubacto, veteris Eccleſiæ Patres Theologiam excitarunt. Siquidem CHRISTUS

Digitized by Google

tumida eruditione modeſtæ ſimplicitati poſthabita, dum ad rudem turbam oracula ſua profunderet, ſublimitatem ſententiarum communi atque humili ſermone deprimebat, paucisque dogmatibus expromtis, iisque privato nullius examini, ſed fidei tantum ac pietati concreditis, operam ſuam & orationem ad mutuam caritatem animis imprimendam, divinumque amorem ſuſcitandum contulit, ut homines ad caduca dilapſos, & ab auctore ſuo devios, ad immortalia revocaret. Quam inſtitutionem Apoſtoli ſuis in concionibus imitantes, nec tam cauſas & rationes divinarum præceptionum, quam utilitatem uſumque tradentes, CHRISTI doctrinam, & præcepta patientiæ, non ſublimitate ornatuque ſermonis, ſed vitæ ſanctitate, atque invicta injuriarum tolerantia ſuadebant: quorum exemplo priſca Chriſtianorum inſtitutio magis in piorum operum aſſiduitate vertebatur, quam in multitudine præceptorum, longaque dogmatum ſerie deflagrante caritate, ab hæreticorum curioſitate, atque temeritate parta: qui, dum Religionem argumentis Philoſophorum laceſſerent, Patres priſcos coëgerunt Philoſophiam, ſuſcipienda religione jam dimiſſam, ad ſe revocare, ut profanas rationes, auctoritati divinæ minime obtemperantes, profano etiam acumine redarguerent; Eccleſiam vero compulerunt decreta ſua ſingulis erroribus opponere: quibus decretis pro errorum numero multiplicatis, & in artem digeſtis, longisque diſputationibus expoſitis, condita fuit antiqua Eccleſiæ Theologia, e divinis luminibus Platonico acumine proſeminata.

Quo plures enim erumperent adverſarii, eo doctiores, acrioresque vindices divina Providentia Eccleſiæ ſuæ mittebat, ut Chriſti divinitatem tuerentur, & vim gratiæ divinæ, quæ præcipue erant illa ætate capita diſſenſionum: ita ut per Sabellii, Samoſateni, Manetis, Arii, Eutychetis, Neſtorii, Pelagii aliorumque furorem acceperit Eccleſia Origenem, Baſilium, Nazianzenum, Niſſenum, Athanaſium, Cyrillum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Hilarium, Ambroſium, & Chriſtianorum eruditiſſimum Hieronymum, atque, ut alios prætercam, Auguſtinum univerſæ divinæ ſapientiæ promtuarium, cujus mens ipſa D. Paulli ſpirat in ſcriptis.

Atque hi quidem Eccleſiæ Patres ad Divum usque Bernardum; qui ſæculo duodecimo non ſanctitate modo, ſed literis & eloquentia claruit, & gloria rerum geſtarum, ad explicationem divinæ doctrinæ, Platonicæ Philoſophiæ miniſterio utebatur, fuſum & oratorium dicendi genus adhibentes, iis verborum floſculis, atque coloribus, quibus ætas illa in tanta latinitatis labe ducebatur.

Bernardus vero cœlo receptus omnem ſecum abſtulit eloquentiam, remanſitque nobis hiulca illa, & exanguis, atque aſpera Dialecticorum dictio, paullo ante obrepens ex Arabum doctrina, contra quam ille ſanctorum ante ſe Patrum auctoritatem appellans, ingenti ſpiritu, atque totis viribus connixus, totius antiquitatis teſtimonia convocaverat: dum Petrum Abailardum oppugnaret, & Gilbertum Porretanum, qui primi pervagatam illa ætate Arabum ſcholarum Philoſophiam ad ſacras literas traduxerunt: quique cum ob eam cauſam ſe atque ſuos novis erroribus, ſive dicendi generibus veteri Eccleſiæ inauditis, implicuiſſent, ingentia perplexarum quæſtionum volumina pepererunt. Unde tum Platonici doctores idem bellum contra ſcholaſticos gerebant: quod ætate noſtra ſcholaſtici adverſus Platonicæ doctrinæ inſtauratores commoverunt. Ea ætate Petrus Lombardus, ut Chriſti Religionem e diſputationibus, quibus pene mergebatur, erueret, celeberrimum illum edidit ſententiarum codicem, in quem veterum Patrum decreta, & definitiones

Digitized by Google

nes retulit, ut ſcholaſticarum diſputationum ambages, ea falce recideret, ſacramque doctrinam ex eo tumultu ereptam quieti redderet, atque candori ſuo. Cujus inſtitutum viri ſanctiſſimi, & in primis D. Thomas in ſuis commentariis religioſe coluit: ceteri vero, at præcipue recentiores, ut jacta ſemel ſemina, quamvis opprimantur, tempore tamen usque pullulant, cum ad earum ſententiarum ſtudium, indolem, ac materiem afferrent inquietam, ſcholarum ſentes, ac ſpinas aſſidue ibi ſerentes, longe pluribus ac moleſtioribus quæſtionum nexibus præclarum illud volumen circumdederunt, ut, quod ſcholaſticis diſſenſionibus componendis editum fuerat, præter auctoris opinionem diſputationum omnium caput, & radix evaſerit.

Eodem tempore poſt diuturnam oblivionem rediit in lucem Jus civile, atque a Gratiano jus Eccleſiaſticum variis voluminibus diſſipatum, breviori codice collectum fuit, atque digeſtum, quod ejus ævi Pontifices ex intima Jurisprudentia prodeuntes aluerunt exemplis, elementisque juris civilis. Verum quia tum eadem Arabum doctrina ubique ſerpebat, invaſit etiam interpretes juris noſtri, qui commentariis acutiſſimis ingentem quidem Jurisprudentiæ lucem excitarunt, at perplexis anxiisque diſtinctionibus importunaque ſæpe ſubtilitate, atque tritura ſcholaſtica, crucem poſteritati reliquerunt. Omnis igitur eorum temporum ſcientia ex Arabum fæce, atque omnis eruditio e ſcholis Jurisconſultorum, turbatis utrisque fontibus, ducebatur.

Siquidem, ut omnia mutando ab origine ſua prorſus aberrant, atque ſuperſtitioſis translationibus ſæpe graviora dicta extenuantur, ſimpliciora vero in myſteria tranſeunt; Ariſtoteles ex Arabo in Latinum, Græci ſermonis ignoratione, converſus, verbisque magis, quam ſenſibus redditus, oblitus prope ſui, atque a ſe deficiens, monſtra peperit ſententiarum; Romana vero antiquitas ſparſa in libris juris cum nullo judicio, nulloque diſcrimine temporum ab interpretibus, inquinate loquentibus, colligeretur: ſumma ætatum, atque rerum perturbatione, ſomniis atque deliriis involvebatur: donec everſo Græcorum imperio eorum eruditio ſimul cum Romana, quæ in Conſtantinopolitanis jurisprudentiæ ſcholis nunquam intermiſſis inſederat, & germana mens Ariſtotelis, a Trapezuntio potiſſimum & Gaza Latine reddita, itemque Platonica Philoſophia, Beſſarionis auctoritate propagata, cum ſapientiſſimis Græcorum commearunt in Italiam, ubi tum priſcam Latinitatem ſuſcitabat Pogius, Guarinus, Leonardus Aretinus, Philelphus: elegantiam vero ſermonis, & artem atque delectum verborum, ſtudiaque illa, quibus exſtincta jam nunc iterum in publicis Italiæ ſcholis Ciceroniana dictio refloruit, magna contentione revocabat Romanus homo, Romanique reparator fori Laurentius Valla, qui non ſolum fucatam e germana Latinitate, ſed veros ab adulterinis veterum ſcriptis diſcrevit, crebrasque in omni genere veterum interpolatorum fraudes primus olfecit, primasque criticæ artis favillas excivit, quæ initio quidem verſabatur in verbis, poſtea vero, ad res mira felicitate progrediens, literarum atque ætatum omnium imaginem reſeravit, & ex ignoratis diu monumentis priſcam ſapientiam feliciter excluſit. Unde poſt Vallam exorſi ab origine diſcrimineque verborum Politianus, Parrhaſius, Merula, Budæus, Agricola, veteris memoriæ inſtauratores, priſcorumque operum, atque totius ævi judices, vindicesque pepererunt; quales, præter Cujacium Gallum, & Italos alios, in antiquitate Romana, fuere præ ceteris Panvinius, Sigonius, Manutius, Lipſius, in Hebraica & Phœnicia Bochartus, Boxhornius, in

Mmmmm 3 Græca

Græca Salmaſius, Caſaubonus, Henricus Stephanus, in Eccleſiaſtica e noſtratibus in primis Petavius, Sirmondus, in vetuſtate univerſa lux temporum omnium, & perennis veterum vita Joſephus Scaliger. E quorum operibus ingens illa librorum, ſacram & profanam hiſtoriam emendantium, copia ætate noſtra proſeminatur, inveterata jamdiu corrigendi libertate, quæ, ab optimis quidem orta initiis, nunc, proh nefas! ad eam proceſſit audaciam, ut ne ſacrorum quidem librorum auctoritati pepercerit. Itaque ars critica, quæ diſcrimen erat veritatis, & temporum, atque falſæ errorum, nunc ſeditionum literariarum fomes, ac turbo ingeniorum evaſit.

At Philoſophia, ex Ariſtotelica ſervitute manumiſſa, ſcientiam initio per Teleſium potiſſimum, & Patricium Ficinum in Platone aliiſque Græcis Philoſophis venabatur: jam pridem vero a Bacone, Gaſſendo Galilæo, Carteſio ex humanæ mentis anguſtiis ad rerum univerſitatem traducta, cauſarum veritatem hauſit ex ipſa natura.

Hoc autem omne doctrinarum fatum, atque viciſſitudo, ſumto initio a doctrina Græcorum, per quos ſcientias accepimus, in ſeptem tribui, conferrique poteſt ætates, quas memoriæ, atque ordinis cauſa appellationibus notabimus ea ex doctrina ductis, quæ ſua tempeſtate dominabatur. Itaque ab Orpheo ad Pythagoram ſæculum perducimus Poëticum: a Pythagora usque ad Alexandrum, Philoſophicum: ab Alexandro ad Auguſtum, Oratorium: ab Auguſto usque ad Conſtantinum, ſæculum Juridicum: a Conſtantino ad D. Bernardum, Theologicum: a D. Bernardo ad Leonem X. Scholaſticum: a Leone X. ad noſtra usque tempora ſæculum Phyſicum ſimul, & Criticum: ut intelligamus, naturam una & antiquitatem ætate hac noſtra patere.

Siquidem per Phyſicam, initio quidem in Italia renaſcentem, nunc autem calamitate noſtra, quos adhuc ſcholaſticorum ſervitus premit, & exterarum nationum felicitate in tranſalpinis regionibus triumphantem, ac mortalium beneficio nova in dies inventa proferentem, germanas rerum cauſas eruimus, & in cælum non cogitatione modo, ſed etiam ſenſibus aſcendimus; ita ut motus aſtrorum atque magnitudinem, divinæque Providentiæ ordinem, quantum homini licet, proxime contemplemur. Per Phyſicam nos mentem noſtram irretitam ignorantia retexuimus, & corpus a periculis liberavimus: cognitis enim veris ægritudinum cauſis, tumultus animi facile ſedamus: veneficas autem a corpore manus arcemus, detectis Arabæ medicinæ maleficiis per Neapolitanum Philoſophum eximium, qui primus docuit, Medicorum eum eſſe optimum, qui minus utitur arte ſua. Itaque ignorantia, quantumvis domina rerum humanarum, nunquam tamen majores, quam hoc ſæculo, pœnas dedit, cum non modo jucunda verarum cauſarum cognitione, divinæque providentiæ ſublimi contemplatione privetur, ſed tortoribus animorum & corporum miſerrime ſubjiciatur.

Ars vero critica, rudis apud veteres præ noſtra & imbecillis, jam ſublato barbariæ velo, Germanaque veterum codicum lectione reſtituta, omnium ætatum doctrinas & artes protraxit ad noſtrorum temporum lucem. Hæc etenim nobis Poëtarum ſapientiam, & veras Philoſophorum ſententias recta explicatione verborum patefecit: hæc veteris Eccleſiæ diſciplinam retulit: hæc Patrum Theologiam: hæc denique ſimul cum Romanis moribus Romanam Juriſprudentiam reparavit.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cum apud exteros floreret, Romanæ tamen, in ipſius nempe ſinu matris, turpiter langueſcebat, publicamque lucem vitabunda e privatarum ſcholarum latebris, non juris doctrinam, ſed peſtem judiciorun in forum evomebat, iis ad lites tractandas emiſſis, qui vix ſemeſtre ſtudiorum ſpatium emenſi, toto foro volitantes, jus civile noſtrum, heu qua fronte! apud doctiſſimos magiſtratus, & judices profitebantur. Verum ſapientiæ univerſæ cum humanæ, cum divinæ inſtaurator Innocentius XII. hanc maximam tribunalium & judiciorum labem ſimul cum ceteris corruptæ diſciplinæ vitiis eluit: ut non modo magnificis ædibus, ſed, quod pluris refert, ſanctiori ac meliori doctrina Juſtitiæ perpetuam ſedem extrueret, emendata per ſtudiorum rectam inſtitutionem radice ipſa Juſtitiæ, ipſoque boni, & æqui fonte purgato. Quod conſilium, divinitus a Sanctiſſimo Pontifice ſuſceptum, Eminentiſſimi Quæſtoris Johannis Baptiſtæ Spinulæ Cardinalis ſapientia, effuſaque beneficentia, ſummis infimiſque plaudentibus, inopinato explicavit. Dixi.

Habita Romæ XIV. Kal. Novemb. MDCC.

ORATIO
PRO
LEGIBUS ARCADUM.

Vererer profecto, Arcades, * ne veſtram omnium offenſionem incurrerem, ſi legum ſuadendarum cauſa me apud vos orationem hanc habere profiterer. Quid enim his legibus complexi ſumus, quod vos non antea imbiberitis animo, & arripueritis uſu, ac morum candore atque ſimplicitate præſtiteritis? Sane leges nos laturi non ſumus imperitæ atque incertæ multitudini, cujus ad mores emendandos oportuerit rogationes noſtras imbuere acerbitate atque triſtitia, quam corrupti vitiis homines perhorreſcerent. Nec vos legem aliquam juſſuri eſtis, in qua privati commodi ac alienæ dominationis ulla ſuſpicio lateat.

Vexet hæc animi ſollicitudo eos, qui media in urbe aut imperioſæ ambitionis aura tolluntur, aut homines avaritia flagrantes, mutuiſque odiis diſſidentes legum ſeveritate compeſcere conantur. Quod cum impetratu difficillimum ſit, blanditiis verborum, & orationis calliditate, artificioque dicendi reluctantes animos ad leges leniter flectunt. Nos vero, Arcades, a conditione illorum longe mehercule abſu-

* Quantopere Itali ſocietatibus literariis delectentur, in vulgus notum eſt. Inter has Romæ Arcades, inſtitutum Academiæ Abbreviatorum, quam Platina, Pomponius Lætus, Jacobus Pontanus, & Jacobus Sanazarius nobilitaverant poſtliminio reduxiſſe videntur. Abbreviatorum enim ſodalitium ſuſtulit Paulus II. Pontifex, oſor literarum, & qui hortari Romæ parentes ſolebat, ne quid diſcere liberos ſuos ſinerent, quam legere & ſcribere. *Ferrarii proluſio IX. p. 110.* Pertinebat autem Academia Arcadum ad cultum liberalium ſtudiorum veteris Romæ & Græciæ, cum eadem ſtudia in lingua vernacula Romæ commendata eſſent Academiæ Humoriſtarum. Inter Arcades nobilis quoque Antonius Malagonellus, cujus orationes & epiſtolæ Romæ prodierunt 1697. in 12mo. ſed qui argutiis Plinianis juſto nimis delectatur.

mus:

Digitized by Google

mus: quippe qui ſex ab hinc annis, antequam conveniremus in agros, & paſtoritium vitæ genus amplecteremur, exceſſuri urbe, ſuperbos & factioſos mores, avarumque ingenium ſimul cum urbanis pompis exuimus: neque huc aliud adduximus, præter cultum literarum, & innocuum laudis amorem; cui alia conjunximus animi bona, quæ merſa jam civilis vitæ fluctibus, pleno atque optimo jure hiſce in agris recuperavimus. Unde poſtquam ad ſimplicitatem naturæ, a qua pene deſciveramus, tanquam ab exilio redivimus; cupiditates, quæ faces animorum ſunt, tandem ſubſiderunt, indeque in unum eundemque ſenſum coaluimus, ut, cum plures ſimus, una tamen mente univerſi ducamur, & innocentiam, atque ſimplicitatem ſinguli meditemur. Hinc in animis cunctorum concordia viget & ſtudium æqualitatis, quod in ſingulorum pectoribus diu incluſum hiſce prodendis legibus aperitur. Siquidem jus omnes noſtrum, & voluntates in commune contulimus, & univerſi cœtus arbitrio rei noſtræ communis adminiſtrationem & regimen permiſimus, ut in publico juſſu vim quisque propriam, jurisque ſui portionem recognoſcat. Et quoniam voluntas communis per ſingulos explicari minime poteſt, neque ſingulis negotiis omni tempore intereſſe univerſi queunt, ideo iis expediendis Cuſtodem ſingulis Olympiad. creamus, eique deliberandi, conſultandique cauſa XII. collegas adjungimus: quorum concilium, quia ex cuſtode atque collegis conſtituitur, collegium appellamus, ut per cuſtodes & duodecimviros a cuſtode legitime coactos res communis adminiſtretur. Verum ne ſingulorum auctoritas, & jura cunctorum diu in certis hominibus hæreant, inita ratio eſt, qua facultas paucis tributa redeat ad ſingulos, geſtaque ac decreta collegii ad univerſi cœtus judicium revocentur. Ideo quæ a cuſtode atque duodecimviris acta fuerint, non aliter rata perpetuaque habentur, quam poſtquam juſſa ſcitaque ſint ab univerſo cœtu, qui relationum audiendarum cauſa bis ſaltem hyeme convocatur. Ita quod quisque tribuit alteri juris ſui, certo tempore repetit, ac paucorum adminiſtratio ad judicium revolvitur univerſorum, ut nihil Arcadico nomine prodeat, quod non jus & voluntatem omnium præ ſe ferat. Ac ne oppreſſa jam ambitio in animis noſtris aliquando revireſcat, omnia ſunt e cœtu noſtro gradus ac dignitatis ſublata diſcrimina, proinde ac decet homines, qui depoſita civili perſona paſtoritiam induerunt. Et quoniam eos, qui vitam innocenter inſtituunt, ipſa tuetur per ſe probitas, & ſatis muniti ſunt adverſus injuriam, quibus res anguſta ſufficit, & proprio labore parabilis, neque appetunt aliena, ideo hiſce legibus interdictum nobis eſt potentiorum patrocinio, quod in imperium ſæpe convertitur. Ut autem animorum concordia perpetuo maneat, omnis a cœtu noſtro verborum contentio & dictorum aſperitas procul arcetur, ac ne jurgia ex anguſtia finium oriantur, numerus paſtorum ad prædiorum rationem & numerum deſcribitur, ut ſua ſingulis paſtoribus prædia ſuppetant. Illud vero præ cæteris in veſtris inſtitutis laudandum, Arcades, quod poſt has leges latas omnis præcluditur aditus novis, ne legum tandem infinitas abſurdam illam juris ambiguitatem adducat, qua in urbibus miſerrime conflictatur. Crebræ autem leges indicia ſunt increbreſcentium vitiorum, quibus opprimendis prudentes novam novis legibus rationem pro tempore ac moribus comminiſcuntur. Veſtrum vero jus, Arcades, patens eſt & ſimplex, quale decet eos, quorum ſales & aperti ſunt mores, qui, abſterſa urbanæ ambitionis labe ſponte ſua feruntur ad naturæ normam, cui redditi jam ſumus, undeque hauſimus atque ſuſcepimus,

Digitized by Google

pimus, quas vobis leges Latine conſcripſimus, quæque veſtris in animis diuturna innocentiæ conſuetudine inhæſerunt. Nihil enim hic alienum, nihil extrinſecus arceſſitum: ſed quidquid eſt, totum introrſum latebat, & ex nobis ipſis petitum eſt, ejusque ſenſus e veteribus veſtris commentariis fuit evocatus. Atque hoc forſan ex hodiernis comitiis adſequemur, quod, expoſitis publice noſtris legibus, facies quodammodo ac adſpectus patebit ipſe virtutis, occurretque oculis adumbrata hiſce in tabulis vitæ tranquillitas, ut, qui opibus & honoribus intumeſcunt, ſenſuri poſt hac ſint, quanto præſtet opulentiæ contemptus ipſius, quamque ſibi rectius conſulant, qui literarum laudem, cujus cauſa hoc vitæ genus inſtituimus, imbecillis & caducis fortunæ bonis anteponant. Qui enim opibus & ambitione certant, ſæpe merguntur fluctibus, antequam longe portum adſpexerint; ac ſi poſt diuturnam jactationem emerſerint, aucti dignitatibus, cupiditate ſimul augentur, & ſpe majori attolluntur, metuque inſidiarum & æmulorum excruciantur, ita ut ſimul cum impetrata dignitate perpetuam ſibi ſollicitudinem comparent homines præpoſteri, qui, ut ſplendorem & commodum vitæ conſequantur, vitam ipſam indigne projiciunt, quique non minori pretio emunt honores, quam jactura ſui ipſius. At fuerit tandem in adipiſcendis honoribus magna illa quidem, ſed majori certe moleſtia comparata voluptas, an non ea ſenſim, ut humana omnia, vel ipſa dignitatis conſuetudine atque uſu diluitur, vel prorſus extinguitur, æquato, imo ſæpe prælato, qui dudum erat inferior? ut priſtinam lætitiam novi livoris morſus, & exorta recens indignatio repente conturbet. Quanto vos igitur, Arcades, ſapientius, qui ne injuriis & inſidiis pateretis, nullum vobis in urbibus a fortuna præmium exoptaſtis; ſed ruri degentes, ex innocentia morum, & Muſarum cultu, & ex æternitate literarum per vosmet ipſos capiundam voluptatem exiſtimaſtis, eumque honorem ex vobis nomini veſtro petiiſtis, quem nec addicere ulli, neque abjudicare fortunæ vel hominum poſſit auctoritas? Dignitatem enim, a fortuna vel potentiorum voluptate delapſam, docti & probi ſæpe communem habent cum imperitis & flagitioſis, ingenio vero partam nonniſi cum Deo optimo maximo. Hoc veſtrum conſilium, Arcades, quicunque his legibus intellexerint, deſinent tandem illi contemnere præ urbanis ſtudiis paſtoritiam vitam, quique dudum ob divitias & magnificentiam ſe beatos putabant, invidebunt poſt hac vobis animos urbana regum opulentia longe majores. Haud etenim veſtram perſtringit aciem faſtus & tumor, quibus vita civilis inflatur, neque vos capit in ſpeciem adornata virtus, qua ſecretis animi malis caligo prætenditur: tenent enim iſta, quoad ambitioſis res feliciter cedunt, ac cum illi tantiſper offenderint, & ambigua ſorte leviter inclinaverint, replicatis ſplendidis illis miſeriarum involucris, retrurſæ diu ægritudines continuo pateſiunt; veluti morborum ſemina, quæ in integris adhuc & ſanis corporibus haud dubie latent, his autem incommoda valetudine leviter tentatis, commoventur cuncta, & obſcura viſcerum vitia repente panduntur. Ad nos vero, Arcades, ſi quod vitium penetraverit, ſtatim eminebit, quoniam animus noſter undique pellucet, urbano enim artificio & fuco minime ſe obnubit. Non igitur vereor, ne ſuffragium inituri ſententiam mutetis, aut in jubendis legibus paullulum hæreatis. Sunt enim iſtæ ab æqualitate & innocentiæ ſtudio profectæ: ut vix in lucem editi eas, ipſa ferente natura, ſciveritis. Gravitas autem veſtra ſpem mihi affirmat, fore, ut eis libenter & ex animo pareatis. Non enim alio ſpectant, quam ad cultum

literarum & vitæ probitatem. Quæ niſi perpetuo inter vos verſetur, eo deteriores eritis ceteris mortalibus, quod cum ad munienda vitia urbanis præſidiis careatis; maxime tamen ob literarum gloriam ex invidia laboretis. Quamobrem haſce ego leges, *quod bonum, fauſtum, felixque ſit, vobis & veſtro communi jubendas cenſeo.* His itaque recitatis, atque rogatis, ite in ſuffragium, Arcades, Deo bene juvante.

LEGES ARCADUM.

I.

PENES COMMUNE SUMMA POTESTAS ESTO. AD IDEM CUILIBET PROVOCARE JUS ESTO.

II.

CUSTOS REBUS GERUNDIS ET PROCURANDIS SINGULIS OLYMPIAD. A COMMUNI CREATOR, MINUSQUE IDONEUS REMOVETOR.

III.

CUSTODI VICARIUS ET COLLEGÆ XII. ADSUNTO. EORUM SINGULIS ANNIS CUSTOS CONSULTO UNIVERSO COETU NOVOS SEX IN ORBEM ELIGITO, SEX VETERUM RETINETO. ADMINISTROS SIBI DUOS ADSUMITO. PRÆTER HÆC ALIA MUNERA PUBLICA NE SUNTO. PATRONUS NULLUS ESTO.

IV.

SUFFRAGIA SECRETA SUNTO. EAQUE IN CUSTODE CREANDO AUT REMOVENDO TRIFARIAM DIVIDUNTOR. JUSTUSQUE NUMERUS DUÆ PARTES SUNTO. CETERIS IN REBUS BIFARIAM DISPERTIUNTOR. QUIQUE PARTEM DIMIDIAM EXSUPERAT NUMERUS JUSTUS ESTO. SI PARIA FUANT ITERANTOR. DEINCEPS RES SORTI COMMITTITOR.

V.

QUICQUID PER COLLEGIUM DE REBUS COMMUNIBUS ACTUM GESTUMQUE FUAT, QUO PERPETUO RATUM SIET, PER CUSTODEM AD COMMUNE REFERTOR.

VI.

COETUS UNIVERSUS RELATIONIBUS AUDIUNDIS ACTISQUE COGNOSCUNDIS HYEME SALTEM BIS IN ÆDIBUS: CARMINIBUS AUTEM AUT ORATIONIBUS PRONUNCIANDIS PRÆSENTIUM QUIDEM PASTORUM PER ANNUM SEXIES: ABSENTIUM SEMEL VERNIS ET ÆSTIVIS FERIIS IN NEMUS PARRHASIUM PER CUSTODEM SUB DIO CONVOCATOR.

VII.

MALA CARMINA ET FAMOSA OBSCOENA SUPERSTITIOSA IMPIAVE SCRIPTA NE PRONUNCIANTOR.

Digitized by Google

VIII.

IN COETU ET REBUS ARCADICIS PASTORITIUS MOS PERPETUO; IN CARMINIBUS AUTEM ET ORATIONIBUS QUANTUM RES FERT ADHIBETOR.

IX.

ARCADICO NOMINE TYPIS INJUSSU PUBLICO NE QUID EDITOR.

X.

QUOT PRÆDIORUM ARCADICORUM TITULI, TOTIDEM PASTORES PASTORUMQUE NOMINA SUNTO. INQUE MORTUI AUT EXPUNCTI LOCUM ALIUS SUFFICITOR.

SANCTIO.

SI QVIS ADVERSUS H. L. FACIT FAXIT FECERIT; QUIQUE FACIT FAXIT FECERITVE QUOMINUS QUIS SECUNDUM H. L. FACERET FECISSETQUE FACTURUSVE SIET, CONFESTIM EXARCAS ESTO. EJUSQUE NOMEN CORAM COLLEGIO PER CUSTODEM INDUCITOR.

SI QUID IN HIS LEGIBUS OBSCURUM PERPLEXUMVE SIET, SIVE COMPREHENSUM NON SIET, COMMUNI ARCADUM CONSULTIS PERITIORIBUS INTER PASTORES MORE MAJORUM INTERPRETANDI SUPPLENDIQUE JUS ESTO. QUODQUE DECRETUM JUDICATUMVE SIET PENES CUSTODEM ADSERVATOR. IN LEGUM TABULAS NE REDIGITOR. NULLI NOVAS LEGES FERRE FAS ESTO.

DE

LINGUA LATINA
DIALOGUS

AD

EMMANUELEM MARTINUM. *

Dum legerem notas, a te ad peſſimos nebulonis illius noſtri verſus appoſitas; non ſolum, Vir Clariſſime, doctrina delectabar, quam coarguendis erroribus adhibuiſti; ſed & tua cavillandi urbanitate ac facetiarum acumine rapiebar, & benivolentiam erga nos, atque honeſtatis tuendæ, audaciæque coërcendæ, ſtu-

* Leguntur hujus Martini epiſtolæ quædam inter epiſtolas V. CL. Gregorii Muzanſii, Anteceſſoris Valentini, cui plurimum debent Muſæ in Hiſpania, editas Valentiæ Edetanorum 1732. Agnoſcas in iis diſcipulum Gravinæ, ſive ſoluta ſive ligata oratione ſcribat. Vide carmen, quo divenditis bibliopolæ Londinenſi libris ſuis literas earumque ſtudium deteſtatur. Hic dialogus autem parum recedit ab illa ſtili ubertate, qua Gravina in orationibus ſuis uſus erat, etſi Dialogus ſtilum tenuem, quo in vita & conſuetudine quotidiana utimur, deſiderare videatur.

dium oppido quam admirabar. Nec enim impudentiſſimi ſcurræ deliria tanti fuiſſent, ut mererentur doctorum hominum iram, & ſtylum tuum nitidiſſimum ab illuſtranda vetuſtate, ac exponendis originibus linguæ Latinæ, ad pueriles ineptias exagitandas converterent. Verum unde hoſtium obſcuritate pridem abducebaris, eo te tandem evocavit ſemidoctorum hominum plauſus, quibus ea peſtis in bonorum injuriam nutriebatur, ut non prius putaveris furores illius belluæ repreſſum iri, quam perditos ſycophantas & inſulſos poëtaſtros tuis telis confodiſſes, & inauditam temeritatem, quæ ſimplicioribus fraudem ferebat, & juventutem a recto cum orationis, tum vitæ inſtituto detorquebat, patefacta jam ſtolidiſſimi Thraſonis ignorantia, perdomuiſſes. Quippe compertum tibi erat: *a*) *ὅτι εὐπράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.*

Illud modo, Vir doctiſſime, piget, tua te doctrina nequiſſe uti tam parce, quin plus interdum ſuſceperis, quam tibi eſſet a bonorum deſiderio tributum & denunciatum, & dum barbariæ dictionis vitia palam faceres, egiſſe tam ſerio, ut illinc, oratione latius continuata, non raro ad abſtruſiores eruditionis locos excurreris, & in mendis paullo nimium ponderandis, addncendisque bonorum ſcriptorum exemplis, operam tam male locaveris, quam qui viliſſimis centonibus pretioſiſſimam purpuram attexuerit. Age porro nunc, quando ſatis eos tuis aculeis confixiſti, &, quod intenderas, vulgares animos in fraudem inductos, ac ad admirationem inquinatiſſimæ dictionis erectos, magnam partem ab errore liberaſti; refer te, quæſo, ad graviora ſtudia, & iuvidos dimitte conſumendos livori ſuo. Te namque monitum velim, haſce belluas a nobis miſeriores non fore, quam ſuopte ingenio ſunt; quippe proprio livore confecti, & alienis meritis exulcerati, pœnas dant injuriarum, antequam læſerint. Qui namque tam furioſe ruunt, nt in optimos quosque immodica licentia verborum incurrant; hi, cum ſummæ libertatis compotes videantur, ſervi tamen ſunt & adminiſtri perturbationum, quarum turbine correpti, eo tandem adhæreſcunt, quo impotentis animi fluctibus ejiciuntur. Enimvero quos in nos liberiores vides, hos prædam & nexos eſſe noſtros puta: quoniam animos eorum pro arbitrio verſamus atque torquemus, &, quum libet, in ægritudinem conjicimus, ſimulatque ingenii robur, ſi quod habemus, aliquo patefaciamus exemplo, ut liqueat, invidos alieni potius juris eſſe, quam ſui, &, quomagis eorum te miſereat, bonorum meritis veluti adſpectu tortorum urgeri. Nimirum livor & malivolentia tum procreatur maxime, quum in anguſtis animis atque jejunis ſpecies alienæ virtutis expanditur; contrahitur vero & affligitur opinio ſui. Etenim id genus homines usque eo præſtantioribus plaudunt, & præcurrentibus favent, quoad conſequi poſſe confidunt: ubi vero ſpe ceciderint, eos, quibuscum fruſtra contenderent, quo diſcrimen minus emineat, maledicentia premunt. Levis autem eſt, quæ ab opibus & novis honoribus conflatur invidia, præ illa, quæ a præſtantiori doctrina ſuſcitatur. Cum etenim a cæteris animantibus mente ac intelligentia diſtinguamur, quisquis, ubi veritatis ſplendor effulget, in ingenii contentione ceſſerit, is e ſuo videtur humanitatis jure decedere, ac propriam quoddammodo extenuare naturam. Scilicet animi tantum bona mortales jure mancipii jureque optimo poſſidemus: externorum uſus tantum apud nos eſt, proprietas & arbitrium

a) Demoſth.

penes

Digitized by Google

penes Fortunam. Unde quum ingenii vires in judicium veniunt, qui cauſſa ceciderit, capite potius quam bonis mulctatum putaveris, nec tam extenuatum dixeris, quam extinctum.

Tenuibus enim opulenti opinione tantum antecellunt. Sapientes vero ſtultis reapſe præſtant & natura. Sane ſi mea fuerit optio, bonam mentem cum Crœſi fortunis minime commutaverim. Stulti enim opibus & copiis, quibus aliis arroganter & ſuperbe dominantur, ipſi miſerrime ſerviunt! ſapientes vero, qui cauſſarum nexum intelligentia, intelligentiam voluntate ſequuntur, cupiditates extra naturæ finem effuſas ad rationem revocantes, Fortunam ſubigunt, & cum Juſtitia per ſe convenientes, leges non dominas habent vitæ, ſed comites; neque magiſtras, ſed conſortes & ſocias conſiliorum. Ita ut vix ulli, præterquam ſapientibus, liceat in libertatem vindare ſeſe: quandoquidem fortunam contemtu rerum humanarum eludunt, verſiſque virtutibus in morem, congruunt legibus, non obtemperant. Conviciis autem & maledictis minime perturbantur, ſed animo præſenti atque acri reſiſtunt: tum quia, quod attribuere improbi nequeunt, calumniis fruſtra tentaverint; tum quia ſtudiorum præmium non in judicio imperitorum, ſed in ipſa ſapientia ſitum eſt: tum denique quod ægre quis invidiam declinarit, niſi vel alios retexuerit, vel ipſe a virtute deflexerit, quorum alterum abſurdum foret, alterum plane ſtultum. Quisquis autem pro rebus maximis, qualis gloria literarum eſt, invidiam ſubit, hunc optimum ſane putes iniiſſe conſilium. Aciem enim invidiæ dies obtundit, & veſtigia livoris ævum obliterat: laudem vero doctrinæ poſteritas alit, atque adeo ipſa conſervat & tuetur æternitas. An autem patientiſſimis temporibus, in quibus furor tam impune diſcurrit, ut ne principibus quidem viris abſtineat, homuncio ipſe ſperaſſem nomen noſtrum fore ſacroſanctum; cum eos omnes haberem infenſos, qui laudem ſuam ducunt e vitioſa corruptaque doctrina, quam nos pro viribus oppreſſimus, atque concidimus? præſertim cum genus hominum laceſſiverimus, qui flagitium nullum, ſi ſejunctum a periculo fuerit, abominantur; ac ſatis honeſtati datum arbitrantur, ſi fugiant in ſceleribus nomen profiteri ſuum. Horum enim ſententia honeſtum eſt, quodcunque latet. Nunc, quando mihi tanti non fuerunt, ut a memet ipſo aberrare me cogerent, ac infixum animo illud Horatianum eriperent;

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer;

minime te, Vir doctiſſime, patiar in ea contentione diutius verſari, ne, quantum induſtriæ ac ſtudii confers ad horum lapſus reprehendendos, compeſcendosque indoctorum ſtupidos plauſus, tantum operi ſumma cum laude ſuſcepto, non ſine magno literarum detrimento, detrahatur. Ac ut eo te revoces, unde benivolentia in nos tua, & odio improbitatis abſtrahebaris, quod tu ſæpe ſoles in familiaribus colloquiis, ut juvenes popularis linguæ facilitate captos, & verſionibus librorum, quæ in diem prodeunt, occupatos, ad linguæ Latinæ cultum impellas, id ego nunc ſcriptis præſtiti; dialogumque contexui, in quo te induxi differentem, atque aliquid promentem eorum, quæ tu de Latinæ linguæ origine in tuis eruditiſſimis commentariis uberius multo explicabis, ac plane ſubtilius.

EMMANUEL. PROCULUS.

PR. Præter morem Emmanuel ſub auroram domo egrederis.

EM. Verno tempore, ac cœlo, ut vides, tam ſereno, quid matutina deambulatione ſalubrius? PR. Niſi malis eſſe ſolus, me tibi comitem adjunxerim libens. EM. Immo judicundiſſimo ſermone tuo curis levari vehementer gaudeo. PR. Vide, ne potius moleſtus advenerim, teque a ſocio longe ſuaviori diſtraxerim. EM. Cedo: a quonam? nemo enim ante te nobis occurrit. PR. Ab eo ſcilicet, quem domo tecum extuliſti, quemque adeo geris in manu. EM. Codicem nempe hunc ſignificas; PR. Ipſum. EM. Sane hunc arripueram, ut, ſi ſolus fuiſſem, illius lectione aliquantiſper oblectarer: nunc, quando in te incidi, malo haſce horas colloquendo tecum, quam legendo, tranſigere. PR. Quis vero eſt auctor? EM. Tullius. PR. Suboluerat. Mirum, ſi momento eum dimiſiſſes. EM. Immo vero mirum eſſet, ſi hunc ſcriptorem non haberem eximium, quo nemo eſt auctor in eloquentia Latina, & in omni ſermonis elegantia locupletior, nemo ſplendidior, nemo uberior, nemo in omni eruditione celebrior, nemo denique de quo cum tot laudes ſint diffuſæ, minus tamen pro illius dignitate ſit dictum. Niſi vero aliquis eorum ſis, quibus hoc tempore Cicero ſordet, Appulejus murrinam olet. PR. Di nolint, ut usque eo deſipiam. Sed eo dixi, ne tibi conſtitutum ſit linguam Latinam præ ceteris amplexari, cum tot annos in veteribus libris verſeris, ut jam alio tibi migrandum cenſeam. EM. Quaſi non majus ſit negotium partas opes tueri, quam parare. Noſti illud Demoſthenis: *πολλάκις δοκεῖ τὸ φυλάξαι τ' ἀγαθὰ τῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι.* PR. Factum igitur Emmanuel non mutaverim, quippe ne implicarer, nullum Latine ſcribendi uſum, ſed auctorum mihi tantum intelligentiam appetivi; ac experiri nolui, quod erat impetratu difficillimum. EM. At cognoſces in tempore, quantum & animo voluptatem, & inventis lucem ademeris neglecto uſu ejus linguæ, quæ una poteſt cogitationes hominum & res geſtas in orbis terrarum univerſi partes diſſeminare, ac adæquare cum omni poſteritate ſcriptoris memoriam. PR. Ita ne vero? an ideo nobis hiſcere non licebit? quaſi non idem vulgares linguæ præſtiterint, quod uni tu Latinæ tribuis. Adeone nobis erit maligne? ut, cum quis Italica lingua ſenſus ſuos aperuerit, lectorem non ſit inventurus apud Hiſpanos, Gallos, & Germanos, ad quos omnes noſtri ſermonis uſus increbuit. Ut autem noſtram linguam Italia finiri concedamus; an non Gallica nobis præſto erit, quæ Borealem omnem oram occupavit, & una cum Gallorum commerciis vel ad remotiſſimas terrarum regiones excurrit? Et libris converſis veterum, omniumque populorum ſcriptis Gallice redditis, jam copias & ornamenta cunctarum pene linguarum exhauſit; ita ut ei, qui Latinam vel intermiſerit, vel ablegarit, una Gallica poſſit eruditionis univerſæ campum aperire. Quæ enim antea, præterquam Latinis, patebant nemini, nunc occurrunt & collucent omnibus, non ſolum viris, ſed & fœminis: cum nihil hodie tam ſolenne ſit apud matronas, quam de Marianis Conſulatibus & Syllana Proſcriptione diſceptatio. EM. Per te igitur, Procule, relictis patriis finibus ad exteros tua natio commigrabit. Ut, quum faſces jam diu tranſalpinis hominibus ſubmiſeritis, linguam omnium olim gentium dominam, victricem populorum, commune nationum vinculum, extinguatis: &, quod unum ſupereſt vetuſtæ majeſtatis monumentum, evertatis. Verum ne te ad jus gentium revocem, neve tibi patrii ſoli caritatem

incul-

inculcem; atque dederint hiſtorias & ſcientias popularis ſermonis luce ſatis eſſe jam promtas; integramne in aliena lingua oratores & poëtæ propriam venuſtatem & elegantiam retinebunt? Non te fugit ineſſe linguis colorem præcipuum & nitorem, ſcriptoribusque ſingulis inditam eſſe patriam urbanitatem & nativum leporem, qui peregrino linguarum ingenio corrumpitur; ita ut ingenuus ille flos eloquentiæ convulſus e ſolo ſuo ſtatim exareſcat, ac germana virtus orationis externis moribus obliniatur. Partium namque complexio, verborum compoſitio, ſonus, & numeri, quibus tota conſtat dicendi venuſtas, diſſolvuntur, & ipſæ quoque ſententiæ concíduntur & enervantur; ac vigor & adſpectus eloquentiæ nativæ novis & exteris coloribus inducitur & aboletur: immo ſcriptoris ſenſus ipſe pervertitur interpretis vel negligentia, vel, quod non raro accidit, imperitia: vel quia peregrina lingua Romanæ aut Græcæ copia, ubertate, ac vi minus plerumque reſpondet. Verum fac ut interpres eandem venuſtatem, ac veritatem, & ſanitatem orationis alienæ lingua reddiderit; fac ut popularis percurrat, quousque Romani ſermonis amplitudo diffunditur: ſpem certe diuturnitatis, quæ a Græcis & Latinis literis oſtenditur, peregrinis nunquam attinges. Latina enim lingua Romanorum armis & commercio ſimul cum imperio in omnes fere orbis terrarum regiones penetravit, & ubique diſſeminata eſt, ſparſis atque etiam continuatis ſæpe coloniis, præcipue vero propagata eſt & conſervata legibus atque judiciis, nec enim licebat lege agere, aut in judicio reſpondere apud Romanum magiſtratum peregrina lingua, neque fas erat magiſtratibus in provinciis reddere jus niſi Latine. Solennes autem formulas vetitum erat peregrina lingua corrumpere. Nam quisquis formulas & verba civila labefactaſſet, is neque contrahebat obligationem jure civili, neque diſſolvebat, nec hæredem recte inſtituebat. In ſolis enim fideicommiſſis utilitatis cauſſa relaxata eſt ſeveritas juris civilis; ita ut receptum fuerit, hæredem inſtituere verbis obliquis: quæ directis opponuntur, ſive civilibus: de quibus *a*) cum antea dubitaretur, an eadem fuerint, dubitationem omnem ſuſtulit Ulpiani liber Regularum, ubi fideicommiſſum definitur: *quicquid non verbis civilibus, ſed precariis relinquitur.* Ex quo licet colligere, verba civilia eadem eſſe ac directa; nempe more imperantis enunciata: quibus implebatur quicquid ex jure civili, ſive ex legibus XII. Tabul. deſcendebat. Eaque legis verba dicebantur. Unde teſtamenta, quæ ſunt privata quædam lex, verbis directis quoque conficiebantur; *b*) veluti: *Titius hæres eſto.* Actus igitur legitimi, qui & ſolennibus verbis peragebantur, nempe emancipatio, aut acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, ſervi liberatio, Latinis verbis præſcriptisque formulis exprimebantur. Immo ne legatum quidem Græcis verbis recte relinquebatur Ulpiani tempore, quod ex *capite 25. Inſtitutionum* colligitur. Sed fideicommiſſum contra Græcis verbis relictum valebat: *c*) propterea quod legatum ex jure civili, fideicommiſſum ex moribus deſcenderet. Atque ex forenſi uſu multa & ad extraneas linguas permanarunt Latina vocabula, quorum plura in Syriaca Caſaubonus obſervat, non forenſia modo, ſed & militaria: ita ut Latinus ſermo, veluti ſanguis, in totius imperii Romani corpus ſimul cum Romanis moribus fuſus fuerit. Populis quoque reſponſa Latine tantum ab his, qui cum

a) Cujac. *leg. Verbis civilibus ff. de vulg. & pup.*

b) Cujac. *12. Obſerv. cap. 35.*

c) Duaren. *lib. 1. Anniver. cap. 9.*

impe-

imperio erant, reddebantur, ut nemo ſine incommodo ea lingua caruerit. Unde Gregorius Thaumaturgus queritur, quod coactus ſit ob imperium magiſtratuum & uſum judiciorum eam linguam addiſcere, quam idoneam ſane ad imperium reputabat. Et quamvis imperium ex Italia ſublatum fuerit, ac in Græcia defixum, indeque ad Germanos translatum; & Græciam ſimul atque Italiam colluvies barbarorum obruerit, extincta prope cum legibus moribusque Romanis Latina lingua; tamen ubi Germani, qui ad hæc ſtudia duriores erant, ingenium ad literas flexerunt, atque codicibus Romanarum legum longo poſt tempore repertis, mores ſimul & jura vetera revixerunt; emerſit etiam lingua Latina, ut ſtudioſis vetuſtatis hiſtoriarum & jurisprudentiæ lucem accenderet. Nec parum ad illius firmitatem & uſum contulit auctoritas Eccleſiæ Romanæ, quæ Græcis diſciplinis auctoritatem Latinarum literarum oppoſuit, qua, veluti nota quadam jurisdictionis & imperii, ſuos a Græcorum moribus diſcrevit: ut quo latius Eccleſiæ Romanæ poteſtas excurreret, eo altius ſermonis dignitas emineret. Pr. Fateor ſane his radicibus coaluiſſe, indeque conſervatam fuiſſe Latinam linguam: ſed cum Græcam adhuc retineamus, nec his fuerit munita præſidiis; cur eandem ſortem vernaculis linguis ſperare non licebit? Em. Quid? An ne tu nihil amplius Græcæ linguæ tribuis quam vernaculis? cum illa & origine, & auctoritate, & dignitate linguis cæteris antecellat maxime: ac tanto cæteris præſtet, quanto proli parentes, rivis flumen. Neque vernaculæ, quæ a Latina tanquam a capite perfluunt, retineri & conſervari poſſent, niſi ad Latinam, atque inde ad Græcam, quæ omnium fons eſt & origo, revocarentur. Plura, fateor, ab Etruſcis, Volſcis, Oſcis, Sabinis, ac finitimis populis in Latinum ſermonem incidere vocabula: ſed nihil patet latius, quam id, quod a Græca manavit, ac deinde curſu temporum & ingenio populorum varia inflexione, ac literarum commutatione corruptum eſt: idque potiſſimum ab Æolica lingua fluxiſſe ſcriptores ex inflexionum ac terminationum affinitate conjiciunt. Quorum non omiſerim Dionyſium Halicarnaſſeum, qui ſcribit, Romanos nec ferme Græca lingua uti nec plane barbara; ſed ex utraque conflata; maximam vero partem Æolica, ἧς ἐςὶν ἡ πλείων Αἰωλίς. Ad quæ deſcenderunt & Quintilianus, & duo poſt hominum memoriam graviſſimi atque eruditiſſimi vetuſtatis interpretes Joſephus Scaliger & Samuel Bochartus. Immo Verrius inter veterem Romanam & veterem Græcam minimum intereſſe contendebat, hiſce ductus Ennii verſibus:

Contendunt Graji, Grajos memorare ſolemus,
Quod Graca lingua longo poſt tempori tractus
Hos pavi.

Nec mirum, ſi, a quibus Romani genus duxerant, eorum & linguam retinuerint, quippe profecti ex Aboriginibus, quorum genus a Græcis plerique ſcriptores repetunt. Multo namque ante bellum Trojanum tempore Arcades Oenotro Lycaonis filio duce ex Peloponneſo in Italiam ſeſe effuderunt, & cum montes occupaſſent, a finitimis Aborigines appellati. Græcis enim mons ὄρος dicitur. Atque hi Græcorum gentem vetuſtiſſimam Pelasgos, a quibus & Arcades erant oriundi, ex Hæmonia in Italiam appulſos, ac diuturnis erroribus fractos & diſſipatos, ſedibus exceperunt. Ad Arcades autem aliqui ſcriptores referunt uſum dimidiatæ lunæ, in calceis Romanorum ſenatorum intextæ: propterea quod auctores eorum Arcades de antiquitate cum luna contenderent, quamvis aliqui velint eſſe notam centenarii numeri,

Digitized by Google

numeri, quo fuit a Romulo Patriciorum ordo concluſus. Pr. Video, te Romanorum originem altius repetere, ac deflectere ſimul e via, cum commune ſit, ac mira ſcriptorum frequentia comprobatum, auctores Romanæ gentis eſſe Trojanos, qui Ænea duce in Italiam claſſe delati hæc loca tenuerunt. Em. Non me fugit, hanc opinionem late manaſſe, ac diuturnitate coaluiſſe, itaque omnium animis inhæſiſſe, ut qui eam convellere tentet, is conetur vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam extorquere. Unum Bochartum neque pondus antiquitatis compreſſit, neque communis perſuaſio deterruit, quin molem hanc auctoritatis ſolidiſſimis rationibus, de abſtruſiori vetuſtate conquiſitis, conaretur evertere. Niſi enim Homeri tempore Trojæ regnum in Æneæ familia ejusque poſteris perſtitiſſet, nunquam ſummo poëtæ illa carmina excidiſſent:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένονται.
Nunc genus Æneæ Iliacis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Scio, alios pro *τρώεσσιν*, ſubdidiſſe *πάντεσσιν*, forſan ut aliquid darent auribus Romanorum. At undenam acceperat Homerus famam ejus imperii, cujus nondum fundamenta jacta erant? Vixit enim Homerus circiter mille annos ante Chriſtum natum. Quapropter Strabo hæc verba convertit in Æneæ ſtirpem, quæ Homeri tempore Trojæ regnum obtinere credebatur. An enim Homerus futurum Romanorum imperium cogitatione præceperat per divinationem poëtis familiarem? quod nemo ſanus admiſerit.

Neque vero deſunt ſcriptores, & quidem graviſſimi, qui tradant, Æneam eſſe ſepultum in urbe Berecyntho ſecundum flumen Nolon: quorum meminit Agathocles Cyzicenſis apud Feſtum Pompejum. Ac illa in regione flumen eſſe dicitur, & lacus, & urbs, quæ ab Aſcanio Æneæ filio traxere nomen, quod ex Stephano Geographo & Mela cognoſcere licebit. Immo Dionyſius Halicarnaſſeus ex Troicis Hellanici refert, Æneam Thraciam & Pallenem fuga petiiſſe, Aſcanium autem Trojæ cum imperio remanſiſſe. Quibus auctoribus facile vicerim Æneæ ſobolem & reliquias Trojanæ gentis Romam nunquam fuiſſe traductas, nec e patrio ſolo diſceſſiſſe. Si vero non teſtibus tantum, ſed conjecturis etiam agere placeat; non paucas ex hiſtoriis Bochartus excitavit. Multis enim annis quam Roma condita fuerat, receptus fuit *a*) cultus Veneris apud Romanos. Qui cultus, ſi Æneas Italiam attigiſſet, ſane coaluiſſet cum ipſis Romæ natalibus. Et tamen in Roma veteri nullum veſtigium hujus cultus eminet; ut ne ſub regibus quidem nomen Veneris fuerit auditum. Quocirca Scaliger reprehendit Ennium, quod dixerit:

Te nunc ſancta Venus precor, & genitrix patris noſtri.

atque addit in ejus ad Feſtum eruditiſſimis notis, Venerem, quod a peregrinis regionibus venerit, hoc habuiſſe nomen.

Quod ſi Romanam gentem Æneas condidiſſet, Phrygiorum numinum cultum, & præcipue matris ſuæ Veneris, ac Apollinis, religionem inſtituiſſet. Quippe principem locum Apollo inter Trojanos deos obtinebat. Ejus vero cultus vete-

a) Macrob. *lib. 1. Saturn. cap. 12.*

Oooo ribus

ribus Romanis non innotuerat. Nec enim a Numa, ut Arnobius teſtatur, in Deorum indicem relatus invenitur.

Quæ major apud Trojanos religio, quam Rheæ matris, e Creta cum Trojanæ gentis auctoribus in Phrygiam translatæ? At ea non ante annum Urbis DL. Diis Romanorum fuit adſcripta: quo tempore, monente oraculo, Rheæ ſimulacrum Attali regis permiſſu Romam inde fuit advectum. Quod autem credunt, ſimulacra Deorum in Latium ab Ænea fuiſſe primum allata, tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum. Scimus enim ex Varrone, cujus teſtimonium adducit Auguſtinus, Romanos Deorum imaginibus annos CLXX. caruiſſe; non quod eas vel amiſerint, vel, ut aliquorum opinio fuit, ejecerint (eis enim religio fuiſſet) ſed quia nondum norant. Nec (quod ex Plutarcho accepimus) Numa, ne meliora deterioribus exprimerentur, ut Clemens Alexandrinus refert, ſimulacrorum cultu populo interdixiſſet, ſi animos ea religione imbutos inveniſſet. Quam fabulæ ſuſpicionem auget Bochartus, commiſſis intêr ſe Phrygiis & Romanis vocibus, in quibus Phrygium vocabulum recognoſcit nullum.

Sed ne longius excurram, non aliunde linguam Latinam quam a Græca eruere licebit. Iccirco nunquam fuit Latinæ linguæ ſtudium ab abſtruſa Græcarum literarum cognitione ſejunctum. Imo quaſi perpetuum elegantiæ fœdus iniiſſent, pulſis Latinis literis, Græcæ ſimul exſularunt, illisque revocatis hæ redierunt. A Græcis enim non modo ſcientia omnis & eruditio profecta eſt, ſed & literarum formæ, quas Græcos a Phœnicibus accepiſſe, traditum eſt. Phœnices autem ipſine invenerint primi, an vero ſumſerint ab Hebræis, non ſatis conſtat. Siquidem nihil eſt a ſcriptoribus magis inveſtigatum, ac minus deprehenſum, quam origo literarum. Eam enim his rebus noctem vetuſtas offudit, ut omnibus datus ſit diſputandi locus. Quapropter non mirum, ſi noſtris temporibus Olaus Rudbechius, homo Gotthus, diu tamen in antiquitate verſatus, non eſt veritus, literarum originem aſſerere genti ſuæ; propterea quod pleræque Runæ inverſæ noſtras reddant literas, quaſi non ad eos, ut ad cæteros, ex eadem origine perveniſſe facile ſit. Ex antiquioribus vero Diodorus *a)* Mercurio Ægyptio literarum inventionem aſſignat: quicum conſentit Cicero, *b)* cui quintus eſt Mercurius, Theut Ægyptiis dictus. Hunc *c)* Plato tradit oſtendiſſe regi Ægyptio literarum inventionem, qua ſe memoriæ ſubſidium comparaſſe prædicabat: Regem autem reſpondiſſe, arte illa non tam memoriam, quam reminiſcentiam juvari, deinceps enim hominesliterarum præſidio confiſos memoriæ ſtudium remiſſuros, *τοῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑπ' αὐτῶν ἀναμιμνησκομένους. οὐκ οὖν μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες.*

Ab hoc autem Theut duxere Græci ſuum *Θεὸς*, unde Latinis *Deus*: ut produnt viri originum peritiſſimi. Alii a Menone quodam in Ægypto inventas arbitrantur. Alii ab Æthiopibus, indeque ad Ægyptios eorum colonos commigraſſe, ac deinceps ad gentes credunt manaſſe cæteras. *d)* Plerique putant, literas a Moſe traditas Hebræis, ab Hebræis Phœnicibus, a Phœnicibus tandem aliis nationibus,

a) *lib. 3.*
b) *lib. 3. de nat. Deorum.*
c) Plato *in Phæd.*
d) Diod. *lib. 3.*

ad

ad quas vel novarum ſedium cupidi, vel mercium cauſa *a*) navigarunt. Exſtat illud apud Voſſium *b*) epigramma:

Primus Hebræis Moſes monſtravit literas,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini ſcriptitamus edidit Nicoſtrata,
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas,
Iſis arte non minori protulit Ægyptias,
Gulfila promſit Getarum, quas videmus, literas.

Joſephus vero Scaliger, a quo temere nunquam diſſenſerim, quovis pretio contendit, Phœnicias literas diu ante Moſen in uſu *c*) fuiſſe, ac eas olim Hebræos, hodie Samaritas retinere: quorum formas in numiſmatibus, quæ quotidie in regionibus Tyri & Sidonis e ruinis effodiuntur, adhuc ait exſtare. Hebraicam enim linguam cenſet eandem eſſe, quæ Chananæis, hoc eſt Phœnicibus, erat in uſu Abrahami tempore. Res eſſet expedita, ſi fides haberi poſſet Joſepho Hebræo, a quo accepimus, Sethi liberos in duabus columnis, quarum altera lateritia erat, altera lapidea, rerum cæleſtium elementa ſibi obſervata conſcripſiſſe. Græcorum autem non pauci Cadmo & Phœnicibus non literas modo, ſed omnes fere doctrinas acceptas ferunt, ut Critias apud Athenæum *d*) in eo verſu, in quo literas ſubſidium vocis ſane quam eleganter appellat:

Φοίνικες δ' ἔυρον γράμματ' ἀλεξίλογα.
Phœnices invenerunt vocum adjutrices literas.

Et exſtant hæc apud Laërtium Zenodoti de Zenone:

Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.
Et quidem patria Phœnix, quis livor? erat
Et Cadmus ille, unde Græcia ſcriptam habet paginam.

Et Lucanus:

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Quæ ſententia collatis Phœnicum & Græcarum literarum imaginibus plane comprobatur: ſiquidem figurarum eſt minima diſſimilitudo, eaque parva colliſione aut adjectione ſenſim enata. Nec leve argumentum eſt illud, quod ducitur a literarum nominibus, quæ ſunt profecto Phœnicia. Unde Crateti Thebano de Grammaticis quærenti, cur non diceretur ἄλφα, ἄλφατος, γάμμα, γάμματος, ut γράμμα, γράμματος, reſponſum fuit, quod non Græca, ſed Phœnicia & barbara eſſent nomina. Sunt & qui multo ante Cadmum tempore literas in Græcia ipſa natas eſſe contendant, inter quos Tzetzes; propterea, quod aliter Cadmo reddi non potuerit celebre illud oraculum, & Bellerophon tabellas detulerit, quibus necis ſuæ mandata continebantur. Quorum me neutrum perſuaſerit: potuit enim oraculum edi ſine

a) Eumolpius *ap. Clem. Alexand.* Euſeb. *lib. 10. cap. 5. de præpar. Evang.*
b) *lib. 1. cap. 6. de arte Gramm.*
c) *In epiſt. ad Ricardum Tomiſonum.*
d) *lib. 1. cap. 9.*

ſcripto, ſicut apud alias gentes, quibus certo ſcimus, nullum illis temporibus fuiſſe literarum uſum. Et Bellerophontem Cadmo eſſe antiquiorem nemini, vel mediocriter erudito, probabitur. Etenim Cadmus æqualis fuit Siſypho Bellerophontis avo, a quo Corinthus condita fuit triennio ante, quam a Cadmo Thebæ. *a*) Euſtathius vero tradit literas diluvii tempore conſervatas a Pelasgis, eosque ob id divinos appellatos. Quam ſuis temporibus ait fuiſſe Græciæ univerſæ ſententiam. Ab iisdem Pelasgis literas in Latium perveniſſe auctor eſt Plinius. *b*) Et Diodorus tradit, literas in Græcia fuiſſe ante diluvium pervulgatas, earumque memoriam ſimul cum cæteris artibus a diluvio intercidiſſe. Hinc Ægyptii Græciæ labem in ſuam vertere laudem, ac inventionem cum literarum, tum Aſtrologiæ, tum ſelectiorum artium, Græcis ereptam ipſi præ ſe tulerunt. Porro literarum Pelasgicarum reliquias in Græcia ſuperfuiſſe, vel illud indicio eſt, quod earum origines diverſis vocabulis notentur, ac alterum Phœniciarum, alterum Pelasgicarum literarum genus ſit appellatum. Quapropter Joſephus in libro contra Appionem mihi videdetur Græcis iniquior, cum non modo hanc vetuſtatis notitiam libenter ignoret, verum etiam contendat, Græcos ad Homeri ætatem caruiſſe literis, negetque ullum fuiſſe Græcorum ſcriptorem Homero antiquiorem. Hunc illi errorem eripere poterat verſus Iliados: *c*)

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Scribens in plicata tabula multas vitæ inſidias.

Poterant eum admonere inſcriptiones Homero & Trojano bello antiquiores, & præ ceteris verſus ille, quem in tripode inciſum vidit Herodotus:

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Illud vero demiror, hominem adeo in omni antiquitate verſatum nihil de tot ſcriptoribus, ante Homerum celeberrimis, cognitum habuiſſe, Lino ſcilicet, Philammone, Thamyride, Amphione, Orpheo, Muſæo, Demodoco, Phemio, Ariſtea, & nonnullis aliis. Verum ut ad propoſitum revertar, quæcunque de literarum origine diſputantur, omnia mihi tenebræ ſunt. Id conſtat unum, Latinos a Græcis, unde genus ducunt, etiam ſumſiſſe literas, & cum Græca Latinam linguam perpetuo eſſe fœdere conjunctam. Ac præter cætera illud profecto maximum fuerit indicium, quod eædem olim fuerint Latinorum, & veterum Jonum literæ, quas in tabula Delphica, quæ, teſte Plinio, erat in Palatio Minervæ dicata, obſervare licuit hac inſcriptione:

NAUCIKRATEC TICAMENOV
AΘENAIOC KOPAI KAI AΘENAI
ANEΘEKEN.

Hodie legimus:

Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος Κόρᾳ καὶ Ἀθηνᾶ ἀνέθηκεν.

Et obſervare eſt in marmoribus Farneſianis, quæ ſunt in hortis ad Tyberim. Ac vix poterat Italia Græca lingua carere, cum magnam partem Græcis eſſet coloniis occupata. Præter illam oram Italiæ, quæ Græcis inſtitutis & populis tota tenebatur, & ob optimarum artium ſtudia & ſcientiarum, ac præcipue Pythagoricæ doctrinæ

a) Iliad. 2. *b*) *lib. 7. cap. 56.* *c*) *lib. 17.*

laudem,

laudem, toto orbe celebrabatur, ac ab univerſæ Græciæ populis frequentabatur, ſi cæteras percurremus Italiæ regiones, ubique aut longo terrarum tractu continuatas, aut ſparſas offendemus Græcorum colonias.

Commercium populorum doctrinarum commercia exceperunt, & Græci ſermonis uſum, ad ſcholas & univerſa literarum ſtudia ſimul cum ipſis literis derivatum, propagarunt. Etenim e Græcia, ubi vel inſtitutæ ſunt, vel educatæ doctrinæ, quibus oris & animi ruſticitas depulſa eſt, ac ipſa propemodum humanitas homini tributa, influxerunt in alios populos, & ad nos potiſſimum ſimul cum Græca lingua penetrarunt. Nam ſimul ut inter Romanos diluxit eloquentia, recepta eſt in urbem Græca lingua, & ei quodammodo civitas data. Vix enim ullus ante Catonem majorem probabilis orator eſt habitus. Hunc autem annis jam confectum Græcis ſeſe literis tradidiſſe ferunt. Quem morem conſequens ætas ita frequentavit, ut ſolenne eſſet omnibus, qui ſermonis & morum elegantiæ ſtudebant, conferre ſe in Græciam, ut ibi ſimul cum Philoſophia & eloquentia Græcæ quoque linguæ uſum addiſcerent. Celeberrima ſane fuit Athenienſis ſchola, ubi philoſophia & eloquentia, privatis veterum philoſophorum diſputationibus excitata, poſtquam ſub umbra conſediſſet, migravit in forum. Pericles enim ac ejus æquales ab Anaxagora inſtituti, cum rerum naturalium notitiam, tum diſſerendi rationem ac eloquentiam inde ſuſceperunt. Quam Philoſophiæ partem Socraticorum ſchola, indeque profecti Peripatetici, ſumma cum laude propagarunt. In Græciam autem non Romani ſolum, ſed & barbari conveniebant, quorum illuſtris Anacharſis Scytha. Imo & Regum filii ad addiſcendas ingenuas artes & diſciplinas eo mittebantur, quod de Arryba Epiri rege tradit Juſtinus. Hinc a Græcis grammaticis & criticis inventi ſunt accentus, quibus in exterorum uſum verborum ſonus certis quibusdam numeris & temporibus diſtingueretur. Atque Athenis in primis non modo candor elocutionis eluxit, & proprietas vocabulorum; ſed & ſuccus ille nativus, ac ſanguis incorruptus, minimeque fucatus orationis nitor, ibi maxime conſervatus eſt & excultus; quem ætas poſterior novis & exquiſitis ornamentis adeo reſperſit, ut dum ſermonem, ſive Græcum ſive Latinum, eximia ſuavitate condiret, vigorem extenuarit, & nervos robuſtæ ſanæque dictionis inciderit. Athenienſi ſcholæ proxima fuit Rhodia, ingenuis artibus atque eloquentia ſane percelebris, & vel ob unum Ciceronem, a Milone Rhodio perpolitum & excultum, ſane dignam, quæ ſummis laudibus efferatur.

Diſcurrentibus Alexandro duce cum Græcorum armis etiam artibus & inſtitutis, in multis regionibus doctrinarum ſcholæ fundatæ fuerunt, quarum celeberrima fuit Alexandrina; ubi exemplo Ægyptiorum, qui ſingulis morbis certos adhibebant medicos, tanta fuit medicæ artis celebritas, ut, qui operam iis doctoribus dediſſet, apud alias nationes in ſumma eſſet exiſtimatione doctrinæ. Atque hæc ut eloquentia & philoſophia ceſſerit Atticæ, tamen poſt acceptam a Chriſti diſcipulis veram religionem, divinarum legum interpretatione, ſacrarumque diſciplinarum cognitione ceteras longe ſuperavit. Hinc enim & ſubtilior interpretandi ratio, & acumen inveſtigandi, & diſputandi vis orta eſt. Hinc eruditio eſt profecta ſelectior, quæ abditos Theologiæ ſenſus recludit, & divinitatis arcana reſignat. Hinc veterum patrum eruditiſſimus Clemens Alexandrinus exſtitit, hinc Origenes, hinc veræ ac incorruptæ religionis propagator, & errorum vehemens exagitator Athanaſius prodiit. Hinc Cyrillus arma vireſque ſumſit in Neſtorium contendendas.

Digitized by Google

His aliisque viis Græca eruditio in omnes terrarum oras dilapſa eſt; poſteaque, translato ad Græcos per Conſtantinum imperio, doctrina Græcorum, longe lateque peregrinata, ſe ad natale ſolum revocavit, & obrepente barbarie ſenſim elanguit, ut efferatorum hominum armis exagitata concideret.

Non mirum igitur, ſi Græcorum lingua apud omnes omni tempore fuit incolumis, quia, quamvis diuturno imperii præſidio fuerit deſtituta, tamen ſtudiis diſciplinarum, copiaque librorum, ac inventione omnium artium & facultatum in gentes ac ætates manavit univerſas. Quod ſecundum Græcam, linguarum nulli contigit præterquam Latinæ, cui terrarum oras omnes aperuit imperii majeſtas, quæ tanti fuit, ut non modo populos, inter ſe regionibus moribusque disjunctos, ſed ſcientias etiam & artes, quotquot Græce traditæ fuerant, Romanæ linguæ commercio comprehenderit. Quod de vulgaribus linguis ſperare minime fas eſt: deeſt enim illis & amplitudo imperii, & inventorum dignitas, & auctoritas antiquitatis, & conſenſus denique univerſorum. Quamobrem mui ſcriptores Latini (Græca enim non ad uſum, ſed tantum ad intelligentiam plerumque addiſcitur) inventis cogitationibusque ſuis perpetuam vitam, nullis finiendam limitibus, comparaverint. Atque his tibi utilitatem ſolum Latinæ linguæ propoſui. Voluptas vero eſt illius tanta, quantam, ſi Græcam exceperis, aliarum linguarum habet nulla. Uſque adeo & ornari poteſt, & contrahi modo, modo laxari, ac ad numerorum & ſententiarum varietatem flecti, & verborum luminibus miriſque translationibus illuſtrari. Habet enim illa, ſimiliter atque Græca, quo præſtet cæteris, nempe varietatem terminationis, qua ſingularum vocum certas & præcipuas affectiones ſive caſus in nominibus, perſonas in verbis, numerum in utriſque, notet atque diſtinguat. Hinc ad numerorum & ornamentorum rationem duci verba poſſunt arbitratu dicentis, ita ut, ſententia minime obſcurata perturbatave, trajectis verbis numeroſe atque concinne cadat oratio. Quibus ornamentis omnibus vulgares linguæ carent, quoniam earum voces plerumque unica terminatione proferuntur, & ſignis tantum præpoſitis earum variæ affectiones enunciantur, idemque ſermo verborum trajectionem, qua maxime numerus conficitur, minime patitur, neque fert latiorem excurſum, ac liberam partium collocationem: nam, niſi eadem ſemper utaris compoſitione verborum, ſententiam facillime obrueris & obſcuraveris, ut, qui voluerint in vernaculis linguis idem experiri, quod in Latina, eruditiſſimi illi quidem, & dum Latine dicerent eloquentiſſimi, tamen habiti ſint in vernacula puſilli. Latinis autem verbis ſententiæ concluduntur gravius, & validioribus nervis ſingulæ partes uno deductæ ambitu contorquentur: cum ſermo vernaculus laxus plerumque ſit atque remiſſus, ſæpius enim ſententiæ verbis, quam verborum collocatio ſententiis eſt accommodanda, quia non licet arbitratu ſcriptoris orationis locare partes.

Mitto nunc Latini ſermonis lepores et veneres; mitto vocabulorum ubertatem & ſignificationum fœcunditatem; mitto particularum, quæ quaſi orationis fibræ ſunt, multitudinem, nexusque facilitatem & gratiam; mitto verborum copiam, jam diu ab antiquiſſimis ſcriptoribus ad uſum artium & doctrinarum comparatam; mitto elegantiam; mitto majeſtatem, & in ipſo verborum ſono imperium conſulare. Nihil commemorem, quantopere flexilis ſit & facilis ad omne genus orationis, quam gravis in ſublimi dicendi genere, quam ſuavis in mediocri, quantum in humili perſpicua atque dilucida. Prætereo accentuum varietatem, & conſonantium

atque

atque vocalium literarum permiſtionem, quibus tantus lepos ſermoni conciliatur, ſi apte componantur voces ac intermiſceantur, ut nihil numeroſius incidat in aures, nihil in animum illabatur jucundius. Nihil tandem attingam de luminibus verborum & translationibus, quæ magnam partem ſcribentium artificio tribuuntur. Pr. Id nunc ipſum eſt, de quo maxime tecum diſſentio. Neſcio enim, an pro ſuo quisque jure transferre verba in lingua Latina poſſit, ſicut in vernaculis. In lingua enim, quam nec a nutrice haurimus, nec arripimus a conſuetudine populari, verba novare atque transferre, res profecto eſt plena periculi. Em. Transferas per me licebit, ſi vocum ſingularum proprietatem, & nativum germanumque ſenſum fueris aſſequutus, idque modeſte facias & verecunde, ac modum, ut decet, adhibeas. Quid enim? num tibi videtur abſurdum, ſi dixerim, translatione ſenſum verborum minime immutari? Pr. Quid ni videatur? Quid enim agimus, quum verba transferimus, niſi quod depulſo nativo ſenſu ſimilem alium vocibus conſignamus?

Em. Falleris. Qui enim ſenſus initio vocabulis eſt innatus, is hæret perpetuo, niſi barbarie populorum aut corrupta conſuetudine obliteretur. Quoad enim uſus communis germanum ac nativum ſenſum verbis tribuit, nunquam translatione perimitur aut mutatur ejus verbi ſignificatio; ſed ſpecies potius alterius rei vertitur in alteram, quod tibi exemplo patefaciam.

Sumamus verbum *lambere*. Sane quoquo modo illud verſes, nunquam impetrabis, ut ſignificet abſcindere, rigare, mordere, aut aliud quidpiam. At ſi verbo *lambere* præponas *flammam*, eique ſubjicias *trabes*, ut hæc prodeat oratio, *flamma lambit trabes*; tunc nihil huic verbo de veteri ſignificatione detractum erit, quia nihil hic aliud ſignificat, quam lambere lingua; ſed tantum linguæ imagine flammam indues, linguam & flammam communi quodam attributo complectens. Quoniam igitur linguæ proprietas eſt flammæ communicata, & altera in alteram converſa ſpeciem, jamque flamma ſub imagine linguæ nobis objicitur; ideo mens, quæ duo illa quodammodo ſimul confundit, adjunget eis verbum *lambere*, in cujus ſignificationem flamma converſa eſt. Nulla eſt igitur, ſi ad ſenſum vocabulorum reſpexeris, vera translatio, ſed ſpecierum tantum communio fit, imaginumque converſio. Siquidem igitur verborum proprietatem teneas, & communia rerum attributa recte noveris atque commiſeris, nunquam in verborum uſu peccaveris. Manet enim in translationibus nativa ſignificatio vocabulorum incolumis, quia nunquam ex una voce mens novum aliquid concipit, niſi idem illud aſſumſerit imaginem nativa illius vocis ſignificatione comprehenſam. Quocirca, *ſumma me voluptate perfudiſti*, recte dixeris, nec tamen hic verbum *perfundere* aliud ſignificat, quam quum dicitur, aqua perfundere. Sed quia mens ſub imagine aquæ voluptatem facile concipit, ideo *perfundendi* verbo *voluptas* adjungitur: converſa eſt enim voluptas in aquam, atque adeo in imaginem verbo *perfundere* inditam.

Quamobrem qui recte ſapiunt, veteres comicos nunquam amittent e manibus: quoniam hi præ cæteris, propter proprietatem ſermonis & popularem loquendi conſuetudinem, nativam reddunt verborum ſignificationem, qua cognita tutiores in translationibus erimus ac feliciores.

Pr. Quoniam ad auctores dilapſus es, cœpiſtique digitum ad fontem intendere, perge porro reliqua, ne, ſi quando animum ad hæc ſtudia inſtituero, imperitia labar, omiſſoque ſcriptorum delectu, aut operam prorſus perdam, aut cogar oberrare diu. Em. Æta-

Em. Ætates tibi, Procule, ut cum maxime notandæ ſunt, & earum diſcrimen animadvertendum, quo meliores ſcriptores ſecernas a cæteris, teque tradas iis, quorum ſincerior dicendi ratio eſt & incorruptior. Ac ætatis ſane veteris, quæ a Livio Andronico ad Terentii tempora perfluxit, arripere multa poſſis, dummodo judicio utaris, & delectu vocum, rejectaque horriditate ſermonis, quod temporum illorum vitium fuit, ea tantum retineas, quæ a Ciceronis ævo, ejusque ſæculi auribus minus abhorrent. Plauti fabellis, ſi vetuſtatis vitia detraxeris, nihil uberius, nihil purius, nihil ad mores omnes, atque animi commotiones, resque ſingulas, quæ orationem incurrant, accommodatius. Cultior eſt ſane Terentius, & preſſior atque limatior; &, ut in eruditiori ſæculo, ita compoſitus & elegans, ut complecti poſſis totum. Plautus tamen fudit ſe latius, ita ut plus tuleris, ſi ex eo meliora carpſeris, quam ſi Terentium voraveris integrum. Flos vero Latinitatis & nitor Ciceronis ævo fuit. Quis enim Varrone cautior? quis Cæſare purior? quis Lucretio & Catullo ſimplicior? &, niſi ad hiſtoriæ ſtylique illius majeſtatem accommodata vetuſtas delicatulos offendat, quis integrior Salluſtio? quis Nepote ſincerior? quis ipſo tandem Tullio, in tanta translationum copia, incorruptior? quis elegantior?

Nativa hæc & incorrupta Latinitas ad Auguſti ætatem in omnibus ejus ævi ſcriptoribus viguit, nempe Virgilio, Tibullo, Propertio, Ovidio: inclinavit vero ab Auguſti morte, propter colluviem peregrinorum, & exterorum dominationem, quorum regia ut peregrinis moribus, ita & verborum inſolentia ſcatebat, indeque barbaries ſenſim influxit in urbem, novaque multa in poſterioris ævi ſcripta cum vocabula, tum etiam dicendi genera, irrepſerunt: ut ii ſcriptores, ipſis Latinis vocibus adhibitis, novam quandam reddiderint compoſitionem verborum atque commiſſuram, a quibus aures Romanæ, ſermonique purioris ſæculi aſſuetæ, plane refugiunt.

Quod ætatis vitium Quintiliano & Senecæ, viris illis acutiſſimis, ſuboluerat. Hic etenim in prologo primæ declamationis, *Ut poſſitis* (inquit) *æſtimare, quantum quotidie ingenia decreſcant; & neſcio qua iniquitate & ad malum pronitate naturæ eloquentia ſe retro tulerit. Quicquid habet Romana facundia, quod inſolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius quotidie data res eſt ...., ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum velocius, quam adſcenderant, relabantur.* Quintilianus vero ætate ſua nihil puri, nihil integri reliquum eſſe in lingua Latina, ſed ubique fucum eſſe, ſcribit *lib. 9. cap. 3. Verborum figuræ & mutatæ ſunt ſemper, & utcunque voluit conſuetudo, mutantur. Itaque ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, pene jam, quicquid loquimur, figura eſt: ut* huic rei invidere, *non* (*ut omnes & Cicero præcipue*) hanc rem: *&* incumbere illi, *non* in illum, & plenum vino, *& non* vini: *&* huic *non* hunc adulari *jam dicitur, & mille alia, utinamque non pejora vincant. Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo.* Et Seneca *epiſt. 39. Commentarios, quos deſideras, diligenter ornatos & in anguſtum coactos, ego vero componam; ſed vide, ne plus profutura ſit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgo breviarium dicitur: olim cum Latine loqueremur, ſummarium vocabatur.* Agellius quoque ſenſit, Latinis verbis ſignificationem inhæſiſſe aliam prorſus a nativa. *Animadvertere eſt,* (inquit) *pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in pro-*

Digitized by Google

in proximam, eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine & inſcitia temere dicentium, quæ cujusmodi ſint, non didicerint. Neque hoc latuit Auctori *dialogi de Claris Oratoribus*, ubi Maternus ait: *in quoquo verbo quotidiani ſermonis fæda & pudenda vitia deprehendi.* Alia prætereo, quæ diligenter collegit Adrianus Cardinalis in aureo libello de *ſermone Latino*, cui egregiam diſſertationem præfixit, ubi Latinos ſcriptores in quatuor deſcripſit ætates. Extulit tamen poſterior ætas nonnullos, qui vitioſæ conſuetudini cultu & delectu verborum obſtiterunt, ac præ ceteris Juriſconſulti, quos interpretandi neceſſitas in aſſidua legum antiquarum, & veterum vocum inveſtigatione detinebat: quo ex ſtudio inhæſit eorum dictioni priſca verborum proprietas & dignitas, ut, niſi eorum orationem Tribonianus interdum ſui ſæculi ſordibus infuſcaſſet, * nihil eorum ſcripta legentibus occurreret vitioſi.

Qui vero animadverſionibus ſuis, & præceptis, atque obſervationibus in hujus ſtudii curſu te ducant, habebis ex recentiori ætate non paucos. Præter Vallam, qui facem primus ſuſtulit, plurimum ad emendationem ſermonis contulit Adrianus Cardinalis, cujus proxime a nobis facta mentio eſt; Bartholomæus Riccius cultiſſimus ſcriptor in ſuo *Apparatu linguæ Latinæ*, & obſervationibus ſuis Antonius Schorus, & qui plura ex iſtorum obſervationibus in ſuas tranſtulit, Giſanius. Thomas Linacer rationem emendatæ ſtructuræ tam diligenter tradidit, ut nihil obſervatione dignum prætermiſerit. Henricus Stephanus de *latinitate falſo ſuſpecta* ſane quam diligenter ſcripſit. Utinam hanc operam ad vitia ſermonis notanda convertiſſet; quod nuper conatus eſt Vorſtius quidam, a quo duplex eſt ſuſcepta tractatio, de *falſo & merito ſuſpecta latinitate*; haud pari cum cæteris laude, ſiquidem nil præterquam communia quædam obſervat & trita.

Voſſius id egregie præſtitiſſet, ſi cum vocabulis vitioſa dicendi quoque genera notaſſet in libro *de vitiis Latini ſermonis*. Particularum uſum & vim præter Godeſchalchum Stewechium explicavit egregie Turſellinus: an potius Scaurus vetus grammaticus? cujus veterem codicem nuper in Germania eſſe repertum, ab hominibus fide dignis accepi. Parei lexicon criticum alicujus eſſe uſus poteſt, quamvis ex abſtruſioribus multa ſint ab eo prætermiſſa. Verborum differentias diligenter notavit Popma. Quid commemorem Nizolium & Carolum Stephanum, quorum theſauris dictionis Tullianæ ſtudioſi vix eſt, ut ſine ſua fraude careant. Terentiana & Tulliana dicendi genera Manutius commode recenſuit: longe vero melius ac ordine utiliori Pareus, qui & Plautina eodem congeſſit, integris locis adductis, atque ad ſingula capita revocatis. Godeſchalchi obſervationes nihil moror, nullum enim ibi judicium, nullum auctorum delectum, ordinem denique nullum deprehendo. Commentarios Stephani Doleti oblata facultate quovis pretio reparaveris. Perpauca enim exſtant exemplaria.

Nunc ne in vulgarium grammaticorum colluviem demergaris, ex inanium & moroſarum obſervationum ambagibus evolvam te, ducamque ad eos, qui artem

* Imo ipſi Jureconſulti quoque interdum a puritate Latini ſermonis vehementer deflectunt. Exemplum in *L. un. D. de Offic. Præf. Præt.* & aliud in *L. 22. §. 7. 8. & 9. D. Soluto matrim.* qua barbaræ ſtribliginis nullum in Pandectis illuſtrius exemplum, & quam tamen a Tribonianiſmi ſuſpicione penitus liberat Ill. van Bynkershoek *Obſ. lib. VIII. cap. 15.*

grammaticam faciliori via, & firmioribus ac paucioribus tradidere præceptis; & ea, quæ firmis obſervationibus fidisque ſcriptorum exemplis conſtituta per eos ſunt atque fundata, e Philoſophorum rationibus eruerunt. Primus adverſus vulgares grammaticos claſſicum cecinit Auguſtinus Saturnius, vir in confutando acerrimus, ac in obſervando acutiſſimus; ſed imbutus & ipſe vulgari doctrina, contendit ſæpe pro viribus, non tamen ſe omnino explicavit; nec tam in inveniendo, quam in notandis aliorum lapſibus valuit. Excitavit tamen illius vox deliteſcentem diu in vulgarium grammaticorum ſordibus ſtudioſorum turbam: ut vir ingenio doctrinaque mirabilis Julius Cæſar Scaliger graviſſimos illos *de cauſſis linguæ Latinæ* commentarios in medium produxerit: quibus in libris ſingularum partium orationis vim atque naturam ſubtiliſſime inveſtigavit & prodidit, *συντάξεως* artem minime attigit. Exortus eſt tandem Franciſcus Sanctius Hiſpanus, qui rationem collocandarum partium, ſive *σύνταξιν*, non modo ex optimis obſervationibus, ſed e Philoſophorum fontibus arceſſivit, & quicquid ſcriptorum exemplis ac teſtimoniis comprobavit, ex ipſa natura deduxit. Hinc vulgarium regularum inexplicabiles nexus feliciſſime diſſolvit, ſuasque ipſe protulit ſimpliciſſimas, quas Scioppius & Voſſius cupide arripuerunt; nec modo luminibus inde excitatis latinitatem illuſtrarunt, ſed ad puerorum uſum Sanctii præceptiones formarunt atque flexerunt. Verum exiſtit nuper ſcientiarum optimorumque inſtitutorum omnium fax Arnaldus, qui grammaticam artem ad ſimplicem & communem linguis omnibus rationem revocavit. Quo ex libello non orationis modo, ſed & ratiocinandi cauſſas facillime deduxeris. Quæ in hunc libellum ex Scaligero & Sanctio influxerunt, omnia ſunt explicata ſubtilius. Illud vero, quod de natura verbi traditur, ſive de ſubſtantivo, quod vocant, verbis omnibus indito, Saturnii eſt inventum. Apud illum quidem informe ac obſcurum, ab Arnaldo vero ſuæ luci redditum, ac feliciter explicatum.

Hanc autem Arnaldi doctrinam explicavit latius, atque ad linguam Latinam contulit, & ad uſum puerorum præceptis ſane quam pauciſſimis & ſimpliciſſimis concinnavit eruditiſſimus Lancellottus, qui eo libro, quem novam linguæ Latinæ viam inſcripſit, attexuit ad Arnaldi rationem, quicquid utilius in lingua Latina Scioppius, & in ſuis de *arte grammatica* voluminibus Voſſius obſervarunt, ut hoc uno libro a tot vulgarium grammaticorum nugis, quibus juventus miſerrime teritur, te feliciſſime, non ſine laboribus temporiſque compendio, vindicaveris. Habes breviter rectam addiſcendæ linguæ Latinæ rationem; nunc iis, quos procul nobis obviam venire cernimus, operam demus.

DE CONVERSIONE DOCTRINARUM.

AD J. GABRIELEM REGINERIUM. *

Inſtituentibus nobis, Regineri doctiſſime, de re literaria diſputare, ac tecum una ſcietiarum ſtatum percurrentibus, ſæpe in ſermonem injicere ſoles, ac mirari,

* Quis ſit Reginerius, cui hoc opuſculum inſcribitur, nondum didici. Dolet vero & excuſat Gravina ſortem Italiæ, quæ cum ante bina, vel quod excurrit, ſecula ediderit

&, quæ

Digitized by Google

&,quæ tua humanitas eſt, dolere ſimul labantem Italiæ doctrinam, ac prope jacentem. Cum ea regio, in qua ſplendor & elegantia florentibus Romanorum opibus nata eſt, & multis poſt ſæculis, quamvis convulſo jam imperio, reſtituta, nunc non modo videatur hujus laudis præſidio ſpoliata, ſed in ſummam bonarum artium ignorationem pene demerſa. Qui ſane ſtatus cum pluribus nationibus lugendus ſit; quippe quibus leges tam bene vivendi, quam recte ſentiendi, ac ipſa propemodum humanitas ab Italia primum affulſerit; tum maxime nobis eſt perpetuo deplorandus, quibus poſt ereptum imperium armis partum unus ſupererat doctrinæ ſplendor & eloquentia: qua ſi non corporibus, at animis tamen hominum imperabamus. Nam etſi poſt imperium in Græciam adſportatum, & Italiam barbarorum armis divexatam Itali, ab omni cultiori ſcientia, & ſermonis ac morum elegantia relicti fuerint; emerſerat tamen quatuor fere ab hinc ſæculis priſca dignitas, auctore potiſſimum ac vindice Franciſco Petrarcha, homine, ſupra quam tempora ferebant, erudito atque diſerto, qui bonarum artium inſtitutionem, Italia jam abactam atque depulſam, a veteribus fontibus arceſſivit, bonaque ſtudia longo jam tempore intermiſſa revocavit. Is enim veteres oratores atque poëtas, unde fuerant barbarie dejecti, reſtituit, & eloquentiam reduxit jam diu exſulantem. Ejus exemplo (ut hominum ingenia, ſtatim atque favilla inciderit, exardeſcunt) affectum jam opus egregie fuit a noſtris pro re nata continuatum, atque adeo confectum: eoque melius omnia proceſſerunt, quod ad cultum latinitatis ſtudium Græcarum literarum, quod caput eſt omnis eruditionis, acceſſit. Poſtquam enim Græcia in barbarorum poteſtatem redacta eſt, ea vaſtitas pervaſit florentiſſimas olim orbis univerſi regiones, ut coacti fuerint homines eruditi, qui id temporis erant, conſpiratione animorum facta, patrios lares cum peregrino ſolo commutare, avectaque ſecum Græcorum doctrina, in Italiam, velut in aram, confugere. Quæ calamitas quantum detraxit Græciæ dignitatis, tantum adjecit Italiæ, fluentibus ad nos optimis artibus, quas ferox & aſperum barbarorum ingenium crudeliter miſereque vexabat. Itaque Græcia ſemel atque iterum ſcientiarum lucem attulit Italiæ. Quas enim artes olim Romani Græciam occupantes per ſe ſumſerant, deinde amiſerant, eaſdem in Italiam fuga compulſas recuperavimus per Emmanuelem potiſſimum Chryſoloram, Beſſarionem, Trapezuntium, Gazam, Argyropulum, Chalchondylam, Laſcarem. A quibus Græcis literis eruditi Leonardus Aretinus, Philelphus, Guarinus, Poggius, & per totam Italiam ſcholæ Græcarum literarum fuerunt inſtitutæ, ut inter hos demum Laurentius exſtiterit Valla, qui felicius exſpectatione omnium operam eloquentiæ navavit, &, poſt extinctam latinitatem, tum ipſe princeps eſt in Latina urbe Latine locutus, tum latine dicere alios docuit. Hærentem enim adhuc barbariem inſolentiamque verborum, clam in aliorum ſcriptis incubantem, unus Valla detexit, &, cum ex eo multum offenſionis haberet, non ſine capitis periculo profligavit. Quo

omnium artium inſtauratores, jam parum abſit, quin in cultu literarum pleriſque regnis Europæ cedat. Suſpicer fere, huic epiſtolæ de converſione doctrinarum multa illata eſſe oratione pro novis Philoſophis, de qua mentio fit in epiſtola ad Henricum Huyſſenium, & quem Auctor dein ſuppreſſit. Dilaudat enim inter cæteros Jordanum Brunum Nolanum, Galilæum Florentinum, Copernicum Danum, (imo Bruſſum) & e Gallis Gaſſendum & Carteſium, qui ſermo Romæ non videtur quotidiani ſaporis.

tempore literis jam latus attollentibus dexteram porrexit Nicolaus V. ſummorum Pontificum de ſcientiis optime meritus, qui, ut opus procederet, non ſolum doctis viris opes & alimenta ſuggerebat, ſed veterum libris ingenti pecunia reparatis, ac toto orbe diligenter exquiſitis, convaleſcentes doctrinarum radices confirmabat. His ducibus humaniores literæ univerſam Italiam pervagatæ trajecerunt Alpes, unoque tempore non ex Italia modo, ſed e remotiſſimis quoque regionibus priſcum Græcorum & Latinorum ingenium eluxit. Conſentia namque dedit Janum Parrhaſium, vel cum doctiſſimis veterum ingenii ſubtilitate, interpretandi facilitate, proprietate loquendi, & antiquitatis notitia comparandum; & Pomponium Lætum, vetuſti moris atque elegantiæ vindicem. Etruria Politianum ingenio amœniſſimo, non ſolum vertendis veteribus & illuſtrandis, ſed imitandis iisdem & exprimendis, alligata & ſoluta oratione tum patrio, tum Latino ſermone feliciſſimum: Petrum Victorium, &, ut alios prætercam, Acciajolum, ſummo genere atque inſigni doctrina virum. Venetiæ vero Hermolaum Barbarum, eruditione atque eloquentia præſtantiſſimum. Quos exceperunt Eraſmus, Reuchlinus, Budæus, Morus; quorum alter Belgium, alter Germaniam, alter Galliam, poſtremus Britanniam, Græcis & Latinis copiis locupletavit. Porro cum hi, horumque ſimiles, illuſtrandæ antiquitati operam darent, exſtitere in Italia Bembus, Sadoletus, Bartholomæus Riccius, Jovius, Julius Camillus, Majoragius, Navagerius, Sigonius, Paullus Manutius: in Germania Longolius, in Gallia Muretus, aliique complures, qui præ ceteris ſtudiis Latinam eloquentiam complexi ſunt, ac Ciceronis in dicendo divinitatem ita ſuſpexerunt, ut ei ſe totos dediderint, ac in eorum ore temporibus alieniſſimis non modo germana & nativa latinitas, ſed vox etiam Tulliana reſonavit. Poëtarum autem veterum ſplendor, vis, ubertas, & artificium in noſtris hominibus ita revixit, ut ſecundum Virgilium, Catullum, Horatium, eosque omnes, qui aurea, quam vocant, ætate concluduntur, collocandi merito ſint Sanazarius, Capycius, Rota, Fracaſtorius, Cotta, Vida, Antonius Teleſius, & ejus civis Martyranus, Navagerius, Caſtalio, Flaminius, Pontanus, ipſomet Scioppio, homine Germano, ſuadente, vel certe non repugnante. Hiſpania, ne ſingulos attingam, e tenebris eripuerint hi celeberrimi literarum reſtitutores, Nebriſſenſis ſcilicet, Pincianus, Ludovicus Vives, vir in judicando acutiſſimus, ac in dicendo elegantiſſimus, & Franciſcus Sanctius, grammaticorum cum novorum tum veterum princeps, quippe rationibus tam ſimplicibus grammaticos nexus explicavit, ut obſervationum & regularum infinitatem ſumma cum utilitate reciderit, loquendique uſum, & collocationem partium (quam Græci σύνταξιν appellant) ad tam vera & certa initia revocaverit, ut grammaticam tractans, ſummum ſe Philoſophum præſtiterit, &, cum varietate lectionis conceſſerit nemini, ſcientia vicerit cunctos. Utinam compendiariam viam, quam ille præfecit adoleſcentibus, præceptorum avaritia non intercluderet. Verum eloquentiæ Latinæ, cujus primas meo judicio fert Italia, Gallia veſtra multiplici eruditione, abſtruſaque vetuſtatis univerſæ notitia, & infinita linguarum cognitione reſpondet. Ut enim Lambinum mittam, Turnebum, Ramum, Petrum Fabrum, Petitum, aliosque complures, quorum memoria me fugerit; in unius Joſephi Scaligeri magnum, uberrimum, ac admirabile ingenium confluxit, quicquid poſt homines natos mandatum eſt literis, quicquid eſt in obſcuriſſima vetuſtate reconditum, quicquid illuſtrius in univerſarum gentium linguis confuſum fuerit & diſſipatum, ut tenebræ nobis ſummi viri

viri doctrinam recolentibus oboriantur. Is adjungi ſibi non indignabitur Caſaubonum, Bochartum Salmaſium, quorum ingenia in te, Regineri doctiſſime, ſuboriri præſentio, &, quod magis mirer, ætate non confirmata, ita ut ſi, quod nunc parturis, aliquando parias, minus ſit Gallia doctrinam illorum & acumen deſideratura. Juriſprudentiam autem Romæ natam & cultam, ac ſubinde nugarum mole depulſam, Nebriſſenſis, Budæus, Alciatus ſublevavit: in lucem vero evocavit Connanus, Duarenus, Briſſonius, Donellus, Baro, Revardus, Vinnius, Grotius, Antonius Faber, &, qui jus omnium & induſtriam circumſcripſit, Cujacius, per quem ſimul cum veterum Juriſconſultorum ſcientia, Jureque Romanorum tum publico, tum privato, mens ipſa veteris reipublicæ reddita mortalibus fuit, & æternitati mandata. Cum admodum homines antiquitatis ſtudio tenerentur, dum verba veſtigarent, res ibi concluſas deprehenderunt. Nam evolvenda vocabulorum ſignificatione, ſcientiæ veluti ſublato velo, ſenſim eminebant, ita ut his veſtigiis ad caput ſapientiæ perventum ſit. Etenim ingenium hominum per varios eruditionis tractus tandem ad portum doctrinarum, nempe ad vetuſtiorem & ſaniorem Philoſophiam, longo curſu fuit appulſum, ut poſt tot ſæcula demum eruperit ſe Bernardinus Teleſius Coſentinus, vir elegantioribus literis ornatiſſimus, qui primus a veterno reſipuit, & vulgarem phyſicam, Diis iratis natam, pro viribus fugavit, ejecit, obtrivit: e cujus ſchola doctiſſimi per Italiam homines emiſſi ſunt, inter quos Stelliola, Franciſcus Mutus, Campanella, Severinus, qui cum Franciſco Patricio Senenſi, viro in confutandis erroribus acerrimo, ac omni eruditione cumulatiſſimo, ſuas junxere copias, & infeſta ſigna præſtigiatoribus & fanaticis intulerunt. Exſtat enim Franciſci Muti pro Patricio defenſio. Ac ex his unus Teleſius de rerum univerſitate veterum Philoſophorum more differuit; ut eum jure Verulamius novorum hominum primum appellet. Cæteri magis ad alienum opus oppugnandum, quam ad ſuum inſtituendum valuerunt. Dum inter hos acerrime contenditur, ecce mirus tibi Philoſophorum conſenſus atque concentus exoritur. Prodiit enim Nola Jordanus Brunus, Florentia Galilæus, e Britannia Verulamius, e Dania Copernicus, e Gallia Gaſſendus, ac denique Carteſius, cujus qui doctrina ducuntur, non tam hominis quam naturæ vocem arbitrantur. Verum ſentio te ſpectantem, quorſum ſim evaſurus, ac mirantem, cur huc ſermo tam longe repetitus excurrerit, nempe ut intelligas, qualis meus dolor ſit, cum non me fallat, quas olim partes egerimus in fabula; & tamen Italorum res huc videam adductas, ut, quorum ſcripta jam dudum exempla erant exteris nationibus, nunc, ſi pauca quædam excipias, jocus eadem ſint & ludibria. Quæ tamen vitia, niſi velis iniquus eſſe judex, quod te ſuſpicari vix licet, non ingeniis, ſed conſuetudini potius aſſignaveris. Nuper enim malis avibus inter nos tam prava judicandi ratio penetravit, ut, ſi quis natura feratur ad eloquentiam ſinceramque doctrinam, peſſimorum librorum uſu, ac pravo multitudinis judicio, ab opere recte inſtituto detorqueatur. Non enim ſcriptoribus, ſed monſtris, animi ſtudioſorum obſidentur, ac non virtutibus orationis, ſed infucatis vitiis rapiuntur: & ſi vitioſi libri deſint, a novorum audacia conſcribuntur ſtylo tam tumido, tam inſulſo, tam agreſti, tam putido, ut cum ab eorum lectione quis abierit, ad circum potius quam ad forum ſit idoneus. Per fortunas quis ferre poſſit, Plautum, Terentium, Ciceronem ipſum, ab Apulejo, Sidonio, Auſonio, Marciano; Horatium a Juvenali & Perſio; Virgilium, Catullum, Propertium, Tibullum, Ovidium, a Lucano, Statio,

Claudiano, Martiali, Silio; Salluſtium, Nepotem, Cæſarem, Livium, a Floro, Suetonio, & homine ſuorum temporum barbarie digniſſimo Marcellino ſuperatos? Et tamen æquo animo pateremur, ſi his limitibus furor iſte contineretur. Sunt enim hi ſcriptores, ſi non pure ac Romane, docte tamen & erudite; immo, niſi modum exceſſiſſent, magnifice, ſplendide, ac artificioſe locuti. Sed quo ſtomachemur magis, partus ſuos putidiſſimos, abortus ſtudiorum, & ingenii ſui fœtus immundiſſimos, in veterum ac optimorum locum, Attici ſcilicet ſcriptores noſtri ſubjiciunt; ita ut quivis ſanus graviter exarſerit, cum viderit leporem a ſcurrilitate, magniloquentiam a tumore, munditiam a ſordibus, & nativum Romani oris ſonum ab importuna peregrinitate fugatum. Cumque hoc æſtu jactemur, utinam mature liceret emergere, ac, ſi non ad portum doctrinarum, quarum etiam adſpectum nobis deliria novorum ſcriptorum eripuerunt, ad otium ſaltem atque ad umbram aliquando ſecedere. Implicant annos noſtros vulgares Grammatici nodis ſuis adeo tenaciter ſimul ac infeliciter, ut, cum totam pubertatem ſub his tortoribus traduxerimus, ſcribentibus deinde nobis nihil tam familiare ſit, quam ſolœciſmus. E quibus laqueis cum evolaverimus, credasne nos in naturalem libertatem receptum iri? imo tum in majores plagas incidimus, quum per tenebricoſam illam Gothicj moris ſapientiam, procellam mentium, ſcopulum veritatis, ac errorum turbinem, circumagimur. Nam dum viam ad ſapientiæ culmen affectamus, perpetua tum rerum, tum verborum, caligine mergimur. Quibus in ſtudiis qui juventutem exercuerint, in certamen literarum prodeuntes (quod ſatis fidenter faciunt, ne dicam arroganter) nusquam hærent, nullam difficultatem refugiunt, nil non attentant, nullum non contino nodum explicant, atque ita feliciter, ut ſi de natura lucis & umbræ interrogentur, ipſi (vide quæſo quam ſint ſuaves!) cura ſeſe ſtatim expediant, & abunde ſibi ſatisfaciunt, & aliis ſatisfeciſſe videri volunt, ſi *lucem luciferam, umbram umbriferam qualitatem* eſſe reſponderint. Papæ!

Thalem talento non emam Mileſium.

Et tamen (pro Deum atque hominum fidem!) ex hac palæſtra confeſtim in comitium advolant, ſumtaque toga candida, præmium adeptæ ſapientiæ petuut honores, & impetrant, atque ita impetrant, ut nobis humi jacentibus vix detur ad eorum culmen poſſe ſuſpicere. Sic demum Italia, bonarum quondam artium præſidium, arx doctrinarum, fons elegantiæ, nunc ampullis, ineptiis, & deliriis obruitur. Cumque hac peſſima judicandi ratione plurium honos & fama contineatur, ſi quæ vox unquam juſti doloris erumpat, eorum auctoritate ſtatim opprimitur, ita ut certorum hominum dignitas, univerſorum civium ignorantia confirmetur. Ergo cum omnes honorum aditus vitioſa doctrina jam obſtruxerit, bonæ artes, quibus merces ab indoctis & improbis intercipitur, alimento ſubducto, apud nos langueſcunt & pereunt. Nam Principes, quorum ſola benignitas artes alit, plerumque gravioribus curis occupantur: aut, ſi quando doctorum virorum ſtudio tenentur, eruere coguntur eorum notitiam a ſuis, qui ſæpe non doctiorem hominem producunt, ſed commodiorem, ita ut vilior aliquando merx, publico ſumtu comparata, bonis Principibus inducatur. Et cum optimi quique aliena diligentia concludantur, ideo ſæpe contingit, ut ſub optimo Principe, optimis magiſtratibus, inque innocentiſſima regia, eruditi quum petunt, non modo non admittantur, ſed ne reſpiciantur quidem. Unde ſub ſtudioſo doctorum hominum Principe doctis tamen viris aliquando eſt iniquiſ-

iniquiſſime comparatum. Etenim tum quiſque quo indoctior, eo audacior, perrumpit, & ad honores, doctis viris Principis voluntate paratos, per doctrinæ ſimulationem obrepit: docti vero, quos modeſtia ferme comitatur, ab audaciſſimis victi, repulſam ferunt, ac immotis oculis intueri coguntur honores ab impudentiſſimis & paratiſſimis ſibi præreptos, & operoſarum apum labores ab ignaviſſimis fucis abſumtos. Eoque docti viri majorem injuriam ſub bonis, quam ſub malis Principibus accipiunt, quod ſpe deſtituto nihil tollitur, ad ſpem autem erecto, tanquam conſcio juris ſui, ſi denegatur, eripitur. Nam ſub tyrannide cum jura ſileant, & rerum potiatur communis hoſtis bonorum, eruditi dignitatis gradus a ſe putant alienos, unde vacant illi quidem honore, ſed non carent. Legibus autem imperantibus, docti viri, & ad rempublicam gerendam idonei, ſi ſibi honores manu aſſererent, jus ſuum experirentur, a quibus ſi per opes & gratiam arceantur, eadem afficiuntur injuria, quaſi vi & armis a juſta poſſeſſione dejicerentur: cum humano divinoque jure magiſtratus & honores non opibus & gratiæ, ſed virtutibus & literis decernantur. At, quod omnem ſpem literis adimit, temporibus corruptiſſimis, in quæ nos incidimus, virtus & doctrina non tam merita ſunt, quam odium & moleſtia: cum potentiores & opulentiores, qui plerumque voluptatibus indulgent, ne tacite ſua ſibi deſidia exprobretur, doctrinæ lucem, & ſapientiæ faciem reformident. Quod ſi privata unquam auctoritate barbariem inſecteris, vitiaque doctrinarum invictis rationibus caſtiges, irritabis, ut ajunt, crabrones, ac ſcurras & poëtaſtros obſtrepentes, inſcitiamque ſuam rabie munientes, ac animi tumorem latratibus exonerantes, in te ſtatim incitabis, quorum morſus, ut cimicum, ſi ad animum non perveniant, autem tamen exaſperant. Quamvis enim ſumma laus doctorum hominum ſit, ab improbis & ſacrilegis vituperari, & quivis amaverit phormiones & thraſones habere cenſores; tamen ut impudentiſſimas calumnias contemſeris, nauſeam certe ruſticæ ſcurrilitatis vitare vix poſſis; tum præſertim, cum videas ad horum inficetam & impuram dictionem tantam hominum turbam, ſeu potius armentorum greges, adhinnire. Miremur, nos eſſe riſum extraneis & jocum, cum ſciamus, quibus plauſibus in urbe ſublata ſint (honorem præfabor) portentoſa ſcurrarum & paraſitorum flagitia, immanibus ſolœciſmis & barbariſmis, tanquam cœno & luto, diffluentia? quorum obſcœnam dicacitatem & pueriles ineptias optimi, ſi Diis placet, doctrinarum in urbe cenſores, vel ipſis malorum carminum ſeu venenorum auctoribus inquinatiores, Juvenali & Perſio (nam Horatium & Ciceronis ævum nihil morantur) non ſine ſanorum hominum ſtomacho prætulerunt, ac imaginem Romanenſis eloquii ſtudioſis & peregrinis omnibus eſſe voluerunt. Scitos arbitros! En ad quorum judicium gens togata recurrat! En a quibus aliena laus & dignitas pendeat! En qui pretium mercium noſtrarum conficiant! En, Roma, ædiles tuos! En Varrones noſtros & Nigidios, quibus non alia conditione proberis, quam ſi vitam impuram cum impura dictione conjunxeris! Non verear, ne quicquam me fingere ſuſpiceris; cum hujus improbitatis atque ſtuporis ſpectator ipſemet fueris, ac pro tua doctrina & integritate reprehenſor, imo vero etiam exagitator, & hoſtis acerrimus. Tu tamen de noſtris ingeniis ex horum ſtultitia, quæſo, ne judices. Nam ut ſoli ubertatem admireris in incultis agris ac prope deſertis, ubi doctrinarum radices negliguntur, (atque utinam non evellantur!) ingenia ſponte ſua pullulant, &, ſi pravam conſuetudinem effugiant, aut mature animadvertant, per

per ſe mirabiliter enituntur & effloreſcunt: ut, quod alicubi publica educatione atque cura commovetur & excitatur, apud nos domi naſcatur, & in magna rerum ac temporum difficultate privato cultu præſtetur. Quamvis enim rerum faſtigia vitioſa ratio teneat, recta ſe tamen privatim inſinuavit, ac, ſi non eminet, ſaltem repit. Nam præter eos, quorum virtutes & literæ vel civilibus ſacriſve muneribus, vel editis jam libris ſunt inſignes, quorum alii in Philoſophia, vel Geometria, vel Medicina; alii in Eloquentia, præſertim in laudationibus, vel Etruſca Poëſi; alii in Jure civili vel Pontificio, ſacrave Theologia ſumma cum laude verſantur: adſunt & plures, præſertim Neapoli, ubi omnium eſt doctrinarum bonarumque artium celebritas, quorum fama nondum emanavit, qui vel modeſtia, vel vitæ inſtituto, vel occupatione forenſi, vel rerum humanarum contemtu, vel denique duriore fortuna, qua ſane hic multi conflictantur, frequentiam hominum caventes in ſinu gaudent, nec dum ſeſe luci crediderunt, ita ut ad exteros leviora ſæpe perveniant, cum graviora vix effluant: non enim aliis, ſed nobis tantummodo intus canimus. Quietem enim obſcuram quam tumultuoſam gloriam malumus. Nam, quod ſapienter & egregie Carteſius expendit, literarum gloriam ſæpe totius vitæ perturbatio conſequitur. Vale. Romæ VI. Kal. Martias MDCXCIV.

DE CONTEMTU MORTIS.

AD FRANCISCUM PIGNATELLUM ARCHIEPISCOPUM TARENTINUM.

Gravi cura, qua premebaris, liberatus es nuper ſuperioribus literis, quibus tibi ſignificavi, valetudinem Franciſci Carafæ fratris tui jam eſſe communibus votis & bonorum omnium ſtudio atque lætitia reparatam. Quæ cum literæ tibi jucundæ fuerint, erunt hæ profecto jucundiores, ex quibus non modo allevati jam corporis nuncium accipies, verum etiam cognoſces invictam illius in morbo tolerando & contemnanda morte conſtantiam. Quibus nunciis eo te arbitror oblectatum iri magis, quod cum ſummum bonum in pietate ponas atque honeſtate, propinquos & neceſſarios virtutis quam ſanguinis affinitate malis habere conjunctos. Nec enim quicquam eſt apud te prius, quam vetuſtatem & nobilitatem generis incremento novæ gloriæ, ac illuſtrium imitatione facinorum amplificare, cum non tam opes & potentiam domus veſtræ, quam continuos proavorum honores proprio ſplendore ac laude tuearis. Summarum autem virtutum, quas per manus traditas a majoribus accepiſtis, non exigua pars in fratre tuo conſedit, atque in ejus animo, velut arbos in feracius tranſlata ſolum, nimium quantum effloruit ac pullulavit. Hanc ille virtutem cum tota vita, qua conſilii, qua rerum geſtarum præſtantia, præ ſe tulit; tum in mortis periculo cumulate reddidit: ita ut videretur omnem ſapientiam, totius vitæ curſu fuſam ac explicatam, ad extremum illud tempus contraxiſſe, atque ad ultimum contuliſſe diſcrimen. Cum enim dejectum eſſet morbo corpus, ipſe tamen animo nunquam concidit; ſed erectus uſque ac ſibi præſens, ubi munera pietatis intermitteret, ad veterum præcepta ſapientum revolvebatur.

Ac

Digitized by Google

Ac præ cæteris curis unum ajebat bene vivendi ac bene moriendi ſtudium ſibi fuiſſe propoſitum. Quamobrem eum caſum in beneficii loco ponebat: propterea quod afflictis jam ſenſibus, non modo interclufus eſſet aditus vitiis, verum etiam radix eorum elangueſceret: quodque fuerat ei maxime in optatis, ut culpæ periculum longius arceret, id ſibi dicebat a morbo præſtari. Adſpectu namque mortis opinionem rerum humanarum eſſe depulſam, ac animum a mortalibus curis ad immortalium bonorum contemplationem abductum. Quæ illi adeo hæſerant, ut neque familiarium officiis, neque cariſſimorum liberorum adſpectu, ad res humanas revocaretur; ſed ſiccis oculis intuebatur mœſtiſſimorum lacrymas, in quibus tantiſper mente defixus eos admonebat, ut, ſi nullum virtutis exemplum patris vita ſuppeditaſſet, mortem ſaltem ſibi ducerent imitandam. Nec enim exiguum a patre vitæ præſidium habituros, ſi artem ab eo diſcerent bene moriendi, ex qua recte vivendi ratio deduceretur. Ac ſi ſaperent, hoc exemplum pluris facerent, quam opulentam hæreditatem. Quibus ille verbis uberiores ab adſtantibus lacrymas exprimebat. Eoque nos torquebamur magis, quod tum potiſſimum intelligebamus, quantum nobis mors virtutis fructum intercipéret. Adeo enim ſapientiæ nervos in præſenti contendit, ut omnis illius maturitas ad hujus periculi tempus erupiſſe videretur. Quamvis enim antea prudentia & firmitate præſtitiſſet innumeris; hoc tamen tempore naturam vicit, ac ipſam prope ſuperavit humanitatem.

Quam animi præſtantiam non modo luctus & dolor neceſſariorum, ſed fletus ac gemitus urbis conſequebatur univerſæ: quæ cum periculum illius communi ſqualore nobilitaſſet, confirmatam deinde valetudinem eſt ingenti plauſu proſecuta, virtutemque hominis non modo privatis officiis, ſed publica etiam honorificentia celebravit, excitatis ad illius laudem eruditiſſimorum virorum carminibus, quibus optimi viri periculum deplorabatur. Nec unquam Roma optimos cives tot laudibus ornavit, quot nunc peregrinum Principem; ſi modo peregrinus dicendus eſt, qui poſt antiqua inſtituta convulſa ſpeciem reddit Romanæ virtutis.

Nec enim exutis Romanis moribus civitas retinetur, & civis Romanus eſt, non quem ſeptem colles ediderunt, ac educaruut; ſed qui e veteribus Romanorum inſtitutis expreſſus eſt atque formatus, quique in antiquitatis memoria diu verſatus, e veterum cognitione atque imitatioue factorum ſuſcepit ac refert mentem animumque Romanum. Quo ſane qui careat, quamvis in Capitolio natus, exſul fuerit ille, non civis. Contra, quisquis conſtans eſt in retinenda libertate, quisquis in ſacramentorum fide religioſus, in adeundis periculis impiger, fortis in patriis legibus inſtitutisque tuendis, quisquis ad voluptates temperantiam, ad injurias magnanimitatem, ad ſumtus magnificentiam, ad ſecundas adverſasque res animi æquabilitatem adhibuerit, is, exſtincta jam Roma illa veteri, quamvis e media Scythia fuerit exortus, a Romanis virtutibus Romana civitate donatur; præſertim ſi Romanos mores non factis ſolum, ſed incorrupto uſu Latini ſermonis expreſſerit. Romanum enim nomen & urbis dignitas in eo conſervatur, in quo lingua, morum index, & Romani mores intermortui reviviſcunt. Porro cum nihil tam Romanum ſit, quam obire pro aliorum ſalute pericula, præſtare fidem, contemnere mortem, antecellere animi magnitudine rebus humanis: jure hunc honorem urbs habuit fratri tuo, quem, ſi reſpublica reſurgeret, quovis pretio ſibi civem adoptaret. Ego vero plurimis quidem illi, at hoc potiſſimum beneficio ſum obſtrictus, propterea quod ſa-

pientiæ vires, quas prius ex præceptis tantum Philoſophorum, & memoria rerum geſtarum comprehenſas habebam, nunc illius periculo reapſe ſum expertus. Nec enim antehac tantum in virtute ponebam, quantum in ea ponendum eſſe me illius conſtantia docuit. Ac nunc plane intelligo, ſapiens ſtulto quid interſit. Stultus enim, dum ejus vitam aut ſpes usque protracta ſuſpendit, aut præſens ſcelerum conſcientia conficit, aut retexit pœnitentia ſui ipſius, vel ita vivit, ut ſingulis momentis exſtinguatur, vel, ſi unquam exoritur, miſeriæ tantummodo reparatur: fons enim vitæ ratio eſt, quæ alitur cognitione veritatis atque exercitatione virtutum, quarum alteram eripiunt errorum tenebræ, alteram ſordes vitiorum. Eoque majori mortis formidine ſtulti corripiuntur, quod vivere deſinunt, antequam ad vitæ limen adierint. Viventes enim toties vitam abrumpunt, quoties a luce cognitionis & portu tranquillitatis cupiditatum æſtu, tanquam adverſa tempeſtate, revocantur. Jure igitur mortem, utpote vitæ vix dum exorſæ terminum, & æternorum ſuppliciorum initium, pertimeſcunt. Quorum enim nulla pars corporis vacat a voluptate, quorumque omne tempus vitiis transmittitur, iis mors eſt me hercle graviſſima: quoniam omne id, cujus cauſa vitam inſtituerant, amittunt, &, qui ſupereſt, animus angoribus reſervatur. Qui poſſint igitur non eſſe miſerrimi, cum videant potiorem ſui partem, quæ corpore continebatur, effluere, integra modo, minima forte ſui, mente, qua raro ſunt uſi, quæque ita vivit, ut nihil habeat vivendi neceſſitate miſerius? Sapientes vero maximam partem funeri ſuperſunt, quia, notionum copia & varietate ſcientiarum producentes intelligentiam, & amplificantes mentem, quæ tota in intelligendo cognoſcendoque verſatur, eam ſui portionem propagarunt, in qua mors & fortuna nihil prorſus habeant juris: corporis vero bona negligentes, & vim eorum extenuantes, tantum prædæ morti ac fortunæ ſubtraxerunt, quantum externarum rerum, & corruptarum voluptatum ſibi denegarunt. Iis enim, quæ ſunt in mortis poteſtate, tantum abeſt, ut ſapiens teneatur, ut, quicquid per hæc ad animum pervenerit, ſibi putent excutiendum. Senſus enim, perverſas & mutilas offerentes formas rerum, eripiunt adſpectum veritatis, quæ nunquam emerſerit, niſi ſevocaverimus ab iis mentem, & noſmetipſos collegerimus. Affectiones vero, implicantes animum rebus externis, hominem fortunæ permittunt, a qua vel perpetuæ fluunt moleſtiæ, vel confuſæ moleſtiis voluptates. Quod enim habet fortuna bonum, ejus eſt incerta poſſeſſio, & totum periculi metu corrumpitur: quoniam, dum præſentibus fruimur, cogitatione futuri miſeriam anticipamus. Nec unquam a perturbationibus liberamur, niſi, quum diſtrahentes mentem a ſenſibus, & animum a rebus externis abducentes, ſupra mortalem conditionem attollimur, & naturæ diſſolutionem imitamur, ita ut nullum tempus ſit in vita beatius, quam quod moriendo traducitur.

Quamobrem vita ſapientis perpetua exercitatio mortis eſt, & mors æterna inſtitutio vitæ, ac aditus ad immortalitatem. Quid enim habet rerum humanarum conditio, quo ſapientem irretiat? Senſusne, quibus veritas labefactatur? an voluptates, quas vel moleſtiæ, vel faſtidia conſequuntur? an amicos, quos vel divellit a nobis livor, vel eadem diſtrahit utilitatis ratio, quæ conjunxit? an potentiorum gratiam, quæ diuturnis collecta laboribus & obſequiis, vel oblivione deletur, vel ſuſpicione tollitur ſæpe leviſſima, vel tædio retribuendi ſenſim exulceratur? an honores, quos anxietas & ſolicitudo circumſiſtit? an opes, quas pericula comitantur? an parentes,

rentes, quorum aliqui non alio conſilio ſuſcipiunt liberos, quam ut habeant, quibus imperent? an ipſos denique liberos, quibus aliquando magis hæret odium imperii paterni, quam memoria beneſactorum? Quid igitur mors eripuerit, niſi vel externa bona, quæ ſapiens ſibi nunquam attribuit, vel ægritudines, quæ aliquando etiam animis ſapientum contagione corporis adhæreſcunt, quæque ſoluto corporis nexu diluuntur? Intelligentia vero & mens, quibus conſtat ſapiens, nunquam perimitur: ſed ubi ſeſe corpore, velut nubibus, explicaverit, tanquam a diuturno exſilio reducitur ad divinitatem. Quicquid igitur humanitatis mors depaſcitur in ſapiente, minimum eſt, ac ab eo jam diu repudiatum: quæ vere ſunt in ære ſuo, nunquam tam bene ſibi vindicat, quam quum externarum veſtigia rerum obliterantur. Tunc enim, quamvis ſolutis languore ſenſibus, ratio tamen excubat, &, dum mors bellicum canit, triumphat animus, exſultatque victoria. Quam ſane triumphi ſpeciem præbuit frater tuus, qui mortis adſpectum ita ferebat, ut non diſceſſurus e vita, ſed aggerem inter humanitatem & divinitatem interjectum videretur eſſe tranſmiſſurus. Quam ergo virtutem minime ſilentio mihi prætereundam exiſtimavi: quandoquidem, qua eſt ille humanitate, laudibus atque adhortationibus ſuis initia ſtudiorum meorum aluit atque provexit, ita ut eorum fructum ſuo jure ſibi vindicet. Idcirco, quod habent eruditi ſummum pretium, id ei perſolvendum putavi, ac ſingularem ejus conſtantiam tradendam literis, quod quidem officium imperitorum opinione minimum eſt, ſaniorum vero judicio maximum. Siquidem nihil illuſtrius, nihil honorificentius, nihil mirabilius tribuere homo homini poteſt, quam id, quod ſecundum Deum ſola præſtat eloquentia, nempe operum & nominis æternitatem. Fama namque virtutis, & memoria beneſactorum, quæ ſumma laborum ſunt & ſapientiæ præmia, diuturnitate interciderent, niſi exciperentur doctorum hominum literis, & munirentur eloquentia, præſertim Latina, qua præclarorum hominum vita cum omnium populorum ac temporum memoria contexitur. Tibi vero, Vir Clariſſime, ac omnibus virtutibus Ornatiſſime, ſummopere gaudendum cenſeo, quod fratrem recuperaveris, generi veſtro parem, fortuna & ipſa morte majorem, ac, ut uno verbo laudes complectar univerſas, quam ſimillimum tui. Vale. Pridie Kalend. Auguſti MDCXCIV.

DE
LUCTU MINUENDO.
AD
TROJANUM MIROBALLUM.

Cum primum mihi nunciata eſt mors filii tui, optimæ ſpei adoleſcentis, tam graviter ſum perculſus, quam qui nihil haberet ejus vita jucundius, tum propter ipſius ingenium & doctrinam, morumque probitatem; tum ob utriuſque veſtrum in me ſtudium; tum propter decus & utilitatem, quam vivens ille patriæ, atque amicis, doctiſque omnibus erat allaturus. Acceſſit ad hanc triſtitiam cogitatio doloris tui, cujus ille virtutes ita referebat, ut, dum viveret, tu quidem imagine tui gauderes; cives autem omnes atque amici ſperarent paternum ſapientiam ac probitatem a filio etiam cum fœnore redditum iri: quippe cum

omne, quod a natura præclarum optimumque ſuſceperat, literarum ſtudiis, &, quod ſummum eſt, tuis potiſſimum præceptis atque exemplis excoleret. Cum igitur communis, prope dicam, calamitatis ipſe non exiguam partem exhauſerim, nihil habui, quo levarem ægritudinem, quam hanc tecum jacturam per literas conqueri, atque hoc edere doloris & obſequii teſtimonium. Huic enim ingenti meæ triſtitiæ plane ſatisfactum putabo, ſi tu me ad officium lacrymarum admiſeris. Nec enim auſim ope literarum a jucundiſſimi filii morte lugenda patrem amantiſſimum avocare, inque medio curſu dolorem exundantem cohibere, aut viro, in omni doctrinæ genere verſato, rationes & præcepta ſubjicere, quibus docti & ſapientes aut demulceri ſuaviter, aut extingui prorſus poſſe doloris acerbitatem arbitrantur. Quorum ſi prius coner, ineptus; ſi alterum, impudens haberi poſſem. Nec enim illud modo, Vir Ampliſſime, perſpectum habes, quod commune eſt & pervagatum, nihil ſcilicet in rebus humanis optimum idem eſſe ac diuturnum: ſed quum anhelitum ex ſubito dolore recipies, & ab improviſa re aliquanto reſpiraveris, illud ut cum maxime cogitabis, ita nimirum eſſe rebus ſingulis, ac earum univerſitati comparatum, ut, cum nihil exoriri ſponte ſua poſſit, ita nec in ullo ſitum ſit, naturam ac ſtatum tueri ſuum, niſi quoad divino nutu conſtitutum fuerit & definitum. Nec te fugit, ita cum rerum univerſitate ſingula conſentire, cumque jucundis triſtia commiſceri, eoque nexu cuncta comprehendi, ut, qui aliquod bonum aſſequitur, idem anſam ſimul arripiat continentis mali. Cui namque poteſtas rerum jucundarum potiundi facta fuerit, eidem credas jam inde ab initio edictam fuiſſe a divina providentia legem inhærentis moleſtiæ ſubeundæ. Quare qui rebus triſtibus torquetur, idem debuerat & a jucundis, quibus triſtia continentur, abſtinere; ſive potius vivendi leges, inſitasque vitæ conditiones, ſimul cum ipſa vita recuſare. Quod cum hominis deſipientis ſit, & erga Deum injurioſi; ita ſapientis eſt ac pii, ſubortum malum leniter ac patienter ferre: quandoquidem ab oblato ſuſceptoque bono divelli non poterat ſine divinarum legum injuria, & totius quodammodo naturæ pernicie. Quapropter ſi filium ſuſcepiſti, ac idem immatura nobis ætate, & in ipſo adoleſcentiæ flore fuit interceptus, jam hoc eventu compertum tibi ſit, cum eum tolleres, non proprietatem illius, ſed uſuram ad viceſimum annum tibi fuiſſe condonatam: poteſtas enim eorum, quæ divina providentia obvenerunt, nulli mortalium permittitur. Si hac igitur eum opinione ſuſtuliſſes, tanquam ad viceſimum annum rediturus, quamvis hunc ademtum vitæ fructum etiam atque etiam doleres, eſſet tamen dolor ille remiſſior; tum quia te jam pridem ad hanc ægritudinem comparaſſes; tum quia non videretur alieno tempore, ſed anno ſuo, atque ad legitimam diem a te repetitus. Quod igitur caligine rerum futurarum erat involutum, id eventus non peperit, ſed natum aperuit & explicavit: ideoque Deo potius acceptum ferendum eſt, quod hujus boni uſum ad hoc tempus tibi remiſerit, quam indignandum, quod filius a tuis complexibus immature fuerit avulſus. Nihil enim a Deo præter legem, nihil præter tempus, nihil denique præpoſtere aut immature contingit. Humana tantum ignorantia, quæ rerum eventus aliorſum trahit, quam quo Deus intenderat, propriis affectionibus cuncta labefactat; ut vel intempeſtiva nobis appareant, vel immatura. Cum quis enim ſpatium a Deo definitum natura duce compleverit, nec immaturus eſſe nec tardus poteſt. Siquidem nec equum tarditatis, nec aquilam nimiæ celeritatis accuſes, quod hæc quam ille, celerius lineam tranſi-

tranſilierit. Quamvis autem ille tuo, & omnium noſtrum, patriæque deſiderio exiguum vitæ curriculum confecerit; tamen, ſi ſcientias ſpectes, & doctrinas, quas tam brevi percurrit, ſatis diu fortaſſe præ cæteris vixiſſe judicabis; ſiquidem non aliud eſt vita, quam cognitio, quoque celerius & latius quis in rerum cognitionem animo ſe conjecerit, eo majus vitæ ſpatium occupabit. Nam quot in mente notiones excitantur, tot vitæ gradus identidem adjiciuntur: & tum ad ſuperiores, tum etiam ad futuras ætates vitam propagat, quiſquis acri vigens intelligentia, rerum geſtarum memoriam cum futurarum ratione, animo proviſa meditando conjungit, ac ævum omne quodammodo ſibi ſub aſpectum ponit. Stultos ſane, ſi neſtoreos annos vivendo vicerint, exſtinctos usque judicaverim. Naufragium enim eorum eſt, non vita, quorum animi rerum ignoratione mentiſque perturbationibus exagitantur: ita ut præſtet punctum temporis vivere ſapienter, quam diu ſtulte. Annos igitur mors filio tuo contraxit, non vitam, quam ille, dum inter mortales verſaretur, exacuenda intelligentia ultra humanam produxit ætatem; & abiens, pietatis ſuæ meritis in immortalium bonorum poſſeſſione a Deo confirmandam impetravit. Vale, Vir Clariſſime, quodque aliis præſtat dies, id tu a ſapientia tua in leniendo dolore conſequaris. Romæ XIV. Kal. Februarias MDCXCIV.

PRISCI CENSORINI PHOTISTICI

HYDRA MYSTICA,

SIVE

DE CORRUPTA MORALI DOCTRINA

DIALOGUS.

LECTORI,

Ne quis putet, moralem doctrinam hac diſputatione vexari, neve ſanas piorum doctorum traditiones, ac regulas in contemptum adduci ſuſpicetur, caſuiſticam hic differentem Auctor induxit, ſub cujus perſona, & nomine comprehendit omnes eos, qui per verborum ambages Chriſti doctrinam eludunt, ac evangelicæ legis nodos & robur veræ virtutis ſolvunt, atque relaxant, vitiis temporum & corruptis hominum moribus indulgendo. Ideo vero *Caſuiſtica* ſoror *Hæreſis* fingitur, quia pietatem ambæ, quamvis diverſa via convellunt. *Hæreſis* enim detorquet intellectum a fide & veritate, *Caſuiſtica* vero voluntatem avertit a rectitudine, & juſtitia. Illa veras notiones corrumpit, hæc rectas actiones pervertit per diſſolutionem diſciplinæ. Ceterum moralem doctrinam, & eos, qui poſt antiquos patres illam illuſtrarunt ac illorum veſtigiis inſiſtentes excoluerunt, quod inter cæteros D. Thomas Aquinas optime præſtitit, non probat modo, ſed & ſuſpicit, ac veneratur. Malum & peſtem, quæ huic doctrinæ imminet a Caſuiſtis, ſive a recentioribus quibuſdam, qui ſub nomine Caſuiſtarum, rationem bene, pieque vivendi, cum vitiorum illecebris, tamquam inito fœdere conjungunt, opprimi ac profligari, vehementer optat.

Digitized by Google

Casuistica & Hæresis.

Quam ægre ac miſere, mea ſoror, ætatem exigis, mœſtis abſumpta curis, aſſiduis laboribus, & animi doloribus exagitata, quin te tibi vindicas aliquando & reſipiſcis? Quid tamdiu in aſſidua ſcripturæ lectione te occupas, & in antiquorum libris incumbens vires tuas & animum conficis? Scilicet, ut e lumine tenebras extrahas, atque ut erutas ex aperto ſplendore caliginem. Deinde quæ tua dementia eſt, tantam diſcordiarum procellam ſubire inter ipſa te pericula conjicere; bellum, & clades undequaque miſcendo, ut inter homines doctrinæ tuæ ſemina diffundas, quæ nonniſi per ferrum, & ſtrages radices agunt, ac humano tantum munita cruore coaleſcunt. Miſeret me profecto tui, pigetque, cum faciem intueor tuam livore perfuſam, ora veneno fluentia. Corripitur mihi animus, cum video, te flammas emittere ex oculis, ancipiti vibrare lingua ſagittas, intorquere manu telum, ac ſpirantem undique mœrorem, & luctum, peſtem & cladem cunctis mortalibus denuntiare: Itane vero te crucias, nec de quiete amplius cogitas? Mitte tandem e manibus ſcripturas, abjice veterum libros, deſine aliquando Marcionis, Ebionis, Arii, Sabellii, Manetis, aliorumque hujus generis inventa, & decreta venerari, conquirere, illuſtrare, & quæ denſis vetuſtatis tenebris obſidentur, in lucem hominum revocare. Hæres. Miror, cum hæc tua ſit oratio, mea ſoror, quaſi peregrina ſis, & extera, vel noſtræ penitus conditionis oblita. Seis, ambas nos apud tartara ex patre Plutone prognatas. Casuist. Quidni ſciam, aut cur mihi deciderit memoria genitor? Hær. Sat habeo, nunc te paulatim ad rationem inſtituti noſtri deducam, ut nullam dehinc habeas mei objurgandi cauſam. Cas. Adeſt meus tibi animus, eloquere. Hær. In memoriam revoca, quam magnum olim patris noſtri fuerit imperium, quam longe, lateque ſuos fines protulerit: Cas. Memini, id ſolitum eſſe nobis narrare patrem, nondum enim tum nos in lucem eramus eductæ: Hær. Hanc ei ſummam in univerſo terrarum orbe poteſtatem pepererunt falſa gentium numina, & craſſus ac rudis ille cultus, quo fabuloſæ opiniones alebantur, ita ut homines ab omni luce veræ religionis averſi, & a cœlo penitus abducti, tandem humi deprimerentur. Omnis enim eorum temporum religio verſabatur in his, quæ oculos aureſque percellunt, ac tantum permovent ſenſus, quæque manibus potius, quam contemplatione, ac mentis intentione comprehenduntur. Hinc erat, ut Deorum notio nunquam niſi humilibus involuta figuris cogitantibus occurreret. Hinc humanæ naturæ contagiones Diis ipſis affigebantur humanarum voluntatum motus, & ſtudia, ut merito Epicurus eos impios judicaverit, non qui vulgares multitudinis Deos tollerent, ſed qui mortalium affectiones traherent ad Deos. Hæc perverſa, & corrupta notio, quam de Deo ſuſceperant, maxime fovebatur illa ingenti cæremoniarum mole, ritibus, ſacrificiis, lectiſterniis, commeſſationibus, epulis, auguriis, litationibus, conſecrationibus, & innumeris aliis exterioris cultus generibus, quibus impetrari Deorum pacem, eorumque numen placari poſſe credebant. His ita mortales erant irretiti, ut non aliam ſpeciem pietatis præciperent animo, quam quæ in harum uſu rerum exercebatur: Cumque aſſiduo volutarent ſe in his terrenis involucris, adeo his demerſerunt animos, ut nunquam ad ſubliminiores naturæ divinæ contemplationes evaderent. Putabant enim Deum non alium cultum, aut actum religionis exigere, quam qui manibus, oculis, genubuſque præſtatur: ac veluti pueros, cum eos videmus eſſe ſubiratos, demulcemus, & blandiendo contrectamus, præben-

præbentes ipſis offas, & caſeum, ita & illi flectere Deos ſe poſſe credebant, ſi agnum, ſi caprum offerrent, ſi genua deprimerent humi, ſi pronos ſe aris advolverent, ſi ſolemne aliquod carmen obmurmurarent. Scelera tandem, & crimina mœrore, & pœnitentia non emendabant, ſed oblationibus atque muneribus culpas redimebant, quaſi Deus non propter animi virtutem, & bona opera in gratiam homines recipiat, ſed largitione ac profuſione corruptus pœnam delinquentibus remittat: Nemo igitur ut peccati pœnam effugeret, peccatis ſibi abſtinendum putabat, ſed ſceleribus hærens ſatis Deo ſe commendatum exiſtimabat, ſi malum illud intra ſe conceptum bono aliquo, extra ſe poſito, compenſaret: Quæ vero ab ipſis Diis mortales precibus, ac votis rite nuncupatis petere ſolebant, omnia pertinebant ad corpus, nempe numerus liberorum, rei familiaris augmentum, ſalus corporis, diuturnitas vitæ, victoria de hoſtibus, felicitas imperii; Quæ vero Deum ipſum comitantur, quæque digna ſunt, quæ petantur, & præſtantur a Deo, pacem, & tranquillitatem animi, fortitudinem, juſtitiam, denique virtutem, & bonam mentem, hæc ſibi nemo poſcebat. His indignatus Perſius exclamavit:

O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Diis ex hac ſcelerata ducere pulpa?

Cum is cultus terris vigeret, ingens animarum numerus rapiebatur in orcum, nec ii cœlum penetrare valebant, qui dum viverent, affixerant *humi divinæ particulam auræ*. Cas. At nonne tunc florebant Hebræi, qui divinam legem divino profuſam eloquio, ſepoſiti ab omni ſuperſtitione & falſo cultu, profitebantur? Hær. Viguit ſane lex, quam a Deo Moſes acceperat, ſed nec illa niſi modicam orbis partem complectebatur, ita ut nonniſi actus exteriores reprimeret, injecto pœnarum metu tamquam freno cupiditatum, & accenſa ſpe terrenorum commodorum, quibus tamquam calcaribus mens ad bonum impellebatur, nondum autem erat lege gratiæ, & cœleſtium bonorum contemplatione ad ipſam honeſtatem, & puram, incorruptamque virtutem, atque ad amorem veri numinis elevata, niſi in pauculis, qui re, non nomine, jam erant Chriſtiani. At poſtquam in imperii paterni perniciem æterni Patris Filius cœlo delapſus, ut nodos primævæ culpæ, quibus humanum genus involvebatur, exolveret, & viam impoſterum ad æternam gloriam ſterneret, humana carne ſuſcepta ſe mortalibus ingeſſit, voce, exemplo, factisque, docuit, quæ de divina natura ſit efformanda, & concipienda notio, quo ſpiritu regendus exterior cultus, quomodo mens ad Deum intendenda, quæ præmia in futurum ſint expectanda, quæ pœnæ præcavendæ. Hinc cœlo ſe attollere cœperunt homines, ac per immenſa ſpatia divinitatis evagari. Hinc divinum numen prius involutum, ac obſcuratum falſis notionibus & ex humana affectione corruptis patefactum eſt orbi. Hinc vis veræ ac ſanæ religionis emicuit, quæ ſita eſt in intentione, atque converſione mentis ad Deum, depreſſione ſpirituum, abſciſſione cupiditatum, negligentia rerum humanarum, averſione a corporeis commodis, cultu, atque uſu virtutum omnium, quibus mortales per Chriſti ſanguinem Deo conciliati redeunt in gratiam, ita ut ſpe præcipiant æternam felicitatem. Hinc aſſueti ſunt homines temperare pravis voluptatibus, devovere ſe humilem victimam Deo, atque illos ritus exterius aſſumere, qui animi motum interiorem exprimerent, quique pios ſenſus conſequerentur, non aliter, ac motus, & geſtus differentis vocem comitantur, ac exteriores

actus

Digitized by Google

actus, ſi ſint a virtute, ac pia mentis affectione divulſi, non aliter reputentur, quam umbræ luce caſſæ ac detracto nucleo cortices. Hæc autem ratio ex abditis fontibus divinitatis educta, quam tamdiu in ſuis arcanis Deus condiderat, per Chriſti prædicationem patuit omnibus, non modo ſapientibus, ſed & rudiori plebeculæ, immo quod me magis angit, res altiſſimas & ſubtiliſſimas multo facilius humiles, quam turgidæ, mentes exceperunt. Ea enim eſt hujus religionis vis, & natura, ut quæ ad bene agendum excitandamque pietatem ſunt conſtituta præcepta, item quæ ad imprimendas veras rerum divinarum notiones, quibus humana vita ad rectitudinem, juſtitiamque dirigitur, ſunt emulgata, æque poſſint in ſapientum ac in imperitorum pectora demitti, ſunt enim inſigni facilitate, & miris verborum luminibus a Chriſto prolata. Quæ vero ſupra vires rationis eminent, æque doctorum, ac inſipientum aciem fugiunt: cum enim vincant facultates mentis humanæ, comprehendi nequeunt, niſi quis ſe ſupra naturam extollat, ad hunc autem gradum neminem humana ſapientia ſublevat, ſed fides a Deo immiſſa, miraculis Chriſti, ejusque diſcipulorum primum conciliata, ac deinde Eccleſiæ Catholicæ auctoritate munita, exæquavit igitur mentes hominum doctrina Chriſti. Immo cum ea, quæ rationem ſupervolant, ſola fide contineantur, hoc illi ſolidius in rudiorum mentibus imprimuntur, quo magis pietas, & fides fervet in iis, qui minorem ſpem in acumine ingenii, atque in rationis ſubtilitate conſtituunt. Ii vero, qui vana efferuntur opinione doctrinæ, quique humana tantum ſapientia tumidi, nullo divinæ gratiæ lumine illuſtrati, iactant, ſeſe pandere divinæ legis oracula, nihil ſupra plebeculam ipſam ſapiunt; imo quod vir plebecula parum enitet, atque ſincerum, iisdemque veſtitum vocibus, quibus a Chriſto fuit emiſſum in mentibus ſapientum, qui ex humanis doctrinis notiones arripiunt, & vocabula, contingere poteſt, ut corrumpatur, & detorqueatur, tamquam terrena fœditate contactum. Unde obſcurant illi, quod eſt illuſtre, obruunt, quod eſt eminens, quodque ſincerum, & limpidum eſt, maculant, & labefactant. Quapropter cum ego demandatam a patre noſtro provinciam mihi ſuſcepiſſem, onuſque ſubiiſſem corrumpendæ Chriſtianæ doctrinæ, cujus exitio poſſet patris mei regnum poſt everſa gentium numina pene collapſum reparari, aliquibus philoſophis, qui fidem jam Chriſtianam admiſerant, me inſinuari, cernens animo, nullum eſſe magis ad hoc opus aptum inſtrumentum, quam hominum ſapientiam, & philoſophiam, cujus robur tantopere Chriſtus, & Paulus ejus apoſtolus obtriverant, eam vehementer deteſtantes, ac longe arcentes a fide. Furiales igitur flammas excutiens, inflavi mentes philoſophorum, & agitavi, ac in eorum pectoribus injeci nimiam cupiditatem penetrandi ulterius in divinis arcanis, adduxique ipſos in ſpem, poſſe per philoſophiæ acumen evolvere, quæcumque Chriſtus ſolius fidei tutelæ conſignaret. Quibus promiſſis eo celerius dederunt animum, quod indigne ferebant, nihil eſſe in fide Chriſti, quo docti præſtarent imperitis. Quapropter conati ſunt doctrinas ſuas traducere ad fidem, cumque illa philoſophiam tamquam inito conjugio commiſcere, depulſa & ſemota plebecula. Ideo concluſerunt philoſophicis vocibus divina myſteria, & præcepta, quorum ſe deinde conſtituerunt interpretes, atque ad ſuam ditionem redegerunt, non ea modo, quæ propter rerum ſublimitatem ſunt obſcura, ſed etiam ea, quæ clara ſunt, ac, ut ita dicam, in fronte locata. Ego quippe, ut Chriſti conatum & doctrinam obruerem, interpretandi rationem longe ab aliis diſſimilem meis philoſophis præſtiti. Nam cum interpretes

aliorum

aliarum doctrinarum res obſcuras ſimplicibus communibuſque vocabulis exponant, ut rerum difficultatem ſentiant facilitate verborum: illi interpretes ſcripturarum res ſimplices, & planas, novis commentis, & ignotis vocabulis involvunt, ita ut interpretatio non eliciat, ſed opprimat ſenſum. Hac arte aſſueti ſunt homines, dum divinum volumen conſulunt in rebus ſingulis, ac in facilioribus, & apertioribus hærere, ſtatim ad interpretationes excurrentes: ubi enim nulla ſe offert obſcuritas, tamen ipſi eam inducunt & ſubtiliter excogitando pariunt. Vix enim ſibi perſuadere poſſunt, aliquod eſſe in lege divina patens & expoſitum. Hinc illi interpretes, qui humanæ tantum ſapientiæ viribus confidentes in ſcripturæ ſenſum perſuadere voluerunt, gradum ſibi ſubliniorem inter fideles elevarunt: tamquam ad id, quod Chriſtus mortalium fidei commiſerat lumen ipſi ſapientia ſua, & non potius tenebras inventorum novitate obſcuritate vocabulorum offuderint. Cum hac via inter fideles ad ſummam exiſtimationem perveniretur, ſenſim dominandi cupido ſuborta eſt: ac ut plerumque accidit, qui animos nominis auctoritate tenuerunt, eos tandem oppreſſerunt imperio. Cum igitur ad dominationem multi contenderent, & ad eam doctrina duceret, alius alium in literis, & ſcripturarum intelligentia, ſuperare conabatur, ut fide magis apud populum emineret: Hinc ortæ diſſenſiones, & partium ſtudia, hinc diſcordiæ frequentes, & jurgia, cum quiſque ſcripturam ad ſe traheret, quaſi mente Deum concepiſſet, ac non per Chriſti prædicationem, ſed per os interpretum Dei verbum eſſet erupturum. Cumque alii alium ſenſum uni vocabulo temere ſubjicerent, legem divinam per ſe puram, ac ſimplicem, in tot ambages ac difficultates detruſerunt, ut (quæ mea ſumma laus eſt) non jam quæratur amplius, quis eſſet aptior ſenſus, ſed qui ſubtilior, non qui verior, ſed qui remotior, ac longius advectus, tandem conſuetum eſt inquiri, non quid Chriſtus docuerit, ſed quid ſapientibus placeret, eum docuiſſe. Tot itaque inſitis Evangelio commentis hominum, tot adjectis floſculis ingeniorum, & eloquentiæ, tot interpretationibus ſuper ipſum exaggeratis, inflexum eſt tandem robur veritatis, atque in tam variis ingeniorum vorticibus, tamquam in profundo gurgite fuit abſorptum. In hac difficultate atque in iſta rerum caligine latiſſimus mihi locus eſt patefactus: Ideo celebris eſt ea vox apud Tertullianum *Philoſophi*, *Patriarchæ Hæreticorum.* Ex his noſtris machinamentis, ac philoſophorum meorum præſtigiis ortæ ſunt virtutes vitioſiſſimæ Simonis, Aonis, Valentini, bonum & malum principium Manetis, proxime ad Dæmonia Socratis accedens, Hermogenis ignis, quem detulit e ſecta Stoica, unde diſceſſerat, ex quo paradiſum viſibilem orbem terrarum, infernum, animaſque hominum condidit. Multaque multi ab his non diſſimilia monſtra pepererunt, Evangelii lucem e fidelium oculis ineptiſſimis noſtris commentis abducentes, & pro verbò Dei cogitationes, & inventa hominum obtrudentes. Obumbrato igitur divino lumine mea, & meorum philoſophorum opera, grex fidelium auctores cujuſque ſectæ ſibi ducem conſtituere evocatus eſt, cum quivis ex conditoribus novarum opinionum manum & multitudinem cogeret, quam poſſet, traheret ad ſuas partes. Unde a pietate, & fide res ad factiones & partium ſtudia deducta eſt, ſuam enim quiſque doctrinam tuebatur, non ut verbum divinum aſſereret, & propugnaret, ſed ut diſcipulorum multitudinem in officio contineret, & in veneratione cultuque magiſtri confirmaret. Ex his diſſenſionibus gliſcebat in dies in pectoribus hominum cupiditas, & ſuperbia, quæ non modo ſingulos homines

& familias, ſed univerſam pene labefactarunt eccleſiam. Ut autem magis hanc opinionum diſcordiam alerem, ac veritatem, quo poſſem artificio tegerem, duxi ſemper homines per abrupta, & devia, rectam ſemitam obſtruendo. Ita enim conſueverunt interpretes, me ſuadente, ſcripturam exponere, ut certi nunquam aliquid conſtituatur, quin alio ſtatim oppoſito loco poſſit everti. Nam cum ea ſit optima veritatis inveniendæ ratio, quæ docet, ut nihil admittatur in animo, niſi quod ſimplicius ſit, & certum, ex quo deinde, quaſi per gradus deveniatur ad aliud: hanc ipſi normam neglexerunt, & ex pluribus locis obſcuris, ac ambiguis ſimul coactis certam, ac firmam eduxere veritatem. Quæ ratio peſtis eſt maxima doctrinæ; ſiquidem ex pluribus, & ſimilibus ambiguis, quantumvis numerum eorum adaugeas, nihil unquam certi poterit oriri. Cum igitur locos illos ambiguos quisque pro ſuo ingenio interpretaretur, evenit, ut varii varias pro varia interpretatione ſententias efferrent. Huc accedit, quod cum raro quisque deponat, quod longo ſtudio comparavit, qui ad fidem accedebat, occupatus alicujus ſectæ decretis, ſcripturæ ſenſus detorquebat ad opinionem, quam præceperat, nec ſe ſcripturæ, ſed ſcripturam ſibi ſubjiciebat. Hinc erat, ut, quod quisque vellet, deprehenderet in verbis divinis, & erueret inde, quod cuperet, ope dialecticæ, quæ comes eſt noſtra fidiſſima. Præterea tot interpretandi genera ſunt inventa, ut tamquam plurima retia tendantur, quod hinc effugit, illuc cogatur incurrere, ac quivis ſenſus ſi una via non ſucceſſit, alia poſſit occupari: Qui etenim placita ſua non poteſt e ſcripturis elicere per interpretationem proprietatis vocabulorum, confugiet ad tropos & metaphoras, hic ſi obſtructus eſt aditus, divertet ad analogicum ſenſum, ſi neque hinc exitum reperiat, undique patebunt & occurrent allegoriæ, quæ deeſſe non poſſunt unquam: cuilibet enim ex ſuo ingenio eas efformare licebit, ut nihil jam facilius ſit, quam humani ingenii partum ſcripturæ divinæ ſupponere. Has autem vias late ſtravit Origenes, qui liberius proprio indulſit ingenio, ac a genuino ſcripturæ ſenſu ad coactum & remotum avertit homines. Quem deinde ſecuti ſunt illi omnes, qui ſibi præ aliis ſapere viſi ſunt, nunquam retinentes eum ſcripturæ ſenſum, quem ſimplicitas orationis exprimeret, ſed etiam in re perſpicua, ſemper aliud per ſubdolam, & importunam interpretationem exerentes. Hæ vero ſubtilitates, & argutiæ rerumque caligo ex inventorum varietate conflata arma præbuerunt Ario noſtro, quibus doctrinam de Trinitate perſpicuis in novo Teſtamento verbis expreſſam oppugnaret. Hæc duas in Chriſto perſonas per Neſtorium, unam naturam per Euthychetem effinxerunt: Hæc alteram ei voluntatem per Monothelitas ademerunt. His humanis præſtigiis captus, & Originis ſpiritu compulſus, cujus ramuſculus a Hieronymo nuncupatur, Pelagius, originale peccatum, & gratiæ neceſſitatem, abnegando Chriſti mortem, inutilem atque irritam reddidit. Hæc denique Chriſti regnum pene perverterunt, nobis vero ſolium extulerunt excelſum. Cas. Videris tu mihi ejusdem erroris maculam adſpergere etiam ſanctis illis, & veteribus eccleſiæ patribus, & doctoribus; nam & ipſi magnam diſputationum partem e philoſophicis fontibus deduxerunt, & e Platone potiſſimum, e cujus doctrina uberem argumentorum copiam excipiebant. Hær. Sumpſerunt ipſi fateor a doctrina philoſophorum non pauca, tamen ad id non ſponte veniebant, ſed ab adverſariis provocati, non libere, ſed coacti, ac ea tela intorquebant, non ut adſtruerent, ac fidei fundamenta locarent, ſed ut conatum adverſariorum reprimerent, eosque caperent iisdem

iisdem laqueis, quos tendebant aliis, falſitatemque delerent iisdem armis, quæ in veritatem erant intentata: Præterea philoſophiam addicebant fidei tamquam ancillam, atque pediſſequam, quæ nihil per ſe ageret umquam, ſed cederet, atque pareret imperiis. Nec tamen hic deſinunt noſtræ fallaciæ, nam alias ſtruximus graviores. Ut enim peſtis ſerperet latius, non in ſola diſputatione regni noſtri fundamenta locavi, ſed ad clamores, & ſtrepitus differentium, vim etiam, atque potentiam imperantium adjeci. Fortiores enim viribus & opibus valentiores, hinc occaſionem arripuerunt, & regnum affectarunt, cum quilibet ſtudium religionis prætendens, cuilibet ſectæ propagandæ ducem ſeſe fortiſſimum præbuit, armis adverſus alios illatis, eoque artificio cunctos illi ſectæ addictos imperio ſuo ſubegit. Et dum quisque principum externos ritus, & alienas doctrinas a ſuis finibus arcet, accenduntur animi ſuorum adverſus alios, tamquam infeſtos animarum ſaluti, atque ita princeps ſecuritatem ſibi ab inſidiis, & invaſionibus alterius parat, & ſuam cum divina cauſa conjungendo populum ſibi ſubjectum inexplicabili nexu & exterius obedientiæ vinculis obſtringit. Ideo vero diſſenſiones, & diſcordia in perpetuum aluntur, ut is, qui regnat, populum ſuum ab aliis ſecernat, non modo morum, & veſtium diverſitate, ſed quod omnes concordiæ nodos incidit, religione, & cultu, atque ita ceremptum ſit commercium inter populos diverſis ſubjectos imperiis. Cum igitur in Chriſtianam fidem has flammas intulerim, cogor, eam aſſidue aliquo vento, vel novæ vel renovatæ doctrinæ perflare, ne umquam ex his vepribus, quæ Dei verbum irretiunt, & obſident, ſcripturæ puritas, atque ſimplicitas evadat. Cas. Ego vero, mea ſoror, multo expeditiori via perveni, quo tu per ſtrage & arma contendis. Eoque rem felicius geſſi, quod tibi nunquam contingit immittere pedem in eccleſia catholica, cum ego in hac potiſſimum peſtiferum virus effuderim. Quodque mirere magis, Evangelio cladem intuli ſine bello, necem ſine vi, nec ſtrepitus ullos, aut turbas excitavi, ſed per pacem & fœdus, immo per ſpeciem cultus & obſequii vici divinum verbum, & obtrivi, pluresque animas in orcum deduco, tradendo regulas pietatis, quam tu, fidem, & religionem lacerando. Tu nempe arietibus admotis, & vineis aperte & palam Dei doctrinam inundas, unde fideles ad rixas, & prælia concitantur. Ego contra nihil horum moveo, ſuo quæque ſtare loco patior, fidei ſuum jus integrum ſervo: tantum cuniculis quibusdam occultis ſubtraho fundamenta ſalutis, & venenum latenter in eccleſiæ corpus immitto, quo ſanguis, & membra putreſcant: Hær. At quonam pacto id aſſequeris, mea ſoror? Miram enim rem narras, potuiſſe te fallere oculos tot hominum vigilantiſſimorum, ac iis ignaris, nec providentibus quidquam, tantam labem adſpergere. Casuist. Jam aperiam tibi rationem inſtituti noſtri, ac oſtendam, qua pervertam arte ſalutem hominum. Non te fugit, Chriſtum Jeſum prædicationes omnes ſuas huc retuliſſe, ut ſcilicet fidem, & charitatem inter homines ſtabiliret. At ex uno & altero Chriſti diſcipulorum, ipſius eruditione inſignium, atque pietate, cum aures ad verba colloquentium inter ſe forte quodam adverterem, accepi, nullum pondus habere fidem a charitate divulſam. Quid a virtutibus ſejuncta doctrina Chriſti? Hoc eſt ſupremum opus divinitatis, hæc eſt ſumma legis divinæ ratio, ut per rectam fidem, & ſinceras cœleſtium notiones, traducantur homines ad apicem, culmenque virtutis, ac in pectoribus ardor charitatis excitetur, quod correpta mens rapiatur ad Deum, & ad amorem hominum eodem ſtudio, quo quisque inclinat in amorem & bene-

Rrrr 2 volen-

volentiam ſui, eandemque opem, quam ſibi aliis præſtet, aut ad malum propulſandum, aut ad bonum aſſequendum: Hæc nempe radix eſt virtutum omnium, hæc ſumma lex rerum bene gerendarum, hic fons eſt omnium benefactorum uberrimus. Cum hæc eſt inſculpta pectoribus, veram excitat honeſtatem, & virtutes procreat univerſas. Hanc adumbrarunt quidem aliquando Philoſophi, nunquam tamen expreſſerunt. Chriſtus tantum hoc lumen extulit vitiorum omnium nube diſſipata. Hoc vinculo conſtruxit ipſe virtutes, & perpetuo nexu tam bene colligavit, ut eo vel ſoluto, vel aliquantulum laxato continuo diffluant omnes. Huc ſuam doctrinam Chriſtus contulit, & cuncta præcepta, quæ ſi bene introſpexeris ad amorem Dei, & dilectionem fratrum excitandam videntur intenta. Totum enim Evangelium in hæc fere capita diſtinguitur, aut enim divinam naturam, virtutem, & gloriam pandit, qualia ſunt arcana Trinitatis, & incarnationis Verbi, aut malefactorum pœnam, bonorum autem operum præmia promittit, qualia ſunt ea, quæ de futuro judicio, de reſurrectione mortuorum, & poſtremo adventu Chriſti traduntur, aut rationem vitæ recte inſtituendæ proponit, qualia ſunt ea, quæ de amore erga Deum, & mutua hominum benevolentia præcipiuntur. Quæ de natura divina produntur, ea caput, & initium ſunt religionis, quibus Chriſtiani a Judæis & gentilibus ſecernuntur, & cum fideles conceptas habent veras de Deo notiones, amorem ſuum in verum numen dirigant, eoque inflammentur ardentius, quod certa fide teneant. Illud numen, cui ſubjiciuntur, ſubjeciſſe ſe pœnis omnibus, ut homines pœnæ ſervos per peccatum factos, & æternæ morti damnatos ad libertatem, vitamque revocaret. Hæc igitur prima lux verbi divini ſi intimis ſenſibus hauriatur, mirum caritatis ardorem excitabit. Cum autem huic accedit, aut imminens futuræ pœnæ metus, ſpe æternæ felicitatis magis firmantur homines in exercitatione virtutum, & in cultu ſummi numinis, a quo tanta merces benefactorum in ſpem oſtentatur. His facibus inflammatus animus vi divinæ promiſſionis, & contemplatione bonitatis infinitæ facile flectitur ad ea præcepta, quibus Chriſtus humanam vitam inſtituit, qui enim in amorem ſummi numinis totis viribus fertur, is libenter accipit impoſitam ſibi legem, conceptoque ſemel igne charitatis, voluntas in aliorum voluntatem, & utilitatem ac beneficium inclinat ipſa per ſe, atque ad culmen virtutum omnium ardore incitata divino contendit. Triplici ergo ratione Chriſtus promovit atque complevit opus charitatis, ſe ſcilicet, & ſua bona patefaciendo; pœnam, & præmium conſtituendo, regulas, & vitæ præcepta tradendo. Quibus illud frequentius injunxit, eos omnes, qui doctrinam a ſe partam accipiunt, habendos eſſe tamquam plura in uno corpore coacta membra. Unde ſicuti ſi brachium in alterius brachii damnum tela vibraret, & illi, & ſibi, & toti denique corpori periculum afferret, ita & Chriſtiani, quod ſingulorum eſt, commune debent incommodum reputare. Hinc, qui fidem profitentur, ſenſibus tantum, & terminatione membrorum ſinguli ſunt ſeparati, mente tamen, & divinæ legis vi, unum conſtituunt ſimplex corpus & indiviſum. Hæc ſi ratio vigeret in animis, reſecaret omnes vitiorum radices, & uberrimos fructus pacis, humilitatis, juſtitiæque produceret. Si ſola enim amicitia in civitatibus bene firmata ſedaret diſcordias omnes, & tolleret neceſſitatem legum, atque pœnarum, ut ipſe etiam Ariſtoteles in libris Ethicorum obſervavit, quanto majorem charitatis concordiam firmaret, quantoque longius jurgia & rixas averteret. Nam quænam invidia, vel

livor,

livor, aut quale umquam odium penetraret in illos, qui mutuis inter ſe voluntatibus complicati unanimes feruntur in Deum, atque in ipſius immenſa bonitate, tamquam in eodem puncto cohærent. Quænam acies peracuta diſſolveret nodum tam bene contextum? Hac autem animorum firmata concordia, quis non videt, quam mira ſeſe tolleret moles cohorsque virtutum, quæ pietas in terris, quæ integritas, & innocentia floreret. Hæc illi Chriſti diſcipuli ſæpe inter ſe, itaque ipſos audivi de charitate differentes, ex quibus probe agnovi hujus vim virtutis, quæ ſi pectora occuparet latius, recta homines deducerentur ad Deum, & patris noſtri opes exhaurirentur. Cum e contra ſi fides ſtet, deficiant autem opera charitate reſtincta; ingens mortalium turba fluat in orcum. Ideo charitates & bona opera mihi opprimenda ſuſcepi, ut exugerem ſuccum fidei, & nervos ipſius eliderem, Chriſtique prædicationem non quidem oppugnando, ſed vel negligendo, vel intervertendo perverterem. Facillimum eſt enim, rapere Chriſtianos in interitum & ruinam, abrupto vinculo perfectionis, nempe charitatis lege relaxata. Ad id igitur omnes meas vires contuli, omnem induſtriam, & quam bene mihi ſucceſſerit opus, quibusque machinamentis legis divinæ robur oppreſſerim, accipe.

Primum omnium latiſſimam viam meis fraudibus patefecit neglectus, & ignorantia ſcripturarum: Si enim ad ipſum fontem purum homines os admoviſſent, profecto avertiſſent ſe a turbidis rivis, quos ego deduxi: tum ſi conſueſſent homines in rebus dubiis, quæ inter agendum occurrunt, confugere ad oracula ſcripturarum, rationem ſtatim rerum bene gerendarum, & exercendæ virtutis accepiſſent, nec diutius jactarentur tot dubitationibus, & difficultatibus, quibus defatigi tandem ad me recurrere coguntur. Quis enim humanorum eventuum ad legum divinarum trutinam, & normam non ſtatim expenditur? Deinde meam auctoritatem mirum in modum ſublevavit humanarum affectionum impetus, quibus a præceptis divinis homines abſtrahuntur, ac ideo in incertitudinem ſe maximam conjiciunt, quia non ad eam vivendi rationem, quam lex divina præſcribit, ſed ad illam, quam libentius humana imbecillitas patitur, animi ſui ſenſus intendunt. Quam facile enim dubitationes, quæ in vitæ curriculo ſe offerunt, ſcripturarum falce reciduntur? Certe cum his duobus præceptis omnis honeſtas, & ſuprema rerum gerendarum ratio concludatur, quæ ſunt ſumma hominum erga Deum, & par, ac mutua dilectio inter ſe: duobus iſtis obnixe retentis, quilibet nodus citiſſime ſolvitur. Quemadmodum non paucos ex veteribus Chriſtianæ legis doctoribus non ſemel audivi diſſerentes, læſerit te aliquis (dicebam quidam ex illis) natura impelleris ad ulciſcendam injuriam, hæres incertus inter has animi jactationes, quia ſimul vereris, ne aliquo te ſcelere labefactes, nec tamen de hoc habes aliquid certi, nondum tibi conſtas, vin' hos ſcopulos declinare, ſcripturas divinas evolve: Statim illæ tibi proferent ſanam, & rectam in hac diſputatione ſententiam. Pone te enim in locum illius, contra quem furis, temet adhibe in conſilium, introſpice animum tuum, ſi tu velles injuriam tibi remitti, cogita idem, & velle alterum, idem igitur alteri præſta, quod eſſes ibi ſuſcepturus. Quære, ſi potes, aliam avertendarum quæſtionum rationem, quæ facilius, quam hæc nexus omnes inextricabiles dirimat. Nulla tibi profecto ſe offert expeditior, hac nulla præſtantior. Nihil igitur, interrogabat alter, erit circa regulas morum inter Chriſtianos obſcurum, nihil implicatum, & anceps. Multa (ſubjiciebat illa) multa ſunt, fateor, ambigua, & incerta, in quibus quantumuis

 perſpi-

perſpicax ingenium hæreat, oporteat, ſed hæ nubes & tenebræ difficultatem nobis non ex ipſa re, ſed vel ex cupiditatibus & affectionibus noſtris, vel ex negligentia divinæ legis, & ignorantia ſcripturarum oboriuntur. Indue patientiam, bonitatem, humilitatem, reputa intra animum tuum, illum Chriſto judice præſtare cæteris, qui libenter ſe ſubjecerit alteri, qui celerius loco ceſſerit, eum apud Deum ſublimius evehi, qui humilius habitat inter homines, qui reſedit inferius. Defige in animo, lege Chriſti digniorem eſſe, qui jacet abjectior, præſtantiorem, qui vilior, quique contemptior vivit in terris, & in hominum glorioſorum deriſionem incurrit. Aſſueſce meditari, quam levia reputentur a Deo, quæ maximi ſunt apud homines ponderis, quamque rapide cuncta fluant, & evolent. Si hæc inſederint animo, jam ſpectabis alio, jam terrena ſupergreſſus ex alto deſpicies errores hominum, quos factum, & ſuperbiam deponere pudet. Cum hoc ex hujuscemodi ſermonibus cognoviſſem, jam mihi ſtatim patuit, quo deberent ictus intendi, ut omnis pietas Chriſtiana concideret. Jam proſpexi, quo latere poſſit invadi. Quia igitur homines nolunt ſerio retrahere pedem a cœno, ſed cum præcepta ſpe atque accenſa cupiditate futuræ gloriæ, humanarum rerum ſtudia miſcent, & nolunt ſe divinæ legi ſubjicere, ſed eam ad ſuarum affectionum obſequium detorquere conantur, ideo confluunt ad me omnes, a qua petunt rationem penetrandi ad cœlum per ima, & putrida terræ. Illi vero gaudent, quod a me tam molliter benigneque tractentur, ut iis perſuadeam, ad æternam gloriam conſequendam neceſſe non eſſe humana contemnere, & immenſas pecuniarum, honorum, ac imperii cupiditates reſecare, deponere odium, condonare vindictam. Hoc enim Evangelica doctrina ceteris antecellit, quod graviorum philoſophorum ſcripta umbram tantum virtutum exhibent; Chriſtus vero ipſam effert lucem. Illi revera non extinguunt, ſed formant, flectunt, & moderantur pravas affectiones. Chriſtus vero conterit illas evellitque radicitus. Docet enim Evangelium, ut illi, quos ſupra indicavi, urgebant, non moderationem ſolum, ſed abolitionem affectionum pravarum per abnegationem ſui ipſius, quod eſt ſummum virtutum culmen, quo nunquam acies ne acutiſſimorum quidem philoſophorum pervenit: Hi namque ſemper aliquid humanum tamquam ſignum virtuti propoſuerunt, nempe voluptatem, tranquillitatem, pacem reipublicæ, conſervationem libertatis, imperium, gloriam, futuram poſt mortem famam, (Stoicos enim nihil moror, qui honeſtatis vocabulo faſtum, & ambitionem involvebant) cuncta præcepta tandem referebantur ad ipſos, ac in eorum utilitatem, aut gloriam redundabant. Chriſtus vero hæc omnia ſpernit, ſuadetque contraria, nempe contemptum, paupertatem, miſeriam, abjectionem, & quid vilius inter homines reputatur. Juſtitiæ quoque ſpeciem formavit longe diverſam ab idea, quam de ipſa conceperant homines. Nam cum ea putetur optima juris ratio in aſſiduo commercio conſtituta, quæ docet malum pro malo reddere, quamque reipublicæ bene fundatæ, ac inſigniores philoſophi probaverunt, innixi lege naturæ, quæ propriam defenſionem, & propulſationem damnorum hominibus indidit: Chriſtus id ipſum, quod hominibus ſumma lex eſt, qua malum ſibi illatum inferenti rependere propriis viribus permittitur, ejecit, ſuaſitque, ut non malum pro malo, ſed quod omnem virtutem vincit, & ſuperat, bonum pro malo reddatur. Nunc autem abductis hominibus ab hujus doctrinæ meditatione, ſunt hæc excuſſa de mentibus, & affectiones naturæ ad hominum pectora revocatæ. Quiſque enim ſatis ſe juſtum putat,

putat, ſi quolibet hominum damno ſuum ſibi tueatur, ac actiones ſuas dirigat, quo pondus naturæ declinat. Poſtremo, ut arctius irretiantur homines, nec deflectere umquam poſſint, ad legem Chriſti mentes eorum laqueis inexplicabilibus involvi, occupando illos in ſophiſticis captionibus Scholaſticorum acumine contextis, quibus humana ratio ita pervertitur, ut pro ſolidis rebus inania verba ſibi patiatur obtrudi. Et quoniam adverſus regulas, quas ego tradidi, quibusque, tamquam machinis affectiones humanæ ſuſtentantur, & provehuntur cupiditates, poſſet quis opponere præcepta Chriſti, quæ cum meis captionibus, commentisque collata fraudem detegerent, ipſa me potentiſſimis armis bene muniri, armis inquam iis, quæ ſi non frangunt impetum, divertunt tamen, ſi non opprimunt hoſtem, ſuſpendunt, & tanquam magicis incantationibus in ſtuporem adducunt. Quæ ſint hæc arma quæris, ſeries, & nubes quædam confuſiſſimarum diſtinctionum, quibus noctem offundo manifeſtæ veritati, & glaucomam hominum oculis objicio. Sunt hæc mirabilium verborum congeries, moles obſcuriſſimorum vocabulorum, barbararum, & conſtupentium vocum acervus, quibus inflantur mentes, non replentur, quaſſantur, non devinciuntur. Hæc veritati tamquam aggeres ſunt appoſitæ: Hæ vineæ ſunt, & baliſtæ & catapultæ, hi cuniculi, quibus non modo religio, ſed & humana ratio tandem expugnatur. His mentes convolvuntur in turbinem, ac longe inter ſtrepitus inanium controverſiarum agitatæ demum in vaſtiſſimum probabilitatis oceanum demerguntur. Huc enim fluunt errores omnes, hinc etiam refluunt, perque totam moralem doctrinam diffunduntur; Hujus humore nutritur omnis pravitas, hinc falſæ opiniones increbeſcunt, quibus conſcientiæ corrumpuntur. Liceat magnifice loqui, nihil eſt tam impium, nihil tam turpe, nihil tam nefarium, quod pro pio, ac ſancto non poſſim venditare, ubi ſemel in ampliſſimum probabilitatis ſinum defluunt. Hic ſcilicet oceanus cunctis primordia præbet erroribus. Jacet Evangelium, antiquos patres tinea corroſit, ſqualore & ſitu veteres canones, & ſummorum decreta pontificum obſidentur. Tantum eminet probabilitas. Pervolitant undique noſtri caſuiſtæ ingentibus, & novis voluminibus ſuis, Chriſto & apoſtolis inſultantes, ea vero eſt hujus noſtræ doctrinæ ratio, ut oppoſitis itineribus homines in ruinam, & interitum ducat, ita enim a me ſunt inſtituti doctores noſtri, ut aut nodos omnes divinæ legis ſolvant, atque relaxent nimia opinionum libertate, aut animos opprimant, & in deſperationem adducant, tot in rebus leviſſimis ſuperinjectis ſcrupulis, quæ conſcientias hominum miſere contorqueant. Cum autem venerea delicta ſibi dijudicanda proponunt, mirum quanta ſit eorum in confingendis modis, ac figuris venereis ſubtilitas, acumen, curioſitas. Diſperеam, ni elephantidos, & Aretini Tabellas vincant & molliorum poëtarum in deſcribendis venereis luſibus evidentiam ſuperent. Quam vero ſuaves ſunt atque feſtivi, quam diligentes, & perſpicaces in notandis, & obſervandis, immo excogitandis novis contrectationum generibus, quæ ne perditioribus quidem hominibus unquam aut laſcivies ſuggeſſit, aut longus uſus oſtendit, tantum noſtrarum acumen, & dialectica, in inveniendo ſubtilitas poterat tam multa, & nova luxuriæ genera ipſis ignota Silenſis, & Faunis in notitiam hominum lucemque protrahere. Quod opus multum juvit eorundem impudentia ſingularis. Nec enim hos pudet, rem quantumvis turpem, ſuo proprio, ac genuino vocabulo Stoicorum more notare circumlocutionibus, ambagibusque ſubmotis tam diſtincte, tam expreſſe, ut qui amoribus velit

velit operam dare, hos præ cæteris habere poſſit peritiſſimos nequitiæ magiſtros, & & qui velit libidinis ſenſus accendere, ſopitamque Venerem excitare, ex horum lectione ſatis aptus prodire poſſit ad opus. Tam enim fuſe res hujusmodi tractantur, tam obſcœne, tam aperte, tam minutim ut:

Quod pruriat, incitare poſſint
Non dico pueris ſed iis piloſis,
Qui duros nequeant movere lumbos.

Sed dies me deficeret, ſi mentem tuam per ſingulos corruptionis fontes traducere conarer. Ut me expediam brevi, uno adſpectu, ac ſub una imagine copias tibi noſtras exponemus, ut ſentias demum, quanto ſit noſtra potentia major: cum tamen tu ſtrepitu orbem compleveris, & tumultu, nos autem latenter, & occulto rem noſtram agamus, ita feliciter, ut ſine ullius invidia, ſine odio, imo cum ingenti favore populorum, horrendam animarum ſtragem ediderimus. Tu modo huc adverte animum, & attende, quid tuis ſe objiciat oculis: Hær. Quid humum pedibus pulſas? Cur incutis ſolo virgam? quidnam evocas e profundo. Hem, ut terra diſſiluit, ut efflat caliginem, quam atræ ſurgunt nebulæ, qualis fœtor hic effunditur? Quo ſol receſſit, quis lucem fugavit, unde tam repente nox eſt adducta? Jam tenebris undique circumfundimur, niſi quod dubia quædam lux eſt intermiſta. Num relapſæ ſumus ad inferos, ad terram aſcendamus, quis illuc nos inſciis nobis revocavit. Dic age, mea ſoror, unde tam nova rerum perturbatio? Cas. Mox ſcies, intende huc oculos. Hær. Hem quale monſtrum erupit, atrum, ferox, & horridum; Cum acrius intueor, redeo in memoriam illius: Ah Hydram nempe adeo nobis familiarem ex inferis eduxiſti, verum hæc totidem quidem, non autem eadem habet capita; Diſſimilia ſunt ora, diſſimilis vultus. Jam ſe circumagit in orbem, jam cauda flagellat humum, jam poſterioribus pedibus inflexis in anterioribus conſiſtit. Jam illam inſpexi totam, Hydram, video diverſam ab ea, quæ apud patrem permanere conſuevit. Cas. Recte putas, alia namque hæc eſt. Hanc ego peperi, & ex his eſt emiſſa viſceribus. Hær. Miram rem narras. Cas. Hæc, quam vides, Hydra eſt celebris illa, & captioſa *Probabilitas*. Hæc eſt noſtrum robur, hæc noſtra potentia, vincit hæc omnes leges, & divini juris repagula perrumpit. Huic eccleſiæ univerſæ cedit auctoritas. Non modo ſcriptum jus iſta pervertit, ſed inſculptam in mentibus hominum a natura legem honeſtatis obliterat. Hac invaſimus, hac expugnavimus caritatem, hac de apoſtolicis ſcriptis, de doctrina evangelica, de tota denique religione triumphavimus. Hær. Validum profecto, ac mirabile monſtrum, ſed quid iſta capitum diverſitas, cur vultus tam in ſe diſſimiles, cur ex his quatuor tantum cornu præferunt in fronte. Cas. Ut rem omnem teneas. Hæc ſingula capita ſunt ſinguli loci communes, unde vis, & robur ad doctrinam *Probabilitatis* emanat. Quodlibet enim horum capitum ſuo præcipuo nomine ac officio diſtinguitur. Vides enim hoc humi demiſſum, ſemiſomne, ſtupidum, torpens involutumque cœno, ad cœlum ne leviter quidem attollens. Hoc eſt peccatum philoſophicum. Hær. Quid eſt, quod cornu non habet in fronte? Cas. Grave vulnus, ſoror mea, refricaſti. Cornu quod gerebat, quoque impetebat ſimplicem turbam & imperitam, non diu eſt, cum ei fuit obtruncatum ab Alexandro VIII. Pont. Max. Verum accedamus ad aliud. En caput iſti proximum anguſta & caperata fronte obductis ſuperciliis, buccis inflatis effundens tenebras, & tetram emovens caliginem, qua cœlum tegit, &

lucem

lucem eripit oculis. Hæc eſt ignorantia inculpabilis. Hær. Euge hoc integrum habet cornu; Sed quid hoc alterum caput tam varie ſe flectens & circumvolvens oculis acribus, & acutis, tranſverſis tamen, & obliquis, ut neſcias, quo ſe vertat acies anceps, & dubia. Hem, & huic cornu deeſt. Cas. Hæc eſt directio intentionis, & reſtrictio mentalis, cui proh dolor! Innoc. XI. ictu prævalido decuſſit cornu. Hær. Quid hoc tam audax, & petulans, quod irridentis, & contemnentis more cœlo cervicem obvertit, diſtorquet labia, extra os linguam projicit, & agitat, ſoliſque radios avertit aſſidue. Neque cornu hoc ſervat integrum, imino recentiora ſunt veſtigia vulneris. Cas. Hoc eſt neglectio divini amoris, ſive acceſſio a dilectione ultimi finis. Hei mihi, & huic Alexander VIII. cornu confregit, ſed ne doloris acerbitatem augeamus, modo pergamus ulterius. Viden' hoc caput erectum, & elevatum ardua cervice micans? Hoc inquam, quod os habet bilingue, linguas autem effrenas, vagas, & ſubdolas. Cornu præterea, vide quam ſit acutum. Nihil huic non pervium, nihil non penetrabile. Nihil eſt tam conjunctum, quod hujus acies non dirimat, nihil tam denſum, quod non diſſolvat, nil tam ſimplex, nil denique tam unum, quod non plura comminuat, non extremam modo aciculam, ſed & Democriti atomos, & Pythagoræ unitatem diſſindere valebit. Ipſa denique mathematica puncta bifariam dividet, ductaque per lineæ tractum in latera diſſecabit. Huic capiti nomen eſt diſtinctio verbalis & ſophiſtica. Hær. Vetus eſt hæc, & notiſſima, frequens eſt enim hujus uſus, ac neceſſarius iis omnibus, qui tractant ſcientias, a phyſica, & rerum naturalium inveſtigatione ſejunctas. Diu eſt igitur, cum ego utar ejus opera. Immo & aliud caput huic proximum diu eſt, cum ſe mihi comitem fidiſſimum adjunxit. Hoc inquam caput vaferrimum involutum laqueis, quod obſident impexi, & tortuoſi capilli nodis inexplicabilibus intexti. Nonne huic nomen definitio ambigua, & captioſa? Hoc enim vero prævalidum cornu gerit, & robuſtum, quo nulla vi umquam nullo impetu contundetur. Hæc igitur nobis ſunt arma communia, progrediamur ad ultimum caput. Intactum hoc habet cornu cervicem flavam, frontem ſerenam, oculos hilares, os ridens, totum denique aſpectum placidum, atque jucundum. Quam modeſta facies eſt, quam lenis, & manſueta. Ut ſe profert libenter, quam facile ſe tractandam & demulcendam præbet, lingua manus contrectantium lambens quam leviter flectitur, & ſe ad tactum aliorum accommodat. Quæſo mihi nomen, & vires illius indica. Casuist. Hanc vocamus condeſcendentiam barbaro & inaudito veteribus latinis vocabulo. Hinc eſt ſcilicet ratio temporum, quæ Chriſti legem & Evangelium ad ſæculi mores, & ad hominum imbecillitates accommodat, flectendo fortia, & acria demulcendo, ac onera tandem hominibus aptando, non homines oneribus. Hæc eſt præcipua noſtra potentiæ pars, hæc ancilla robuſtior. Omnes enim ab imo difficultates evellit, legemque divinam cuilibet tractabilem reddit, & ductilem. Per hanc omnes valles implentur, & omnes colles humiliantur, per hanc prava ſunt indirecta, & aſpera in vias planas mutantur. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus Evangelio vim intulimus, iiſque non ſolum virtutes theologicas, & Chriſtianas, ſed naturales, ſed & ipſis gentibus conſuetas evertimus. Hær. Multum profecto debes probabilitati, mea ſoror, quæ tot copiis, atque auxiliis te inſtruxit, multoque validior eſt nova hæc beſtia, & occulta, quam vetuſta illa, & pervulgata in Apocalypſi deſcripta. Sed quid eſt, quod non ſatis libere movet greſſus, ſed videtur aliquantulum claudicare? Cas. Hei mihi quam me mordet hæc acerba recordatio,

Digitized by Google

quantiſque odii ſtimulis concitat adverſus eum, qui vehementius illam auſus eſt attentare, nempe Innocentium XI. qui contudit baculo tergum, & reddidit eam elumbem, ut jam non tam celeriter, & expedite vagari poſſit. HÆR. Niſi properas alio, mea ſoror, velim has tuas omnes doctrinas, quas per imaginem expreſſiſti, fuſius evolvas, rationem earum, & auctores cujusque opinionis nobis indicando. CAS. Idem alio tibi die præſtabo, nunc non vacat, neceſſe eſt enim, ut opem feram cuidam judici, qui enim multa præter fidem, in exercendis judiciis, gratia, aut donis corruptus, egerit, nunc illata damna nequicquam reſarciendo, vellet ſibi ſcrupulos omnes, qui acriter eum angunt, eximere. Accedit alter, qui pretio ſibi viam ad dignitates Eccleſiaſticas ſternit, aurum, non pro dignitatibus ipſis, ſed pro bonis, & commodis, atque fundis, quæ dignitates ipſas conſequuntur, offerendo. Item eſt, qui me conſulit, an tendere impune inſidias aut calumnias ſtruere poſſit, adverſus illum, a quo ſibi honores, aut famam præcipi ſuſpicatur. Huic ſe adjungit alter, qui illata morte ſuſtulit hominem, a quo ei res alicujus pretii furto auferebantur. Adeſt & vir nobilis, qui provocatus ad duellum, poſtulat, an exire in locum condictum queat, cum voluntate pugnandi, ſi ab adverſario prius injuſte petatur. Item puella, quæ furtivo complexu gravida anxie rogat, an infamiæ vitandæ cauſa liceat ſibi fœtum nondum animatum medicamentis abigere; Succedit Mercator, qui fœnore, triplici contractu, aliiſque fraudibus ingentem pecuniam congeſſit, neque ad eam reſtituendam adduci poteſt. Non deſunt denique ſicarii, malefici, raptores, uſurarii, adulteri, inceſtuoſi, humanarum divinarumque legum perpetui contemptores, qui conſcientiæ ſtimulis agitati expectant, ut a me his anxiis curis eripiantur, & ſine ullis pœnitentiæ fructibus, excuſſo omni metu, in ſpem felicitatis æternæ vocentur. HÆR. Quid tu ad has conſultationes, & petitiones? CAS. Rogas? Indulgentiſſime ad omnia, licere ſuadeo, quidquid volunt, eosque in ſpem obtinendæ ſtatim poſt mortem beatitudinis adduco, dummodo ſolo gehennæ metu perculſi, ſine minima Dei dilectione, aut ullis laborioſæ pœnitentiæ exercitiis ſacramentali abſolutione donentur, præſertim ſi huic abſolutioni accedat jubilæum aut indulgentia plenaria. Sin vero his aliqua ſupererogationis opera addere lubet, eis autor ſum, ut virginem ter aut quater in die conceptis, & ſolemnibus verbis, ſalutent, vel aliquas recitent oratiunculas, mane cum ſurgunt, & veſperi cum eunt decubitum: Ut ſacris indumentis oſculum imprimant; ut oleo e templi lapidibus ſumpto caput obliniant vel frontem luſtrari aqua tingant, vel ad quodlibet ſanctorum nomen caput denudent, præcipue dum templa prætereunt, vel ſeptem B. Virginis vigiliis panem tantum in cibum ſumant, & aquam in potum, tametſi majora Quadrageſimæ jejunia, & indictas ab eccleſia vigilias violare pergant: Denique, ut ſtatis diebus certas eccleſias viſiteut, & quibusdam ſodalitatibus nomen ſuum inſcribant. Ubi his pietatis muneribus perfuncti ſunt, quæ non magno conſtant, quæque libera ſunt, & in cujuslibet arbitrio relicta, iis ſe ſolutos credunt, ad quæ legis neceſſitate adſtringuntur, & cum levia hæc impleverint, quæ graviora ſunt legis, relinquunt, juſtitiam ſcilicet, miſericordiam, fidem, ſcelerum admiſſorum pœnitentiam conſtansque propoſitum vitæ rectius impoſterum inſtituendæ. Imo, ubi has, ut vocant, devotiunculas obierunt, tamquam plenam flagitiorum impunitatem impetraſſent, per omnes voluptates, atque libidines licentioſi diſcurrunt. HÆR. Euge, mea ſoror, attolle animum, & confide. Si enim hoc noſtrum inſtitutum teneamus, & ego fidem, tu vero charitatem pergas oppugnare, brevi totum Chriſti regnum diſſipabimus. Vale.

ACTA

ACTA CONSISTORIALIA CREATIONIS
EMINENTISSIMORUM AC REVERENDISSIMORUM
S. R. E. CARDINALIUM,
INSTITUTÆ
A
SANCTISSIMO D. N. CLEMENTE XI. P. M.

Diebus 17. Maji & 7. Junii, Anno Sal. 1706.

J. VINCENTIUS GRAVINA
EXCELLENTISSIMO VIRO
HENRICO HUYSSENIO,
S. P. D.

Miſiſſem ad te libenter, quas expetis, Pontificis noſtri Sacratiſſimi res geſtas, cum publicas, tum privatas, ſi ullo humano conſilio earum commentarios mihi abducere licuiſſet e latebris, ubi ſuo juſſu procul a communi luce conduntur. Ac vehementer gauderem comprobare inde tibi animum illius, in omni ætate ac fortuna ſupremæ dignitati parem. Quam multos enim tuos ante oculos ſtatuerem doctos piosque viros, aut ejus commendatione a ſuperioribus Pontificibus exornatos, aut eductos ab egeſtate clandeſtinis largitionibus & opibus, quæ indigentibus de re ipſius familiari tacite, ac ſub tunica proferebantur? Quam ſummam beneficentiam ſi quis apud eum commemoraſſet, laudandique illius occaſionem inde cepiſſet, tanto rubore ſuffundebatur, ut pudor prope in indignationem tranſire videretur: & qui æquam in arduis pariter ac proſperis mentem perpetuo ſuſtinebat, ſola propriæ virtutis mentione perturbabatur: cujusque opera opinionem ſuperabant aliorum, ab ejus tantum deſiderio vincebantur. Quid dicam de illius animi præſentia in proximis naturæ periculis, de prudentia conſiliorum, de laboribus publicæ utilitatis cauſa perpetuo toleratis? quarum omnium virtutum ſeriem magnis & aſſiduis exemplis explicatam haberes, ac forſan per me habebis aliquando, ſi, cum facultas petendi dabitur, perſuadere illi potero, Principis modeſtiam id ſibi ſumere non debere, ut lucem auſerat præclaris ejus operibus, & ſubducat poſteris memoriam eorum, per quæ in omnes gentes priſcæ pietatis documentum, & imitatio traducatur. Princeps enim, quatenus Princeps, adeo non ſuus eſt, ſed totus alienus, ut vix quidquam juris retineat in propriis virtutibus: quæ ut proprietate ſint autoris ſui, uſu certe atque fructu fiunt aliorum, quibus regendis fuit aſſumtus, quibusque poſcentibus, niſi benefacta Principis & memoria illorum exhiberentur, virtus illa, quæ propter imitationem æterna maneret, in caducam & temporariam ſumma cum poſteritatis injuria verteretur. In præſenti vero, cum ad manum alia non habeam, tibi mitto actus proximæ creationis Cardinalium deſcriptos e Conſiſtorialibus monumentis. Qui ſane

actus digni ſunt, ut e continenti ſerie rerum geſtarum avellantur, ac ſeorſum vulgentur, propter magnitudinem rerum & exemplorum novitatem, gravitatemque cum operum tum verborum. Nam præter ſententias ab E. E. Patribus de more ſapienter dictas, in quibus Collegam ſibi a Sanctiſſimo Patruo jure depoſcunt adoleſcentem, omnibus doctrinis & virtutibus ornatiſſimum, occurrent jucunde tibi plures orationes S. Pontificis, quæ, ut de verſibus Euripidis cenſebat ille, tertio quoque verbo continent immortalia documenta vitæ. Occurret ejusdem incredibilis quidem, ſed peracerbus omnibus in hac uberrima honorum diſtributione neglectus ſui atque ſuorum: qui propriis meritis in Eccleſia & Republica ſublimiora munerum obirent, niſi conſanguineus imperaret. Occurret poſtremo admirabilis, & perquam rara vel in ſacra hiſtoria immortalis ſenis Philippuccii ab oblata præcelſa dignitate abſtinentia, quam ille ſortem antevertit a ſe per ſummæ auctoritatis Cardinalem deprecari ſcripto, poſtquam eam ſibi ſenſit impendentem: adeo ut metuens auctoritate Pontificia ſibi præcluſum iri fugam, veluti de cœlo tactus conciderit, febriqûe correptus non ante convaluerit, quam S. Pontifex conſultis Patribus eum trepidatione illa liberaſſet. Cujus nuncii pharmaco doctiſſimus Archiater Pontificius, ad ægrum curandum miſſus, morbum confeſtim cedere animadvertit, ut ſenem beatum, quem ſemianimem invenerat, poſt hunc nuncium viderit prope juveniliter exilientem. Tantam in animos aliorum virtutem propagavit exemplo ſuo Pontifex noſter: qui non alia ex cauſa recuſatam ab ſe diu ſupremam poteſtatem ſuſcepit, niſi ut, quam fugere ſalva pietate non poterat, molem curarum inde imminentem publico beneficio complecterentur. Quoniam vero tuis in litteris jubes, ut ſcripta noſtra ad te perferantur, nos libros Originum a caſtigatione noſtra jam liberare feſtinavimus. Addemus & ſeptem orationes noſtras, ad morum & literarum emendationem ac regimen pertinentes, nempe primam de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. Pont. Max. ſecundam de ſapientia univerſa, tertiam de Juriſprudentia, quartam pro novis Philoſophis, quintam de repetendis fontibus doctrinarum, ſextam de recta in jure diſputandi ratione, ſeptimam de canone interiori. Inſtitutiones meas jam tradidi deſcribendas, ut poſt annum ſi fuerint abſolutæ, ad te mittam, quæ ſunt quotidiani uſus in foro etiam, nedum in ſcholis: adeo ut non ſolum inter eruditos, ſed apud vulgus poſſint frequentes lectores invenire. Hoc enim Inſtitutiones noſtræ cæteris præſtant, quod pari filo cum Juſtinianeis contexuntur, neque notis & commentariis verba ſcinduntur, ſed ſunt paraphraſis & commentariorum inſtar, brevitatem ordinemque illius, horum vero facilitatem copiamque reddentes & eruditionum explicationes breviſſime complectentes. Vale, meque tui ſtudioſiſſimum & amantiſſimum, uti facis, redama. Romæ prid. Id. Jun. MDCCVI.

ACTA CONSISTORIALIA CREATIONIS S. R. E. CARDINALIUM.

Inter innumeras, & graviſſimas curas, quibus ſub onere Apoſtolici Principatus aſſidue premitur Pontifex maximus, illa præcipuum merito locum obtinet, quæ ad Eminentiſſ. S. R. E. Cardinales eligendos ſpectat. *Nihil* enim *Eccleſiæ DEI magis eſt neceſſarium*, ſicuti ſacri Tridentini Concilii Patres ſapienter adverterunt, *quam*

quam ut Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum ſibi Cardinales aſciſcat. Seſſ. 24. de Ref. cap. 1. Quod ſolicito reputans animo Sanctiſſimus Clemens XI. Pont. max. non niſi poſt maturam ac diuturnam deliberationem, atque aſſiduis, accuratisque precibus imploratum cœleſtis gratiæ lumen, ad novos Cardinales creandos, qui orbata jam dudum ſacri Collegii ſubſellia implerent, adductus eſt. Uti vero, quos tanto muneri pares cenſuit, ſedula circumſpectaque cogitatione delegit, Sacrum Conſiſtorium in Palatio Vaticano die 17. Maji 1706. indici juſſit, ut in eo ſolemni cœtu deſignatos Cardinales proponeret, ut moris eſt, ac evulgaret. Habitum itaque dicta die fuit Conſiſtorium, cui interfuerunt viginti quatuor Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales, quotquot fere in urbe degebant. Poſt privata ſingulorum cum ſua ſanctitate colloquia, deventum de more fuit ad plurium Eccleſiarum propoſitionem, vel præconium, quibus finitis Pontifex univerſos Eminentiſſimos Patres e Pontificia ſede ita eſt allocutus:

Venerabiles Fratres. Poſtulat Roma, poſtulat Curia, poſtulat Eccleſia, ut imminutum jam valde Fraternitatum veſtrarum numerum augeamus. Hinc Chriſti Domini exemplo moniti, qui, antequam e diſcipulis ſuis eligeret Apoſtolos, exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei, illiusque potiſſimum temporis opportunitatem nacti, quo iidem Apoſtoli, poſt Chriſti Domini conſcenſum in cœlos, mox adventuro ſpiritu veritatis replendi, erant omnes unanimiter in oratione perſeverantes: enixis tam noſtris, quam aliorum precibus Patrem miſericordiarum exoravimus, ut nobis divinæ ſuæ gratiæ lumine adeſſet, quo tales ad ſublime hoc in Eccleſia Dei munus deligeremus, qui eximiam pietatem ac zelum veſtrum æmulantes graviſſimum infirmitati noſtræ impoſitum onus levare, ac paſtoralem ſolicitudinem noſtram opera & conſilio juvare non prætermitterent. Hac igitur, quam tam ferventer imploravimus, cœleſti ope confiſi, ad majorem omnipotentis Dei gloriam ſanctæque Romanæ Eccleſiæ decus & utilitatem, creare intendimus eos omnes, nempe viginti, qui ad ſeptuagenarium veſtrum numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, & ex his novendecim nunc evulgare, videlicet:

Franciſcum Martellum, Patriarcham Hieroſolymitanum,
Joannem Badoero, Patriarcham Venetiarum,
Laurentium Caſonum, Archi-Epiſcopum Cæſareæ,
Laurentium Corſinum, Archi-Epiſcopum Nicomediæ,
Laurentium Fliſcum, Archi-Epiſcopum Januenſem,
Franciſcum de Aquaviva, Archi-Epiſcopum Lariſſenſem,
Thomam Ruffum, Archi-Epiſcopum Niceæ, Cubiculi noſtri Præfectum,
Horatium Philippum, Archi-Epiſcopum Spadam, Epiſcopum Lucanum,
Philippum Antonium, Archi-Epiſcopum Gualterium, Epiſcopum Imolenſem,
Chriſtianum Auguſtum, e Ducibus Saxoniæ, Epiſcopum Jaurinenſem,
Raynutium Pallavicinum, almæ urbis noſtræ Gubernatorem,
Joannem Dominicum Paracciarum, Protonotarium Apoſtolicum, & Auditorem noſtrum,

Alexandrum Caprara, & Joſephum de la Tremoille, Rotæ Romanæ Auditores,
Gabrielem Philippuccium, Signaturæ Juſtitiæ Votantem,
Carolum Auguſtinum Fabronum, Congregationis de propaganda fide Secretarium,
Carolum Columnam, Protonotarium Apoſtolicum, & Palatii Noſtri Apoſtolici Præfectum,
Petrum Priolum, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, ac Alexandri VIII. Prædeceſſoris noſtri Pronepotem, eujus memoriæ notum omnibus eſt, quantum debeamus,
Nicolaum Grimaldum, Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretarium.

Unum in pectore reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocunque evulgandum. Quid vobis videtur?

Tunc Eminentiſſimus Dominus Acciniolus, Cardinalis antiquior primum, ac ſubinde reliqui Eminentiſſimi Patres, ſervata inter eos ordinis, & loci prærogativa, ſententiam dixere; ſinguli tum proſtantium virorum virtutes & merita effuſis laudibus extulerunt, eorumque in ſacrum Collegium cooptationem conſilio, & aſſenſu unanimi probavere. Unum tamen communis gaudii complemento deeſſe viginti ex ipſis palam affirmarunt, ut ſcilicet Sanctitas ſua ad ampliſſimam hanc dignitatem aſſumere dignaretur etiam

D. Abbatem Annibalem Albanum, germani fratris filium: eſſe illi ætatem ad ejusmodi honorem capeſſendum idoneam; plura ipſum, ac illuſtria ingenii & eruditionis ſpecimina prodidiſſe, non tantum in amœnioribus ſtudiis, verum etiam in ſeverioribus diſciplinis: Theologicas inſuper Theſes ante plures annos in totius conſpectu urbis magno cum plauſu publice propugnaſſe: ac poſt adeptam tum in eadem facultate, tum etiam in utroque Jure lauream Doctoralem in forenſibus ſtudiis majorum urbis Tribunalium diu laudabiliter fuiſſe verſatum: ejus denique prudentiam, pietatem, morum integritatem omnium ſermonibus celebrari; proinde qui communi omnium conſenſu probaretur, tantoque munere digniſſimus haberetur, ex Pontificia moderatione nequaquam reprobandum videri. Quidam Pontificis animum flectere aggreſſi ſunt variis propoſitis exemplis Pii II. Pii V. aliorumque Pontificum, qui ſacro flagitante ſenatu, nepotes ſuos ad Cardinalatus honorem evehere non recuſarunt. Alii demum commemorarunt, hac ipſa recurrente die, Anno 1570. ab eodem Pio V. ſacro Cardinalium cœtui adſcriptum fuiſſe Joannem Hieronymum Albanum, Sanctitatis ſuæ gentilem, pietatis literumque gloria celeberrimum, adeoque maxime decere ajebant, ut ea ipſa felici die ſua Sanctitas ſacro Collegio redderet Cardinalem Albanum, communibus expetitum votis, domeſticarum virtutum æmulum, eidemque collegio præſidio ſimul ac ornamento futurum. Porro Eminentiſſimi D. D. Sacripantes, Prodatarius, & Pauluccius, a Secretis Status, etſi cum reliquis omnino ſentirent, ab ejusmodi tamen petitione ſibi, ut Pontificiis Adminiſtris, abſtinendum eſſe duxerunt. At Pontifex ſacri Collegii precibus minime delinitus, nec allatis rationibus, & exemplis a propoſito revocatus, nepote præterito, eos tantum Cardinales creavit, quos ſupra memoravimus, pronuntiavitque

deſuper

deſuper Apoſtolicum ſolemne decretum, ex conſueta verborum formula tenoris ſequentis, videlicet:

Actoritate omnipotentis Dei, & ſanctorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, ac Noſtra creamus S. R. E. Presbyteros & reſpective Diaconos Cardinales, Franciſcum Martellum, Patriarcham Hieroſolymitanum, Joannem Badoero, Patriarcham Venenetiarum, Laurentium Caſonum, Archi-Epiſcopum Cæſareæ, Laurentium Corſinum, Archi-Epiſcopum Nicodemiæ, Laurentium Fliſcum, Archi-Epiſcopum Januenſem, Franciſcum de Aquaviva, Archi-Epiſcopum Lariſſenſem, Thomam Ruffum, Archi-Epiſcopum Niceæ, Horatium Philippum, Archi-Epiſcopum Spadam, Epiſcopum Lucanum, Philippum Antonium, Archi-Epiſcopum Gualterium, Epiſcopum Imolenſem, Chriſtianum Auguſtum, e Ducibus Saxoniæ, Epiſcopum Jaurinenſem, Raynutium Pallavicinum, Joannem Dominicum Paracciannm, Alexandrum Caprara, Joſephum de la Tremoille, Gabrielem Philippuccium, Carolum Auguſtinum Cabronum, Carolum Columnam, Petrum Priolum, Nicolaum Grimaldum, cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis. Unum in pectore reſervamus, arbitrio noſtro quandocunque declarandum. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

His peractis Eminentiſſimus D. Cardinalis Mariſcottus, qui aliquot ante dies Sanctiſſimo nuntiaverat, ſe a R. P. D. Gabriele Philippuccio fuiſſe rogatum, ut quatenus ſua Sanctitas ipſum ſacro Cardinalium ſenatui adſcribere decreviſſet, id impedire, atque Pontificem a ſententia deducere conaretur, cernens ipſum in ea conſtantem perſtitiſſe, rurſus ejusdem D. Philippucci preces expoſuit, humiliter ſupplicantis, ut ſua Sanctitas recuſationem Cardinalatus, cujus oneribus ferendis ſe prorſus imparem agnoſcebat, benigne admittere dignaretur, ac deinde aſſurgens reverenter exhibuit Sanctitati ſuæ ſupplicem libellum ſcriptum, ſubſcriptumque ab eodem D. Philippuccio, quo hæc ipſa petitio continebatur. Pontifex acceptum libellum legendum tradidit Eminentiſſimo Domino Cardinali Pamphilo, Priori Diaconorum, qui ſtatim eum palam in Conſiſtorio recitavit; ejus autem exemplum hic ſubjicietur:

P. P. Invaluit rumor, Sanctitatem Veſtram inter Cardinalitia dignitate decorandos me quoque adſcribere deliberaſſe. Fateor ingenue, me hujuſmodi rumorem non modo vanum prorſus & inanem, ſed etiam ſummæ prudentiæ Sanctitatis Veſtræ injurioſum ſemper habuiſſe & adhuc habere, cum revera me nulla ex iis qualitatibus præditum agnoſcam, quibus ad tantæ dignitatis culmen paratur adſcenſus. Verum quia ſumma & innata bonitas, quæ in Sanctitate Veſtra reſidet, his omnibus poſthabitis, vere adhuc efficere poſſet, quæ falſo, ut dixi, a fama nunciata fuiſſe exiſtimavi: idcirco in hoc caſu humillime provolutus ad pedes Sanctitatis Veſtræ, majori, qua poſſum, ſubmiſſione, aliis quamplurimis rationibus omiſſis, pono ante ejus clementiſſimos oculos gravem meam ætatem, quæ in hiſce poſtremis diebus omnino indiget pace & quiete, non autem agitationibus, quas ſecum ferunt negotia eidem dignitati neceſſario annexa. Spero itaque, Sanctitatem Veſtram benigne admiſſuram eſſe eam, quam poſt diuturnas ad Deum fuſas preces ſponte, libere, & matura prævia deliberatione nunc facio, & in qua, Deo dante, conſtantiſſime, quoad vixero, perſeverabo, recuſationem, vel potius non acceptationem, ſeu etiam, ſi opus fuerit, repudiationem aut renunciationem Cardinalatus; cum præventiva tamen facul-

Digitized by Google

facultate, quatenus opus ſit, ſi ita placeat ſummæ bonitati Sanctitatis Veſtræ, retinendi pro mea honeſta ſuſtentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Eccleſia S. Johannis in Laterano, cum penſionibus, una ſcilicet ſuper altero Canonicatu ejuſdem Eccleſiæ, alia ſuper Canonicatu Baſilicæ, S. Petri, & reliqua ſuper dignitate Cathedralis Albinæ, nec non alia officia, quæ modo ſimiliter obtineo. Venerabundus deoſculor pedes Sanctitatis Veſtræ, deprecans ei a Deo Opt. Max. omne bonum.

Humillimus & obſequentiſſimus ſubditus,
GABRIEL PHILIPPUCCIUS.

Abſoluta hujuſmodi libelli recitatione, Sanctiſſimus, etſi animum a compellendo invito alienum oſtenderet, aſſerens ſe toto ſui Pontificatus tempore neminem unquam renuentem ad Epiſcopale munus ſuſcipiendum coegiſſe, & cæteroquin expediens ducere, ut præclara hæc Chriſtianæ humilitatis exempla aliquando ederentur: noluit tamen illico quidquam decernere, ſed meritiſſimo viro longius tempus ad deliberandum in re tam gravi concedere velle declaravit. Interea vero ſinguli Eminentiſſimi Patres e ſubſelliis ſurgentes ad Pontificiam ſedem acceſſere, obſeſſumque Pontificem validioribus, quam antea, precibus aggreſſi ſunt, ut D. Abbatem Albanum, nepotem ea ipſa die ſacra decorare purpura dignaretur. Verum Pontifex ſententiæ tenax novam hanc oppugnationem fortiter excepit, propulſavitque, quin imo vultu commotior ait ſe eorum ſuffragia exquiſiviſſe pro iis, quos Cardinales creare intendebat, non autem pro iis, quos creare minime intendebat, adeoque omnino ab ejuſmodi ſibi moleſta petitione deſiſterent. Quibus verbis univerſos dimiſit, ingenti profecto admiratione perfuſos, quod Pontificia conſtantia obnixis iteratiſque ſacri Collegii precibus flecti minime potuiſſet.

Eadem die veſpertinis horis omnes renunciati Cardinales, Romæ degentes, præter D. Philippuccium, ſcilicet Eminentiſſimi Martellus, Caſonus, Corſinus, Fliſcus, Ruffus, Pallavicinus, Paraccianus, Caprara, de la Tremoille, Fabronus, Columna, Priolus, & Grimaldus, in Vaticanum palatium conceſſere, purpureum birretum, atque mozzetam, ut vocant, a Sanctiſſimo accepturi, eique de ſua in ſacrum Collegium cooptatione gratias, ut moris eſt, acturi. Eos omnes Pontifex in cubiculo, ubi ſacræ Inquiſitionis Congregatio haberi ſolet, benigno, lætoque vultu excepit, ad oſculum Pontificiorum pedum admiſit, ac ſubinde ceremoniarum magiſtris opem ferentibus, purpureo birreto ſingulos, atque mozzetta decoravit. His peractis Eminentiſſimus Martellus ſuo, collegarumque nomine, ſatis gravi, ac ornata oratione Italicis verbis compoſita Sanctiſſimo gratias egit. Cui Sanctitas ſua eodem ſermone in hunc fere modum reſpondit:

Devoti obſequii, gratique animi ſenſus, quos ob acceptam Cardinalitiam dignitatem profitebantur, ſibi perjucundos accidere. Ipſam quidem dignitatem omnium eſſe maximam, quæ ab Apoſtolica ſede conferri poſſunt, jure tamen ipſis delatam eſſe, quorum ſpectata virtutes, atque præclara in Apoſtolicam ſedem merita jamdudum tali eos præmio digniſſimos declarabant. Porro non alia ab eis grati animi ſe expetere documenta, niſi quod proprii officii partes ſedulo implere ſtuderent. Reminiſcerentur idcirco, ſibique attente conſideranda proponerent verba Cantici Annæ: Domini enim ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem: 1. Reg. cap. 2. verſ. 8. *quibus verbis Cardinalatus eſſentia & quidditas demonſtretur; Cardinales enim, ut notum*

notum eſt, a Cardine denominari. Hos autem Cardines non mundi, non carnis & ſanguinis, non Principum ſeculi, vel alterius cujuſcunque perſonæ, ſed domini duntaxat, ut ſacer textus admonet, Cardines eſſe debere, id eſt nulli partium ſtudio addictos, ſed Eccleſiæ Apoſtolicæ ſedis, adeoque JEſu Chriſti tantum obſequiis mancipatos. Adverterent præterea diligenter, ſacrum textum non dicere: poſuit eos ſuper orbem, *ſed:* poſuit ſuper eos orbem, *ut per hunc loquendi modum Cardinales edoceantur, ipſorum munus eſſe Eccleſiæ onera ſane graviſſima ſuſtinere. Eminentiſſimum igitur, qui ad ſublimem hunc gradum aſſumitur, proponere ſibi debere, ſe a Deo non ad otium, delicias, faſtumve; ſed ad labores, curas, atque ſolicitudines vocatum eſſe. Romanum Pontificem ſervum ſervorum appellari, hujuſce Pontificiæ ſervitutis Cardinales quoque, qui perpetui ejus Coadjutores & Conſiliarii ſunt, participes eſſe oportere, quin etiam ejuſmodi ſervitutis nunc maxime potiorem quam unquam alias, partem illius ſubeundam eſſe, propter infirmitatem ipſiuſmodi Pontificis, qui difficillimis hiſce temporibus ſe tanto oneri ferendo plane imparem agnoſcebat. Meminiſſe igitur eos debere, Cardinalium officium in eo præcipue ſitum eſſe, ut Pontifici oportunis conſiliis & monitis adſint, etiam irrequiſiti. Eo ipſos officio diligenter fungi, quam enixe cupere, eaque de re cujuſque illorum conſcientiam diſtricte onerare. Minime tamen ambigere, quin cum hanc, tum reliquas omnes ſuſcepti muneris partes egregie impleturi forent, ac palam ſemper facturi, probe intelligere, non eos ſuper orbem, ſed orbem ſuper eos poſitum eſſe. Quod ſi feciſſent, ut omnino ſibi pollicebatur, ex ipſorum creatione magnum Sanctitati ſuæ meritum apud Deum, magnum itidem Catholicæ Eccleſiæ præſidium & decus, magnum denique eorum animabus emolumentum comparatum iri. Quæ ut feliciter evenire vellet, divinam bonitatem enixis aſſiduiſque precibus exorare non prætermitteret.*

Dimiſſis poſtmodum Eminentiſſimis Cardinalibus, Pontifex de perſona D. Philippuccii Cardinalatum renuentis deliberare cœpit. Miſit itaque poſtridie Patrem Franciſcum Mariam Caſinum, ex familia Capucinorum, ſacri Palatii Apoſtolici Concionatorem, pietatis, prudentiæ, doctrinæque laudibus inſignem, qui nullo hortationis genere prætermiſſo, hominem de ſuſcepta ſententia revocare, & ad accipiendam Cardinalitiam dignitatem adducere niteretur: eique præterea ſubſidia exponeret, quibus Sanctitas ſua domeſticæ illius rei anguſtiis liberali plane animo ſubvenire decreverat. Irritus tamen fuit Pontificius conatus; nam D. Philippuccius propoſiti tenax nullis omnino rationibus flecti potuit. Quinimo ex ejuſmodi ſibi permoleſto ſucceſſu eam ſuſcepit animi ægritudinem, ut in admodum gravem, ancipitemque corporis morbum delapſus fuerit. Quod ubi reſcivit Sanctitas ſua, illico miſit Illuſtriſſimum D. Joannem Mariam Lanciſium, Medicum intimum Pontificium, qui ſuo nomine ægrum inviſeret, eumque conſolari & a ſuſcepto mœrore abducere conaretur.

Explorato vero jam ſatis ſuperque D. Philippuccii animo, Pontifex Maximus, ne quid inconſulte decerneret, exquirendum cenſuit votum complurium D. D. Cardinalium, ſapientia & rerum uſu præſtantium, itaque negotium ſerio ac diligenter expendendum commiſit Eminentiſſimis D. D. Acciajolo, Carpineo, Mariſcotto, Spada, Colloredo, Pantiatico, Sacripanti, Ferrario, Spinolæ, Pauluccio, Sperello, Pamphilio, ac Otthobono, conſtituta ex ipſis peculiari congregatione, cujus Secretarium, R. P. D. Coradinum, Sanctitatis ſuæ Auditorem deſignavit. Coacta igitur

Tttt ejus-

Digitized by Google

ejusmodi Congregatione in ædibus Eminentiſſimi Acciajoli die 25. Maji 1706. diſcuſſoque mature dubio, an R. P. D. Philippuccius a Sanctiſſimo cogendus eſſet præcepto ſanctæ obedientiæ ad Cardinalatum ſuſcipiendum, ejusque inſignia geſtanda, cæteraque ſolemnia peragenda, Eminentiſſimi Patres unanimes cogendum non eſſe cenſuerunt.

Poſt hæc idem D. Philippuccius in propoſito usque magis conſtantior perſeverans, ne de fixa deliberataque ejus voluntate refutandi, vel etiam renuntiandi Cardinalatum unquam dubitari contingeret, omnia & ſingula in ſupplici ſuperius enuntiato libello contenta confirmavit, ampliavitque, ac uberius adhuc & ſolemnius animum ſuum ea in re declaravit, publico deſuper die 31. ejusdem Menſis Maji 1706. celebrato inſtrumento, cujus exemplum inferius ſubjicietur.

Cernens itaque Sanctiſſimus Pater, nullam jam ſibi reliquam eſſe ſpem flectendi viri conſtantiam, vimque renuenti juxta Congregationis ſenſum adhibendam non eſſe ducens, tandem ad enixas illius preces exaudiendas benignum animum inclinavit. Indici propterea juſſit ſacrum Conſiſtorium Fer. II. die 7. Junii 1706. quo rite coacto præſentes Eminentiſſimos Patres 37. his verbis allocutus eſt:

Venerabiles Fratres. Inter eos quos, in præterito Conſiſtorio, de unanimi Fraternitatum Veſtrarum conſilio pariter & aſſenſu Cardinales creavimus, fuit, ſicuti noſtis, dilectus Filius, Gabriel Philippuccius, Signaturæ Juſtitiæ Votans. Curaverat is quidem prius nobis non obſcure indicari animum ſuum a tantæ dignitatis, quam ſibi deferendam audiverat, fulgore refugientem, ſed, ut verum ingenue fateamur, Chriſtiana hæc & rara Viri humilitas potius nos in ſuſcepto conſilio magis confirmavit. Clarius ille poſtmodum ac diſertius ſenſus ſuos aperuit, ſupplici libello nobis in eodem Conſiſtorio per dilectum Filium Noſtrum Galliatium, Cardinalem Mariſcottum porrecto, cujus tenorem tunc audiviſtis, & hodie iterum audietis. Noluimus hac in re quidquam tunc inconſulta celeritate decernere, ſed ſolum eidem Gabrieli longius tempus ad deliberandum concedere velle declaravimus, ut tam ſuis, quam aliorum precibus divinam voluntatem accuratius exploraret, ſperantes profecto, tametſi a compellendo invitum fere eſſemus alieni, quod ipſe ſerius animo reputans, ſe per miniſterium Noſtrum a Deo vocatum fuiſſe, judicio tandem Noſtro acquieſcere deberet, ac non minus amicorum lachrimis, quam ſuaſionibus flecti; verum aliter omnino res accidit. Ille ſiquidem propoſiti tenax, accepto geſtæ rei nuntio, idem, quod antea, conſtantiſſime ſemper ſenſit; idem quod antea, demisſiſſime ſemper precatus fuit. Nullum interea nos, adhibita ad id ſpectatæ pietatis & prudentiæ virorum opera, hortationis genus omiſimus, quo optimum Senem de ſuſcepta ſententia deduceremus, ac rationes, quibus ille cauſam ſuam orabat, rejiceremus; omnia tamen irrito conatu: nec ſolum irrito, ſed ei inſuper gravi adeo & moleſto, ut ipſa ejus vita in propinquum inde diſcrimen pene adducta fuerit. In hoc rerum ſtatu quid conſilii capere deberemus, a compluribus ex Fraternitatibus veſtris, quarum fideli in ſinu Pontificiæ ſolicitudinis curas deponere conſuevimus, libentiſſime exquiſivimus, & ſane re mature ac diligenter, quemadmodum veſtri moris eſt, diſcuſſa, nullam renuenti vim adhibendam eſſe unanimes cenſuiſtis. Interim idem Philippuccius, ne de conſtanti ejus voluntate recuſandi, refutandi, ac etiam renuntiandi Cardinalatum unquam dubitari contingeret, omnia & ſingula in ſupplici ſuperius enunciato libello contenta, confirmando & ampliando uberius

adhuc

adhuc & ſolemnius animum ſuum hac in re declaravit, publico deſuper celebrato inſtrumento, quod mox a Secretario Collegii Veſtri legendum erit.

Perlectum ſubinde fuit a D. Secretario Collegii elata voce memoratum inſtrumentum, tenoris, qui ſequitur, videlicet:

In DEI Nomine, Amen. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, die trigeſima prima Maji, Indictione XIV. regnante Sanctiſſimo Domino Noſtro, Clemente, Papa XI. Anno ejus Pontificatus ſexto.

Cum ſit, prout aſſeritur, quod ante aliquot menſes in ore atque ſermone Curialium hujus almæ urbis exortus fuerit rumor, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum inter cæteros Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio a Sanctitate ſua adſcribendos aſſumere ſtatuiſſe etiam Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Gabrielem Philippuccium, Signaturæ Juſtitiæ Votantem; ejuſmodi vero rumor diebus proxime præcedentibus noviſſimum Conſiſtorium habitum die 17. labentis Menſis Maji, maxime percrebuerit; unde idem D. Philippuccius, tali rumore audito, tametſi illum falſum exiſtimaverit, valde tamen timens, ne verum eſſe contingeret, Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Mariſcottum rogaverit, ut eundem Sanctiſſimum ab hujuſmodi conſilio, quatenus illud ſuſcepiſſet, removere conaretur, eique exponere dignaretur cauſas, ob quas tantæ dignitatis oneribus ferendis ſe prorſus imparem agnoſcebat, adeoque illam nunquam acceptare potuiſſet, quinimo expaveſcens, ne Sanctitas ſua in Conſiſtorio ſupra dicto eum Cardinalem crearet, ipſi Eminentiſſimo Mariſcotto ſupplicem libellum manu ſua ſcriptum & ſubſcriptum dicto Sanctiſſimo porrigendum in actu Conſiſtorii tradiderit, in quo conſtantem animum ſuum nequaquam aſſentiendi ſuæ creationi in Cardinalem, eamque dignitatem refutandi, repudiandi, & renuntiandi apertiſſime declarabat.

Cumque etiam ſit, quod dictus Eminentiſſimus Mariſcottus etiam ante Conſiſtorium prædictum Domini Philippuccii ſenſus, ea qua decebat, circumſpectione & reverentia eidem Sanctiſſimo innuere non omiſerit, ut eum a propoſito removeret. Verum Sanctitas ſua hujuſmodi accepta notitia in ſua potius ſententia conſtantior perſeverans, ſpe forſan concepta, quod dictus D. Philippuccius, prout alii alias fecerunt, tandem aſſentiret, illiusque animus rationibus & inſinuationibus Amicorum flecteretur, eum in ſupra dicto Conſiſtorio diei 17. labentis Menſis una cum aliis pluribus S. R. E. Cardinalem creaverit ac pronuntiaverit, quemadmodum conſtat ex decreto Conſiſtoriali dictæ Creationis, & notorium eſt.

Sitque etiam, quod ſtatim edito dicto decreto idem Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Mariſcottus, aſſurgens in præfato Conſiſtorio, dictum ſupplicem libellum ſcriptum, ſubſcriptumque ab eodem Reverendiſſimo Philippuccio, Sanctiſſimo exhibuerit, & Sanctitas ſua illum legendum tradiderit Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinali, Benedicto Pamphilio, priori Diaconorum, qui illius tenorem audientibus & intelligentibus omnibus Eminentiſſimis D. D. Cardinalibus, qui dicto Conſiſtorio interfuerunt, de verbo ad verbum, palam publice legit & publicavit, uti patet ex Actis Conſiſtorialibus, atque ex ipſo ſupplici libello originaliter mihi tradito, ad effectum eum inferendi præſenti Inſtrumento, cujus tenor hujuſmodi eſt:

Beatiſſime Pater. Invaluit rumor &c.

Omittitur integrum ſupplicis libelli exemplum, quia alibi, nempe ſuperiori folio 695. inſertum fuit.

Sitque itidem quod idem Sanctiſſimus Dominus Noſter, ſuper præfata inſtantia, nihil tunc in dicto Conſiſtorio decreverit, ſed ſolum ſe longius tempus ad deliberandum in re tam gravi eidem Domino Philippuccio dare velle declaraverit, ac ſubinde mediante opera graviſſimi Viri, quem ad ejuſmodi munus delegit, nullum hortationis genus omiſerit, quo ipſum D. Philippuceium a ſuſcepto conſilio deduceret, atque ad accipienda Cardinalatus inſignia urgeret, validisſimis ad id illatis rationibus, imo etiam munificentisſimis additis oblationibus, quibus domeſticæ ejus rei anguſtiis abunde ſubventum eſſet. Verum omnia inutiliter & in caſſum geſta fuerint.

Hinc eſt quidem in mei Ceremoniarum Sanctisſimi Domini Noſtri Magiſtri ac Protonotarii Apoſtolici, teſtiumque infra ſcriptorum præſentia conſtitutus idem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dn. Gabriel Philippuccius, Maceratenſis, mihi cognitus, cognoſcens ſuas vires omnino impares eſſe ad tantæ dignitatis onera ferenda, ex cauſis in relato ſupplici libello recenſitis, ne unquam in futurum dubitari contingat de ejus voluntate, & ne amplius ſub ancipiti remaneat vis & robur dicti decreti Conſiſtorialis, in quo S. R. E. Cardinalis pronuntiatus fuit, præmisſis humillimis precibus, quibus exorat Sanctisſimum Dominum Noſtrum, ut dignetur ea paterna pietate, qua fulget, benigne admittere excuſationes ſuas in relato ſupplici libello enunciatas, & animum ſuum a maximis anguſtiis eripere, præmiſſaque itidem ſolemni declaratione, qua innumeras Sanctitati ſuæ rependit grates, quod indignum & humillimum ſervum, ſubditumque ſuum ad tam eminentem Eccleſiæ Catholicæ gradum evehere cogitaverit, ſponte & ex animi ſui matura & conſtanti deliberatione fatetur, & aſſerit rem univerſam ſuperius narratam eſſe veram, & ſupplicem libellum, juxta tenorem ſuperius relatum, fuiſſe a ſe traditum Eminentisſimo Cardinali Mariſcotto ante præfatum Conſiſtorium diei 17. currentis Menſis Maji omniaque & ſingula in dicto ſupplici libello a me coram infra ſcriptis teſtibus eidem tradito, & ab eodem lecto, & attente ponderato, mihique ſtatim reſtituto, conſenta laudat, probat, ratificat, & emulgat, illumque integrum & prout jacet, manu ſua ſcriptum & ſubſcriptum medio juramento tactis &c. fatetur, ac eo animo & firma intentione dicto Eminentisſimo Mariſcotti eſſe traditum affirmat, ut dictus Eminentisſimus illum exhiberet Sanctisſimo in Conſiſtorio, quatenus Sanctitas ſua eum inter Cardinales creandos nominaſſet eidemque Sanctisſimo, & univerſo ſacro Eminentisſimorum D. D. Cardinalium collegio conſtans ejus animus innoteſceret, nequaquam tantam dignitatem, cui ſe imparem omnino intelligebat, & intelligit, acceptandi, imo eam præventive, repudiandi, refutandi, & renuntiandi. Declarat præterea iterum atque iterum, ſe neque ante dictum Conſiſtorium, neque dictæ creationis in Cardinalem tempore, aut poſtea, & usque in præſens eidem creationi in Cardinalem aſſenſum ſuum unquam præſtitiſſe, imo ſemper & conſtanter repugnaſſe, & repugnare, & tantam dignitatem humeris ſuis gravisſimam ſe ſemper repudiaſſe, refutaſſe, & renuntiaſſe, prout iterum eam repudiat & refutat, & quatenus opus ſit, omni & cuicunque juri, tam ad rem, quam in re, tam initiato, quam perfecto, & ſi quod acquirere potuiſſet, vel acquiſiverit ex creatione, pronunciatione, & decreto Conſiſtoriali in manibus ejuſdem Sanctisſimi renuntiat, & dimittit, nullo jure ſibi prorſus reſervato, facultatem plenariam & opportunam impartiendo Reveren-

verendiſſimo Domino Secretario Sacri Collegii Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, & cuicunque perſonæ Sanctiſſimo bene viſæ, hanc refutationem, repudiationem, & quatenus opus ſit, renuntiationem ſuam eidem Sanctiſſimo, & Collegio exhibendi, ac pro eo humillime ſupplicandi Sanctitati ſuæ, ut dignetur illam admittere, ſeque quod reliquum vitæ ſibi ſupereſt, in ſua vocatione, & quiete tranſigere permittat. Actum in palatio ejusdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Gabrielis Philippuccii, præſentibus Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis D. D. Petro Annibaldenſi de Molaria, Signaturæ Juſtitiæ Votante, & Antonio Franciſco de Graſiis, Cardinalibus Sacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis teſtibus vocatis, & rogatis. Ita eſt. Candidus Caſſina, Novocomenſis, Sanctiſſimi D. N. Papæ Cæremoniarum Magiſter & Protonotarius. Loco (X) ſigilli.

Abſoluta inſtrumenti recitatione Sanctiſſimus inceptam orationem his verbis proſecutus eſt:

His omnibus attentis, Beati Gregorii prædeceſſoris noſtri exemplum ſequentes, qui invitum neminem Epiſcopale onus ſubire Apoſtolica juſſione coegiſſe unquam reperitur, recuſationem, repudiationem, ſeu renunciationem a præfato Gabriele Philippuccio, ſicut præmittitur, factam admttere intendimus, eidem Gabrieli forſan aliquando illud ipſum dicturi, quod prædictus Beatus Gregorius cuidam Sebaſtiano, qui commiſſum ſibi ab Anaſtaſio Patriarcha Eccleſiæ regimen recuſaverat, reſcripſit, videlicet: Senſum ac ſapientiam veſtram valde ego libenter amplexus ſum, laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem eſſe deputavi, qui hoc tempore regimen Eccleſiæ ſuſcipere conſenſi. Faxit divina bonitas, quæ omnia ſapienter diſponit, ex humili hac ampliſſimæ dignitatis recuſatione, non minus utilitatis & ornamenti in Eccleſiam derivari, quam ex tot præſtantium virorum laboribus, qui gravia ejusdem dignitatis onera non refugerunt.

Quid vobis videtur?

Auditis poſtmodum viginti quatuor Eminentiſſimorum Cardinalium ſententiis, (nam reliqui tredecim recentiores a ferendo ſuffragio abſtinere debuerunt, quod nondum ipſis ea facultas a Pontifice tributa foret) cum ſinguli Cardinalatus refutationem a Reverendiſſimo D. Philippuccio factam admittendam eſſe unanimes cenſuiſſent, Sanctiſſimus ejusmodi refutationem, atque renuntiationem Apoſtolico ſolemni Decreto ſequentibus verbis concepto admiſit & approbavit:

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra.

Admittimus recuſationem, repudiationem, ſeu refutationem, & quatenus opus ſit, renuntiationem, ac dimiſſionem juris, quod acquiſivit vel acquirere potuit præfatus Gabriel Philippuccius ex ejus promotione ad Cardinalatum in ſuperiori Conſiſtorio per nos facta, ejusque locum vacantem, ut prius, declaramus, perinde ac ſi promotio de illius perſona facta nunquam fuiſſet. Praterea quatenus opus ſit, & ad abundantiorem cautelam, concedimus ei retentionem Canonicatus & Præbendæ Eccleſiæ Sancti Joannis in Laterano, nec non officii Doctoris Decretorum Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ac penſionum omnium Eccleſiaſticarum, quas de præſenti obtinet, cum derogationibus & clauſulis neceſſariis & opportunis: In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

Deventum poſtea fuit, ut moris eſt, ad propoſitionem & reſpective præconium plurium Eccleſiarum; quibus finitis Sanctiſſimus ita rurſus locutus eſt:

Venerabiles Fratres. Locum Collegii veſtri, quem admiſſa nuper recuſatione, repudiatione, ſeu renuntiatione dilecti Filii Gabrielis Philippuccii, ut prius, vacare declaravimus, abſque ulla cunctatione implere volumus, ideoque ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidium, & decus, creare intendimus. Presbyterum Cardinalem Venerabilem Fratrem, Michaelem Angelum de Comitibus, Archi-Epiſcopum Tarſenſem.

Quid Vobis Videtur?

Singuli Eminentiſſimi Cardinales Seniores, ſilentibus cæteris junioribus, ob ſuperius enuntiatam rationem ante dicti Reverendiſſimi de Comitibus, Archi-Epiſcopi Tarſenſis, generis nobilitate, virtutibus & meritis honorifice commemoratis, illius in Sacrum Collegium cooptationem unanimi ſententia comprobarunt. Quocirca ſua Sanctitas ipſum ſubinde S. R. E. Presbyterum Cardinalem creavit, & pronunciavit, adhibita conſueta verborum formula, videlicet:

Auctoritate omnipotentis Dei, & S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Michaelem Angelum de Comitibus, Archi-Epiſcopum Tarſenſem, cum derogationibus & clauſulis, neceſſariis & opportunis: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſtremo Sanctiſſimus ut eximiam ſuam, ac vere paternam in D. Philippuccium charitatem aliquo alio minime reſpuendo beneficii genere declararet, ſimulque ejus honeſtæ ſuſtentationi opportune proſpiceret, peracto Conſiſtorio illi attribuit, & aſſignavit annuum ſubſidium mille ſcutorum monetæ Romanæ, quoad vixerit, & Cameræ Apoſtolicæ proventibus perſolvendum; inſuper officium Votantis Signaturæ Juſtitiæ ab ipſo dimiſſum, ejus ex ſorore nepoti D. Franciſco de Vico, in Romana curia Advocato, benigniſſime detulit, ac demum eundem D. Advocatum, quo commodius atque decentius ſuſcipiendi muneris onera ferre poſſet, Canonicatu Lateranenſis Eccleſiæ, qui jam dudum vacabat, auxit, ornavitque, ſacro plaudente ſenatu, univerſaque propemodum urbe Pontificiam munificentiam, ac æquitatem, quibus par erat, laudibus proſequente.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX SPECIALIS RERUM & VERBORUM.

Accenſi, unde appellati 6
eorum officium, ib. & not. **
Acceptilatio, quid, ejusque formula 279
Accurſius, (Florentinus) ejus alacritas, doctrina, laudes, mors, ſcripta 113
ſchola Accurſii 139
Actiones legis quid 30
quæ ejus capita 267
utiles quæ & unde 45
Actus legitimi, qui 30
eorum indoles 267
num & quatenus a legis actionibus differant ibid.
Aditio hereditatis, quid & quot modis contingat 276
Adoptionis indoles, diverſitas, effectus 272 ſq.
Adrogationis indoles, diverſitas, effectus 273
Adulterium, quid, unde nomen, quam habeat pœnam, quæ ob id vindicta permiſſa 420
num inter deſponſatos committatur? num concubinam ancillam comprehendat? in ejus adjutores quæ pœnæ 425
accuſandi modus, cuique permiſſa ib. & ſq.
Ædes inter vicinas quale ſpatium neceſſe 189
Ædificia publica reficienda dabantur cenſoribus 8
Ædiles unde, eorum munus, ætas, jurisdictio 40
Ædiles curules unde, nominati, ex quibus collecti, eorum habitus & inſignia 40
Ædiles cereales, qui 41
Ægyptii unde leges acceperint 163
Ælianum jus 30
Ælii fratres 53
Ælius Marcianus 73
Ærarium P. R. qui diſpenſaret 14
in illo leges, SCta, & pretioſiſſima urbis aſſervabantur 19
auctum fuit viceſimis portionibus privat. hereditatum lege Papia 31. 381
Ætas 60. annor. generationis finis eſt legibus, & ultra generationi non plane in maſculis inepta 355
Africanus (Sext. Cæcil.) Julianum præceptorem ſuum imitatur 72
Agrorum culturæ dignitas apud Rom. 5. 9
Albericus 111
Album prætoris quid 38. ſq.
Alciatus nullo parturientis dolore natus, ejus eruditio, æſtimatio & ſcripta, 125. ſq.
Alcibiades ſe ſuamque patriam perdit, ejus mores & vitæ ratio 314
Alfenus (Varus) ex ſutore JCtus & conſul evaſit, Servii auditor, hujusque ſcripta, 63
Ambitus qui rei 445
Ampliare reum quid notet 438
Animorum pravitatem pœnæ non auferunt 584
Annulorum aureorum jus quod involvebat 337 & 363
Anſeres alebantur de publico 8
Antipater (Cæl.) hiſtoricus 55
Apparitores 6
Appellatio a conſulibus ad P. R. licita 12
Aquæ pluviæ arcendæ actio 190
Arbores quanto ſpatio a confinio abeſſe debeant 191
Arborum cedendarum diſpoſitio ex XII. Tabul. 191
fructus fures quomodo puniuntur 214
Areadum pro legibus oratio 647
Ardizonus (Jac.) feudorum librum ſcripſit 114
de Arena (Jac.) 115

Ariſto

Ariſto (Tit.) ſummis a Plinio laudibus extollitur 72
Armorum uſus quatenus interdictus 435
abſque armis etiam vis inferri poteſt ib.
Arrianus 72
Aſſeſſores præfecto prætorio aſſidebant, hujus munere principes aliquando functi 92
Aſſis computandi ratio 206
Atinii plebiſcitum 4
Aufidius (Cnej.) ejus ſcientia & cœcitas 59
Aufidius (Namuſ.) ib.
Aufidius (Tucca) 64
Auguſtinus (Ant.) ejus origo, merita, laudes & ſcripta 129. ſq.
Auguſtus, cur Auguſti, Imperatoris & Cæſaris nomen receperit 82
Auſpiciorum ritus 513
Authenticæ conſtitutiones 97
Averſa venus 432
Azo, Bononienſis, ſumme celebris, ejus ſcripta & mors 111

B*albus* (Lucil.) Stoicæ philoſophiæ ſua ætate princeps 59
Baldus, unde originem ducat, quos fratres habeat, Bartoli æmulus, ejusque doctrina 120. ſqq.
Balduinus, Bononienſis, ejus dignitas 112
Bartolus, unde ortus, ejus ſchola, laudes, dignitas & mors 107. 117. ſqq. 139
Baſilicorum librorum auctor quis, quare ſcripti, illorum fata & diverſitas 101. ſq.
de *Bella Pertica* (Brutus) 115
Bellum & *ſervitutes* cur ad jus gentium referantur 158
Bellum apud Romanos, qui gerebat 13. 20
ejus jus, finis eſt pax 157. ſq.
de *Belviſo* (Jacob.) 115
Berytus, Phœniciæ metropolis, ibi jam ante Juſtinianum jurisprudentiæ ſchola erat 101
Bituricenſis ſchola docentium & diſcentium numero clariſſima 130
Bizantium v. Conſtantinopolis.
Boni malive natura quæ 141
Bononienſis ſchola 105
Bonorum finis 150
Boſſianus (Joh.) 111
Briſſonius (Barn.) advocati, præſidis & legati munere functus, rerum veterum inveſtigator acutus, a civibus ſeditioſis infeliciter peremtus fuit 137. ſq.
Brocardica unde 110
Brutus (Marc. Jun.) 54
Budæus, ejus origo, & libido alios reprehendendi, nec non honores & ſcripta 128
Bulgarus, os aureum adpellatus, Bononiæ docuit, ejus doctrina & fata 109
Buſtum quid, quo ſpatio ab ædibus diſtare debuerit 263. 563
Butrigarius (Jac.) cujus diſcipulus fuit Bartholus 115

C*adaverum* Romæ humatio 255
quibus ritibus abſolvebatur uſtio 256
unctura 260
ſepultura 257
num lacrymis perficienda 259
quibus ſumtibus permiſſa 257
ſepulcra horumve jura 264
Caducæ res quæ ſint & quot modis fiant 381. ſq.
quibus relinquendæ, quousque fiſcus ab illis arceatur 384
earum fraudes detegentes præmiis affecti 389
Cælibes unde dicti 353
cælibatus ſui pœnas luebant 368
quousque illis ex cognatorum teſtamentis capere licebat 369
omnibus pœnis liberabat Conſtantinus 370 & 373
Cæſar (Jul.) ejus mores vitæque ratio 314
Cajus, noſter dicitur ab Juſtiniano, inſtitutiones juris ſcripſit 64. 70
Calliſtratus 74

Candidati ſub imperatoribus quæſtores erant 87
qua formula princeps illos commendabat 494
a *Capua* (Barthol.) ejus doctrina & honores 115
Caput civis Rom. quid complecteretur, de eo quomodo judicandum, lex XII. Tab. 251
Capito (Attej.) æmulus Labeonis, conſulatum impetravit, adulatus eſt Auguſto & Tiberio, aquarum curationem geſſit, ejus ſcripta & mors 65. ſq.
Caſcellitus oblatum conſulatum recuſavit, ejus ſcientia juris, eloquentia & ſcripta 62. ſq.
Caſtilioneus, ejusque ſcripta 125
Cato (Marc.) ejus eruditio & dignitas 53
de *Cauſa peroranda* 236
quamdiu id licuerit, leges XII. Tab. 237
Cautio Mutiana quid & ab quibus præſtanda, 375
in quaſi uſufructu quæ non poteſt remitti a teſtatore, fidejuſſoribus præſtanda 395
Celeres qui & unde dicti 2
Celſus pater, conjurationis auctor pœnam aſtu eluſit, Licinio nepoti offenſus 68
Celſus filius, Adrianum conſiliis juvit & libros plures ſcripſit 68
Cenſores unde, eorum officium, dignitas & poteſtas 7
Cenſus equitum & ſenatorum quantus eſſe deberet 2
Cenſus natura, & qui eum inſtituerit 7 & 11
Cenſura magiſtratus, ejusque indoles, morum præfectura poſtea appellabatur, ab imperatoribus etiam exercita, 83. 487
Centuriæ, quot 11
Ceres legiſlator qualis 163
Cerites qui 7
Ceritum in tabulas plebeji referebantur a cenſoribus 7
Ceſſio in jure quid & quibus ritibus peracta 271
Ceſſio bonorum quid, quibus permittatur, & quem effectum habeat 271. 298
Charondas legiſlator Græcus 164
Cinus Piſtorienſis, juris ſtudio & poëſi clarus, jus pontificium perſtrinxit, ejusque diſcipuli 116
Civilis poteſtas quid 158
Civitas quid 160
ſine lege corruit 313
ejus natura unde æſtimanda, ejus ſtatus optimus quando & num detur 310
ejus ſtatus miſtus, & quando adſit perturbatus ibid.
Civitas Rom. quibus patuerit 537
Civis Romanis, de ejus capite quomodo judicandum 251
interioris ſortis 12
Cives medii generis qui dicendi, ſunt optimi in republica 321
eorum numerus qualis Athenis 249
Claudius rei navali ſtuduit, præmia ingentia naves fabricantibus poſuit 336
Claſſes P. R. quot, ſingulæ quos receperint, quotque centurias complexæ 12. & not. *
Clientes Rom. qui & eorum officium 181
Codex Juſtinianeus, unde collectus & quando editus 94. ſq.
converſus 101
Cogitatio num & quatenus punienda 419
Collegia, quæ fuerint conceſſa, & quæ habuerint jura 203
Collibiſtæ qui 457
Coloniæ Romanæ 537
Comitia a conſiliis quo modo differant 22
eorum habendorum ratio, tempus & ſuffragia, ib.
nundinarum die non habebantur 24
quibus ex cauſis dirimebantur 26
- - - *centuriata* horum poteſtas & habendorum tempus 23
inſtituit Tullius rex 25
- - - *curiata* horum ætas 22

Digitized by Google

Comitia tributa, eorumque poteſtas 23
Comperendinare reum quid 438
Concubina num adultrix 425
Conditio quævis nuptias impediens pro non adjecta habetur 376
etiamſi aliam in perſonam concepta ibid. & ſq.
Confinii ſpatium 192
Conjuges quam hereditatis portionem mutuam capere poſſint, ex alieno teſtamento libere capiebant 370
prohibitio ſolidi inter eos capiendi ſublata 372
Conjugum jura ex XII. Tab. 182
in ſolido capiendo 371
Connubia vetita, deinde permiſſa 182
Conſilium & comitia quomodo differant 22
Conſiſtorium unde dictum 495
Conſtantia Henrici Imper. uxor 50 annorum peperit 355
Conſtitutiones principum 500
appellabantur quoque principum juſſa 88
violare illas ſacrilegium dicitur 443
Conſtantinopolis 533
ſedes Imperatoris ibid.
olim Bizantium dicta, ejus privilegia 536
minime Romam æquabat ib.
ibi jam ante Juſtinianum ſchola juris erat 101
Conſules P. R. eorum conſtituendorum ratio, ætas & officium 13
poteſtas & auctoritas 12
veſtitus 13
belli gerendi ſummam habebant 13. 14. 21
minores tribunis plebis 12
ab illis ad P. R. provocabatur 12
etiam imperatores fecerunt 84
qui prius faſces ſumebant 364. ſq.
Copolla 125
Cœtus nocturni prohibiti 226
Coronarum uſus quatenus permittebatur 262
Corpus nullum edit motum 308
menti ſubjectum eſſe debet 308
Coruncanus (Tib.) princeps, jus docuit, ejus dignitas 44. 53
Creatio imperatoris 516
in ea militum jus 523
Creditorum jus in debitores damnatos 245
Cretio quid 276
Cujacius (Jacob.) ejus origo & diffidia, aliorum induſtriam & ingenium ſuperavit 107
ejus fama inſignis, officia, ſcripta 134. ſq.
magni fecit Accurſium 113
ſchola ab illo nominata 140
Culei pœna in parricidis num ſublata 459
Cumanus (Raph.) 125
Curatio quid 178
Curiæ P. R. quot 10
certa ſacra habuerunt ib.
unde dictæ 11
Curiones unde 11
Curtii fratres 125
Dardanarii qui 444
Debitoris condemnati & juſto tempore non ſolventis pœnæ quæ 245
Decemviri Rom. 171
Deciſiones 50, Juſtinianei codici infertæ, quam ordinem obſervant 96
Decii 124
Decretum ſenatus quid 19
Decreta principum 89
Depoſitæ rei dolus quomodo puniatur 216
Dialectica corruptores quantum mali invexerint in legum doctrinam 601
Dialectica facete illuditur 623
Dies juſti qui, qui præliares 244
nominalis infantum qui Græcis fuerit 371
legatorum quando cedat 387
comitiales qui 15
ſacri & negotioſi ab Longino veniunt 70
Digeſta Juſtin. eorum natura, unde denominata & eorum collectores 95
in Græcam linguam tranſlata 101

Dii

Dii gentilium eorumque nomina diverſa unde, illos colendi ratio diverſa apud veteres 253
Dinus, doctrina clarus, libri ſexti decretalium auctor 115
Diſputandi canones 607
Diſputationes fori quid 42. ſq.
Divinatores quomodo puniuntur 458
Divitiæ quomodo ſpernendæ, de illis effatum Clementis XI. 597
Divortia, quibus permittebantur 184
mutuo conjugum conſenſu ſine ulla cauſa conceſſa erant 184. 362
primum rariora, poſt frequentiora, deque illis XII. Tab. & Juſtiniani diſpoſitio 379
quid juris apud Athenienſes 184
Dominii acquirendi ratio quotuplex 195
Domini natura qui 308
Donellus (Hugo) ejus conditio, fata & ſcripta 131
Dotem qui conſtituere teneantur, quibus conſtitui oporteat, filiæ naturali tantum pater non conſtituit 373
Dotis dictio, promiſſio, datio quomodo differant 361
Draco malum quomodo æſtimavit 165
Druſus (Caj. Liv.) ejus juris ſcientia 55
Duarenus, ejus origo, auditores, Cujacium habuit offenſum 130

Edictum in albo quis propoſuerit 37
perpetuum quotuplex, Adriani, Cornelianum 37. ſq.
- - - ædilitium 40
actiones ex illo 41
Edicta principum 89
Emancipatio quotuplex, ejusque effectus 175. 272
Engumarius Baro aliorum oppoſitionibus potiſſimum clarus 130
Epiſtolæ principum 89
Epulæ ferales 260
Epulæ publicæ quare conſtitutæ 11
Equeſtris ordo P. R. ex quibus conſcriptus 1
ejus inſignia 2
feminarium ſenatus 3
Equites Rom. unde nominati, quo cenſu fuerint lecti 2
cenſu diminuto ad plebejos tranſibant 3
equites ad plebejos rejiciebant cenſores 7
Equo publico & proprio qui meruerunt 2 & not. **

Faber (Ant.) 138
Famoſus libellus quid, diverſa ejus coërcendi ratio 220
de eo lex XII. Tab. 221
Ferrettus (Æmil.) legati & doctoris munere egregie functus, ejus fata 127
Fideicommiſſa quid, eorum introducendorum cauſæ, veteri Jurisprudentiæ ignota 404
illorum jus ad certam ſummam prætores dicebant 36
Fiduciarius quatenus hæredi præferatur 389
Figulus (Caj.) 55
Filii cur natura in patris poteſtate ſint 308
Filius familias non ad uxorem ducendam ſed pater compellitur 374
Finium regundorum judicium 194
Fiſcus dotem ex ſolutis imparium ætate nuptiis lucratur 360
ejus augendi variæ cauſæ & leges conſtituebantur 382
leges reſtrinxerunt JCti 388
ejus jus in bona caduca quale 389
ejus advocatus 93
Flavianum jus 30
Flexumines, qui & unde dicti 2. not.*
Feminæ viris natura ſubjectæ ſunt 154
Fœneratio 205
Fragmenta legum regiarum 83. 166
XII. Tab. 280. usque 303
Fulgoſius 124
Fundi nomine quid comprehenditur 195
Fundus Italicus quis 377

Funeris ſumtus ſupra modum qui expendere ſoliti fuerint, eorum erogandorum modus qui & cur fuerit præſcriptus 255. ſqq.
XII. Tab. de illis & humatione 262. ſq.
Furioſus curatorem accipit 178. ſq.
Furta, eorum natura & diſtinctio 210
per lancem & licium quæ 212.
- - *nocturna* cur gravius punienda 211
- - *frugum*, quæ pœnam mereantur 212
apud Lacedæmones & Ægyptios impunita, quomodo apud Athenienſes puniebantur 210
de illis XII. Tab. 213
Furtivæ rei æterna auctoritas erat 196

Gallus (Caj. Aquil.) 58
Gentiles qui 192
Glans legenda, lex XII. Tab. 192
Goſiana factio 108
Gothofredus 138
Goveanus Ariſtotelis defenſor ſtrenuus, ingenio acuto & veloci claruit, laudatus nimium ab Cujacio 127. ſq.
Græcia aliis populis leges dedit 164
Gregorianus codex 94
Grotius 138

Hæreditas ejus diviſio, quot modis contingat, leges XII. Tab. de ea 200
non adita ad quem devolvebatur 386
delata, quæ eliciatur 374
repudiata aut omiſſa cui cedat 387
ejus pars repudiata num cum onere accreſcat 387
quemadmodum petatur 412
Hermogenianus nihil novi prodidit 79
Hermogenianus codex 94
Homicidium quid, ejusque pœna, apud veteres parricidium nuncupabatur 228
Homines novi 7
Homo duplici natura præditus 149
Horas Romani olim non horologio ſed ruſticorum more diſtinguebant 237
Hortenſius (Quint.) 23
Hottomannus (Franc.) illuſtri familia ortus, ejus adverſa fata, jurium periti ſſimus 132. ſq.
Hugolinus 109

Ignobiles qui 7
Imaginum relictio 7
Imperator Rom. 79
ſenatoriam dignitatem, pontificatum, cenſuram, tribunitiam poteſtatem, conſulatum & proconſulare imperium ſimul gerebat 82. ſqq.
Imperium, quinam natura gerant, a corporis potentia num deducendum, merum & miſtum quid, num & qua ratione homini in inanima competat 309
unde ortum, ejus introducendi neceſſitas, qui aliorum imperio natura ſubjiciantur 160
- - - *Romanum*, ejus cauſæ natura & definitio 480
Incendium, ejusque pœna, & quæ lex XII. Tab. extet 230
Inceſtus inter quos committatur & quotuplex ſit 429
ejus pœna, hujusque diverſitas 432
Indignus qui dicatur, illi quæ relicta quousque auferenda 385
quis capere poſſit 384
Indulgentia in hoſtes 251
Infantes Romani ante triennium a mamma non depellebantur 372
Ingenui nomine qui comprehenduntur 354
ad ingenuitatem quando provocare licuerit 340
Injuriæ realis diverſa ſpecies 222
puniendæ ratio 223. 452
Inſtitutiones Juſtin. quando editæ, earum dignitas & auctoritas 96
tranſlatæ in Græc. ling. 101
Interceſſionis vox erat *veto* 20
Interpretation. quando ſcribi cœperunt 44

Inter-

Interpretes, eorum munus & ratio 6
æſtimatio 42
apud Græcos erant oratores 41. ſq.
quomodo illis utendum 140
Irnerius, ejus ætas, jurisprudentiæ reſtaurandæ adjutor 105
ſcholæ Irnenianæ auctor, Bononiæ profeſſor fuit 166
Judicis in ædes ingredi litigantes prohibebantur 445
Juramenti remiſſio quantum reipublicæ noceat 312
a quo fieri poſſit 374
Juriſconſulti Rom. eorum honor & dignitas, officii ratio 42
in jure auctoritas 43. & **
diverſitas in philoſophiæ ſectis 48
reſponſa judici obſignata tradenda 44
diſſidia 44
Jureconſulti Sabiniani & *Proculiani*, horum ſeries & appellatio 48. ſq.
in quo maxime differant 50
JCti noſſe debent legislatores agere 326
Juriſdictio quotuplex Romæ fuerit 36
numerus & conjunctio 39
ejus origo 160
Juris diviſio apud Rom. unde petenda 23
exercendi ritus 267
Jurisprudentia unde nata 41
priſca quid complecteretur 30
quot philoſophiæ ſectis nitatur, a quo in ordinem redacta 45
quatuor gradus noſtræ tribuuntur 107
ejus dignitas 326
- - *Caſſianorum* & *Proculianorum* 48
quot ſcholis doceretur publicis 101
ejus ætas quotuplex 52
- - *genera* quatuor 52
- - *antiquæ* indoles, tempus, ac duratio 52
- - *mediæ* indoles ib.
- - *novæ* indoles ib.
- - *noviſſimæ* tempus ib.
- - *Juſtinianeæ* fata adverſa 101. ſq.
reſtitutio 103
Jus accreſcendi quando obtineat, ejus indoles, num inter legatarios obtineat, num repudiata portio cum onere accreſcat 387. ſq.
Jus Ælianum unde 30
Jus civile, quid 1
Jus decemvirale unde dictum 27
Jus divinum 312
Jus Flavianum 27. 30. 265
Jus honorarium unde natum 33
ejus indoles & differentia a jure civili 33. 38. ſq.
Jus gentium 154. 157
Jus Italicum, quid 377
Jus Latii quid ibid.
Jus naturæ 149
Jus Papyrianum 27
ejus fragmenta 167
Jus publicum 248
Jus Quiritium cur optimum dictum, ejusque ſumma 377
Jus Romanum unde manaverit 27. 159.
Jus ſine ſcriptis 42
Jus ſacrum 253
Juſtinianus ancipitis famæ, quo anno imperio potitus, quæ bella geſſit, leges civiles in ordinem & libros congeſſit, ejus virtutes & vitia 93. ſq.
Juſtitia cur potentiores non ſollicitos habeat, menti natura impreſſa 314
optimum civitatis ſtatum inducit 307
Juſtus homo qui Platoni videtur 626
Juventius (Caj.) 59

Labeo (Antiſt.) ejus pater, honores & ſtudia, inſanus ab Horatio appellatur, Auguſto reſtitit 64
Auctor ſectæ Procul. & Pegaſ. 48. 65
Labeo (Domit.) *72
Lacedæmonii cur non niſi cum adulta nuptias inire ſolent 359
Laterculum majus & minus, codex erat officiorum, ejus curam qui gerebat 88
Latrones cur juſtitiam non plane deponant 314

Legati quid ſint 158
ante obitam legationem privatis rebus involvi vetabantur 438
Legationes quis Romæ excipiebat 14
quo in loco 15
Legatorum dies quando cedat 38
Legatum non agnitum cui deferatur 387
cur a fideicommiſſo ſeparatum 389
Leges ſociales quæ appellatæ 437
Legislatio ſenatus 499
Lex quid 311
a Platone quomodo appellatur 157
naturæ obſequi non imperare debet 356
a quibus ferri & abrogari potuit 8. 250
ratio ferendæ ejus 23. 24
publicandæ 24
approbandæ 26
improbandæ modus & formula ibid.
abrogandæ modus 250
ferendæ formula 24
de illis lex XII. Tab. 250
Leges ſacratæ quæ 21
- - variarum regionum, deque illarum origine 163
Legis venia cur raro concedenda 314
Lex Marci Acilii Glabrionis quæ 438
Lex Ælia Sentia, quo tempore lata, ejusque natura 329
ejus auctor 330
ſublata ex parte a Juſtiniano 329
cavet de patrono libertum inopem negligente 331
certam ætatem manumittentis & manumittendi præſcripſit 330
Lex Aquilia ejusque auctor, in univerſum de damno culpa per hominem dato diſponit, quæ capitum ſumma 469
æſtimatio damni quomodo inſtituenda, ejus actio adverſus heredes non, niſi ex damno dato locupletiores ſint, conceditur 470
Lex Atilia 31. 345
Lex Atinia, ejus indoles 31
rei furtivæ uſucapionem cui concedit 394
Lex Aufidia 32
Lex Aurelia 5
Lex Bæbia 32
Lex Cæcilia 24
Lex Calfurnia Junia 32. 438
Prætorem conſtituit, qui de rapinis magiſtratuum provinciarum judicaret 438
Lex Caninia 30
Lex Cincia quando prodierit, ejus auctor, dona ob cauſas orandas accipere vetat, reſtituebatur ſub Auguſto, limitata eſt ſub Claudio 32. 399
Lex Claudia 31. 346
Lex Clodia 32
Lex Cornelia de falſis ejusque auctor 32. 447
falſa inſtrumenta vetat, ad eam quatuor SCta revocantur horumque indoles 448. ſq.
Lex Cornelia de injuriis ejusque auctor, injurias manu illatas eumque, qui in alienam domum irrupit, perſequitur, duplicis generis actiones prodit, quam pœnam reis conſtituit 33. 452
Lex Cornelia de luſu 33. 460
Lex Cornelia numaria, ejusque auctor, pretioſiori metallo deterius infundere, monetamque adulterare vetat, ejusque pœna 33. 451
Lex Cornelia de repetundis, ejus auctor & ſumma 438
Lex Cornelia de ſicariis, civium vitam ab inſidiis ſceleratorum tegit, unde denominata, ejusque pœna 33. 453. ſq.
Lex Cornelia de teſtamentis ejusque auctor, confirmat teſtamentum in urbe ab illo conditum, qui apud hoſtes obiit 32. 400
Lex Cornelia de veneficiis 33
ejus introducendæ ratio 456
homines veneno fraudulenter necare prohibet, quam pœnam conſtituit 458
Lex Curiata 513

Digitized by Google

Lex Didia quid vetat 24
Lex Duillia populo inprimis ſubveuit 21
Leges duod. tab., earum collectores qui 29
colligendarum ac componendarum ratio 29. 171
conditores 53
ordo 172
diverſa denominatio 173
num æneis an eboreis tabulis inciſæ 172
cur plures a Cicerone fictæ fuerint, quos habuerunt ſcriptores 173
Lex Ebutia quid ſtatuit 24
Lex Fabia 32
Lex Fabia de Plagiis, ejus auctor qui, eum, qui hominem invitum celavit, detinuit, damnat 33. 462
Lex Falcidia unde appellatur, heredi quartam partem hereditatis ſalvam reliquit, ad ſucceſſiones ab inteſtato & donationes mortis cauſa fuit extenſa 403
Lex Furia, ejus auctor, certum modum legandi & mortis cauſa donandi præſcripſit, a teſtantibus callide quomodo eludebatur 32. 401
Lex Fuſia Caninia, ejus indoles, quando & a quo lata, num fideicommiſſarias libertates contineat 326. ſq.
Lex Glicia ex l. 4. ff. de inoff. teſtam. inveſtigatur, ejus fundamentum eſt quærela inofficioſi teſtamenti 32. 411
Lex Hoſtilia, ejus ætas incerta, procuratori certa ratione furti agere indulgebat 33. 462
Lex Icilia tribuno ad populum loquenti contradicere vetat 21
Lex Julia de adulteriis unde nomen & ortum trahat, adulterium aliaque libidinis crimina coërcet, ejus pœna harumque diverſus modus 32. 420
Lex Julia de ambitu, ejus auctor, munera & honores, pecuniis impetrare vetat, quam pœnam conſtituit 444
Lex Julia & Titia, ſecundum quam tutor dandus erat a præſidibus 31
Lex Julia de maritandis ordinibus mulieri ad totem tutorem dedit 349
Lex Julia majeſtatis, unde nomen, imperanti & reipublicæ proſpicit, quæ crimina proprie complectatur, ejusque pœnæ 416. ſq.
Lex Julia Miſcella unde nominata, cautionem Mutianam introduxit, eamque Juſtinianus temperavit 375
Lex Julia peculatus unde nomen habeat, furta pecuniæ publicæ vetat, ejus pœna antiqua & hodierna 32. 441
Lex Julia de reſiduis 441
Lex Julia de ſacrilegio ib.
Lex Julia de vi, armorum uſum, tumultus aliosve actus vi patratos prohibet 435. ſq.
Lex Julia de annona, ejus auctor, alimenta dolo quocunque modo cariora reddere vetat, ſervorum mulierumque delationes recipit, quam pœnam conſtituit 444
Lex Julia agraria, ejus auctor, agrorum terminos movere prohibet, ejusque pœna 444
Leges Juliæ judiciariæ conſtitutæ domum judicis litigantes ingredi, vetabant, quomodo interpretari & limitari ſolent 445. ſq.
Lex Julia manumiſſionis, ejus auctor, principem ab manumiſſionis ſolennibus abſolvit 333
Lex Julia & Papia Poppæa, ejus auctores, ferendæ neceſſitas & dignitas, cælibatum prohibuit 31. 351
infamiam qua cælibes laborabant, ſuſtulit 352
conjugis & liberorum multitudini præmia conſtituit, relictorum ex alieno teſtamento partem in ærarium tranſtulit, a JCtis reſtricta, diverſaque capita complectitur 352
Lex Junia Norbana de ſervis in convivio epiſtola manumittendis inprimis diſponit 333. ſq.

Lex Junia a Jun. Penno lata magiſtratuum provincialium avaritiam punit 438
Lex Lætoria terminum pubertatis ad annum 25. poſuit 31. 350
adoleſcentibus lexurioſis curatores ordinavit, circumventis ſuccurrebat, horumque ſtipulationes prohibuit 357
Lex Licinia ſocio contra ſocium, qui partem ſuam doloſe alienavit, ſuccurrit 24. 474
Lex Mamilia 396
Lex Menſia 336
Lex Mævia 32
Lex Pedia ib.
Lex Peducea ejusque indoles 429
Lex Petilia 32
Lex Petronia, ejus auctor 33
in dubiis ſententiis pro ſervi libertate decidendum præcipit 333
non domini, ſed judicis arbitrio ſervos ad beſtias damnari vult ib.
num de illis, qui accuſationem deſtituunt, etiam diſpoſuerit 465
Lex Plautia 32
ejus auctor M. Plautius Sylvan. res vi poſſeſſas uſucapi prohibet 395
Lex Plautia ſive *Plotia* de vi publica & privata, publicæ ſecuritati proſpexit 434. ſq.
Lex Pompeja 32
Lex Publicia & Titia ludos luci cauſa inſtitutos circumſcribit, quos ludos excipiat, quam coërcitionem in ludentes ſtatuerit 460
Lex Regia quid complectatur 85
ejus fragmenta ib. & 166
ejus verus ſenſus 503
in eam animadverſiones 506
ejus ferendæ occaſio 501
Lex Remmia incerto diverſoque nomine producitur 464
infamiæ literæ K in fronte imprimendæ ſubjicit eos, qui per calumniam aliquem publico judicio accuſarunt 465
Lex Jul. Repetundarum magiſtratus avaritiæ obicem poſuit 32. 437
Lex Rhodia de jactu unde appellata, de damno mercium ejectione navis levandæ ergo facta reſarciendo agit 33. 472
ratio damnorum æſtimandorum ib.
Lex Scantinia ejus auctor, adoleſcentes venere corruptos, eorumque corruptores coërcet 433
Lex Scribonia ejus auctor 32. 396
ſervitutum uſucapionem quatenus ſuſtulerit, libertatem uſucapi non impedit ib.
Lex Servilia 438
Lex Titia vel *Publicia* 460
Lex Tullia 32
Lex Valeria 35
Lex Vectii Lybici 31. 344
Lex Velleja 407
Lex Viſellia quando lata 336
varie denominatur, capita ſua non habet amplius integra, extantium ſumma quæ 31. 337
ſublata ab Juſtiniano ibid.
Lex Voconia ejus auctor, libertatem legandi & feminarum ſucceſſionem circumſcripſit 32. 402
Libelli, eorum indoles 90
ſub Auguſto & Julio Cæſare primum invaluerunt ibid.
Liberi quæ præmia habuerunt, hos, qui habebat, alteri magiſtratus petitione præferebatur 364
quæ præmia Lacedæm. attulerunt 365
ſimulata adoptione quæſiti non proſunt, ſinguli annum addebant ad parentis ætatem 364
ſuſcepto munere nati num proſint, actis publicis ſinguli inſcribebantur, eorum computandorum ratio, numerus qui ſufficiat & unde probandus ib.
numerus principis gratia interdum impetrabatur, præmia num a Theodoſio.

doſio ſublata, qua ratione ad Latinos & libertos pertinuerint 365. ſq.
Liberta non poteſt patrono invito ab nuptiis diſcedere, ut ad novas tranſeat, diſcedens invito patrono a nuptiis, quæ damna ſentiat, ei nuptæ concubinatu interdictum, non ſponſæ 362
Libertatis quæſtio ſub Auguſto mota 327
datio virtutis præmium 330
Latinæ indoles 334
hæc ſublata ab Juſtiniano 335
Libertatis Latinæ conſequendæ variæ cauſæ 335
fideicommiſſariæ indoles 338
Liberti jusjurandum de nuptiis non ineundis cur remiſſum 374
quam bonorum partem patronis relinquere teneantur 380
Liberti aureo annulo uti poterant 337
eorum præmia ex nuptiis & liberis 363. 367
Liberto quando equeſtris ordo conceſſus videretur 337
Libertus ingratus quomodo punitur 332
Libidio adoleſcentum averſa quæ 432
Lictores eorum officium 6
Lictor lege age, formula 314
Lis & jurgium quomodo differant 194
Longinus (Caj. Caſſ.) ejus parentes, majorum virtutum propagator, doctrinæ magis quam bello vocavit, cur in exilium actus 69. ſqq.
Lotharius, Cremonenſis, æmulus Azonis, armis præcipue claruit, rei eccleſiaſticæ parum favet 112
Luccius Atilius 53
Ludos qui dirigebat 40
Luſtrum cur quinquennium dicitur 7
Lycurgus cur ad cives nunquam redire voluerit 312
unde hujus leges 165

M*agi* eorum pœnæ 448
Magiſter officiorum principis palatium regebat 87
Magiſtri ſcriniorum, eorumque officium & numerus 92
Magiſtratus deſcriptio 53
in fide continendi ratio 315
optimi natura, num plebeji ad eum adſpirare debeant 323 ſq.
cur rationes ab illis poſcendæ 324
Magiſtratus curules qui dicuntur 7
majores qui & unde creati 23
Mancipatio quid ſignificet 201. 270
ejus indoles & effectus 274
quas LL. XII. T ab. habeat 203
Mancipium quid 195
Mancipi res quæ 195. 270
Mandata principum 89
Manumiſſio quotuplex, ejus ritus & effectus 275. ſq.
per eam civis reipublicæ dabatur, ejus libertatem reſtituit Juſtinianus, nominatim facienda, in fraudem creditorum facta invalida, domino ſolvendo haud exiſtenti quatenus permiſſa 330
Manumittendi vindicta ætas 329
licentia cur reſtringatur 328
Manumittendis ætas juſta & limitata 330
ex hujus domo quantum efferre licuerit 342
Maranus 138
Marcello (Ulpius) 74
Marcianus (Ælius) 73
Martinus, Cremon., ejus origo & vita, ambitio ſingularis, agnati inter principes relati, qua morte peririt 107
Maſiniſſa rex 86 annorum liberos procreavit 355
Materfamilias quæ 183
Mauricianus (Jun.) 73
Maynus (Jaſo) ex concubina natus, luxuriæ deditus ad frugem rediit, ejus honores & munera, eruditio & ſcripta 123 ſq.
Medici imperiti pœna 459
Menander (Arius) Severi imperat. negotiis functus eſt 74

Digitized by Google

Mens humana ejuſque jus in corpus 164 ſq.
Militum jus in creatione imperatoris 513
Miniſterium publicum quid 439
Minos, ejus inſtituta 164. ſq.
Modeſtinus (Herenn.) Ulpiani diſcipulus, Græcæ & Latinæ linguæ peritus, ejus dignitas 78
Moneta, quinam locus 451
Monetæ cudendæ ſcientiam unde Romani didicerint 156
Morbi naturæ rationalis 152
Morbus ſontieus 238
Mores dijudicabant cenſores 7
Mornatius 138
Mulieres viris ſubjectæ ſunt 308
Romæ perpetuæ tutelæ ſuberant 346
nubentes jus familiæ quando amittebant, innuptæ agnati tutelæ ſuberant, puberes num a tutela per Ulpianum fuerint liberatæ 347
muliebris tutela liberorum gratia ſoluta 308
Mulieres prægnantes id intra 30 dies a divortio marito denunciare debebant 393
qui & quot ad hanc denunciationem mittendi 394
Munera cur divitibus ſolis non deferenda 323
Municipia ad curias non pertinebant 11
Munuſcula accipere quæ licuerit 400
quando 439
Mutiana cautio quid, & a quibus præſtanda, ejus præſtandæ ratio 375

Natura rationis cum corporis natura ſemper certat 158
corporis 149. ſq.
Naturæ lex duplex, promiſcua, rationis 148. ſq.
lex obſequi non imperare debet 356
Nerva pater, Tiberio familiaris 65
Tiberii flagitiis indignatus mortem ſibi arceſſivit 66
Nerva filius mature aliis conſuluit, Nervæ imperatoris pater creditur, ejus ſcripta 67
Nexus quid 202. 270
Nobiles qui, eorumque diviſio 7. 320
Nomina & *cognomina* Romana cognoſcendi & diſcernendi ratio 178
Nomina imponebantur liberis 9 die 371
Novellæ Juſtiniani, Græce conſcriptæ, quo tempore prodierint, translatæ in linguam Latinam 97
Irnerii judicium de illis 166
Novellæ Juliani, eas Julianus JCtus vertit 98
Nundinæ quo die Romæ fuerunt 24
quod initium nundinarum ſumendum 246
Nuptiæ prohibitæ patricios inter & plebejos 182
inter majorem 60 annorum cum minore quinquagenaria 355
juſtæ & irritæ quomodo differant 354
earum diſſolvendarum modi 391. ſq.
Nuptiæ cur & quousque inter pupillum & tutorem prohibitæ, num inter protutores & pupillum prohibitæ, contra prohibitionem a curatore contractæ quomodo puniantur, legitime ſemel contractæ poſtea non vitiantur, quæ prætoribus provincialibus prohibitæ 391
inter ſororem & fratrem aliquibus gentibus permiſſæ 431
Nuptiarum parium præmia, *imparium* pœnæ 360
Nuptiarum vacatio ib.
Nuptias illicitas quis diſſolvendas tulerit 354
ſi ætate impares contraxiſſent, quam pœnam dabant 356
inituri ſæpe jurare debebant, ſe liberorum quærendorum cauſa id facere 374

Obvagulatio quid, num actori an teſti permitteretur, de ea lex XII. Tab. 240
Occupatio primæva quæ 154
Odofredus 114

Offilius quos libros ſcripſerit 62
Oldradus de Ponte advocatus fuit calli-diſſimus, a pontifice objurgatus an-gore obiit 115
Oligarchia quid, ejusque incommoda 321
Opes dijudicantur a cenſoribus 7
Opificia penes ſervos aut infimam ple-bem erant 9
Optimates qui 7
eorum in republ. ſtatus quando adſit 319
Optio quid 278
Orationes principum, earum indoles, ru-diores principes eas per quæſtores recitabant 87
Oratores Græciæ cauſas recitabant 41
Otho judiciorum ſummarium ſcripſit 110

P*acis* jus 157
Pactorum indoles de his XII. Tab. 236
Pandecta Florentina quæ 104
Pancirolus 138
Papyrianum jus quid 27
Papyrius (Sextus) 60
Papyrius (Juſtus) 74
Papyrius Prætextatus ob reticentiam erga matrem in ſenatum fuit rece-ptus, & inde nomen prætextati ac-cepit 4
Papinianus, dignitate & eruditione cla-rus, occiſus Caracallæ juſſu, in eum inſcriptiones 75. ſq.
Parricidium, ejusque indoles, apud vete-res homicidium dicebatur, lex XII. Tab. de eo ſuperſtes 227
apud veteres Roman. penitus incogni-tum, ejus pœna 459
Partus legitimi tempus quod, computan-di norma, lex XII. Tab. de illo, 185. ſq.
conſtante matrimonio natus a patre agnoſcendus 394
Partus monſtroſus qui dicendus, a quibus judicandus, necandus ſtatim a paren-tibus, quomodo ab oſtento differat, quando matri proſit 187
Paſtus pecoris quomodo vindicetur 217
Pater patriæ 85
quo ſenſu imperator ſic appelletur 489
Patricii unde dicti 1
qui nobiles quive plebeji 7
Patrium jus omnibus gentibus commu-ne, in tyrannidem apud quos trans-ierit 173
jus vitæ & necis continuit 176
ejus diverſi effectus 174
expreſſio quomodo in XII. Tab. 182
Patronatus jus 181. 337
Patroni Romani unde dicantur, a quo inſtituti, eorumque officium 181
ſucceſſio in liberti bona quænam 380
de illis lex XII. Tab. 182
Patronus ex fideicommiſſo minor eſt re-liquis 363
Paulus (Caſtrenſis) Baldi diſcipulus, ege-ſtate ad ſtudia ductus, quæ munera geſſerit 122. ſq.
Paulus (Julius) Ulpianum diſciplina & honoribus æquavit, ſtylo gravis & juris tenax, ejus ſcripta 78
Pauperiem quando quadrupex fecerit 216
Pax intenditur bello 157
Peculatus crimen 441
Pecuniæ origo 156
Pecuniæ repetundæ crimen quale, & quo-modo puniendum 224
Pedanius quot ſervos habuerit 328
Pedarii qui 4
Pegaſus non nativitatis beneficio, ſed vir-tute, honores adeptus, auctor ſena-tusconſulti Pegaſiani 67
Perduellis quis dicatur 227. 417
olim hoſtis vocabatur 233
Perduellionis judicium 23
crimen quale & quomodo a majeſtatis crimine differat, hujusque pœna 227
Peregrinus uſucapere non poterat 196
Perezius 138
Perjurii pœna 205
Permutatio, antiquiſſima contractuum, olim venditio dicebatur, qua ratione olim fuerit inita 155. ſq.

Digitized by Google

Perſarum legiſlator qui 163
Philo (Quint. Publ.) 23
Philoſophia quæ prævaluit in jure eloquentiæ parens 46 642
Phoroneus legiſlator Græc. inſignis 164
Pietatis exteriora opera quid ſint 611
Placentinus juris ſcientiam in Galliam retulit 110
Placita Principum 27
Plato philoſophicam in rege naturam expoſcit 313
quam regni Perſici ruinæ cauſam afferat 316
ejus divinatoria hominis juſtiſſimi expreſſio 626
Plagium quid, quot modis committatur, quamque pœnam habeat 462
Plebeji quando admiſſi in ſenatum 3
quando nobiles dicti 7
Plebiſcita a quibus lata 23
quibus diebus 24
Plebs pop. Rom. ruſtica vel urbana 5. 12
quo loco conveniret 23
qui ex iſta optimi 324
ejus indoles 323
munimentum adverſus nobilium inſolentiam, quomodo in officio continendi 324
Pœnæ neceſſitas 158
interiores in animis injuſtorum 595
Pompejus (Sextus) jurium, geometriæ & philoſophiæ Stoicæ peritus 57. 73
Pomponius (Cajus) an fuerit Servii auditor 64
Pontificatus maximus P. R. ab imperatoribus gerebatur 83. 486
Pontificium jus ex quibus compoſitum 633
Popul. Rom. ejus diviſio, ordinum auctor 1
poteſtas 20
in criminibus 35
conventus 22
Populares qui 7
a *Porta Ravennate* (Hugol.) libros feudorum authenticis attexuit, ejus mors 109
Poſſeſſionis judicium ſingulari ratione exercebant Romani 241
Poſtumus unde dicatur, quid ſignificet, quotuplex ſit, ejus jura 408. ſq.
Poſtulare quid ſignificet 465
Pragmaticæ juſſiones quid 88
Præcones, eorum officium 8
Præfectus urbis, ejus poteſtas & officium 16
Præfectus prætorio, conſuli dignitate cedebat 90
ejus officium ac poteſtas 91
Præjudicium quid in ſenſu juris civilis 394
Prætores urbis, eorumque origo 33
poteſtas conſulibus abſentibus 15
habitus, quibus lictoribus uſi 34
numerus 16
jus reddiderunt e ſella 34
per annum præturam gerebant 37
Prætores peregrini unde orti 34
eorum officium 34. 37
poteſtas 34
Prætores provinciales quamdiu in officio fuerint 35
cereales qui 36
edictum juris a ſe reddendi per annum proponere tenebantur, quibus formulis poteſtatem ſuam exercebant 38
fideicommiſſarii qui 36
tutelares qui 37
fiſcalis qui ib.
Proprætores qui, eorumque nomen unde 35
Principem juvat minores magiſtratus geſſiſſe 315
Priſcus (Neratius) magni a Trajano æſtimabatur, conſulatum geſſit, ſpe imperii obtinendi per Adrianum excidit 68
Priſcus (Javolenus) levis mentis erat, ejus eruditio in jure, auditores, & ſcripta 71
Privilegium quid, irrogatum quid, ejus concedendi ratio, ac ritus, lex XII. Tab. 249. ſq.
Probatio ſemiplena num detur 420

Procu-

Proculianorum auctor Labeo 65
ſchola unde 67
Proculus (Licinius) diſciplina Nervæ patris ſui ſectator, magnam in jure auctoritatem obtinuit, ab eo ſchola Proculiana dicta 67
Pro-conſules unde dicti 35
Pro-conſulis titulo cur non uterentur imperatores 488
Proconſulare imperium quid 84
in univerſas provincias exercebant imperatores 84. 488
Prodigus curatorem accipit 179
Proletarii qui 11. 236
Pro non ſcriptis res quot modis habeantur 382
Pubertatis terminus quis 350
ex qua lege deducatur, in eo computando Caſſiniani & Proculejani differunt 359
Publiciani qui 2
ab cenſoribus vectigalia conducebant 2. 8
Puteal Libonis 236
Pyleus ejusque vitæ ratio & ſcripta 110
Pythagorica ſchola 164

Quadrupes ſi pauperiem feciſſe dicatur 216
Quæſitores qui 35
Quæſtiones publicæ 36
- - - perpetuæ 35
Quæſtores qui & unde dicti, eorum officium & diverſitas 87
Quærela inoffic. teſtament. num ex lege Glicia aut ex moribus deſcendat, liberis inique, rite tamen exheredatis ſuccurrit, patrisque teſtamentum reſcindit, num præteritis quoque indulgeatur 411
Quindecimviratus ſacrorum qui, eum imperatores ſuſceperunt 485

Raptus virginum quomodo puniatur 436
Rationis humanæ jura 153
Referendi jus quid 16. 84
parce imperatoribus initio concedebatur ib. & 489
Regnum quando adſit 313
optimatum 320
differt ab imperio 498
Regulæ juris unde 44
Repetundarum crimen ejusque pœna 224. 438. ſq.
Reſcripta principum 89
Res litigioſæ quæ, in ſacrum non dicandæ, & cur, de illis XII. Tab. 188
Reſidui crimen quod, qui eo tenebantur 441
Respublica quando occurrat 313
ſtricte accepta quid 322
Romana a quo conſtituta 10
in illa triplex regimen 12
Res ruſtica magni olim apud Romanos fiebat 4. 9.
Rex quis optimus, ſatellites exteros non habeat 313
Rhadamantus primus legumlator 163
Riminaldus 124
Ruinus ibid.
Rofredus, Beneventanus, Azonis diſcipulus, actionum formulas aliaque ſcripta edidit 112
Rogerius 110
Rogus quid, vid. *Buſtum.*
Romam intrare non niſi depoſito officio licebat 15
Romanorum juſtitia & jus, unde profluxerit 159
patrimonium maxima ex parte in ſervis conſiſtit 328
pietas in legibus ferendis 307
ſtatus crebra mutatio, plebis poteſtas, reſpubl. a Romulo conſtituta, quando in Tyrannidem inciderit 325
illi, quo genere cum primis erant prodigi 307.
cum tenera puella nuptias inire ſolebant 359

varii ritus 565
poteſtas omnis publica in civilem & militarem diſceſſit 563
Romulus ordinum Pop. Rom. auctor 1
de *Roſata* (Alberic.) doctrina illuſtris, advocati & legati munere functus, ejus mors 117
Rufus (Publius Rutilius) ejus animi firmitas, ſcripta, ac ætas 55. ſq.

Sabinus (Fabius) capite damnatus vitam quomodo ſervavit 74
- - - (Fab.) filius, cur Cato dictus 74
- - - (Cæl.) apud Veſpaſ. Imp. magnæ auctoritatis, ab eo Sabinianorum appellatio proceſſit, ejus ſcripta 71
- - - (Maſurius) doctrinæ Attej. Capitonis ſucceſſor, auditorum liberalitate vixit, primus de jure publica auctoritate reſpondendi jus nactus, equeſtrem ordinem virtute acquiſivit 68. ſq.
Sabiniani JCti, vid. *Juriſconſulti.*
Sacra certa ſingulæ curiæ habuerunt 10
ad hæc ex ærario pecunia ſumebatur 11
Sacræ res, eorumque jura 254. ſq.
Sacri, qui fiebant 229
Sacrificia hominum varii erant generis, apud plures gentes fuere in uſu, eorum pœnæ 457
Sacrilegi qui, eorum pœna 441
Salicetus factionibus & exilio clarus 124
Salvius Julianus, cognomine Severus dictus, Adriano Imper. familiaris, edictum perpetuum aliosque libros ſcripſit, ejus dignitates 37. 39. 71
Sapientia humana unde originem ducat 637
Sapientis vita beata 153
in hebetiores dominatio cur naturæ conceſſa 159. ſq.
Saturninus 74
Scævola (P. Mutius) 54
- - - (Cerbidius) diſcipulis & eruditione clarus 75
Scævola (Q. Mut.) augur 57
- - - (Q. Mut.) Pontifex ibid.
Schola Bartoli 139. ſq.
Accurſiana 139
Proculianorum unde dicta 67
Bononienſis a quo inſtituta 105
Bituricenſis 130
Irneriana 139
Pythagorica 164
Cujaciana 140
Scholæ publicæ Juriſprudentiæ ante Juſtinianum tres erant 101
quot in Jure apud Rom. fuerint 105
Scientiæ & artes hominis injuſti malitiam augent 314
Scribæ qui 5
doctores quodammodo magiſtratuum 6
a Catone caſtigati ib.
eorum officium, dignitas, apud Græcos honoratiores, quam apud Latinos, fuerunt 5
adilitii Prætorii, Pontificii & navales erant 6
SCta ſcribebant 19
Scrinia quid, & eorum diverſitas, cura quibus demandaretur 92
Sella curulis unde dicta 34
Senacula, quid 15
Senatus Pop. Rom. habendi tempus, ejus locus 14. ſq.
auctoritas & poteſtas 14. 20. 490
quando diminuta 491
officium in quo conſiſterit 14
convocandi Jus cujus fuerit 15
dimittendi formula 20
ordo ſedendi 17
ordinis inſigne quod 4
poteſtas circa bellum gerendum 21. n.*
ſeminarium quod 3
in eum legitur Imperator 85. & 490
ſenatu motus qui dicitur 8
princeps ſenatus ib.
Senatores qui dicti 2
eorum ætas juſta 4
in ſenatum venire cogebantur 14

quo

Digitized by Google

quo cenſu fuerint lecti 3
ante cenſum a quibus lecti 4
cenſu minuto ad Ord. Equeſtrem, & ab hoc in Plebejum deſcendebant 3. & not. *
quo ordine in ſenatu ſederint, eorum diſceſſio quid ſignificet 17
ſenatorum liberi curiam ingreſſi 4
Senatusconſultum, ejus dicendi ratio & tempus 14. 17
approbatio 19
quomodo conſcribendum 18
quot ſenatoribus condendum ib.
ſenatus ſaltem faciebat 31
quomodo aſſervandum, a quibus impugnari poterat, ejus impediendi ratio 19. 20
a populo confirmandum erat 20
poſt ſolis occaſum condi prohibitum 226
SCtum per diſceſſionem, quale vocatur 17
SCtum tacitum, quod 19
Senatus decretum quod ib.
SCtum Æmilianum 399
SCtum Apronianum 406
SCtum Articulejanum quando prodierit, præſidis provinciæ juriſdictionem in cauſa libertatis extendit 31. 339
SCtum Calviſianum alias Calvitianum dicitur, de nuptiis a minore 60 ann. cum majori quinquagenario initis diſponit 356
SCtum Claudianum ejusque auctor Cæſ. Claudius, cur Veſpaſiano adſcribatur 342
mulieres cum alienis ſervis concumbere ſub pœna ſervitutis prohibet 31
ejus limitatio ac varia lectio oſtenditur ibid.
& Paulo obſtanti reſpondetur, illud a Juſtiniano ſublatum 343
SCtum Claudianum ad L. Papiam condidit Tiberius Cæſar, prohibet nuptias ſexagenarii cum minore 50 annorum, a Claudio poſtea abrogatum, legis Papiæ caput qui abrogatum ſtatuunt, notantur 356
SCtum Claudianum aliud, quod liberis, quibus libertus a patre aſſignatus fuerit, de certa hereditatis parte proſpexit 32. 413
SCtum Daſumianum libertati ſervorum favet, ampliatum eſt a Paulo 31. 338
SCtum Julianum a Græcis Adrianum appellatur, ejus introducendi cauſæ, fraudulentam hereditatis alienationem coërcet 32. 412
SCtum Juncianum ſervis proſpexit, a Senatusconſulto Æmiliano non diſcernendum 339
SCtum Largianum liberis heredibus a patre inſtitutis ratione bonorum liberti ſubvenit 333. ſq.
SCtum Libonianum quando conditum & quid contineat 447
SCtum Macedonianum unde appellatum, ejus introducendi ratio & finis, improbat mutuum filiofamilias dare, creditorique repetitionem ejus denegat 397
SCtum Neronianum etiam Piſonianum, it. Claudianum appellatur, pœnis ſervorum ſubjicit eos, qui manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent 467
SCtum Neronianum a paucis animadverſum, in legatorum favorem introductum 401
SCtum Ninnianum ſive *Nonianum*, incerti auctoris eſt, ſervorum & libertorum ad libertatem & ingenuitatem proclamantium fraudes reſtrinxit, delationem fraudis omnibus permiſit, detegenti fraudem ſervos aut libertos addicebat, elapſo quinquennio aut mortuo ingenuo perimitur 31. 340. ſq.
SCtum Orficianum liberis ſucceſſionem conceſſit, quosque liberos excluſit 415

SCtum

SCtum Pegaſianum quo tempore conditum, fiduciario quartæ detractionem concedit 32. 405
SCtum Pernicianum cælibes perpetuis cælibatus pœnis ſubjecit, abrogatum eſt ab Juſtiniano 357
SCtum Plancianum etiam Plaucianum appellatur, de denunciatione prægnationis poſt divortium & partu agnoſcendo diſponit, incertæque eſt ætatis 392
SCtum Rubrianum unde dictum, ſervis libertatem, quam heres rogatus præcidere intendit, plene conceſſit 31
adopto filio proſpexit, ademit hæredibus rogatis jus patronatus, limitaturque 338
SCtum Sabinianum heredibus adoptivis proſpexit 32. 404
SCtum Silanianum num a quibusdam recte Syllanianum dicatur, ejus origo & ætas diu incerta, eos, qui negligunt aut refugiunt accuſare, pœnis ſubjicit 33. 466
SCtum Statilianum ejusque autor, ejus ſumma quæ 466
SCtum Tertullianum & Orphitianum 32
ejus ætas ac denominandi ratio 413
filio matrique mutuam ſucceſſionem permittit 32
ejus commodis quot modis mater privetur 414
SCtum Trebellianum quo tempore conſtitutum 404
de hereditate ejusque actionibus ab herede in alium transferenda, ſibique quarta ejus parte retinenda diſpoſuit 405
ejus actiones dantur etiam univerſitati 406
SCtum Turpillianum ejusque auctor, eos coërcet, qui reis ad effugiendum judicium moras nectendo ſubveniunt 465
SCtum Vectii Libici, ab aliis Vectibulicium dicitur, Servis publicis manumiſſis libertatem concedebat 344
SCtum Vellejanum, unde appellatum pariter ac deſcendat, fœminis pro alio intercedentibus ſubvenit, & fidejuſſionem infirmat 32. 398
SCtum Vitraſianum quale, infantibus, quibus libertas fideicommiſſaria relicta erat, ſubveniebat 31. 340
SCtum Voluſianum fraudulentam debiti alieni acquiſitionem, & proprii exactionem per vim factam, vetat 437
Senatusconſulta quatuor ad leg. Cornel. de falſis, quam comprehendant ſingula ſummam atque pœnæ determinationem 448
Senes depontani qui 26
coëmtionales 255
Sententia Judicis, ejus exequendæ ratio apud Roman. 244
leges de ea XII. Tab. 247
Sententias quis rogaverit, earum dicendarum ratio 16
Sepis interſtitium, ejus jura alia 192. ſq.
Sepulchra in uſum profanum adhiberi vetitum 477
eorum jura alia 266
eorum jura unde petita 564
Servius Sulpitius qua ratione in juris ſtudio profecerit, Ciceroni erat conjunctiſſimus, ſummam attigit juris aliorumque ſtudiorum ſcientiam, quæ munera & honores geſſerit 60
ejus merita in jurisprud. 44
Servius Tullius urbem ampliavit 9
centurias & centuriata comitia inſtituit 25
quas leges tulit 166
Servi natura qui 308
Servi publici 344
Servi annulos geſtare prohibebantur 337
eorum numerus Romæ 328

numero

numero inſunt fugitivi, ultra numerum manumiſſi quomodo computandi, nominatim manumittendi 328
heredes facti quando ipſo jure liberi 331
Servitutes cur ad jus gentium a Jurisconſultis relatæ 158
- - - prædiorum ruſticorum & urbanorum 189
Servitus viæ quam' habeat latitudinem ibid.
Servitutum uſucapio quando & quomodo obtineat 396
Sexus femineus cur virili natura ſubjiciatur 154
Sicarii qui dicantur 454
Sica quale armorum genus 453
Soccinus 125
Societatis humanæ origo unde 154
Sodales qui, lex XII. Tab. de illis 203. ſq.
Solon ejusque geſta 165
Spadonibus nuptiæ prohibitæ, qui tales, & quotupliciter ſumantur, generandi virtute quatenus adhuc polleant 357
Spinellus 125
Sponſalia biennio quatenus circumſcripta, ultra biennium protracta a ſponſis, maritorum præmia perdunt, num hoc caſu arrham ſponſa retineat, hujus bienniis computandi ratio 358
an inter tutorem & pupillum prohibita 391
Statu liber qui fuerit, ejus mentio in XII. Tab. 201
Status optimatum quando occurrat 320
popularis 322
Stoicæ philoſophiæ in jure auctoritas 46
Studiorum ratio quomodo habenda 141
618. ſq.
Stuprum quid, ejusque pœna, ejusdem adjutores quomodo coërcendi 420. 428
Subſtitutio ejusque indoles 387
cur excogitata ibid.
quamvis obſcura inducitur 389
Succeſſio ab inteſtato quo ordine contingat, inteſtatus qui dicatur, ejusdemque lex XII. Tab. 198. ſq.
Suffragiorum ferendorum ratio 25
Sylla ſenatum reſtituit 3

T*abulæ duodecim* 280. usque 303
Tabellæ duæ civibus diribebantur ad ferenda ſuffragia 26
Tarquinius Priſcus ſenatum auget 2
Tarruntenus 72
Tartagnus (Alex.) ejus æmulus, gravi rectoque ingenio fuit, ejus doctrina, munera & mors 123
Tergiverſatores qui, illorumque pœna 465
Tertullianus ſub Sept. Severo vixit, num ſacer an civilis ſcriptor, dubitatur 74
Teſta (Cn. Treb.) ejusque ſtudia 61
Teſtamentum, lexque de eo XII. Tabul. 196
Teſtamenti factio inter conjuges 371. ſq.
Teſtes eſſe vetabantur repetundarum rei 440
Teſtes falſi qui proprie ſunt, eorum pœna diverſa 225
Teſtium numerus in teſtamentis unde 11
Teſtimonium denunciare quid notet 439
Thalelæus pandectas in Græcam linguam tranſtulit 101
Theodoſius codex 94
Theophilus quidam tranſtulit inſtitutiones 101
Theopompi humilitas 315
Toloſanus (Greg.) 138
Tigni juncti actio, deque illo lex XII. Tab. 218 ſq.

Digitized by Google

Timor ad fallendum acuit 322
Torquatus (Man.) ejus munera, honores, animique conſtantia, ipſe adverſus filium ſententiam dixit 55
Tribonianus unde ortus, juris civilis compoſitor, ſocios compilatores quos habuit, culpatur a Suida, capitis accuſabatur a ſeditioſis, ejus laudes, vitia, honores 100
Tribunæ ærarii 4
Tribuni plebis quam poteſtatem habuerunt 20. ſq.
conſulibus poteſtate erant majores, eorum inviolabilitas ibid.
interceſſio, ex quibus collecti 19
quot fuerint 21
eorum domus nocteque & die patebant ibid.
diem integrum ab urbe abeſſe non poterant, ibid.
illorum poteſtas ſub Sylla concidebat, 22
Tribunitiam poteſtatem ſuſcipit Imperator 22. 83. 486
Tribus unde 8
quotuplices apud Rom. fuerint ibid. & ſqq.
Tribus una decem complectitur curias 10
Tribus diviſio non communicat cum ea per claſſes & centurias 12
Tribus per ſeditionem primum impetrati 325
Tributorum imponendorum ratio 324
Troſſuli, qui 2
Tryphoninus Syriæ præfuit 74
Tubero (Quint. Ælius) ejus frugalitas ac ſcientia 56
Tubero (Quintus Ælius) filius Ligarium infeliciter accuſavit, ejus præceptor Ofilius, ſcribendi ratio 63
Turba forenſis 12
Tutor quomodo puellæ nupturæ ad dotem conſtitueretur, ejus officium 361
Tutoris datio 370
a quo, quibusve ſolennibus fieret 354
Tutorum Jus 177
cautiones ſi neglexerit magiſtratus, conveniri poteſt 345
Tutela quid 178
ejus diverſitas, *teſtamentaria* civibus Rom. deferenda, *legitima* agnatis, *dativa* quibus & quo modo 345
ceſſitia quæ ibid.
furioſorum, *prodigorum* 178. ſq.
quibus LL. XII. Tab. deferebatur 177
ejus actiones 179. ſq.
in quo differat a cura 178
Tyrannorum Græcorum callida regnandi ratio, virtutum ſimulatio 316. ſq.

V*ades* qui dicerentur 232
qua in re a vindicibus differant 234. & 239
Vadimonium deſertum juſtas rei non comparentis cauſas complectitur, de eo lex XII. Tab. 237. ſq.
Varus (Alfenus) ex ſutore Juriſprerit. & conſul evaſit, Servii auditor, hujus libri 63
Vectigalia publicanis per cenſores locabantur 8
Veneſici 227
Veneficium quid 456
Venus averſa 432
Veſenbecius 138
Veteres olim ſeorſim ſinguli habitarunt 155
Viatores qui 6
Vindices qui & unde dicti, num cum vadibus conveniant, quæ LL. XII. Tab. de iis extent 234
Vindiciæ quid 241
quas leges XII. Tabul. ſuperſtites habeant 243
Vinnius 138

Virgi-

Digitized by Google

Virgines Veſtales quomodo colligantur 360
Viris feminæ ipſa natura ſubjectæ ſunt 154
Virtus ſummum libertatis & honeſtatis opus 155
origo virtutum 152
Vis quid olim, *publica* quomodo a privata diſtinguatur, *privata* quid 435
de ea legem tuliſſe fertur Julius Cæſar ibid.
Vita beata ſapientis 153
Vitia & eorum natura 152
Ulpianus (Domitius) ejus fata, ſcribendi genus, imperium Alexandri Severi conſiliis rexit, Chriſtianorum hoſtis ſummus, obiit odio militari 77. ſq.
Unctura cadaverum 260
Vocatio in jus quid, ejus formula, exercendæ modus 230
quas exceptiones reo indulſerit 232
quas LL. XII. Tab. 233
Vocationem non habebat tribunus plebis 21
Voluſianus Mecianus quis, ejus laudes, SCti Voluſiani autor 74
Uſucapio, a quo introducta, ejus introducendæ ratio & finis, quod tempus quasque res requirat, quas habeat LL. XII. Tab. 194. ſq.
Uſurarum modus privatis Græciæ fœneratoribus relictus 205
a Romanis qui fuerat determinatus, computandarum ratio & uſus 205. ſqq.
de uſuris leges XII. Tab. 210
Uxores, quæ proprie dictæ, vinô uti prohibebantur 183
quomodo una cum liberis a marito tractandæ 322
magiſtratuum Provincialium delinquentes quomodo punitæ 439
earum poteſtas in maritum, uſucapio 183
duo erant genera apud Rom. 414
Uxor vulgaris quæ 424
X*enia* Magiſtratui accipere permittitur 400
Xenophontis ſententia 316
Z*aleucus* legiſlator Græcus 164
Zoroaſtrus num Perſarum Legiſlator 163

VOCABULORUM ANTIQUIORUM EX FRAGMENTIS LEGUM DUODECIM TAB.

EXPLICATIO.

Abeſcit 185
Æſtimiam 247
Ambitus 189
Amfracto 190
Amſegetes ibid.
Amſanctæ 231
Amſegetes ibid.
Amtermini ibid.
Aſſiduum 235.
Atque 233
Capſit 214
Concapes 219
Conſcito 238
Danunto 240
Deciſum eſcit 214
Diffenſus 240
Donicum 203
Duit 176. 228
Duplione 216
Endo 176. 214
Endo jacito 234
Endoplorato 214
Endo via 236
Em 233
Emem 192
Erctа Cita 201
Eſcint 263
Eſcit 180. 214
Eſum 180

INDEX VOCABULORUM ANTIQUIORUM &c.

Fariatur	216	Obvagulatum	ibid.	Si en ſiet	237
Furris	247	Occentaſſit	221	Siremps	252
Forctum	252	Olöe	168	Sirit	226
Forti	ibid.			Sol óccaſus	238
Fructi	244	Pacit	224	Stlis	188
Fulmin	168	Pacunt	236	Stlitem	238
		Pavire	216	Stlocum	188. 238
Horctum	253	Pedemve ſtruit	234	Sublucare	191
		Pipulum	222	Subvades	240
Im	214	Polluctum	170	Superſtitibus	243
Impeſcit	218	Proletario	235		
Incenſit	230			Teſtarier	226
Jobis	168	Quips endo	247	Transduit	227
Jurgant	194	Quiritare	214	Transque data	203
Nancitor	187	Rupſit	224	Verberit	168
Nec	ib.			Vindiciam	244
Nervo	247	Sanati	252	Vindicit	247
		Se fraude eſto	241	Vls	ibid.
Obnubito	230	Sei	168	Uſurpandi	185
Ob portum	241	Si Calvitur	234	Uſus eſto	ibid.

ERRATA.

Pag. 24. Not. * lin. penult. pro *fulguriante* leg. *fulgurante.*
Pag. 149. lin. 3. pro *indicit* leg. *indidit.*
Pag. 152. lin. 21. *poſt verbum majoris delendum bonis.*
Pag. 188. lin. 27. pro *benignimus* leg *benignius.*
Pag. 230. lin. 28. pro *ingeniam* leg. *ingenitam.*
Pag. 255. not. * lin. 6. pro *Quis* leg. *Quibus.*
Pag. 348. lin. 9. pro *ſentiam* leg. *ſententiam.*

LIPSIÆ,
EX OFFICINA GEORGII SAALBACHII.

ANT 1318761

9400.

Digitized by Google